


Fol.
948
por



THORMODI TORFÆI
HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARS TERTIA,

CONTINENS EA,
QVÆ à TEMPORE
INTRODUCTÆ IN NORVEGIAM

CHRISTIANÆ

RELIGIONIS *Landskøbst. 1700*

AD INITIUM USQVE
REGNI SVERRERIS
ACTA SUNT.

HAFNIÆ, MDCCXI.
EX TYPOGRAPHEO JOACHIMI SCHMITGENII.

*Thors. in
2000. 1807.*

THE HISTORY OF THE
NORWEGICAN
PARIS TERRA

BY
J. J. J. J.
OF THE
NORWEGICAN
PARIS TERRA
AND
OF THE
NORWEGICAN
PARIS TERRA

THE HISTORY OF THE
NORWEGICAN
PARIS TERRA



HISTORIÆ RERUM
 NORVEGICARUM
 PARTIS TERTIÆ
 LIBER PRIMUS,
 CONTINENS HISTORIAM EIRICI,
 SVENI ET HACONIS, NORVEGIÆ
 COMITUM.

CAP. I.

DE DIVISIONE NORVEGIÆ INTER VIC-
 TORES, GESTIS COMITUM IN EXILIO, ET PRÆCIPUE
 EIRICI EXPEDITIONIBUS, ET UTRIUSQUE CON-
 NUBIIS.



Vemadmodum inter Principes conve-
 nerat ante conflictum Svoldrensem, devicti
 Regis ditio inter eos divisa est. Vikam, quæ
 prius Dania Regibus paruit, Svenus, jam
 velut postliminio receptam, sibi reservavit.
 Raumarikiam autem & Heidmarchiam gene-
 ro suo Comiti Eirico clientelari jure conces-
 sit. Olavo Sveciæ Regi quatuor præfecturæ
 Thraudiæ, Mæriarum utraqve cum Raums-
 dalo, Ranarichia etiam a Gotalbia usque ad
 Svinafundam, quod spatium districtus Ba-

husensis nomine hodie usurpatur, cesit. Quæ omnia affini suo Sveno Haconis
 filio, qui Holmfridem (aliis Hornfridem) non, (ut *codex Flatayensis* & *Chronica*
MSS. omnia habent) filiam ipsius, sed (ut rectè *Loccenius* observavit, vetusq;
 liber membranaceus *Thomas kinnu* habet) sororem (neq; enim per ætatē filiā

nubilem habere poterat) uxorem duxit, jure, quo ea tributarii Reguli, vel Comites olim obtinuerunt, Comitibus titulo administranda commisit. Eirico præter regiam navem spoliisque eâ contenta, quæ ex indiviso præcepit, quatuor residuæ Thrandiæ provinciæ, Halogia insuper & Naumudalus, Fiordi quoque & Fialæ, Sognia, Hordia & Rogia, borealisque Agdarum pars usque ad promontorium Lidandisnesiam forte obtigerunt. Atque ita præpotens Norvegiæ imperium, unico temerario conflictu perditum, mox in provincias divisum, & Majestatem regni, & potentiam vicinis formidabilem subito amisit; inque triumviratum redactum redituum suorum magna parte non Danos tantum, pristinos dominos, sed etiam Svecos, novos hostes, locupletavit. Omnia damna superavit puriorum sacrorum, religionisque noviter magno successu institutæ, non laxata, sed penitus remissa, disciplina; nam licet ipsi Comites Christiana sacra approbassent, salutiferoque regenerationis fonte se abluendos præbuissent, nihil tamen ad ea promovenda contulerunt, verum arbitrio cujusque reliquerunt, sive ritum ethnicum Christiano, vel hunc pagano præferre liberet. Hinc interior Thrandia, tantum non universa, & Uplandæ ad paganissimum relapsæ sunt. Eorum tempore circa annum MXIII. Folqvård, qui deinde Aldenburghensis Episcopus factus est, durante persecutione Slavica, Slaviâ pulsum in Norvegiam profectum, multos Domino lucratum, *Helmoldus & Slavici Chronici incertus auctor*: testatur. Leges autem strictè consuetudinesque præfatas observari curabant, delictaque severè vindicabant, ideo universis ordinibus accepti. Svenum insuper formæ singularis venustas, & exemplo rara, commendabat, sed ditionis angustiis, imperandi prudentiâ, gestorumque gloriâ, fratri impar fuit.

Eirici gesta, ex quo Norvegiâ profugus solum verterat, hæc summam memorantur. Anno CMXCV, in Sveciam ad Olafum Regem profugit, clementerque acceptus, opimas provincias ad sustentationem familiaris satis splendidam beneficio ejus impetravit, ibique hyemem transegit. Interea magna multitudo e Norvegia Olafi imperium evitans ad eum profugit, quam comparatis navibus piraticis impositam proximo vere in Gothiam transportavit, mercatoresque interdum adnavigantes, potissimum autem piratas, exspoliavit, longoque ad litora tempore per æstatem excubans, excursum in terram aliquoties fecit, uti id Eyiolfus Dadaßald / seu eximius poeta, rhythmis Bandorum, seu Deorum oda, comprehensum prodidit, maritimasque oras populatus est. Deinde in freto Eyrarsundeni quatuor Danorum myoparones diripuit. Inde in Vandaliæ ad districtum Staurensæm movit, piratarumque naves interceptit: pars prædonum occisa, pars in mare præcipitata, teste eodem poeta. Hac eadem æstate in Daniam ad Regem Svenum se contulit, filiamque ejus Gidam sequenti vere uxorem duxit, ex qua proxima hyeme, quæ æræ Christianæ, teste *Codice Flateyensi*, CMXCVII est. Haconem, qui ei successit, progeniit. Deinde ad Russiam classe admota, non litora modo infestabat, sed etiam excursionem factâ plurimis cladibus indigenas affecit. Oppidum celebre Aldeiguburgum obsedit, expugnatumque diripuit, direptum incendit, viciniamque vastavit. Inde longius evehctus oppida vicosque & pagos exussit, incolas ad latebras circumspiciendas detrusit, totoque tempore, quo Norvegiâ exulavit, Valdemari Russiæ Regis ditionem Olafi Tryggvini odio infestabat; universam Adalsylam magnamque Russiæ partem ferrò flammâque vastabat. Autumno quodam quatuor navigia in mari Balchico interceptit. In Scaniam etiam excurrans, præliis cum incolis gestis, victori-

am spoliaque ingentia reportavit. Ad Hioftadas (fors oppidum Bleikin-kingiæ, hodie Uftadam) quatuor naves in potestatem redegit, nautis mili-tes ejus dividerentur. Hæc singula, *Compendio Chroniconum* enumerante tradenteque, citatus pœta commemorat. Qua ratione Gothiam & Scaniam, si in Danorum Svecorumque ditionibus fuerant, spoliare potuerit, haut as-seqvor, cum eorum beneficiis subsidiisque plurimum sustentaretur. Nam quod in Gothia gestum est ante adventum Olafi Tryggvini in Norvegi-am prælium, ab eo, quod retulimus, diversum memoratur. Illud ad patris ejus tempora, Danis tum infesti, nec Svecis æqvioris, referendum est, quò magnam hominum turbam ad naves ductam pretio ingenti vendi-disse traditur. Certè à prælio Jomsvikingensi, & hoc, quod exinde gessit, Svoldrensi, Principum sui seculi bellicosissimus habebatur. Nidarosiam ur-bem interciderere permisit, Hladasque, sedem paternam, ut plurimum inco-luit, eoque omnes reditus referri curavit; oppidum tamen aliud Steinke-ras dictum in Thrandia instituit.

CAP. II.

DE ERLINGI SKIALGIET EINARISTHAM-
BASKELFERIS MAGNIFICENTIA, SIGMUNDOQUE
BRESTERINO E FÆREYIS EVOCATO.



Omitum tempore annonæ proventus ingens toti Norvegiæ affulsit, pacem nullo externorum Prin-cipum turbante: intestinam deinde civum concor-diam satraparum omnium in Comites propensus af-fectus promovit. Solus Erlingus Skialgius pacem cum Comite Eirico componere detrectabat. Agro itaq; universo, ab affine Rege Olafso concessò, rediti-busque omnibus Comes eum multavit; quod is nihil moratus, pares col-onis extorsit, ita ut duplum, duobus qvippe dominis, pendere singulis annis cogerentur; secus prædia vastabat. Sunt qui suspicantur, in distri-ctu Jadrensi canonem prædiorum duplicatum, qui etiam hodie, nec alibi, penditur (Ut = Ekyld vocant) ex hoc principio promanasse. Nec tamen eum prælio aggredi Comes ausus est, qvippe fultum amicorum, toto reg-no potentissimorum, numerò, clientumque turbâ. Magnâ enim potentia pollebat, præsidioque numerofo, tanquam Regio satellitio, se seferat, alu-itque magnam ministrorum vim, quam navibus per æstates impostam piraticis latrocinis adhibuit; nihil enim ex consveta magnificentia inter-mittere voluit, licet præfecturarum amplitudine, aut tam comòdis rediti-bus, ut sub Olafso Tryggvino, non frueretur. Octoginta aliis centum libe-ris hominibus (fortè mercenariis servis) semper usus est: præsentibus au-tem vel appropinquantibus Comitibus, ducentis. Reliqui servi, numero semper triginta, operibus addicti, præter fæminas ætatemque imbecillio-rem. Zythus singulis prandiis ad mensuram, vesperis pro lubitu omni-bus patuit. Nunquam iter nauticum minore navigio, quam locorum vel scalmorum viginti, susceptum; habuit tamen aliud triginta duorum capax, quo ad expeditiones piraticas vel conventus alios usus est, ducentis ad mi-nimum, interdum etiam pluribus, clasfariis nautisque instructum. Servis operas

operas certas injunxit, quas si ante crepusculum absolvissent, quod reliquum erat temporis, eorum negotiis impendi permisit. Libertas singulis certo pretio redimenda patuit, quam ex redacta inde summa plerique primis annis, omnes autem, qui viribus pollebant, tertio anno sibi comparabant, quam ad alios servos cœmendos convertit; liberos autem vel ad haledum capturam, vel alium quæstum lucrumque faciendum, sylvas vepresque excidendas, agrosque inde faciendos, amandavit. Omnibus unde vivere possent providit. Staturæ magnitudine formæque elegantiam, viriumque robore, exercitiorumque peritiâ, in primis pugilatu, Olafo Tryggvino proximum habitum *Chronica* prædicant; licet Sigmundum Bresterinû *Codex Flat*: omnium tamen latraparum omni seculo præstantissimus sine controversia celebratur. Liberos ex Astride sustulit, filios quinque, Aslacum, Skialgum, Sigurdum, Lodinum, & Thorem; filiam Ragnhildem, quæ nupsit Thorbergo Arnino, de quo in *Sancti Olafi vita*. Ex horum quibusdam illustris familia promanavit. Einari Thambaskelferi cum peperisset Eiricus, in super sororem suam Bergliotem, quæ eum in Norvegiam secuta est, cum consensu fratris Sveni in uxorem dedit, virginem generosam, eumque Orcadali præfectum constituit; unde omnium Thrandorum potentissimus ditissimusque evasit, vir naturæ dotibus eximie ornatus: nam, præter generis illustris splendorem, tanto robore pollebat, sagittandique peritiâ, ut cutem taurinam recens bovi detractam, a trabe dependentem, telo arcu excusso trajiceret; pandis trabibus quovis alio celerius super nives ferebatur, artesque usitatas exactissime callebat. Ex hac affinitate Comites plurimum comodi percipiebant, industriâ ejus auxilioque & fide plurimum semper adjuti.

Cum primò Comites quasi postliminiò restituti patriam regere cœperunt, Sigmundum Bresterinum, veterem amicum; per internuncios arcessabant; qui libenter mandatis eorum parens, Hladas ad eos profectus summa cum benivolentia exceptus, pristinæ apud eos amicitie gradum tenuit, patriæque suæ universæ solus præfici meruit; eodem autumno magna cum gratia remissus, qui anni MI. fuisse videtur; neque enim anni præcedentis extrema parte patriâ evocari, nec tempus ultra primæ occasionis terminum, qui primo sequentis anni viare, id est MI, per intermeantes naves se exhibebat, vocatu præsertim tam faventium Principum, differri potuisse videtur. De gestis Sigmundi in Færeis cum Thrando, obituque, in *commentatione historica de rebus Færeysium* ex professo scripsi, quò lectorem remitto.

Comitum gesta, dum Norvegiæ præfuerunt, sive quòd nullo bello implicarentur, sive quòd poetarum, Haldoris Inchristiani, Thordi Kolbeinini, & Eylifi, vel Eyolfi, Dadaskaldis, Hallfredi Vandrædaskaldis, Gunnlaugi Ormstungæ, Skulii Thorsteinini & Thordi Siarekii odæ, qui eos carminibus suis celebrârunt, intercederint, præter ea, quæ annotavimus, usque ad Eirici Comitis egressum in Angliam, nulla suppetunt; gestis itaque aliis ejus temporis lacunam, quantum licet, supplebimus.

CAP. III.

DE PRODIGIOSI ROBORIS EXPERIMENTO, AB ORMO STOROLFI FILIO CORAM COMITE EIRICO POST PUGNAM SVOLDRENSEM EDITO.

Eodem



Odem autumno, quò devicto Rege Olafò Comes in Norvegiam rediit, Ormus Storolfi filius Româ, quam voti, periculosissimo cum gigante Brufio conflictu nuncupati, reus accessit, redux eum adiit, hospitium hybernium in aula ejus expetivit, facileq; impetravit, cognitò stupendarum virium famâ celebrari, assignato in superiori scamno loco; sed inter inferiores usus, hyemem silentio plerumq; vel pauciloquio extraxit. Incidit autem sæpe sermo de pugna Svoldrensi, athletarumqve Regiorum admirabili defensione adversus tantas hostium vires, & oppugnantium impetus, Comitis quoqve militum invictâ perseverantiâ in navi, aperto mari omnium opinione inexpugnabili, invadendâ, longoqve certamine ad ultimum expugnata. Ad ea Ormus; *tardiùs*, inquit, *si ego inter propugnatores fuisset, expugnata fuisset.* Vox illa a delatoribus sinistrè excepta, eo sensu Comiti exposita est, ac si dixisset, se propugnante vinci non potuisse. Ad se igitur Comes eum arcesitum interrogavit, an hæc dixisset? Negabat quidem id, verba autem sua ipse repetivit. Comes *unius hominis auxilium inter tot tantosque viros parum monumenti allaturum* respondit, *experturum tamen, quantum posset*: unamqve eum navem solum conscendere iussit, quindecim autem in eum concitandas, exiguum quidem numerum, respectu illarum, quæ Draconem Longum oppugnabant. Ormus *imperio Comitis obsecurum se* respondit, *nec manus nisi victum daturum*: egressusqve trabem decem & tres cubitos longam arripuit, navemqve e litore molitus in impetentes quindecim direxit; cumqve parvo tempore septem vel demersisset, vel confregisset, Comes eos à certamine revocavit. Complures sociorum auxilio in terram extracti sunt, vel natando evaserunt. Cumqve in campo certamen instaurari Comes iussisset, ne illud quidem Ormus detrectavit, nullo licet armorum genere usus, præter trabem, quam velut levisissimam stipulam assiduè rotans omnes a se aggrediendo, præsentissimæ necis metu, si ictum excipere contingeret, deterruit. Admiratus prodigiosas vires Comes eos desistere iussit. Quòd autem Ormus moderatius affirmasset, tardiùs Draconem se defensore victum fuisse, non solum se agnoscere confessus est, sed insuper adjicere, quod nunquam: Ormumqve in aulicorum suorum numerum deinceps recepit, carèqve dilexit. Comitatem deinde in Vikam comitatus, ubi ad locum, ubi destructæ navis Regiæ malum jacuit, ventum esset, periculum facere Comiti placuit, quot homines illud elevare humerisque sustinere possent; medium subire Ormum iussit. Sexaginta ad id requirebantur, qui sensim se subducentes, ut in occultis mandatis habuerunt, Ormum solum reliquerunt. Is autem tres gradus, seu, vestigia procescit, humiqve lentè deposuit, non tamen sine virium valetudinisqve jacturâ, quæ deinceps in integrum an restituta fuerint, dubitatum *Codex Flar.* asserit. *Arngrimus* mali loco carinam substituit. Hæc quidem lectori fidem superare videbuntur; idem etiam mihi, ni extarent adhuc in prædio ejus gentili tam inusitati roboris vestigia. Storolfshvol vocatur in australi insulâ quadrante, præfecturâ Rangarvalla sive situ situm, hodie etiam habitatoribus nobilioribus celebre; nam cum operas juvenis laboresqve domesticos averfaretur, à patre quodam die ad secandum fenum incitatus falcem sænariam poposcit, raræq; molis datam ut ineptam repudiavit, falcem manibus, hastam verò, cui in-

infixa erat, pedibus confregit, vigintiqve libras ferri ad officinam fabri-
lem deportans, ex iis falcem conflavit: quam ligno rudi acervo ligneo
exempto confestim impexit, adqve prata, tuberibus undiqve confita, se
contulit, totamqve eam diem secando sæno impendit; tuberes autem si-
mul cum gramine eruit, sænificarum more in ordines longos rededit,
ipsamqve falcem ferream usqve ad summatem consumpsit, ingensqve spa-
tium defalcando eò die emensus est; id quod solum toto illo agro planum,
ordinibus sænificis usitatis distinctum, hodieqve extat, mensurâqve certâ,
quam atta facta slatt vocant, circumscriptum notatumqve; quod quot
passibus constet, haut mihi liquet.

CAP. IV.
DE VITA ORMI.



Atus est Ormus anno Christi nongentesi-
mo sexagesimo. Duodecennis erat, cum iminen-
tem imbrem metuens pater sænum in acervum va-
stum, ut in regione illa mos est, actum, quatuor e-
quis, non tamen junctis, congescit; dum autem labo-
rantem filium ut robore quàm staturâ minorem in-
creparet, ad eum comovit, ut reliquias omnes sæ-
ni parvo momento in acervum, mox etiam adventantem equum, unâ cum
jugo & sarcina simul projiceret. Inde pater percussus è strue præcep-
sit, tanto casu, ut costas tres confringeret, quo tamen non magis afflicta-
tur, quàm ut diceret: *ferocem hominem non lacessendum*. Octodecim
annos agebat, cum pater insolita hyemis sævitiâ defectuqve sæni, de peco-
ribus armentisque omnibus amittendis in periculo erat, quòd venale nus-
quam sænum esset, omnibus eadem inopiâ afflictis. Dufthacus erat vicini-
us Storolfi, magus insignis, nec mentis semper compos, cum Berserkia-
ni furoris interdum impleretur, plerumqve ei inimicus, licet amicitia per
vices subreperit; quæ tamen ad ultimum in exitialem iram desivisse per-
hibetur, Storolfum enim occidisse fertur. Hic vicinum prædium Holtum,
de suo nomine Dufthaks-holtum dictum, incoluit, hoc tempore Storolfo ini-
micus. Ad eum igitur Ormus sænum, quo abundabat, à patre petatum missus,
venale nullum, quantum autem in sarcinam congestum portare posset,
donò accipere jussus est, idqve ex acervo decerpere; erant autem duo,
quorum alter orgyas quatuor longus, crassus duas, quas etiam altitudine
æqvabat; alter quadratus, duarum ex quolibet latere mensuram exæqvans.
E minore vehes humeris aptanda erat. Restes decem, quibus onera con-
stringi solebant, conjunxit, acervoqve majori subdidit, constrictumqve in
fascem subiens humero imposuit. Sunt qui dicant, prorsum acervum reli-
quum vinculis innexum exportasse, atqve ita universum sænum inimico
ablatum ad patrem detulit; qui & fassus imparem se oneri tanto, admi-
ratus filii vires, eum in posterum magis dilexit. Viginti annorum erat,
cum in foro universali in patria virium suarum experimenta ederet, cer-
tando cum amittino suo Thorolfo Skolmio de Myrkâ in tractu Horgarda-
lensi, quem comitabatur vir quidam, nomine Mækolfus, sex robustos viros
viribus exæqvans. Omnes hi in tentorio Jörundi Curionis, qui Ormi affi-
nis erat, convenerunt. Calcei ferrei duodecim selibras pendentes (aurisso
vocat) circumferebantur, quatuor eorum Thorolfus simul in laminam
extendit, Ormus autem in pristinum statum rededit, manibusqve incur-
vavit.

vavit, non sine omnium admiratione. Verum nec his contenti, lebetem quatuor amphorarum capacem arenâ implemum Mækolfus manu altera, Thorolfus duobus digitis, Ormus minimo digito levavit, manuque sub togam protinus abdidit. Illam ad inspiciendum requivens Thorolfus, cum nec copiam ejus nancisceretur, etiam sibi digitum lædere licuisse respondit. Triginta annos egit, cum primum è patria cum mercatore quodam Norvego, Auffure Hördskio dicto, quòd in Hördia natus esset, transfretavit, hyememque apud eum transegit.

Eodem tempore Asbiornus ille Danus, quem Generosum vocant, cuius mentio supra in vita Olafi Tryggvini facta est, ibi in vicinia mansit, qui Ormo in omni exercitio, quod vires non requirebat, æqualis erat. Inter illos itaque brevi amicitia, mox etiam societas, prisca reverentiâ legibusque culta, coaluit, mutua ulciscendi necessitate contracta, si alteruter ferro tolleretur. Primo vere Asbiornus Ormum secum ad Mæras Norvegiæ ad amicos suos Eyvindum Snakium & Bergthorem Bisfilem invitavit. Quòd autem fatidica mulier a patre ejus arcessita, *senem futurum, si Mæras Norvegicas vitaret, cecinisset, experturum se professus est, an vita se confesum desereret, cum eò ventum foret.* Increpabat hanc fiduciam Ormus, regerendo, tales multa quidem præscire; eò tamen eum duabus navibus comitabatur. Ibi Asbiornus percepit, Brusium gigantem, Ofofani de sinu Ofofotano filium, insulas duas, Sandeyas dictas, infedis, humanis viribus insuperabilem, omneque accolarum emolumentum, inde percipi solitum, in suos usus convertisse. Accensus ergo cupidine Asbiornus, ad eum sede sua exturbandum in præsens, svadente Ormo, à proposito revocabatur. Eadem ætate Daniam petebant, apudque Vivilem, patrem Asbiorni, in Vendila hyernabant. Vere autem proximo, qui erat anni nongentesimi nonagesimi secundi, quinque navibus piraticæ se dederunt, ad insulasque & promontoria excubantes piratas infestârunt, tantâ felicitate, ut palmam omnibus præripere viderentur. Ætate autem adulta Gothiam infestabant, multis præliis Comitum territorii istius Herraudum fatigârunt, Comitumque sibi subjecerunt, tertiaque hyeme ibi confederunt, conviviiisque indulgendo lautè magna cum lætitiâ vixerunt. Quietis autem pertæsi, iterum in septentrionales Daniæ partes, inde in Norvegiam, concesserunt, quartamque hyemem apud Auffurem in Hordia agebant. Inde diversis studiis distenti, Asbiornus piraticam meditatus est, Ormus in patriam rediit. Paulo post Asbiornus Sandeyas petens, crudeli morte à gigante affectus, cum cursum vitæ suæ sociorumque laudes medios inter cruciatus carmine exposuisset, fortiter exspiravit; quod *in vita Olafi Tryggvini Cap. IV.* expostum est. Soror Brusii eodem patre nata, matre tamen haut gigantei generis, Menglod dictâ, nata, interiorem insulam, etiam Sandeyam dictam, occupaverat, mitioris naturæ. Hæc carmen Asbiorni memoriæ mandabat, Ormoque in somno apparens, cum exitu ejus genereque supplicii exposuit, cum in Sandeya minore ad ulciscendum Brusium anno nonagesimo octavo seculi illius tentorium fixisset, consiliis & magica arte infestis chirothecis ad eum superandum instruxit, pacta post victoriam totius insulæ possessionem, quâ se frater exturbare niteretur. His actis mulier extiisse visa est. Is autem somno excitus & carmen memoriâ tenuit, & chirothecas invenit. Deinde ad speluncam Brusii profectus, saxum molis ingentis animadvertit, quod etiam beneficio chirothecarum amovit, ingressusque antrum, ferrum tactu sonorum in foribus posuit. Maxima ei ibi res cum matre ejus ferro impervia fuisse traditur, quoad pietatis votis, & in his de

Roma petenda, nuncupatis, Divino eam auxilio superaret. Ingressus longius ingenti trabe lignea aditum obstructum animadvertit, terebratâ tamen uno loco, unde hasta magna vi impulsâ eminebat, eam autem incurvatam trabi junxit; retracturus autem Brusius, qui subtus latebat, ut obstructam animadvertit, exeruit caput: Ormus autem barbam ipsius tanta ferociâ apprehendit, ut universas genas mentumque carne nudaret, transfiliensque trabem cum gigante colluctaretur, qui deficiente sanguine enervatus, trabi adigebatur, spinâque contractâ petivit, ut mortem sibi, licet crudelitate supplicii de Asbiorno sumpti minus merito, acceleraret. Arq̄vila in dorso ejus figurata, pulmonesque, ruptis costis, evulsi sunt. Arcæ duæ, auro argentoque refertæ, victoriæ præmium fuere; cætera præda unâ cum insula Menglodi forori ejus, quæ se deinceps manifestavit, permissâ, hyememque proximam in Thrandia transegit: secuta vero ætate Romam petebat, qui erat annus gratiæ nongentesimus nonagesimus nonus, unde post pugnam Svoldrensem in Norvegiam rediit, annosque aliquot in satellitio Comitis transegit. Inde in patriam reversus, in pietate in dies profecit, adque senilem ætatem cum pervenisset, placida morte solvebatur.

Quæ de Brusio hîc traduntur, licet fabulis propiora videantur, ideoque ab *Arngrimo* prætermissa, aliquid tamen veri continere videntur. In Dania cathecumenus, in Islandia baptizatus Ormus perhibetur. Nos autem vitam ejus, utpote satellitis Eirici Comitis, ejus gestis adjungere volumus.

C A P. V.

DE GESTIS REGIS SVENI IN ANGLIA AB
ANNO MILLESIMO AD ANNUM MILLESIMUM
QUINTUM, A JOHANNE ISACIO PONTANO
DESCRIPTIS.



Dum Comites Norvegiam pacificè regerent, Dani plerique è Gallia Normannia in Angliam reversi, obsidium continuo Exoniensis oppidi tentatum est, sed repulsi, magnam circumquaque stragem dedere, opponentibus licet arma Sumersetanis illorumque vicinis Dorsetensibus. Vectiam insulam clasfis suæ perfugium & velut asylum habebant. Expeditiones quoque & provincius inde ut plurimum moti, Dorsetania itaque & Suthamthonia, omnibus ille, qui Vectia objicitur, maritimus insule tractus partim in potestatem redactus, partim igne ferroque vastatus est. Ethelvedus Rex ut pace peteretur, cum armis non posset, pecuniâ evicit; solutaque tunc constat quatuor & viginti librarum millia. Hoc lutro deposito, ille jam omnium quasi securus, ductâ etiam in conjugem Richardi, Primi Normanniæ Ducis, filia Emmâ, liberius cepit agere. Quin & nefarium iniit consilium, clauculumque mandavit, ut quicquid superesset in Anglia Danici nominis, illi, sive viri, sive feminae essent, etatis quoque aut sexus nullo habito discrimine, una nocte tollerentur. Tradunt Annales hujus tragediæ prologum acturum ipsum Eibeldum Danorum duces Oxoniam ad colloquium pfectos perfidè interfecisse, reliquorum magnam multitudinem Fridesvedæ, ejusque monumenti patrocinio se concredentem, unâ cum summa ecclesiæ turri, qua se tuebantur, concremassè.

masse. Et auctor est Gulielmus Gemeticensis, ut ejus verbis utar, Danos unanimi concordia per omne regnum agentes, subito furore perimi jussos, mulieres abortivas terræ esse desossas, & concitatis ferocissimis canibus, mammillas ab earum pectoribus divulsas, puerosque lactentes ad postes adium allisos, nullis criminum existentibus causis. At ille perpetrato hoc facinore evulgari, nomenque præberi mox fecit, quasi detecta conjuratione regnum prodere, & ad populares suos transferre, consilia agitaissent. Verum Ethelredus, qui ista sanguinis effusione Danicum incendium se restincturum existimabat, id potius effecit, ut in multo majorem magisque exitialem flammam exarserit. Sveno enim hac suorum lanienâ (in qua & soror ejus Gunilda, Palingo Comiti nupta, quæ & pacis sæpenumero inter Anglos & Danos sequestra fuerat, captis supplicio affecta) irritatus numero cum exercitu Angliam iteratò irruisit, primoque statim, postquam e Dania solvit, ingressus Exencastriam suæ potestatis fecit, administrante limitis Comite Hugono Normanno; quem Domnanie præfecerat Regina Emma. Hic rebus Danorum studens reclusis opidi portis Svenonem admiserat. Admissus destruxit mœnia vallosq; ac cetera munimenta disjecit, urbemque præsidii nudatam militi spoliandam reliquit. Oram deinde universam Vittoniensis provincie plurimum diuque infestam habuit. Ac tandem Vittoniensis una cum Suthamthoniensibus collecto exercitu, cui Alfricus Dux præfectus est, in adversum progredi ausi, sed prodi ab ipso Duce, turpiter fugere coacti sunt. Hinc Vintoniam & Sarbyriam urbes ingressus, rotas diripuit atque incendit. Mox Nordvicum adveclus, simili opidanis clade affectus. Erat tum illius districtus, totiusque Angliæ orientalis dux Ulfchetillus, vir non minus fortis quàm providus ac multi consilii. Hic cum inopinatò adesse Danos accepisset, habito cum proceribus senatu, inducias potius faciendas, quàm belli tentandam aleam, è re & bono censuit. Nec Sveno petentibus pacem difficilem se præbuit, sed eam volentibus concessit. Verum rupto mox, quod pactum fuerat, fœdere, è navibus cum expeditis copiis progressus totam Theotfordiam devastat, ac flammis involvit. Eoque intellecto, Ulfchetillus ad classem invadendam nonnullos ex suis dimittit. Sed hic cum re infecta, aut parum feliciter tentatâ, essent reversi, ipse collectis copiis in hostem movit, datoque classico, adeo ab utraque parte immanitèr ac diu dimicavit, ut ex Dania nobilitate plurimos, ex Anglis vero universas pene acies absumpserit. Nec illo fuisse acriorem inter utramque gentem conflictum, Danorum ipsorum confessione proditum.

CAP. VI.

DE GESTIS REGIS SVENI IN ANGLIA AD
ANNUM MILLESIMUM DECIMUM, AB EODEM

AUTHORE SCRIPTIS.



Nno deinde millesimo ac quinto maxima anno. caritas universam insulam afflixit. Tum evocatus ad regni negotia Sveno, domum cum paucis maturat, sed expeditis quàm celerrimè regni rebus, ad destinata mox revolat. Immissâque Sandvico classe miles, qui in terram expositus obviam quæcumque habuit, cæde atque incendio complevit, ac modò irvaso proximum occurrebat, Cantio, modò dirivatâ Suthsæxia, undique prædas egit. Ethelredus tot circumquaque oppressus malis, è Mercia & Vessæxia coactis, quas

potuit, copiis, serîo conferere cum hoste manus constituit. Verum ille tum sui copiam facere, aut palam configere recusans, id præcipue studio habuit, ut onustus opimis spoliis Ethelredi parlatim exercitum fatigaret, tempusque traheret. Atque inde, adventante jam hyeme, direptisque in vicino provinciis, ad Vectam insulam in hiberna concessit. Ethelredus, quod unum dabatur, consentientibus regni primoribus, tributum denud offert, idquæ ea vicissim lege, si a direptionibus temperaturos se promitterent. Illi ut prius prolixè omnia polliciti, librarum tunc acceperunt triginta sex millium pondo. Et respirare jam aliquantulum Anglia ceperat, erantque pacatiora omnia, cum ecce sub annum millesimum septimum Danicus Comes Thorcbillus, quem aliquot instructum pratoris navibus subsecutus continuo est Hemingus & Egenulphus, suæ quisque classi præfectus, insule appropinquant. Hi in unum junctis viribus, Sandvici portum intrant, ibique facta in terram exscensione Cantuariorum opidum adeunt, hostilia minantes, nisi imperata facerent. Illi cum obsistere non auderent; confestim ut sibi ac suis parceretur, librarum tria millia promittunt, penduntque. His acceptis, Vectam versus progressi, maritimam nihilominus Suthantbonie Suthsexiaque oram depopulari, omniaque flammis exurere insistant. Rex Ethelredus, videns exactionibus ac tributis exhauriri cives, hostiumque succensum esse ferari potius quàm mitigari, iraque atque indignatione identidem succensus universam Anglorum gentem in arma rapit. Quibus & sua junxisse tum auxilia Scotos, frustra dissvadente, ac hostilia comminante, si id facerent, Svenone, annales ipsorum indicio sunt. Hisque præsidis cum passim provincias ac loca, quæ erant mari vicina, Ethelredus commisisset, magna vi magnisque animis irrupenti hosti manipulos suos objicit. Dani nihilominus, capta occasione ac tempore, prædas agere proque locorum situ irruptiones tentare hautquaquam desinebant. Cumque aliquando longius a litore ad interiora penetrassent, onustisque ingenti præda reverti ad naves difficulter concederetur, quod itinera, quæ ad mare & classem ducebant, Rex undique milite sepsisset, unum tunc illis saluti fuit. Dux enim Edricus Streone, qui Adgitham Regis filiam sibi comubio sociarat, socero Regi persuadeat, ne teneret abeuntes aut prælium adversus desperabundos committeret. Quo consilio, aut, ut Anglici interpretantur auctores, perfidia Ducis erepti, quod dicitur, ex orci tum faucibus Dani. Nam sane quod Rex decreverat, aut oppressi fuissent universi, aut ingens periculum incurrissent, si hinc Ethelredus, inde Edricus, motis utrimque copiis, medios clausissent. Verum Dani digressis Angli evantes ac multis ditati manubiis ad classem incolumes redierunt. Eoque successu animis aucti, statim exinde flexo Cantii promontorio Thamest subeunt, atque ibi locatis hibernis totam Essexiam, vicinasque ripæ fluminis provincias, aut armis, aut depopulationibus infestas faciunt. Londinensem quoque civitatem semel atque iterum aggressi, re tamen infectâ destitisse coacti sunt.

CAP. VII.

DE GESTIS REGIS SVENI IN ANGLIA AD ANNUM MILLESIMUM DECIMUM TERTIUM.



Gebatur jam annus millesimus ac decimus, cum iterum ad interiora progesi Oxonium vi magna diripiunt, direptumque flammis admotis incendunt. Et mox acceptis opimis spoliis, cum intellexissent, cogi adversus se Londini exercitum, qui transitu prohiberet, continuo cum parte copiarum ripam Thamestis borealem emensi

emenſi juxta locum, qui Stane dictus, flumen tranſierunt. Atque ibi in unum denuo collecti, multa cum præda, pervallato ſimul Subbregiæ territorio, reditum ad naves paraverunt. Dum etiam in Cantio circa quadrageſimam conſiſtunt, reſectis obiter navibus, a Paſchatis mox feſto Angliam orientalem advecti, ac prope Gibſvicum claſſe egreſſi, ducem Uſketillum, qui ibi tuendo limiti conſederat, expoſitis inopinatò in terram copiis, invadunt, dubioque utrimque commiſſo prælio, terga tandem Anglos dare coegerunt; illisque fugatis univerſa, qua patet, Orientalis Anglia ad imperata conceſſit. Nec multo exinde tempore ceteræ quoque provinciæ aut dicto obediennes aut nuntantes reddite. Præcipue autem Cantuariæ opidum, accedente defectione Abnerari archidiaconi, miſerum in modum expugnatum, direptum atque exuſtum eſt. Præter alia, quæ in victos vis hoſtilis perpetrat, Archiepiſcopus Alſegus, cum redemptionis pretium, quod erat imperatum, gravaretur perſolvere, a milite trucidatus occubuit. Ceterorum tam civium quàm monaſtorum cum frequens ac numerofus intra urbem eſſet populus, ne occidione omnes interirent, novam nec præſcis notam aut uſurpatam decimationem inſtituunt. Apud Romanos enim veteres, cum decimarentur legiones, decimus quivis ſupplicio aſſignabatur, reliqui dimittebantur liberi. At hi more & exemplo plane contrario, ſolum decimum quenuque, teſtante Vigoruienſi, vitæ reſervabant, reliquis, qui ſupererant, novem neci deditis. Unde ex univerſa qui decimati ſunt civitate, quatuor tantum & octuaginta ſalvos ac ſoſtites dimiſſos Angliæ annales referunt. Quibus denuo motus Ethelredus, miſiſ ad eos ex optimatibus aliquot, ut ab ulteriori provinciarum depopulatione ſuperſederent, etiam atque etiam orat, addens, nec deſuturum tributum: quod ut fuiſſet eo uſque liberaliter perſolutum, ita & porrò, quodcunque promitteretur, promp- te perſolutum iri. Promiſſa tunc autem quadraginta octo librarum millia, ea- que anno proximo, qui fuit milleſimus duodecimus, a duce Edrico Streona cæ- terisque regni primoribus Londini curata perſolutaque, hiſ legibus ac conditionibus, ut pacem ac ſecuritatem regno incolisque præſtarent, ut arma ac de- ſenſionem pro iſdem, ſi a piratis aut alijs invadi hoſtiliter inſulam contingeret, promptè paratèque ſuſciperent. Quas & illi conditiones ita acceperunt, ſi viciffim commeatus & annona à Rege regnoque ſibi præberetur. Quæ cum ne- gata quoque haud eſſent, decesit è Thameſi claſſis, relictiſ in uſum & obſequium Regis navibus quadraginta quinque. Domi exinde & in ipſo patrio ſolo re- ligionis inter cetera curam capeſſens Sveno diæceſſu Episcopalem Roſchildiæ inſtituit, factusque tum præſulum eo loco primus Heribrandus, vel, ut ſupra nominatum memini, Gerbrandus. Eſt & ibidem Trinitatis circa idem fere tempus ab eodem exædificatum monaſterium, ſeu ædem potius aut templum appellare libeat.

CAP. VIII.

DE GESTIS REGIS SVENI IN ANGLIA AD
EXACTUM REGNO REGEM ADALRADUM, EJUS-
DEM CONTINUATIO.

Anno, qui ſuperiorem ſecutus eſt milleſimus decimus tertius, cum jam eò Anglorum res deductas Svenno animadverteret, ut ad ignavum redacti ſtipendium, tributo, quod Danegildum vulgò vocabant, pacem quotannis cogerentur redimere; & anno ſuperiori immenſo ære pacatis, qui cum navibus ſuis, duce Thorchillo Comite Danico, Thameſim erant ingreſſi, ſatis oſtenderint,

derint, non nisi ipsorum Danorum armis, aut stare se, aut opprimi posse, tum atroci illa gentis suæ ac propriæ sororis cæde ac supplicio commotus, inversa bellorum mole in Angliam versâ, infestam Sandvico classem intulit. Nec ibi diu moratus, sed Angliam orientalem mox circumvectus, Humbri fluminis ostium intravit. Inde Trentam subiens, ibi vires suas explicaturus confedit. Hinc, si Gemeticensem sequimur, paucis cum navibus Rothomagum profectus est, ut pacem cum Richardo Duce constitueret. Quem & Richardus regaliter acceptum benignè apud se aliquandiu detinuit, ac fœdus eâ lege ac conditionibus utrimquæ firmatum, ut id per succedentia Danorum Regum (sunt verba Gemeticensis) Normannorumque Ducum eorumque heredum tempora, firmum maneret, & quæ Dani hostibus abstulissent, ea distrabenda Normannis inque portus eorum liberè transferrent. Si qui vero eorundem valeudinarii, aut alias vulneribus sauci, manum medicam aut solatia poscerent, iis tutum accessum & velut lares proprios Normannia concederet. He conditiones ut rate inque perpetuum firmæ manerent, utriusque sacramento signatæ. Quibus ex voto peractis, confestim ad suos rediit Svæno. Ac primo omnium Canuto filio classem ac oræ maritimæ custodiam demandans, tum ipse cum robore militum in terram progressus, præxima omnia ferro flammisque vastavit. Inter primos Northumbri, Lindesi, Sisbueri deditionem fecerunt, præeunte præsertim Northumbrorum principe Utbredo. Hinc subsecuta penè universa, quæ spectat aquilonem Angliæ, tributum & obsides detulit, adjecto præterea fidei sacramento. A borea ad austrum deinde conversus pari modo grassatus est: oppressi cives, trucidati coloni, vastati agri, exusta domus, luci & pomeria succisa, spoliata ecclesiæ; nec parvum imbelli sexui, sed obvium quodcumque aut jugulatum, aut reservatum libidini. Mox Oxoniū ubi devenit, levi similiter conamine & opidum & opidanos sibi subiecit. Hinc Vintoniam transiens, eam quoque leges suas accipere, civesque ac subditos obsequii juramentum præstare coegit. Totique jam adores ac prosperus elatus Londinum aggredi ac castra manibus admovere properat. Nec cessabat agere omnia, ut eâ veluti regni metropoli positus, ad alia se quàm celerrimè converteret. Primo accessu multi ex militibus, dum nec ponti, nec vado insistere curæ habent, flumine absorpti sunt. Regi Ethelredo, qui intra civitatem cum Danico Comite Thorkello se continebat, id graviter curatum, ut unâ cum opidanis menia urbis adversus vim hostilem viriliter defenderentur, idque cum tanta quoque animositate fieret, ut adipiscendæ civitatis ereptam sibi spem omnem Svæno videret, subito motis castris, Valingsfordam & Bathoniam concessit, ubi exercitum refecit. Sponte se obtulit Domnanie Comes Athalmarus, qui obsides & fidem promittens pacem cum eo pepigit. Hinc ad classem ac silium Canutum recedens ab omnibus Angliæ Rex salutatus est. Cives etiam ac civitas Londinensis, post longas deliberationum moras, missis obsidibus, ejus se tandem fidei ac potestati similiter permisit. Ethelredus compariens undiquaque se deserit, & jam à Londinensibus quoque delertum, misit confestim ad Richardum affinem suum Normanniæ Ducem Enniam conjugem cum Alpredo & Edvardo liberis. Quibus ille benignè susceptis, omnia quoque cum ipsis, tum Ethelredo parenti eorum, fraterni amoris officia pollicitus fuit. Cujus cum Ethelredus, qui in flumine Thamefi juxta Grenvicum extremum & unicum refugium Danicam Thorcbilli classem, magno, ut ante diximus, ere pactam, ad manus & nutum suum retinebat, nuncium accepisset, datis statim vento velis, ad insulam Vectam profectus, ibique paulisper subsistens, rectâ ad Galliæ Normannos suumque affinem Richardum delatus est. Svæno interea sub pellibus se continens id inter cetera curabat, ut vicini, omnisque Angliæ

Anglie populus, qui iussa atque imperium suum essent secuti, ad persolvendum quod erat imperatum stipendium parati adestent. Thorcbillus quoque classis, quæ in Thamesi apud Grenvicum consistebat, quod pactum fuerat; ut tempestive redderetur, similiter studio habuit. Hic Thorcbillus, etiam si a partibus Eihelredi Regis ex pacto & promisso, ut supra patuit, tum staret, Svenoni tamen, utpote populari ac Regi suo, fidelior, ei præsertim (quod notat Malmesburienfis) & author & adhortator esse non desit, ut aliud tum agente Eihelredo Angliæ occupandæ occasionem haut intermitteret.

CAP. IX.

DE RESIDUIS REGIS SVENI GESTIS
IN SCOTIA ANGLIAQVE, MORTEQVE IPSIUS,
EJUSDEM AUTHORIS RELATIO.

Dorro victoriâ ex Anglis hoc pacto potitus Sveno sibi quoque militandos Scotos iudicavit. Dum enim Anglicum bellum urget, auxilia Scotorum Eihelredo & Anglis submissa non ignorabat, quamvis multa fuisset ipsis comminatus, quod Anglis relicto domum redire nollent. Itaque Olavus Scandianus & Enecus summus Danie præfectus ab eo cum exercitu valido in Scotiam immissi. Hi per Moravianam vagi, caesis obvius, sacris profanisque direptis, tandem in unum collecti, arces & alia munitiora loca aggrediuntur. *Que* dum oppugnant, Scotorum Rex Mikolumbus a proximis regionibus milite collecto, castra non longè ab iis locat. Postridie Scotos, visâ Danorum multitudine & apparatu bellico, ingens terror invasit. Rex eos confirmare aggressus cum haut multum proficeret, tandem clamor à paucis exortus, & à reliquis exceptus, fecit ut statim, velut lymphati, injussu ducis in hostem proruerent, ac multi à Danorum exercitu telis petiti conficerentur. Primis cadentibus reliqui citatiore quàm venerant gradu fugam intenderunt. Rex, accepto in capite vulnere, vix a suis in nemus proximum ablatas, ac ibi eque impositus discrimen evasit. Dani, obtentâ victoriâ, Narumum arcem, custodiis eventum infelicitis pugne perterritis, per deditionem acceperunt. Hec arx Danico demè vocabulo Burgus appellata. Reliquæ arces, quæ Elgina & Foressa erant, ob metum deserta. Dani, rebus tam feliciter fluentibus, naves domum dimittunt, quæ liberos & famam adveberent. Verum Mikolumbus, ut iis resisteret ac regno submoveret, majores undique vires comparat. Quibus collectis de novo commissa pugna, casoque in acie Eneco, Scoti audaciores redditi fugientibus instare ceperunt, multisque occisis, aliter Imperatorum Olavus cum militum præcipuis in Moravianam savorum rediit. Hanc suorum cladem ad se in Angliam delatam magno animo tulit Sveno, nec diu cunctatus ad veterem exercitum supplendum Canum ducem cum aliquot è veteranis ac novis subsidiis transmisit. Sed & illi, priusquam popularium suorum copiis conjungerentur, unâ cum duce prostrigati penitusque deleti sunt. Hujus victoriæ extare monumenta, obeliscum & vicum proximum, adhuc memoriam nominis Cami retinentem, rerum Scoticarum autores memorant. Nec eo quoque dispendio fractus Sveno, confestim Canutum filium cum novo delectu substituit. *Qui* dum equòs septennero, aliquando etiam ancipiti cum Scotis Marte configit, ac plurimi utrimque ferro in dies oppeterent, nec tam bellum quàm cades esset, placuit utrisque ad pacis condiciones descendere.

dere. *Quæ ad hunc modum concepta: ut Dani Moravia Buchaniaque relictis discederent, neuter populus, Sveno & Milcolumbo viventibus, alterum bello laceraret, aut etiam hostibus alterius adversus alterum auxilio ferret. Sveno autem dum in Anfilos victoriam exercet, nihil a sevitia sua immune prestitisse, omniaque humana divina promiscuè habuisse, scriptores passim Anglici inveniunt. Tradunt præterea postquam multas edes sacras donariis distulisset, postremo cenobium Buriense, in quo Edmundi Regis ac martyris corpus sepultum jacebat, diripuisse, ac paulo post inter suos de regno adepto exultantem, velut pugionis supernè demissi ictu confossum in terram corruisse, ac voce elata proclamasse, manus sibi ac mortem inferri, nullis tamen ex eis, qui aderant, percussorem usquam cernentibus. Saxo ab his haut parum divergens, nec de expeditionibus ejus Anglicanis exactè referens, Angliam tamen ab eo devictam obiter dicit, & mox senilis anime laboribus fessum, & ab omni humana perturbatione vacuum, solisque operantem dironis ad vitam meliorem decessisse. Qui tamen idem Lib: XIV. ubi de idolo Rugianorum Santvito loquitur, alia his omnia, & ab Anglicis Chronologis haut magnopere dissentientia, videtur adducere, cum inquit: Hanc statnam totius Sæviæ pensionibus cultam, finitimi quoque Reges, non absque sacrilegii respectu, donis prosequerantur. Quam inter ceteros etiam Rex Danorum Sveno, propitiandi gratia, exquisiti cultus poculo veneratus est, alienigenæ religionis studium domesticæ præferendo, cujus postmodum sacrilegii infelici nece penas dedit. Nec enim de alio id capi an posset, satis reperio. Sunt qui sepultum Eboraci, alii ex Anglia in Daniam reductum sumus volunt, & mortem ejus incidisse in annum 1012, cum alii in annum 1014. rejiciant. Refert præterea Julensium Chronicon, non ex legitimo matrimonio, sed a pellice susceptum, Haraldî quidem filium, sed naturalem, fuisse. Quamvis Emma Regina Encomiastes omnia de eo magnifica memoret, eum scilicet, domitis Angliæ, exiguò quidem supervivisse tempore, sed summâ cum gloria. Et mox presentiscentem vitæ finem advocasse Canutum filium, atque ei multa de regnorum gubernatione, multaque de Christianitatis studio coram commonuisse, ac tandem animam Deo, illi regale sceptrum commendasse, hoc addito veluti ultimo voto, ut quandocunque in patriam reditum institueret, eodem quoque paterna ossa deportari curaret. Quod scilicet haut ignoraret, se in Andliâ terrâ alienigenam, & populum, quem subjugarat, ipsi aliquando minus futurum propitium. Memorat hinc idem Eucomiastes, id quoque diligenter curatum. Et corpus mox ejus aromatibus suffultum a quâdam Anglicarum matronarum, magna cum cura in Daniam navigio delatum, atque ibi in monasterio S: Trinitatis ab ipso quondam Roschildiæ extructo, presentibus filio ac regni primoribus, honorificè tumulatum.*

Lanienam illam, cujus supra Cap: V. fit mentio, Radolfus de Diceto ad annum millesimum, Bromton ad millesimum secundum referunt. Henricus de Knyghton annum non addit: omnes in festo S: Bricii, quod in nonum Julii incidit, factam tradunt, (diversam ab ea, in cujus memoriam festivitas Hocday quotannis postea celebrabatur, quæ nec hodie apud mediterraneos Anglos penitus exolevisse dicitur, quæ sub Ethelredo perpetrata in XIII. Novembris incidisse fertur; de quo videri poterit Hofmannus in voce Hocday) codex Flat: nequaquam describit, sed aliam ab ea diversam, quam ipsius codicis verbis hic subjungam. Postquam enim vortum Sveni Regis in convivio Jomico, bellumque illud Haconi Comiti illatum, eventumque illum exposuisset, ad Svenum redit, ejusque voti successum his ferè verbis pag. 102. refert.

CAP. X.

CONTINENS INTEGRAM CODICIS
FLAT: RELATIONEM.

Venus Rex Saumæfæ filius in Anglia perman-
fit. Knutus autem filius ejus domi adolevit : eum
Thorkell Procerus educabat. Deinde Svenus Ethel-
redi Regis regnum inestabat, eumq; in fugam trans
oceanum compulit. Deinde præfidiariam militum
classẽ duobus in Anglia locis constituit. Londini a-
liam, navium sexaginta, in flumine Thamefi natantẽ,
cui Eylifus Thorgilfis filius Ulfi frater (Sveni Estridii Daniæ postea Re-
gis patrum intelligit) præfuit. Pari numero aliam Slesvici (Slesfort in
boreali Angliæ parte) cui Comitem Hemingum Thorkelis Proceri fratrem
præfecit. Præfidia hæc uno nomine Þingamanna lib (quod *forçses co-
pias* denotat) vocabantur. Nemini abnoctare, rumoresqve spargere, le-
ge prohibente, licebat. Sacris in templo Buriensi peragere omnes in-
teresse tenebantur. Campana ingens sub extremum cujuslibet noctis tri-
entem sonare consuevit, quo signo ad templum evocati adesse, sed iner-
mente, tenebantur. Iisdem legibus, qui Slesvici debebant, obligabantur.
(Thorkelis (seu Thorchilli) Eilifi & Hemingi *Simon Dunelmensis de ge-
nẽs Regum Anglorum ad annum MIX* meminit, singulosqve magnas
classes eo anno advexisse perhibet.) Urbis (Londini) præfecturam vir qui-
dam Alrecus Striona, (Eidrecus Streona, *Polydoro Virgilio* Strotonicus)
gerebat. Is fuit frater Emmæ Reginæ, filia Ducis Richardi, cujus pater
fuit Vilhelmus. Eam Adalredus (Ethelredus) uxorem duxit (*Simon Dun-
nelmensis* loco citato generum Regis Ethelredi fuisse tradit, Egithæ mari-
tum.) Septentrionalem Angliam Ulfkell (Ulfketill) cognomento Snilling-
us, cujus uxor fuit Ulfhildis, Adalradi Regis filia, gubernabat. Rex Sve-
nus in Anglia fato functus est, funus ejus Dani in Daniam deportârunt,
Roschildæqve apud patrem sepeliverunt, Knuto tum decem annos agen-
te. Magna tum Thingamannorum in Anglia potestas fuit. Nundinæ bis
quotannis per Angliam circa mediam hyemem & æstatem celebrabantur.
Non alia ad tollendos Thingamannos occasio magis oportuna Angliis vi-
sa est, Sveno mortuo, successoreqve Knuto tenello relicto.

Qualibet hyeme, cum festum Jolense immineret, res venales opertis
plaustris in civitatem vehebantur. Idem hac hyeme fiebat, consilio dolo-
que Ulfkelis Snillingi filiorumq; Adalradi. Inter Thingamannos duo me-
morantur, Thordus nimirum & Audunus; quorum prior septimo feriæ
Jolensis die urbe egressus est, ad domum concubinæ suæ, quæ eum orabat,
ut ibi noctem transigeret. Ille cur ea peteret, quibus impetratis multa sibi ir-
rogaretur, quæsit; quia multum interest, respondit. Ille si ediceret, mo-
rem se ei gesturum affirmavit. Hac, respondit, nocte omnes Thingamanni tru-
cidabuntur, plaustra enim omnia mercium specie armatos homines vexerunt.
Idem Slesvici factum. Primo noctis triente ad signum campanæ pars civitatis
armabitur, alia autem pars sub mediam noctem; extremo autem noctis trien-
te ad templum Buri (Buriense habet Hofmannus in *Lexico; in voce Anglia*)
signo dato, cum inermes Thingamanni progrediuntur, repente ab armatis un-
dique septi opprimuntur. Thordus, laudata ejus fide, præmium, prædium
quod

quod incoluit, dono accipere iussit; accedensque ad socium suum Audunum, eum secum ad Ducem Eylifum duxit, singulaque ordine enarravit. Is convocato exercitu omnia exposuit; quidam fidem dicitis habuerunt, maxima autem pars nugas existimabat. Cum autem sonus campanarum pro more audiretur, imperio sacerdotum id fieri statuebant. Quotquot verbis Thordi fidem habuerant, armati procedebant, reliqui inermes. Ut vero in cæmeterium ventum est, ilico ab armatis in se certatim ex omni angulo irruentibus impetebantur, nec in tam subita trepidatione ad arma conquirenda vel spatium, vel tutus regressus patebat. Solus Eylifus consilium fugæ à necessitate mutuatus; *hanc consultum, inquebat, videtur ad templum confugere, unde mox extracti pecudum in morem mactabimur, nec sine infamia, proditis ad extremum metus pavorisque notis, nobis penitus indignis: per hostes effugia ad naves querenda sunt: cum autem armis viam facere nequeamus, ex aggere cæmeterii humeros hostium unusquisque insiliat, adque iuvens se cursu quam effusissimo proripiat.* Id cum tentatum esset, ex parte quidem procescit. Verum quanto magis classi appropinquabant, tanto major hostium, aditum iis præcludentium, numerus augebatur, cædesque ingens fuit; tribus tamen navibus Eylifus, Slesvico autem ne cladis quidem nunciis evasit. Ibi Hemingus cum universo exercitu occubuit, Eylifus autem in Daniam rediit. Deinde Edmundus in Anglia Rex creatus est, novemque menses imperabat. Interea quinque collatis signis, cum Knuto Sveni filio pugnavit. Alrecus, quem alii Eiricum Strionam (Edricum Streonam intelligit) appellant, Edmundum enutriverat. Thorkelis Proceri id temporis in Dania maxima autoritas fuit. Vere, quod proxime Thingamannorum stragem sequebatur, in Dania comitia habebantur. Eylifus ad ulciscendos Thingamannos omnes vehementer hortabatur. Thorkell autem respondit: *Teneræ ætatis Regem quidem habemus, absque tamen ejus auctoritate bella gerere non oportet; post triennium autem neque animum, vel vires, vel etiam copias eum defectura spero.* Eylifus ad hæc respondit: *Dubitandum, ejus rei recordationem post triennium subituras, quæ recens vilescit, neminemque movet.* Exinde Eylifus Constantinopolim profectus Væringis præficietur, ubi etiam ad extremum prælio cæsus est. Post elapsam triennium Knutus, Thorkell Procerus, & Eiricus, (Norvegiæ Comitem intellexit) octingentarum navium classe in Angliam transfretarunt; triginta Thorkell Procerus duxit, Ulfkelemque Snillingum occidit, atque ita fratrem suum Hemingum ultus est, duxitque uxorem ejus Ulfhildem Adalradi (seu Ethelredi) Regis filiam. Cum Ulfkele (seu Ulfketillo) quotquot sexaginta navium classis illo duce propugnabant, ad unum omnes occisi sunt: Knutus autem Rex Londinum expugnabat. Thorkell litora Angliæ classe prætervectus, Eñam Reginam, unicâ nave vectam, nactus ad Regem Knutum ducebat, hortatus ut in uxorem adsciceret. Eam igitur matrimonio sibi junxit. Sequenti hyeme prolem peperit; Haraldum vocitabant impuatum Knuto filium. Horda-Knutus eorum filius fuit. Svenus etiam Knuti ex Alfiva filius fuit. Gunnhildis vocabatur Knuti filia, eam duxit Henricus Cæsar, Conradi filius, qui Knutum Romam deducebat. Post longi temporis intervallum Knutus convivio a Thorkele Procero exceptus Ulfhildem vidit, indignatusque sibi in fæminarum electione imposuisse, occidi fecit. Knutus & Edmundus aliquoties pugnant; postea tum Dani, tum Angli, ut pacem facerent, utrinque orârunt & exorârunt consensum, ut qui alteri superviveret, terram utriusque teneret. Mense peracto Edmundus a nutritio suo Alreco

Streo-

Streona occisus est. Exinde Knutus universam Angliam adeptus viginti quatuor hyemes rexit.

CAP. XI.

DE DISSENSU SCRIPTORUM ANGLICORUM CUM HIS, ET ISLANDORUM A SE INVICEM.



Hæc quàm ab Anglicorum Scriptorum traditionibus dissentiant, utraqve legenti & inter se conferenti facile patet; recedunt etiam ab iis relationibus, quas *vita Gunnlaugi Ormslungæ* depromit, quæ Comitem Eiricum quatuor primos imperii Knuti Magni annos, redditâ singulorum ratione, in Norvegia exegisse, antequam ejus accitu in Angliam trajiceret, tradit. Verum levis ille dissensus est, nec extra annum extenditur. Certè tum vita ejus, tum ceteræ Islandorum historicæ relationes, omnes in id consentiunt, quòd Knutus a morte patris triennium ad minimum domi, id est in Dania, manserit, antequam infesta in Angliam arma transfulerit, nec unquam cum Ethelredo Rege certasse voluit, nec prius in Angliam devenisse, quàm illo mortuo, eodem tamen anno, quò in fata concesso. Ex quo patet, lanienam hanc vivo Ethelredo, ducibus filio & genero, factam, tribus ante obitum Regis annis. *Saxo* etiam Knutum Slavici & Semicis arma prius quàm Anglis intulisse refert, nec unquam cum Ethelredo congressum, sed cum Edvardo (qui ei Edmundus est) asserit. Locus autè *Saxonis. Lib. X. pag. m. 192.* qui vendam Knutum, septenis postmodum interjectis annis, totius Angliæ Regem salutasse perhibet, procul dubio non de septennio a fædere cum Edmundo facto, sed ab obitu Sveni patris, & ei connexo imperii initio, intelligendus est. *Chronica enim Wilhelmi Thorni Ethelredum ante Regem Svenum mortuum tradunt, idque ad annum MXI. pag. m. 1098.* Verum de rebus Knuti aptiore loco differendum; hic autem ostendendum, in quibus hæc *Cod. Flat:* traditio ab aliis, iisque nostris, documentis recedat. Ulfketillem, quem Snillingi cognomine appellat, *Chronica MSS.* non a Thorkele Procerò, sed ab Eirico Haconis filio Norvegiæ Comite, occisum tradunt (*Simon Dunelmensis* ad annum MXVI cædem ejus refert) eundem Eiricum Comitem non è Dania Knutum Regem comitatum, sed arcesatum ab eo in Angliam accessisse. Hemingum etiam, Thingmannosque, non statim post obitum Sveni occisos *Gunnlaugi Ormslungæ vita* docet: nihil tamen impedit, quin eodem anno; quinimo apparet, ultima ejusdem noctis triente, quæ novum annum auspiciabatur, cædem commissam: id vero perperam, ut in ethnicismo tenuit, ad mediam hyemem refertur. Si tamen locus ille ita intelligendus erit, *Knytlingorum historia, quæ Cap. VIII.* Hemingum inter proceres ducesque Daniæ, qui Knutum Angliam triennio post mortem patris classe petentem numerat, hanc relationem impugnat. Edricum Streonam *Codex Flat:* alio loco Emmæ Reginæ nutritum fuisse refert. De obitu autem Sveni Regis mirus est historicorum dissensus. Anglorum alii eum in annum MXII, alii MXIV, rejiciunt *Annales autem Flateyensis* annum MVL *Regii vetustissimi membranei* MVIII *Codex Flat:* duobus locis MIX. fatalem ei referunt, quod quidem nostratium traditionibus maxime convenit, annum enim imperii Knuti a principio expeditionis ejus in Angliam computant. Hanc autem triennio

ennio post mortem Sveni secutam volunt. Mortuus autem est Knutus Magnus anno MXXXVI, ex quibus XXIV subtracti, annum duodecimum supra millesimum relinquant, qui expeditionis Anglicanæ initialis est. Itaque millesimo nono fata complevisse Svenus videtur. His suffragatur nobilissimus *Arildus Hvitefeldius*, & eum secutus *Pontanus*, qui Knutum Magnum Daniam annis XXVII, Angliam viginti quatuor, rexisset, fato autem functum anno MXXXVI testantur. Imperii autem Danici periodum a morte patris quoniam auspicentur, nullum est dubium. *Knytlunga saga Cap: XVIII.* his consentit: cap: autem IX tradit Knutum eadem ætate vel autumno in Angliam cum classe trajecisse, cum Ethelredo decesserat; rogasse autem annos XXXVIII. Jam vero Anglici Scriptores initium regni ejus, alii in annum CMLXXXVIII, alii LXXXIX, alii LXXX, referunt; quod si medium admittimus, incidit mors ejus in annum MXVII. Triennio inde subtracto, mors Sveni in annum MXIV. Verum nostri *Annales, tum Flateyensis, tum Regii vetustiores*, initium regni Ethelredi anno CMLXXIII, chartacei proximè superiori innectunt; Obitum Ethelredi anno MXI, fortè *Wilhelmum Thorn* secuti. Sveni vero isto calculo MVIII. Omnes autem decennem sceptræ Danicæ capessivisse Knutum tradunt, nec tamen Sigridis Sveciæ Reginæ filium agnoscunt, cui etiam Ditmarus consentit, ut supra dictum est. Anno ergo CMXCIX. Annalibus id testantibus, natus est Knutus, nec infra id tempus nativitas ejus tunc deprimitur, nec enim minorem septendecenni cum inusitati roboris juvene Edmundo, Ferream latus dicto, singulari certamine congressi, uti id *Henricus de Knygthon Canonicus Leycestrensis*, & *Eibeldus Abbas Rievallis*; testantur, potuisse quovis intelligit; quorum postremus hæc ad annum MXVI refert, remque, ut gesta est, his verbis exponit pag: 364. *Convenientibus itaque utriusque (Knuto scilicet & Edmundo) cum exercitu suo super ripam Sabrinæ fluminis, Edmundus cum suis in occidentali, Cnuth cum suis in orientali ripa consedit. Est autem insula in ipsius fluminis medio sita, quæ Holengbege appellabatur, ad quam Reges transvecti, splendidissimis protecti armis, utroque spectante populo, ineunt singulare certamen. At ubi hastarum robur, tam virtute impingentium, quam fortissimorum objectu clypeorum, deperit, extractis gladius sese continus impetunt. Pugnatum est acriter, dum Eadmundum virtus, Cnuth fortuna juvaret; circa galeata capita gladii tintinnant, collisione metallorum scintille prorumpunt: ubi vero robustissimum illud pectus Eadmundi, ex ipso, ut assolet, bellandi motu ita incanduit, sanguine incallescens te fit robustior, dexteram elevat, vibrat ensen, ac tanta vehementia in caput obstantis ictus iterat, ut spectantibus non tam percutere, quam fulminare videtur. Ad singulos enim ictus inter ensen & galeam ignis erumpens, non modo apparere, sed insuper accendere videbatur. Sentiens autem Cnuth breviori halitu sibi vires deficere, cogitat de pace juvenem convenire, sed ut erat astutus, timens, ne si defectus suus inotesceret juvenem, pacis verbum nec audiret quidem, totum intra se colligens spiritum, & quicquid habuit virium omni conatu intendens, virtute mirabili uno impetu irruit in Edmundum, & mox se paululum retrahens rogat juvenem subsistere modicum & sibi dicere volenti præstare auditum. Ille, ut erat fortis animi, demissa ad terram scati parte inferiori, leniter in superiori procubuit, ac supinato in dexteram gladio, ad verba loquentis attendit. Tunc Cnuth: Hactenus, inquit, regni tui cupidus, nunc, virorum fortissime, tui certè ipsius cupidior sum, quem non dico regno Anglorum, sed universo utique orbi video præferendum. Michi Dacia cesit, michi succubuit Norvegia, michi Rex Sæcorum manus dedit, &*

mei

mei conatus impetum, quem nullum mortalium sustinere posse credebam, tua mirabilis virtus jam plus semel elusit. *Quocirca licet me ubique victorem futurum fortuna promiserit, ita tamen me tua mirabilis probitas illexit ad gratiam, ut supra modum te & amicum cupiam, & regni consortem exoptem: utinam & tu mihi cupidus sis, ut ego tecum in Anglia, tu mecum in Dacia regnes. Certè si fortuna mea tua virtus accesserit, pavebit Norvegia, tremebit Sœvia, ipsa assæta bellis Gallia trepidabit. Quid plura? annuit Edmundus, & Cnutbo de regni divisione consentit. Cessit enim verbis, qui non cesserat gladiis, & oratione flectitur, qui armis flecti non poterat.* Depositis itaque armis in oscula runit, utroque exercitu exultante, clero etiam; Te Deum laudamus, clara voce personante. Deinde in signum federis vestem mutant & arma, reverſique ad suos modum amicitie pacisque præscribunt, & sic cum gaudio ad sua quisque revertitur.

CAP. XII.

DE EGRESSU COMITIS EIRICI E
NORVEGIA, GESTIS EJUS IN ANGLIA,
FINEQUE VITÆ.

ANno seculi illius imperiique sui duodecimo evocatus a Knuto Comes Eiricus, jam duobus ingentibus præliis, Jomico & Svoldrensi, celeberrimus, haut invitus accessit; filium autem Haconem, annos natum quindecim (non, ut habent *Chronica*, octodecim) ditioni suæ præfecit, constituto curatore Einare Thambaskelfere, sororio suo. Discedens autem Sveno proceribusque regni eum commendavit, orans (ut habet *Codex Flateyensis*) ne vel ipsi partem ullam imperii eripere vellent, vel eripi permitterent; præſagire tamen brevè adventurum, qui totum repetat, eam autem potissimam abitis sui causam esse, quòd duplicis culpæ reus fieri nolet; exacti nimirum regno præteritorum Regum præstantissimi, prohibitive futurorum longè maximi, quò tandem invitus excedere cogatur. Quæ magis Monachos Comiti affinxisse in horum Regum laudem, quam ita prolata esse crediderim. Post Eirici excessum Comites Hacon & Svenus pacem affinitatemque cum Erlingo Skialgio junxerunt, datâ Aslako Erlingi filio filiâ Comitiss Sveni in matrimonium, feudisque omnibus ab Olavo Tryggvino concessis utrique conjunctim in possessionem eodem, quo antea, jure permisissis. Atque ita firma inter eos & stabilis amicitia coaluit. Eiricus denique hyemem apud Regem Knutum in Anglia transaluit, operamque ei in expugnando Londino (licet ab eo expugnatum egisse, operamque ei in expugnando Londino (licet ab eo expugnatum egisse, operamque ei in expugnando Londino) teste carmine Thordi Kolbeinini Islandi. *Bromton* eum in fervidissima pugna ad Essendum in Est-Saxia inter alios proceres concidisse author est, cum Edmundus Rex Ethelredi filius post fatum patris sexta vice cum Knuto pugnaret. *Knyttlingorum historia* adventum Eirici in Angliam refert ad illum temporis articulum, cum Knutus post bellum ad Nordvicam gestum omnes copias ad Thameſin duxit, cognitô Edmundum cum fratribus Londinum confugisse. Tum demum, cum osti-

um fluvii ingressus esset, Eiricum ex oceano eò advectum manus cum illo junxisse, simulque amnem inventum castellum præsidis munitum oppugnare aggressos, ab Anglis cum auxiliariis copiis, Londino classe advectis, fortiter exceptos; deinde Eiricum cum Anglis in tesqvis Ringmarensibus conflixisse. Prælium autem hoc ad annum MX. *Dunelmensis* refert, omissa Eirici mentione, in quo Estanglos terga vertisse tradit. *Bromton* ejus pugnae ducem Thorketillum facit. Exacta in Anglia hyeme, Romam profecturus uvam sibi præscindi curavit: chirurgum quidam monuisse traditur, ut plus abscinderet, quam ab initio decreverat, eiqve quærenti. *quantum mutilatum vellet?* respondisse, *ne ultra eâ curâ egeret.* Paruit chirurgus, partemqve magnam demersus est, nec sangvis ulterius sisti poterat; quò deficiente Comes mortuus est. Tradit *Codex Flati*: famam jam tum tulisse, virum illum chirurgi monitorem fuisse ipsum Regem Knutum; alios tamen unum ex iis, qui in Dracone Longo Olavo Tryggvino militârunt, moniti istius suspectum, tradidisse. *Compendium*, non Romam petiturum, sed reducem inde, hoc genere mortis in fata cessisse tradit. Id quod magis cum Scriptoribus Anglicis convenit; licet haudquaquam vitam ejus vel cum *Bromtone* ad annum MXVI. aut *Simone Dunelmensi* & *Radulpho de Diceto* ad decimum septimum extendant. Uthredo Northumbriæ Comiti a Rege susceptum uterqve tradit; quin & ipse *Dunelmensis*, consentiente *Bromtone* & *Knygtone*, tradit Knutum Regem Angliam in tres partes divisisse, sibi Velt-Saxiam reservasse, Est-Angliam Thorkeli Comiti, Merciam Edrico Strionæ, & Northumbriam Eirico, qui nunc Irceus, nunc Hircius illis est (idem *Radulphus de Diceto ad annum MXVII.* tradit) donasse. Addit insuper *Bromton*, Regem Edricum Strionam occidisse, Thorkelem Comitem exilio multasse, Hircium seu Eiricum fugere compulsisse. Nec exilium Thorkelis *Dunelmensis* reticet, uxorem tamen ejus, non Ulfhildem, ut *Codex Flateyensis*, sed Egitham nominat. Nec *Ennæ Regina* *Encomiastes* Eiricum ut ignotum præterit, quem Ducis Thorkelis exemplo strenuè se gessisse his verbis tradit. *At tunc (post victoriam ad Scraftan) ad Dominum (Regem) regressus (Thorkell Procerus) ei & sociis suos indicat eventus, facitque eos spoliis, quæ attulit, ardentiores ad pugnam, manubis letus & palme successibus. Quo exemplo Eir quidam, Dux & Princeps provincie, quæ Norvega dicitur, incitatus (nam & is Cnutonis Regis officialibus jam diu illi subditus, vir armis strenuus, omni bonorificentia dignus) accepta licentia, cum suis est egressus, & partem aggressus spolia diripuit, vicos invadendo destruxit, occurrentes sibi hostes domuit, & multos ex iis captavit, tandemque victoriosus ad socios cum spoliis rediit. Idem auctor Regis jussu Eiricum Comitem Edrico Strionæ caput amputasse tradit.*

CAP. XIII.

DE ELOGIO COMITIS EIRICI.



Qvidem scriptores omnes magnam huic Principi moderationis, humanitatis, liberalitatis, militarisque scientiæ, felicitatisque & prudentiæ, imò constantiæ & fidei invictæ laudem uno ore tribuunt, patreque longè meliorem perhibent. Moderationis exemplum in effræne juvene Islando, Gunnlaugo Ormstungâ, declaravit; quem ex ulcere pedis laborantem,

rantem, adque se, ebulliente cruore, madentem, absque tamen claudicatione incidentem, cum interrogâset, *curni claudicaret? isque respondisset; quàm diu pedes aequales essent, claudicantium gressum supervacaneum esse. Quidam autem aulicorum superbum responsum interpretatus, an animus viresque verborum insolentiam equarent, exploraturum se minatus esset, aq; Comite inhibitus, etiam disticho ignominioso a juvene statim in præsentia Comitis lacesitus, cum nec, obstante Comite, se ulcisci possit. Tum Comes quinquam esset, quotque annos ageret? iterum quæsisivisse fertur. Decimum octavum juvenis respondit; vix totidem assecuturum videri cum Comes respondisset; Gunnlaugus submissiore voce: Noli, inquit, mihi imprecari, tibi potius, regesit. Comes autem quæsisivit, quid muscitaret? ne mihi, respondit, mala impreceris, sed tibi potius, quod conducas, optes. Quidnam ergo? respondit Comes. Tum ferox juvenis; ne simili mortis genere atque pater tuus pereas, respondit. Comotior Comes tradi eum in custodiam jusfit; mox tamen intercessione popularis sui Skulii Thorsteinii, Eigilis Skallagrímii nepotis, qui in satellitio Comitis fuit, magnaque gratiâ pollebat, liberatus est, tandemque non modò impunitatem obtinuit, sed etiam gratiam Comitis, quod in civitate Gothiæ Sforum (Scar/sic enim legendum puto, non Sfarer) apud Comitem Sigurdum, (rectius Rognvaldum, in convivio Jolenfi, cum arbiter à Gothis Norvegisque Comitibus Eirici legatis lectus, ad dirimendam controversiam de Comitum prærogativa, adeo dexterè judicâset, ut utraqve pars acquieverit, Norvegi tamen sibi magis satisfactum judicâssent. Exinde Comes hospitio eum non solum excepit, sed etiam prohibuit, ne singulari certamine intra imperii sui fines cum hoste suo, eodemque populare, Rasio congregaretur; quo tamen duello uterque tandem occubuit. Quod si hanc offensam cum Thorleifi Jarlaskaldi in patrem ejus Comitem Haconem commissam conferramus, simulque utriusque ingenium, hinc truculentum & immane, illinc moderatum & placabile, conspiciamus. Primus etiam Eiricus duellorum provocationumque licentiam lege lata sustulisse perhibetur, adhibito priusquam Norvegia novissimè excederet, senatûs consulto; nam cum prædones hominesque, aliàs iniqui & avari, stolidi roboris fiducia feroces, quæ in aliena domo desiderabilia viderunt, sive uxores filiasque, sive virgines sanguine aut quacunqve necessitudine junctas, sive agros & possessiones, aut denique quicquid sui usum comendaret, alex duelli subijci postulerent, aut iis cedere imbecilliores tenebantur, aut periculum certaminis subire, mortemque sæpius certissimam oppetere, bonaque relicta justis hæredibus ablata violento exactori relinquere, tanquam justo prælio jureque victoriae parta. Latam legem etiam pænâ exilii talium facinorum convictis irrogatâ munivit. Oddus Monachus eum & patri similem & dis similem fuisse perhibet, sapientiâ & strenuitate, non item externa specie, similem; sed ingenio diverso, mitem, clementem, in consiliis dandis Principibus inter se, tum etiam inferioris conditionis hominibus reconciliandis, promptum & fidum; cætera moderatum, hostibus & inimicis violentum.*

CAP. XIV.

DISSENSUS CODICIS FLATEYENSIS, IN ANNO NATIVITATIS S: OLAFI ALIORUMQUE, DE LOCO ET TEMPORE, UBI LUSTRALI AQVA TINCTUS FUERIT, NOTATUR; MATRIS SECUNDÆ NUPTIÆ, ET IN PUERILI ÆTATE INDICIA INGENII EJUS EXPONUNTUR.

Non



On consentit sibi *codex Flat*: dum in vita *Ola-*
fi Tryggvini trimulum fuisse tradit, cum anno tertio
 imperii illius ab ipso è sacro fonte levatus est; nu-
 pissetq; jam tum matrem ejus Sigurdo Syri. Idem ve-
 teres omnes memoriæ confirmant. In vita autem e-
 jus sexennem fuisse memorat, cum Sigurdus Syr eam
 ambiret, quam etiam anno CMXCII. uxorem du-
 xisse constat. Natus itaq; erit circiter annum CMXCII. Nec minus su-
 per educatione variat; nam istic apud vitricum Sigurdum enutritum tra-
 dit, hic apud avum maternum Gudbrandum Kulam, & matrem viduam,
 ad annum ætatis sextum, a quibus Olafum Tryggvinum, cum Chri-
 stianis sacris tum illi, tum parvulus Olafus, initiarentur, convivio exce-
 ptum memorat. *Theodricus* quoque *Monachus* matrem viduam tum fuis-
 se tradit, baptizatum autem hoc loco perhibet, ab Episcopo Sigurdo, qui
 tunc Christianam religionem ubiq; cum Rege promovebat. Id quod ve-
 rosimilius videtur, quam quod tradit *Wilhelmus Gemeticensis*, qui eum
 in Normannia ab Archiepiscopo Roberto baptizatum obrudit, (cui etiam
Breviarium Nidarosense subscribit, Evangelicæque veritatis sinceritatem
 in Anglia haustam adjicit) aut qui in Anglia, ut testatur *Theodricus Mona-*
chus. Quem ipse Rex votis felicibus profecutus divinabat, quandoque sibi
 in regno religionisque negotio amplificando successorem futurum. Decursa sex
 annorum a nato Olafō, duos simul procos hoc loco *codex Flat*: testatur
 matris ejus Astæ nuptias postulasse. Alter erat Sigurdus Syr, Hringarikæ
 Regulus, genere illustri, Haraldi nimirum Pulchricomi pronepos, cui a-
 vus Sigurdus Hrisius, pater Halfdanus. Alter Gissur Gudbrandi filius,
 præfectus Regius. Fertur tunc mater utrumq; ad convivium invitasse,
 omenq; ex pueri responso captura, eum super tanta re consuluisse, cui po-
 tissimum nuberes? Is autem respondisse, Regi nubendum, ut Reges inde pro-
 creari possent. Id verò responsum ei affectum ex jam relatis patet, cum ne
 trimulus quidem vitricum nactus fuerit, ut id de rivalibus verum sit.
 Diversa erant competitoribus ingenia; popularis præfectus & munificus
 plurimorum studia in se convertit. Sigurdus ækonomiæ addictissimus,
 vernas & servitia domestica assiduis laboribus assefecit exercuitq; ipse
 sedulus inspector singulorum operas perpendit, sive ager sulcandus, sive
 demetendæ fruges, sænumve descandum, aut ferrum exercendum, fabril-
 lesve operæ instarent, verbis parcus, avaritiâ immunis, suis contentus,
 vanæ gloriæ minimè appetens, pacis amans; militaris studii nulla cura,
 civilis administrationis plurima, cives moderato imperio regere, leges
 conservare, jura cuique sua illibata permittere, prudentiâ in primis com-
 mendabilis, sapientiâ etiam Philosophis comparandus, copiosâ deniq; mo-
 bilium rerum suppellectile opulentissimus. Prætulit ergo Regina Regium
 genus, acq; vicitq; alterius fortè amici, quam pueri responso; nec sefel-
 lit opinio; facta est non solum sui temporis potentissimi Regis Haraldi
 Imperiosi, sed etiam sequentium Regum Principumq; qui longa serie ad
 hæc usq; tempora felicissimè imperârunt, hodieq; septentrionem in-
 victa fortitudine, pietate, & justitiâ regunt, quique istis aq; uilis orti porro
 regnaturi sunt, tantâ sobole felicissima mater.

Exinde Olafus apud vitricum liberaliter educatus, iisq; artibus erudi-
 tus est, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, statim in te-
 nera ætate altioris animi indicia prodidisse perhibetur. Primum cum ma-
 tri

tri arcam fortè aperienti adstitit, vidit in imo gladium Besingum, quærit-
que, cujus esset? Illa ejus esse respondit, donatum videlicet ab Olaso, cujus
nomen gereret. Poscit itaque & accipit, vix puerilibus manibus tractabi-
lem; traxit itaque, non gessit. Vitricus matrem increpavit, quòd arma
puero traderet inhabilia, aggerens, familiare matribus filiis nihil denega-
re, nulla habita ratione, conduceretne, an secus. Illa an & sine lachrimis
sibi auferri pateretur, experiri jusfit. Blanditiis itaque demulcens, sibi ut
reservandum traderet, donec gerendo par esset, persuadere conatus est,
pollicitus interim alium idoneum daturum. Bis aut ter idem postulanti,
tandem gladium evaginavit, vaginâque sub penulâ Hranii conditâ, capulû
tenens mucronem porrexit. Quærenti quare, nec simul vaginam? respon-
dit; non esse sibi vires ad propugnandum, aliter tamen nemini traditurum.
Placuit vitrico puerilis ingenii vigor, magnoque amore complexus, dili-
genter educandum curavit. Accidit fortè, ut domestici famuli omnes, suo
quisque operi intenti, domo abessent, solo Sigurdo cum privigno remanen-
tibus, cum iste aliò profecturus præcipit Olaso, ut equum sibi subministra-
ret, insterneretque; qui egressus equi loco caprum instratum adducit,
reversusque mandatum executum se refert. Ut autem caprum vidit, quæ-
rit, qui talem vectorem sibi delegerit? Pro modulo regni equum suppeditâsse
respondit, quod comparatum externorum Regum imperiis eandem proportio-
nem habeat, quam isic equus ei compositus. Vitricus provisurum videri, ne
tales opere in posterum sibi injungantur. Convivium deinde cum semel ap-
pararet, longè magnificentius sumptuosiusque, quàm Sigurdus optabat,
instruxit; nam & convivæ multo plures, quàm præceptum erat, invita-
vit, uniusque villæ pecus omne impendit. Prælium futuræ magnificen-
tiæ prudentiores interpretabantur. Octennis æquales omnes viribus cor-
poris & ingenii superâsse traditur.

CAP. XV.

DE EGRESSU OLAFI E PATRIA, ET
NAVALI CONFLICTU IN SCOPULIS
SOTASKERIS.

Uodecim annos agebat (ut communiter tria
MSS. pergamenea habent, quartum tamen, pariter
vetustum, quindecim refert) cum primam nauticam
expeditionem suscepit, Hranio, qui eum, intra tamen
paternam domum, nutriverat, Nutritiusque; inde, alias
Peregrinator, dictus est, curâ ejus, donec adolefceret,
custodiaque commissâ. Fuit enim vir piraticæ gna-
rus & asivetus. Fabulatur *codex Flat*: unica tantum nave instructum do-
mo navigâsse; refellitur enim propria relatione, cum incredibile sit, Sve-
ciam tantilla manu attentâsse ausum. Regium ei titulum, gentis insigne,
nautæ statim indiderant; sic enim invaluit, ut Regum filii, qui piraticam
exercerent, licet territorio carentes, Reges tamen appellarentur. Ola-
fus puppi insidens navem gubernabat; in proximo loculo Hranius, remi-
gis officio functus. Sunt tamen, qui Hranium navem gubernâsse tradant,
licet Olafus Regio titulo imperaret. Primò cursus in Daniam directus est,
licet *Ottare Nigro* teste. Exinde primo autumno in Sveciam, ubi cædibus, la-
troci-

trociniis, & incendiis omnia miscuit, jure, ut sibi videbatur, optimo, in ultionem paternæ cædis; eodem pœtâ hoc sensu versus ea de re modulante.

*Vos remis agitare rates & pandere vela
Asfoeti, passim Zephyris spirantibus amplis,
Instructi spoliis peragrâstis Balibica regna.
In primis Cygni meritas sunt pendere penas
Compulsi fratres: metus omnia miscuit ingens.*

Per cygni fratres Svecos, familiari pœtis epitheto, ab affinitate nominum petito, intelligit. Swan enim cygnum, & Sven Svecum denotat. Quodam vespere ad Scopulos Sotii (interjacent Sveticis) perventum, visæque sex naves piraticæ ex averso scopuli latere; quibus Sotius quidam, & alter, nomine Thordus, præfuerunt. Olafus suos eligere jussit, recedere inde, dum tutum, vel eos aggredi. Numero navium piratæ, magnitudine & oportunitate Olafus prævaluit, angustiarque inter duas ab utroque latere effervescentes undas hostilem a lateribus insultum prohibebant, & consilia omnemque elabendi viam militibus Olafi absciderant; id quod iis prædixit, displicere enim, socios fugæ latebrisque circumspiciendis asvescere. Probatò consilio, missilium lapidum copiam conquiri jussit, quibus impetentes se obruerent. Dubia lux erat, cum piratæ eos totis viribus adortu, angustiisque loci plurium simul navium accessu exclusi, non modò nihil profecerunt, sed magna etiam damna senserunt; dum Olafiani in proxima minorà navigia, manibus ferreis cominus attracta, insipientes sternunt & obruncant propugnatores, brevique in potestatem redigunt; quibus expugnatis, reliquæ in fugam versæ ulterius certamen in iniquo loco periclitari formidabant. Olafus quoque metuens ingruentem tempestatem infidamque stationem, altum petivit. Quo viso piratæ, oportunitate loci, quæ invicti ad id usque tempus fuerunt, destitutos insequuntur: leviora navigia, vento facilius impulsâ, fugientibus iminebant. Demitti ergo pedentim vela Olafus jubet. Fecellit illa ars oculos insequentium, longius vectos hostes existimantium, quàm ut intercipi possent: itaque re infecta priorem stationem repetebant. Ibi dum securi feriantur, Olafus ex improviso superveniens, occisis quatuor vigilibus ad tentoria festinat, factoque impetu, ducem alterum Sotium cum ingenti suorum strage obruncat. Thordus, desperata salute, dedidisse se perhibetur, Olafumque deinceps secutus.

Hoc ordine prælium hoc & victoriam *codex Flateyensis* solus ex quinque exemplaribus vetustissimis, quæ ad manus habeo, refert: reliqua tantum memorant, post expugnatas minores aliquot naves piratas fugisse, nec carmen Sigvati pœtæ, omnibus citatum, ulterius progreditur. Certè *codicis Flati*: author cum unica saltem nave domo profectum tradidisset, Norvegiarumque tantilla manu abreptum mox in Sveciam retulisset, ubi in ipsius Regis conspectu gentis tantæ vires lacescere ausum prodidit, hanc virium accessionem, quo aliquam fidem mereretur, adjecit. Verisimilius videtur, haut exigua manu instructum patrii finibus excessisse.

Nec erat difficile iis temporibus classem exercitumque Regulis illis comparare. Exempla ubique obvia sunt.

CAP. XVI.
DE GESTIS SANCTI OLAFI IN SVECIA,
GOTHIA, OSILIA (QVÆ ILLIS EYSYSLA) DANIA
ET FRISIA.



Inde lacum Logum (hodie Melerum) ingressus, in utramque ripam exscendit, latèque circumjacentem agrum populationibus, cædibus, & incendiis vastat; in quibus Birkam præcipuè memorabilem Svedici Scriptores notant. Sigtunum deinde progressum ponte amnem junxisse, per quem exercitum traduceret, aggeremque ponti subiectum, tum, cum auctores, quos sequor, vixerunt, conspectum ipsi perhibent. Imminabat autumnus Anno MVII. exercitum classemque comparavit Sveciæ Rex Olafus, catenâque ferreâ Stockfundam clausit, simulque exitum hosti præclufit, detenturus, donec lacus gelu constrictus incruentam pluribus de paucioribus victoriam sponderet: utque omnem elabendi facultatem adimeret, propugnaculum in insula, quæ nunc Equestris dicitur, extruxit, ac prædiis munivit, è transverso copias militares ad custodias ripæ fretique disposuit; ipse cum instructâ classe, exercitu navibus imposito, in procinctu, si necessitas postularet, conficiendus. His cognitis Olafus Crassus (id enim ei cognomen fuit) ad Agnafitem, ubi nunc flumen australe est, depressius solum noctu, magna suorum industriâ & celeritate, perfodit, ablatisque gubernaculis, ne fundo inhærentes aut tardarentur, aut omninò detinerentur, sublatis velis, in oceanum evehitus est. Favebat anni tempus, crebrique pluviales imbres; quæis flumina omnia, quæ in lacum se exonerant, repleta in tantum eum augebant, ut ripis suis superior circumjectum solum in faciem stagni oppleret, fossamque subrus excavaret, & labores fodientium haut leviter promoveret, fretumque navigabile redderet. Id cum Regi Sveciæ nunciatum est, valde, ut par erat, indignatus, custodes objurgasse perhibetur, quòd se eludi tantamque prædam manibus suis elabi siverint. Fretum Regium postea usurpatur, magnisque navibus impervium, nisi cum aquæ plurimum abundant, proximorum temporum scriptores tradiderunt. Inde jam colligi potest, quântæ fuerint, quas magnas censuerunt, si stagnante lacu nostri temporis eæ, quæ magnæ habentur, freti illius angustias transmittere nequeunt. Alii referunt Svecos transitum impedituros ripam subtus aquarum decidentium mole excavatam imparem tanto numero sustinendo insedissee, eaque procedente undis abreptos periisse: id autem prisca auctores Svecos negasse referunt; *Loccenius* tamen ut verum admittit. *Ottar Niger* in suo carmine, eumque secuti scriptores antiqui, illos *Johannes Magnus*, è Sveciâ in Gothlandiam insulam, Ostrogothorum litoribus vicinam, adulto autumno trajecisse, quam flamma & cædibus devastasset, ni incolæ has calamitates tributis prævertissent. Fuit hic annus æræ Christianæ, secundum eorum calculum, qui duodecimo ætatis ejus anno hæc gesta referunt, septimus supra millesimum. Verum *Loccenius* hæc longè posterius gesta insinuat, nimirum postquam Rex Norvegiæ factus esset, dum scribit, ex insidiis & manibus Svecorum elapsum Divum Olafum, tandem ad suos in Norvegiam rediisse, subjungitque, tum consilium habitum de recuperandis eis regni partibus, quæ Sveonum ditione tenebantur, Brynjolfique Elephanti orationem

ad populum eâ de re narrat, quæ habita est anno decimo septimo seculi ejusdem adventusque ejus in Norvegiam secundo, secundum meum calculum. Equidem non possum antiquissimorum scriptorum, qui propius illa tempora attingunt, relationes invertere, nisi manifestus sit error; probabilius tamen *Loccenii* judicium mihi videtur. Magnis enim viribus instructum oportuit, qui, ut tradit *Johannes Magnus*, intima regni Sveciæ maximis bellorum calamitatibus implicavit, ut *Olafus Sveonum Rex* numerosum exercitum contra ejus fortitudinem expedire cogeretur. Si statum temporum illorum consideremus, *Eiricus* & *Svenus* supremam jurisdictionem in universum Norvegiæ regnum habuerunt, & quidem *Eiricus* in magnam ejus partem imperium quoque jure proprio tenuit: amplissimū enim territorium jure belli assecutus, reliquam partem tum is, tum frater *Svenus*, beneficio Daniæ & Sveciæ Regum obtinuerunt. Reguli Uplandorum, licet subditis suis absolutè, forte etiam sine provocatione, imperarent, non tamen tantæ potentiæ fuisse videntur, ut justum exercitum armare, validamque classē expedire possent, nec si possent, Comites id permittendi viderentur, minime verò ut Dominum suum Sveciæ Regem bello laceferent; nec cives illi, quibus ad illam militiam usus est *Olafus*, id impune laturo, cum facilè Comitibus id in uxores liberosque & consanguineos eorum fuerit vindicare, bonaque eorum fisco addicere. Demus, Regulos istos tam potentes, tam concordēs fuisse, classē exercitumque parasse, an eum statim puero duodecim annorum ducendum tradituri erant, quantumvis probo peritoque magistrò instructo, mortali tamen, & fortunæ vicissitudini obnoxio? Quicquid sit, ea, quæ antiquissimis memoriis continentur, sequar. cum constet, si non e Norvegiâ, aliunde tamen auxilia quæri potuisse. E Sveciâ eodem autumno in Gothiam inventus, bellū incolis minabatur. Illi verò se in unum colligentes, pacemque ære redimētes, Regem cum universis copiis eadem hyeme sustentârunt.

Primo vere inde in Osiliam movit, latèque populatus, incolas cum valida manu obfistentes superat, fugientes in pœnam perfidiæ cædit; primo namque adventu pacem certa pecuniâ pacti sunt, ad quam recipiendam cum statuta die adesset, armis non pecuniâ instructi confluerunt, id quod pœta *Sigvatus* non omisit. Inde Finniam, seu Finningiam, petivit, ubi tuto latrocinio, Finnis saltibus & latebris se occultantibus, nec manum conferre ausis, agri vastantur, præda abigitur; cujus dulcedine Rex longius a litore progressus, silvis & saltibus a tergo relictis, ad vicinam provinciam *Herdalos* pervenit. Ibi nec hominibus, nec rebus pretio dignis inventis, ad naves, inclinante die, se recipit. Mediâ viâ exortus è silvis magnus Finnum globus telis Regis undique obruit. Ea ut evitarent, nec eo minus, quantum liceret, insectantes hostes cæderent, Rex suos hortatus est, id quod difficultate non caruit. Finni in notas silvas se receperunt, inde in Regios jacula torserunt, quos Rex ægrè, nec sine magno damno, evasit, amisissis haut paucis, pluribus etiam faucibus. Atque hac clade nobilitatus sub vesperam ad naves rediit. Expertis, quid Marte, placuit quid arte possent monstrare. Ad incantationes igitur conversi, magicis carminibus tempestatem provocârunt, ne elabi Rex possit; qua is superstitiosâ vanitate nihil motus, vela tollere suos jubet. In altum proventus, obliquo cursu in austrum directo, latus Balagardensē superavit. Inde secundo vento usus, vicina litora prætervectus est. Finnum copiis eodem transcurrentibus excepturisque, si ars successum fortita classem ad scopulos illisâ confringeret, aut ad eadem litora in suas manus iterum repugnantibus

ventis

ventis propelleret. In Daniam deinde trajectum; ubi Thorkeli Procerō, (ut unum tantum *MS. exemplar* stringia habet) jam ad expeditionem nauticam in procinctu se junxit; qui in austrum navigatione directā maritimam Cimbriæ oram prætervecti, cum in Sudurvikam pervenissent, in multas piratarum manus inciderunt, prælioque commisso multas earum in suam potestatem redegerunt. Hoc loco notandum, non tantum piratas eos, qui Regum filii essent, licet ditone carentes, sed promiscue omnes, qui semper classibus excubarent, modò magnæ classis ductores essent, Reges vocatos tradat. Secundum hanc victoriam Frisiam Olafus petivit, jactisque ad latus Kinnlimense anchoris populabundus incolas aggreditur, qui vim vi repulsuri cum illo conflixerunt.

CAP. XVII.

DE ACCESSU OLAFI IN ANGLIAM, ET
QVÆ IBI GESSERAT.

Odem autumno, anni nimirum MIX, quo Olafus in Angliam pervenit, Svenus Admorfæ Barbæ Daniæ Rex mortuus est: quem jam tum a S. Edmundo eodem modo trucidatum fama firebat, quò a S. Mercurio Julianam Apostatam. Mortuus autem est secundum *Simonem Dunelmensem* III. Non: Februarii, proximas scilicet ab eo autumno, quo Olafus eo delatus est. Id enim ita intelligendum, omnia Antiquitatum Septentrionalium testimonia fideliter collata probant. Hoc etiam de adventu S. Olafi in Angliam sub exitum anni millesimi octavi confirmatur. Atque ita Svenus sub initium anni sequentis, qui nonus est, naturæ concessit. Mercurium autem, cujus hic fit mentio, militem & martyrem *Sigebertus Gemblacensis* appellat, sanctoque Basilio revelatum tradit, Julianum Imperatorem (iussu S. Virginis addit compiler historiarum) ab eo esse peremptum. Cognita morte Sveni, Rex Ethelredus, qui tunc in Flandria fuerat, exercitum comparavit, præmiis & conditionibus propositis, multos in suas partes traxit. In his erat Olafus, haut exiguis Norvegorum copiis instructus. Tenuerant tunc Londinum Dani (referò hic nostrorum Scriptorum relationes) magnum etiam è regione in altera Thamefis ripa oppidum, Sudurvirkium dictum, quod fossis undiq; cinctum, vallò e faxis, cespitè, & materiâ lignèâ exstructo muniverant, ponteque adeo lato, ut quadrigæ inter se occurrentes sine periculo comneare possent, junxerunt, palis & sublicis, fundo altè impressis, innixo, supra quem castella & propugnacula, dimidiam hominis staturam exæquantia, stabant. Oppugnaturus Londinum Rex, fluvio superatò, classem urbi admovet, convocatisque Ducibus consilia singulorum exquirat. Olafus subruendum pontem decernit, paratum se offerens, si cæteri operam conferant. Probato consilio, turres tabulatas, asseribus supernè constratas & imbricatas, tanta firmitate, ut saxa ingentis molis demissa sine damno exciperent, & impugnantes compluvio protegerent, navibus aptari curavit. His peractis, adverso flumine pontem petunt. Ibi ingentis ponderis faxis, & vario misilium genere, excipiuntur, ut cassides aut lorice minimè obstarent, deterfisqve navium lateribus remisqve, pleriqve magna clade affecti in fugam verterentur. Is

autem turribus his fretus ad publicas propius accedens rudentes iis injectit, secundoque flumine, quàm sublati fieri poterat acerrimè, remigando, evulsos fundo extraxit. Quibus sublatis, pons cum ingenti propugnantium numero corruit: reliqua turba, pars Londinum, pars in oppidum fugit; quod etiam in potestatem redactum est, brevi etiam Londinum, deditioe facta, receptum, cum intercepto fluvio cives cõneatu se exclusos animadvertent. Hæc licet ab Anglicis Scriptoribus dissentiant, tribus tamen *Ottaris Nigri*, & uno *Sigvati* pœtæ versu in testimoniũ veritatis fulciuntur, qui singulis exemplaribus continentur. Veteres, qui universum carmen ad manus habuerunt, probèque pœsin illam, quantumvis intricatam, intellexerunt, antecedentia consequentibus conferendo hunc sensum inde hauserunt, quibus etiam fides habenda. Ego ex iis, quæ citantur, non Londinum, sed oppidum tantum Sudurvirkium, expugnatum assequor, potior tamen conjecturâ meâ eorum autoritas erit, qui integrum carmen examinarunt, & illis temporibus propiores, imò & æquales, vixerunt. Hoc tempore Olafus ab Ethelredi Angliæ Regis partibus stetit, quo tempore insigne bellum adversus Ulfkelem (Ulfketillum) Snillingum, Regis Ethelredi generum, in tesqvis Ringmarensisibus, in ipsius Ulfkelis ditioe, gesserunt, victoriæque potiti sunt, testantibus illud diversis carminibus *Ottare Nigro* & *Sigvato*, selectissimis eorum temporum pœtis. *Simon* equidem *Dunelmensis* & *Bromton Abbas Fornalensis* meminerunt belli adversus Ulfketillum Estantliæ ducem gesti, quod in decimum ejus seculi annum referunt; non tamen ab Ethelredo, sed Danis, Duce Thorkille Comite, qui est Thorkell ille Procerus, Sigvaldi Comitis & Hemingi frater, de quibus sæpius dictum est. Secutum id temporis Danos S. Olafum suspicari me *Saxo* & *codex Flat*: cum pœterioribus narrationibus collatus, facit, qui plura de eo & Thorkele mox exponit. Societatis inter eos contractæ *Chronica* prius meminerunt. Nec annus prælii istius a nostratium calculo dissentit, quoad S. Olafi adventum & moram in Angliâ. Si enim Thingmanni sub exitum anni, seculi illius noni, & initium decimi, trucidati sunt, poterat certè ante tertias Nonas Maji ejusdem anni, quibus hoc prælium *Dunelmensis* gestum perhibet, exercitus Duce Thorkele è Dania mitti, Ulfketilloque congregari. Ethelredum autem quid ad generum persequendum impulerit, nihil invenio, cum, quantum mihi constat, nunquam ab eo defecerit; imò nostratibus author & incentor cum filiis Regiis cædis & lanienæ Istius, cujus mentio facta est, conceptis verbis perhibeat. Sed ad rem.

Secundum illud certamen magna pars regni Regi Ethelredo iterum subiciebatur, licet Thingmanni & Dani multas & magnas civitates agrumque latissimum ditioe tenerent. Universo deinde exercitui præfectus traditur Olafus, cum urbem Cantuariam expugnaret, quam successis factibus in cineres redegit traditur, teste *Ottare* & *Sigvato* (Cantuariam anno MXI, Duce Thorkele Dano, incensam & expugnatam *Bromton* refert: idem *Simon Dunelmensis* a Danis factum ad eum annum notat, non autem a partibus Ethelredi) *Compendium* etiam memorat, id temporis piraticam exercentibus Danis & Vandalis bellum esse gestum. Custos etiam limitaneus totius Angliæ ab Ethelredo constitutus, fluvium Nyomadam subiit, cumque Thingmannis certamine inito victoriam reportavit. Inde Angliam infesta classe circumnavigando, aut tributis submitit, aut populatibus vexavit. Nonum illum conflictum Olafi *Sigvatus* memorat, contraque Danos prælium gestum hoc loco apertè testatur. Triennium hoc modo transactum morte Ethelredi Regis finitum est. (Nota: *Simon Dunelmensis* de

de *gestis Regum Anglorum* pag: 172. tradit ; Regem Ethelredum Londini exspirasse anno Christi MXVI. IX Cal: Maji, qui est XXIII Aprilis, feriâ secundâ Indictionis XIV. Singula consistunt.) Cum verò in illius locum filii Edmundus atque Edvardus (ita tradunt comuniter nosstrates, suffecti essent, oceano austrum versus trajecto, manus cum piratis in Hringanesiâ sinu locoque Hôle conferuit, expugnatumque castellum, quò se continebat, incendio deletit.

CAP. XIX.

DE DIGRESSU OLAFI EX ANGLIA IN
VARIAS GALLIÆ PROVINCIAS, EJUSDEMQUE
REDITU.

Olafus, velis in occidentem versis, usque Grislùpollas oppidumque Vilhialmsbæas pervenit; ubi piratas adortus, victoriam iis extorsit. Bellum inde in sinu Felensi gestum. Mox ad Seliupollas vetustumque oppidum Gunnvaldzbæas perventum, cui præfuit Comes Geirfinnus (fortè Geirvasius) quo capto, civibus viginti libras auri, (*chronica* undecim millia solidorum aureorum habent) pro ejus redemptione injunxit. Hæc nomina quamvis Septentrioni id temporis satis nota tritaque fuerint, dubito tamen, an ipsi indigenis in usu fuerint: receptissimo quippe more septentrionales diversarum gentium nomina propria ad genium suæ lingvæ formârunt. Camelus Illþvaldi; fretum Gaditanum Þiuvrösiund; Gregorius Gyrgir illis est. In Galliæ quidem maritimis oris sita esse constat. *Chronica* deinde ad fluvium Karsû (fortè Garunnam) classem directam tradunt, qui certè Pictones ab austro spectat, inde fretum Gaditanum trajecturus. Syriam, mox etiam Hierosolymam, petere meditabatur. (Scriptores itineris Qvirini, *Christophorus Floravant*, & *Nicolanus Michael*, eò vel hoc ipso, vel quovis alio tempore, profectum suggerunt. Nam a Thrandiæ (Nidarosiæ) civibus magnam ipsi comitibusque ejus exhibitam humanitatem testantur, cognito quòd Veneti essent, idque in memoriam S: Olafi, quem a Principibus urbis illius, tum in abitu, tum etiam reditu, cum Hierosolymas usque peregrinaretur, humanissimè exceptum novissent.) Repugnantibus ventis detentus vidit fortè per quietem virum formâ valde conspicuum, terribilem tamen, se accedentem, monentemque, *ut propositum iter in Orientem missum faceret; rediret ad proprios lares, ibi in æternum Regem futurum.* Expergestus interpretatus est, visione hac regnum Norvegiæ sibi promitti, propinquosque suos diu ibi regnatos, consilioque desistens ad Peitulandiam (Pictaviam) vela direxit, viciniâque vastatâ oppidum Varandium incendio deletit. Duas ætates & unam hyemem cum in diversis Galliæ partibus moratus esset, in Normanniam navigavit, postquam decem & tres anni a Svoldrensi bello elapsi essent. Præfuit tunc Normanniæ (non, ut nostri scriptores habent, Wilhelmus & Robertus) Richardus, ejus nominis Secundus, frater Angliæ Regiæ Emmæ. Hic Olafum ad se venientem benignè excepit; namque inter gentem utramque, Normannos Gallos, & Norvegos, magna amicitia intercescit. Si quidem Principes Normannorum ad Norvegorum Principes genus suum referebant, eoque nomine eos impensè diligebant, diuque tenuit illa necessitudo

cessitudo, ita ut Norvegis tutus eò receptus semper pateret. Eodem tempore Ethelredi Regis filii ex Emma suscepti, Alfredus & Edvardus, in Normannia apud avunculum exulabant, ejusque munificentia sustentabantur; nam postquam Knutus Magnus solus Angliã potius est, filios Ethelredi extra regni limites nostris Scriptoribus detrussisse traditur. Verius puto, mansisse eos in Normannia ab eo tempore, quò pater eos, rebus domi desperatis, illuc amandarat. Quòd vero filios Edmundi Ferrei lateris a morte patris regno ejecerat, inque Daniam, secundum alios Sveciam, deferri curaverat, ansam dedisse videtur nostratibus errati hujus.

Dum in Normannia hyemaret Olafus, filii Ethelredi operam ejus in expugnanda Anglia, agro Northumbrensi, si Knutus possit exturbari, pacti sunt. Hranium itaque unà cum fratribus Principum nunciis, eodem autumno cum ingenci pecunia ad sollicitandos civium animos exercitumque comparandum præmisit, ubi is hyemem moratus est: neque id frustra; nam potentiorum magnum numerum in suas partes traxit, magnam etiam plebis factionem, annitentibus singulis externa imperia popularibus permutare. Ipse Olafus cum filiis Regis insequente vere subsecutus est, perveneruntque ad locum Junqufurd (*Flateyensi* & pariter vetusto exemplari *Mentaqufurdu*: fortè Menam Cornubiæ peninsulam intelligunt. Aliud Chronicorum exemplar *Murnaafurdu* appellat) oppidumque proximum expugnârunt, multis hostium occisis, Regis autem Knuti Duces numerosas copias cum adversus eos educerent, impares sibi visi Ethelredi Regis filii, pedem in Normanniam reulerunt. Reliquit igitur eos Olafus, Normanniam non ultra petiturus, boreamque versus navigans, in Northumbriæ portum Vald classem duxit, congressusque cum oppidanis victoriam cum magna præda obtinuit. Hic parumper subsistendum, dum ea referam, quæ his *codex Flat*: interspersit. *Chronicorum* enim relationem hucusque pertexui.

CAP. XIX.

CONTINENS CODICIS FLATEYENSIS
ET FAGURSKINNÆ RELATIONES.

Postquam oppidum *Gunnvalds-bæ* ad Seliupollas ab Olafu vastatum captumque Comitem Geirfinnum (fortè Geirvasium) tradidisset, narrationem hoc ferme tenore pertexit. Eodem tempore Angliam cum exercitu advectus est Knutus Daniæ Rex, comitatus Thorkele Procero, Comitibus titulo illustri. Postquam præsidium Danicum Thingmannorum, auspicio filiorum Ethelredi Regis per Ulfelem Snillingum sororium, una nocte sublatus esset, in locum patris Ethelredi Edmundus filius, Ferreum latus dictus, susceptus est, qui novem menses regnasse perhibetur, & tantillo tempore cum Knuto quinqvies vario Marte conflixisse. Knutus autem in Angliam a morte patris Sveni primò pervenisse dicitur, eodem anno, quo Ethelredus in fata concessit, anno nimirum, nostratium calculo, duodecimo supra millesimum (quidam Annales undecimum habent.) Deinde Emmam Angliæ Reginam matrimonio sibi junxit, ex qua liberos procuravit, Haraldum Horda-Knutum, & Gunnhildem, quæ postea Henrico

rico Imperatori nupfit. Universam Angliam Knutus suæ potestatis fecisse dicitur, præter Londinum duoque castella juxta pontem, & tertium, quod supra eum exstructum erat, quæ filiis Ethelredi reliqua fuerunt, Slesvicum ad boream id temporis Thorkell Procerus, occiso Ulketille Snillingo, tenebat. (Hic observandum, redegisse Thorkelem Slesvicum in potestatem, antequam Knutus in Angliam venit, congressumque Ulketilli, secundum *Dunelmensis* & *Bromtonis* traditiones, ad annum seculi ejus decimum.). Ab hac relatione parum abludit *Dunelmensis* pag: 175. qui Thorectelem in prælio, quod Knutus cum Edmundo Ferreo latere anno MXVI. gessit, occisum tradit.) Ad eum Olafus, tum pristinæ amicitia fiduciâ, tum famâ frequentium victoriarum de Ulkele, priusquam fratrem ulcisci posset, obtentaturum, illectus, cum sexaginta navibus concesfit: cui Thorkell obviam procedens, ad hospitium cum satellitio pro arbitrio deligendo per integram hyemem invitavit. Annuit Olafus; pristinaque deinde amicitia, novis benevolentia studii ultro citroque cumulata, eò processit, ut Thorkell eum Knuto reconciliaret, prolixèque commendaret, ostenso quanto usui opera ejus esse posset, quam deinde Rex expugnatione pontis supra Thamesin structi, tot propugnaculis castellis; muniti, partis Norvegiæ imperio suo subjectæ, quam Eiricus fiduciario jure tenuit, pactus perhibetur. Inde Londinum tripartitò oppugnatur, pars una Regi cesit, altera Thorkeli cum Thordo pirata, pons Olafò relinquitur, ususque est instrumento ferreo rostrato, anchoræ in formam uncatò, remulcoque ferreo ad sublicas subvertendas, quod ei feliciter cesit; sum etiam pensum Thorkell absolverat, victoriâ haudquaquam incruentâ, cum ad suppetias Regi ferendas concursum est, quem Thorkell præsentissimo periculo eripuit; nam, cum expugnari urbem videret, Edmundus infesto gladio in Regem irruit, nec iminentem ictum vitâset, Thorkell eum subito de eqvo deturbâset. Eqvus autem fessore vanus unâ cum ephipio in duas partes dissectus, tanti roboris memoriam posteritati interitu suo reliquit: inde fuga Edmundi victoriam Knuto reliquisse memoratur. Secundum hanc victoriam pax inter utrumque Regem his conditionibus convenit, ut regnum ex æquo divideretur, integrum superviventi cederet. Exaëto mense, per proditionem Edrici Strigonæ Edmundus sublatus est.

Hæc quantumvis authore *codice Flateyensi* tradantur, suspectæ tamen fidei pars eorum videtur. Nec moror *Wilbelnum Gemeticensem*, qui tradit, Canutum Angliam bello petiturum, Olafum Regem Noricorum & Lachman Regem Svecorum in auxilium vocâsse. Nullum enim Lachman Svecorum Regem, nisi fortè piratarum, Sveci ipsi agnoscunt. Nec S. Olafus illo tempore ad scepra Norvegiæ pervenerat; nisi id per anticipationem scriptum agnoscendum sit. Angustius etiam tempus est, quam pro expeditionibus S. Olafi, quæ sexennium excedunt, si ex Anglorum placitis Svenus anno seculi illius duodecimo vel decimo quarto mortuus est, Olafusque eo anno in Angliam deVectus est, ut documenta vetusta perhibent. Neque enim ad scepra Norvegiæ ante annum decimum octavum ista ratione pervenisset, nec id quidem, si Knuto, & deinde Regis Ethelredi filiis, operam navâset. Denique vix consentaneum videtur, Regem Knutum operam ejus in expugnando ponte tanti mercari sustinuisse, quanti erat territorium, quod in Norvegia sibi vindicavit, si vel maxime fiduciario jure deferendum, cum possessores vasalli fideles & strenui, iidemque affines Regis sororius sororisque filius, inde essent

essent deturbandi, Eirico præsertim Comite apud Regem id temporis in Anglia præsentem, qui illud facillimè prævenire poterat. Equidem si illi aliud conferendum erat, tutius id Olafò extra patriam dari poterat, quæ tunc temporis erat juris controversi. Accedit quod hæc de auxiliis Knuto latis *codicis Flæ*: narratio nullis rhythmis in testimonium adductis, ut aliàs fieri solet, fulciatur. Quod si Knutus operâ ipsius hac conditione usus fuisset, lactatumque vanâ spe deinceps elusisset, mirum Olafum illud oratoribus ejus, cum postea ex Anglia ad res repetendas missi essent, non regessisse. Verum nihil illo tempore præter jus hæreditarium regni, majoribus partum, & per ordinem successione ad se devolutum, tum avorum Knuti à tempore Haraldi Cærulidentis aliena invadentium avaritiâ & injuriâ in præsidium causæ tractum, memoratur. Nec rationi litat, Olafum, qui universum regnum spe complexus est, ejus partem precario, nec sine magnis impensis præsentique periculo, ab eo emendicari voluisse, præsertim cum altioris esset ingenii, quam ut per occasionis oportunitatem fidem deinceps fallere vellet. Annales præterea nostri, dum gesta ejus per partes enumerant, nusquam auxilii Knuto lati meminerunt. Libens hæc, ut repugnantia, præterissem, ni *Saxo* & *Gemeticensis*, eosque secuti alii scriptores, hæc suæ historiæ inseruissent: in quos injurius forem, si quæ in nostris Antiquitatibus eorum assertioni stabiliendæ occurrunt, prorsus omitterem. Ad ulteriorem hujus codicis relationem progredior.

Ex eo tempore, quò Londinium expugnatum est, Regem Knutum in S. Olafum benè quidem, sed perbreve tempore, animatum refert, quippe similitudines intervenisse, ob laudes in Olafum ab Episcopo quodam congestas, sanctitatisque jam tum conceptam de eo opinionem, tanquam gloriæ suæ obstructuram. De Alfiva quod alii scribunt, ei a Knuto ereptâ, ne verbum quidem vetustiorum scriptorum extat. Secesisse a Knuto Olafus dicitur, nec traditur, an ulla laborum præmia reportaverit, ascitisque in societatem Thorkele Procero & Ulfo Thorgilfs Sprakaleggi filio, patre Sveni Estridii Daniæ Regis, ad fluvium Ratisi (Garumna) pervenisse: quæque illie gesta sunt, cum meræ fabulæ a stolidis Monachis confictæ sint, nec pœtarum carminibus probatæ, præterire visum est. Inde in Pictaviam Olafum transfert, *Chronicorum* relationes supra expositas eodem tenore recenset; nec tamen iis diutius inhæret, nam è Pictavia non in Normanniam, sed Angliam, iterum eum rapit, duoque ei prælia ibi adscribit, alterum in sinu Audensi (Mudafjord) quod decimum sextum numerat, alterum in parte Angliæ occidentali Vallandia dictâ (Valliam intelligit) numero decimum septimum, utrumque prospero successu. Inde in terras orientales trajecisse tradit: nec tamen nomen illarum exprimitur. Ibi fatidicam sæminam prædixisse ei lapsum lingvæ semel in totâ vitâ, & novum quid eventurum, quod mortem eodem die ei portenderet. Hic jam sui oblitus *codex Flæ*: decimum octavum Olafi prælium in Sveciâ recenset, ubi interclusus, transituque prohibitus, è lacu Melero per fretum Agnastem miraculosè elapsus traditur; nam cum totam hyemem ibi moratus esset, semper arbores excidisse, ignemque circa naves aluisse, ne unquam glacie constringi possent, fertur: precibus autem ejus datum, ut cum ad Agnastem perventum esset, terra repente rumperetur, indeque Regii portûs nomen fretum, per quod elapsus sit, in posterum conservare, Stockholmum autem insulam, quam particulæ divulsæ reliquerunt, inter Regium portum lacusque ostium. Favet
narrationi

narrationi notatio: nam quod rumpitur, veteri lingua *stœfva*; *stœft* / quod ruptum est, dicitur; quod vero particulae insulae huic avulsae fretum reliquerint, *Stœfjund* & insulam, hinc alias dictam, haut absurdum est, *Stœfholmi* exinde nuncupatum. Cuius patet, meliori ordine fideque *Chronica* seriem expeditionum Olafi, quam codicem hunc, exequi, inter tamen posteriores expeditiones illius Svedicam hanc collocandam existimo, cum viribus longe majoribus consilioque instructus fuerit, quam cum primò domo proficisceretur. Inde in Angliam secundò navigasse traditur, apudque Thorkelem Procerum hyemasse. Sequenti autem ætate unà cum illo & Ulfo Sprakaleggo in Hiberniam trajecisse, ibique prælium decimum nonum gessisse, victoriamque ope magis Divinâ quam humanâ reportasse. Mox in Angliam iterum navigasse, alteramque hyemem apud utrumque socium mansisse; ubi somnium illud, quod in Gallia ad fluvium Karlsa memorabam, ei oblatum tradit. Hic jam iterum sui oblitus, cum duas ætates & unam hyemem in Gallia transegerit, ad Duces Normanniæ concessisse, pactumque cum illis iniisse, anno decimo tertio supra millesimum exponit, ordine eodem, quo *Chronica Norvegica*, quorum relationem supra pertexui, illisque Rothomagum reversis Olafum in Northumbriam portumque Foruvald delatum victoriam de oppidanis, illamque vicissimam, obtinuisse. Duas præcedentibus annis codex hic adjicit, vel etiam tres. Unde patet, decennium e patria Olafum abfuisse, quem tamen anno septimo excessisse, elapsoque septennio rediisse tradit.

Compendium, seu Sagurstitina / gesta Olafi in exteris compendiosè hoc sensu describit. Filius Harald Pulchricomi fuit Biornus, Gudriodi pater, Gudriodus autem Harald Grænskii pater erat, illius qui uxorem duxit Astam Gudbrandi Kulæ filiam. Eorum filius fuit Olafus Crassus, qui puer patria cum nutritio suo Hranio excessit. Primus ei conflictus ad scopulos Sorinos; secundus in Esthonia; tertius in Suurvica Daniæ provincia. Quartus in Vinlandia (Finlandia legendum) Quintus in Kinnlifida adversus equites. Inde in Angliam concessit, ubi ad pontem Londinensem conflictus sextus adversus Danos, qui ibi bellabant, prædonesque facti sunt (versusque *Sigvati poëte* confirmatur.) Dani pontem propugnabant. Olafus Ethelredi partes secutus oppugnabat (*Ottaris Nigri* versus in testimonium citatur integer.) Septimus in tesquis Ringmarenibus (prælium Ringmærense *Simon Dunelmensis de gestis Regum Angliæ* ad annum MX memorat) Octavus cum Cantuariam expugnaret, adversus Danos & Vandalos, nam & illi Knuto militabant (*Sigvati* versus afferitur) Nonus ad fluvium Nyamodam contra Danos (*Sigvati* rhythmus iterum adducitur) Decimus adversus Danos piratas in loco *Hole* / ubi castellum quoddam diruit. Undecimus in Grislupollis. Inde occidentem versus profectus in sinu Fedensi duodecimum certamen gessit. Austrum versus inde movens, decimum tertium prælium in Seliupollis ciebat, expugnatoque oppido Gunnvaldsburgo, Comitem Geirfimum comprehendit. Inde austrum versus ad fluvium Karlsa prociuctum movit, utramque ripam infestabat; diuque ibi adversis ventis detentus, cum Niorvasundam (fretum Gaditanum) meditaretur, monitus est. Deum nolle eum in austrum longius procedere, sed potius ut patriam Norvegiam repeteret, ibique Rex in æternum permaneret. Deinde Rex in Pictaviam retrò movit, ingressusque Leiram (Ligerim) oppidum Varandi post editum certamen exussit. Proxima hyeme in Sigvo, aliis Signa; (oppidum aut pars aliqua

Normanniæ est) refedit, præmisitque in Angliam Hranium, nutrimum suum, cum muneribus & promissis ingentibus ad alliciendos magnatum animos; quod ille fideliter executus, usque Londinum pervenit. Proximo vere Olafus in Angliam trajeci, decimumque sextum prælium in Jungfursa gessit, decimum septimum ad Valdiam. (Carmen *Sigvati poetæ*, *chronicis* omnibus notatum, vicies cum hoste collatis signis eum pugnasse liquido tradit.) Hæc totidem ferè verbis *Compendium* recenset: ubi nulla mentio extat, quod Olafus ad Knutum transierit.

CAP. XX.

DE REDITU OLAFI IN NORVEGIAM, CAPTO COMITE HACONE, DITIONISQUE EJUS DEDITIONE, ET DIGRESSU E PATRIA IN ANGLIAM.



Am quæ reliqui Scriptores, a quorum traditionibus *Codex Flateyensis* dissentit, communiter referunt, exponam. In portu Northumbriæ Vald postquam oppidanos superaverat Olafus, duas conspicuæ magnitudinis naves confici curavit, singulisque sexaginta delectos & cataphractos milites imposuit: reliquã autem classẽ ibi reliquit, militesque dimisit. Ipse his duabus tantum patriam repetivit, illectus fortè occasione, quod Eiricus Comes, dum Olafus in Pictavia moraretur, naturæ concesserit, vir fratre rerum gerendarum prudentiã fortitudineque potior, filio admodum juvene relicto, Knutoque in regno noviter parto confirmando occupato. Itaque primo autumno in Norvegiam dum vela faceret, medio mari subita tempestate exorta in præsentissimum vitæ periculum incidit: quo, benignitate Dei, fortunã Regiã, & selectorum nautarum industriã superato, ad insulam Sælam, quæ promontorium Stadas à Septentrione respicit, pervenit; quæ in medio Norvegiæ tanquam umbilico sita est. Lætum omen visum erat, eò potissimum appulisse, propter religionem loci. Ascensã igitur insula, confestim ac terram pedibus calcavit, altero luto profundius immerso, altero vacillante in genu procidit; cum cecidisse se retulisset, excepit Hranius; *non cecidisti, sed fixisti pedem in terra*. Subridens Olafus, *fieri hoc posse*, respondit, *si Deo ita visum fuerit*. Egressus inde in naves austrum versus tendens in portum Ulfasundam devenit. Ibi certior fit, Comitem Haconem ex provincia Sognensi propediem rediturum, unica tantum nave instructum, Thrandiamque, unde profectus erat, repetiturum. Et jam ex animi sententia patriã potitus, derepentè novo gaudio, eoque insperato, perfunditur. Etenim cum tractum Fialensem prætervectus à publica viã ad interiora deflexisset, ad portum Saudungfundam pervenit, navesque ex utroque latere portus ad anchoras rudente subtruncatatas collocabat; cum Comes Hacon unica expedita nave magno remigum nisu portum penetraturus accelerabat, mercatorias ratus, quæ in portu stabant. Cumque inter utramque triremis ejus rudentem supervecta laboretur, trochleis & tractoriã machinã sublata, suspensaque e puppi in proram versa, mox etiam subversa, nautas simul & Comitem in fluctus dejecit; qui dum ad terras natando contenderunt, extracti plerique, & in his ipse Comes; pauci telis obruti aut submersi desiderantur.

Erat

Erat Comes decore formæ singulari, capillis valde conspicuis, aureâ laminâ fronti subnexâ. Quem in transtro mediæ navis proximo, jam captivum, victorisque arbitrio subiectum, confidentem Olafus sic affatus perhibetur. *Haut equidem vano sermone vestra familia venustas & decor celebratur: fortunam tamen recessisse planum est.* Cui Comes magno animo, periculi & fortis præsentis immemor, respondit: *Abst, ut hunc qualemcunque casum discedentis nec recedentis fortune interpreter, cum jam pridem vices familie nostræ alternare confecerit. Sæpe enim qui superior fuit, succubuit, victusque iterum victor, quò alternis imperarent; me jam improvisum; nihil hostile metuentem, vix adolescentie annos egressum cepisti: non est quod animum despondeam; quin potius alio tempore feliciores successus mihi pollicebor.* Adversus ea Olafus respondit. *Nome subit animum, id tibi jam accidisse, ut in posterum neque tu aliis victoriam, neque tibi alii unquam eripiant? Id jam in tua potestate erit,* respondit Comes. Tum Olafus; *quantum redimere libet dimissionem, corpore membrisque illesis, nec imminuta libertate?* Comes, quid postularet, rogavit. *Excedas regno, inquit, mibique cedas, nec unquam me aut regnum hoc impugnabis, nec contra me defendas: fidem in singula sacramenta confirmabis.* Hac necessitate compulsus accepit conditionem, juramentoque stabilivit. Mox reddita navis, quæ veffi sunt, singulique incolumes dimissi, quò proposuerant, pergunt. Haut longo temporis interjectu Comes regno excessit, inque Angliam ad avunculum suum Knutum Magnum transmisit, longoque tempore ibi commoratus est. Hujus Haconis Scriptorum Anglici sæpius meminerunt.

CAP. XXI.

CONTINENS HISTORIÆ, QUÆ KNYTLINGA SAGA INSCRIBITUR, RELATIONEM, DE PRÆLIIS REGIS KNUTI IN ANGLIA.



Ngestis Knuti in Anglia referendis *Knytlingorum historia* ab Anglicis Scriptoribus haut multum deflectit. Tradit enim præfectos Sveni partem illam regionis, quam armis devicerat, post ejus mortem armis tutatos esse. (Quod cum iis, quæ *codex Flat:* de præsidiorum internecone exposuit, non ex omni parte convenit.) Regem autem Ethelredum auxiliis S: Olafi in regnum rediisse: assertumque in testimonium pœtæ Ottaris Nigri carmen, quod etiamnum extat; Knutum autem tunc decennem solum in regnum Daniæ patri successisse, quòd frater ejus Haraldus mortuus esset. Proceres deinde Danos ex Anglia nunciis eum in auxilium suum evocasse. Quòd autem ætate tenerâ, nec bellis idoneus, nec regnandi artium peritus videretur, placuisse, ut ipse domi remanens classem exercitumque & Duces eò mitteret; id quod etiam factum est. Elapsis deinde tribus annis, excito e Norvegia magno exercitu, Duce Comitè Eirico, ipsum quoque valida manu instructum in Angliam transfretasse. Eminuisse autem inter Duces Ulfum Sprakaleggum, qui tunc sororem ejus Astridem duxerat, teste *Knytlingasaga cap: VIII*, & filios Comitum Strut-Haraldi Hemingum (quem *codex Flat:* antea occisum tradidit) & Thorkelem Procerum (Anglicis Scriptoribus semper Thorketillum.) Appulisse autem ad locum

locum Flioti nomine celebrem, teste carmine superſtite *Halkvardi Hareksbleſſi*, ex oda, quâ Knutum celebraverat, deſumpto. Mox excenſu in terrâ factô, circumſita omnia vaſtâſſe; cives autem, collectis copiis, ſe ei oppoſuiſſe. Primum bellum in Lundiseya geſtum, nec ſine magna clade, expugnatumque Hemingaburgum, magna indigenarum ſtrage. Id quod neſcio an *Bromton pag. m. 892* intelligat, dum ſcribit, *Canutum apud Ganyesburgh cum exercitu ſuo moratum, cum hominibus Lindiſey concordatum, mox inde ab Ethelredo profugatum, provinciam illam combuſtam, & incolas Lindiſey interfectos, idque ad annum MXV refert.*

Ad noſtros redeo: qui tradunt aliud bellum in Northumbria ad fluvium Teſam geſtum, multos indigenas occiſos, alios fugatos paludibusque abſorptos periſſe. Inde exercitum in auſtrum tranſvectum, provinciâque occupatas. Poſt mortem autem Regis Ethelredi omnium cruentiſſimum bellum inter Knutum & Edmundum ad Skorasteinem geſtum, maxima utriusque exercitûs clade: ubi Regem Edmundum in mediam aciem inſectum, ſtriſtum acinacem in Knutum impegiſſe, illum vero clypei objectu ictum declinâſſe, quô tamen clypeus, eqvus armotenus, & ephippiû bipartitô diſſecta perhibentur. Danorum autem impreſſione compulſum Edmundum, multa cæde cruentum, ad ſuos ſe convertiſſe, nullo aut exiguo vulnere accepto. Mox famam per exercitum cædis ejus ſparſam Anglos in fugam convertiſſe; quo viſo, Regem extentâ voce eos ad pugnam redintegrandam hortatum, exſuperante metu nihil profeciſſe. Effuſâ deinde fugâ abreptos omnes, perſequentibus Danis iteratô cæſos victoriam iis reliquiſſe. Inter perſequentium primos Comitem Ulfum denſam ſylvam ingreſſum, totam ibi noctem, cum extricare ſe nequiviſſet, exegiſſe; poſtera verô die cum illuxiſſet, in ſubjectis campis ovium greges adoleſcentemque eorum cuſtodia præfectum vidiſſe, eqvoque eò provectum, quinam eſſet, quæſiviſſe. Illum Gudnii, ſeu Godvini, nomen profeſſum, iterum rogâſſe, *an unus de exercitu Knuti eſſet?* Ulfum vera confeſſum, *quanto intervallo a claſſe diſterninaretur?* iterum rogâſſe; illum autem reſpondiſſe; nullo Danorum merito auxilium ab Anglis requiri. Comitem autem profeſſum, *ſe magni ejus operam æſtimaturum, ſi illo amittente eò perveniret.* Retuliſſe deinde Godvinum, *quoddam via longè diverſa per ſalvas ſitvasque invias in ſuperiora delatus longius a litore diſtaret, diſperſamque jam famam per univerſam provinciam beſterne ad Skorasteinem ſtragis, omnes in Danorum perniciem aliâs pronos magis etiam exaſperâſſe, adeo, ut neo ipſi, nec curvoſ alii, nedum itmeris duci, ulla ſpes evadendi eſſulgeat, ſi a ruſticis deprehendatur.* Mox Ulfum detractum digito anulum obruliſſe, *ut ſe ad naves duceret, Godvinum autem ipſum aliquantisper intuitum deinde reſpondiſſe: anulum quidem ſe non accepturum, operam tamen ei navaturum, mercedem in arbitrio ejus futuram; & ſi non proceſſerit auxilium, nullam requiri.* Deinde ipſum ad villam patris ſui, inque cænaculum parvum deduxiſſe, cibumque & optimi generis potionem exhibuiſſe, villam autem ædibus egregiis inſtructam cultamque fuiſſe; hoſpitem deinde nomine Ulfnadum cum uxore, utrumque forma ſpecioſos, hoſpitaliter eum excepiſſe, ibique per totum diem detinuiſſe; cæptu vero noctis duos egregios eqvos, frænis ephippiisque ornatiſſimis inſtructos, eis apparâſſe. Sub diceſſum autem patremfamilias ei ſuggeſſiſſe, *quoddam unicum ſuum filium fidei ejus tradat; petere igitur, ut cum ad Regem perveniat, ſi quid apud eum poſſit, perſiciat ut ejus famulitio inſeratur; neque enim ei amplius apud populares ſuos tutum, ſi emanet, eum liberâſſe: ſibi vero providendum quacun-*
que

que ratione se imminente periculo eripiat. Ulfum autem promississe se postulata ejus exsecuturum. Tota deinde nocte profectos prima luce ad naves pervenisse. Cumque de Ulfo conclamatum esset, improviso ejus adventu, tanquam orci faucibus erepto, omnes gavisos, summa eum alacritate excepisse; omnium enim animos mira humanitate ingeniique dexteritate sibi devinxisse. Tum primum, quoniam eum deduxerat, Godvinum cognovisse, mox Ulfum eum in sede juxta se collocasse, filii-que loco habuisse, sororemque suam Gidam in uxorem ei sociasse, tandemque Comitatum ei apud Knutum impetrasse; fuisse autem forma eximia, eloquio & affabilitate commendabilem. (*Bromton pag: m. 887.* Edricum Streonam ejus patrum facit, sed genere humilem.) Liberi ejus ex Gida recensentur Haraldus Rex Angliæ, & Comes Toitius, cognomento Trepot/æ: lignea hasta, & Comites præterea Maur, Karius, Valthiofus & Svenus. Inde illustres prosapia per Angliam, Daniam, Sveciam, & Gardarickiam, seu Rusiam, promanasse. Hæc esse stemmata Regum Daniæ, Gidam Regis Haraldus Godvini filiam uxorem duxisse Valdimarum Holmgardiæ, seu Rusiæ, Regem; quorum filius Rex Haraldus, ejus filia Malgridis & Ingibiorg; illam Sigurdo Hierosolimipetæ, Norvegiæ Regi, hanc Knuto Lavardo, Abotritorum Regi & Slesviæ Duci, nupsisse. Tertium bellum Knutus apud civitatem Brandfurdentem gessisse perhibetur cum Ethelredi filii, urbemque expugnasse, magnâ Danici exercitus jacturâ. Simul autem *Dunelmensis de rebus gestis Anglorum ad annum MLXVI.* tradit Edmundum, postquam Londinenses ab obsidione liberasset, Danos ad naves fugasset, post biduum Thamesio in loco, qui Brenford nominatur, transfretasse, prælium cum Danis commississe, iisque fugatis victoriam reportasse. An vero Brenford idem sit ac Brandfurdum, decidere nescio. Quartum prælium etiam cum Ethelredi filiis ad Assatunum, idque magnum, locum a Septentrione Danaskogis, seu Danicæ sylvæ, adjacentem, commississe memoratur. Meminit ejus *Dunelmensis loco citato*, ut & *Bromton utriusque pag: 104.* Quinta vice cum Edmundo ad Nordvikam conseruisse manus traditur, magnaque clade affectos Ethelredi filios in fugam vertisse. Tandem, cum Londinum obsideret, per caduceatores, obsidibus ultro citroque datis, ita convenisse, ut antea dictum est. Hic vero *Knytingorum historia*, sed, quantum scio, sola, tradit, corruptum pecuniâ a Knuto Edricum Streonam alumnus suum Regem Edmundum nefarie sustulisse, a quo nec quidam Anglorum Scriptores dissentiunt.

CAP. XXII.

DE REDITU OLAFI AD MATREM
VITRICUMQUE, EORUMQUE IN EO EXCIPIENDO ALACRITATE.

Rebus cum Hacone Comite ex animi sententia compositis, Olafus, velis in austrum versis, cives passim ad concilia evocat, jusque suum ad regnum exponit; quod variantibus suffragiis exceptum incolarum animos distraxit, & aliis ad res novandas propensis, aliis, præsertim qui cognatione aut affinitate Comites attingebat, aut amicitia jure devinebantur, præsentis statu contentis, mutationem averfantibus. In provinci-

vinciam Vestfoldensem delatus, pluribus acceptior, amicis in primis patris sui, aut cognitis: erant enim bene multi. Ibi subductis navibus eodem autumno ad Uplandas, vitricum suum & matrem invisurus, profectus est. Mane diei præmissi, qui appropinquantis adventum nunciarent: qui de more, nec hodie apud rusticos antiquato, domum ingressi, cum matrem multis in hypocaufto fæminis stipatam offendissent, mandata exposuerunt. Illa læto nuncio resecta protinus surrexit, imperavitque famulitio, maribus pariter ac fæminis, ut ornatisimo apparatu domum instruerent. Quatuor famulæ triclinio tapetibus appendendis, sellisqve & pulpitis exornandis, famuli duo abacis & suppellectili convivali inferendæ, duo pavementis stipulis & stramentis inspergendis, duo ferculis, totidemqve potulentis, subministrandis adhibiti, duo ad Regem Sigurdum cum vestium pretiosissima misi, equum generosissimum, ephippio elegantissimo, frænoqve inaurato, lapidibusqve, five coralliis, distincto ornatum adducebant; quatuor alii in circuitum ad singulos majoris notæ vicinos invitandos ablegati. Universum famulitium domi cultu pro cuiusqve conditione ornatisimo instructum incedebat. Ipsa cum ministris totoqve gygnaeco foras procedens filium exceptura opperiebatur. Tum fortè Sigurdus in agro laborantium operis inspiciendis distentus erat, cum nuncii hæc illi, & quæ præterea uxor domi apparabat, exposuerunt. Frequens illi servitium: alii fruges demetere, alii in manipulos colligere, alii in horrea ingerere, alii congestas coacervare. Ipse cum duobus famulis circumeundo omnia inspicere. Amictus ejus describitur, tunica & tibialia cyanei coloris; calcei soleis altioribus, cothurni, ut puto, forma; penula cum pileo patulo cineracei coloris; baculus argentea laminâ inaurata supernè obductus, cui annulus argenteus infixus erat. Hic ut adventum privigni cognovit, simul & hortamenta uxoris, ad filium quàm magnificentissimè excipiendum, monitaqve, ut magis esset memor generis, quod à Pulchricomo duceret, quàm avi materni Hranii Mionei (seu Nasi Acuminati) aut Comitiss Nereidi Prisci, quantumvis sapientes viri fuerint, hunc in modum respondit. *Nova quidem refertis, nec momenti exigui: nec mandata segniter expeditis; hanc incompertum mihi est, ingenium uxoris magnificentiam sæpius ostentantis adversus eos, quibus longè minore necessitudine devincta est. Non igitur mirum, si hunc ambabus ulnis & omni benevolentie studio quàm sollicitissimè prosequi admittitur; & adnixuram confido: neque enim me latet. Verum providendum, ne filius minori cum apparatu dimittatur, quàm admittitur.* His dictis vestem tibialiaqve pretiosioribus (quæ fortuna hosti vocabant) auratisqve calcaribus, tunicam holosericâ, penulam coccineâ, vel, ut magis placet, ornatiore, permutavit, accinxitqve lateri ensam auro insignem, cassidem capiti inauratam imposuit; accitisqve ex vicinia triginta comitibus, citato cursu domum rediit. Vix ad alterum domus latus pervenit, cum ab altero vexillum Olafo prælatum conspexit, quod is centum militibus ab armis & veste instructissimis stipatus premebat. Ei Sigurdus equo insidens obviam processit, honorificèqve salutatum cum universo comitatu ad convivium invitavit. Mater verò oculo exceptum amplexa, *quantum facultates permetterent, suppedituram se ei pollicetur; patere ditonem illi & auxilia: maneret modo, quoad visum fuerit, poscebat.* Mox apprehensa ejus manu in honoratissimum locum deducit, ibiqve confedit. Sigurdus suum locum petivit. Provisis inde, qui vestes eorum fervarent, & equis avenam sufficerent, convivium lautissimo apparatu & magnificentia processit. CAP.

CAP. XXIII.

CONTINENS DELIBERATIONEM
OLAFI CUM VITRICOMATREQUE, EO-
RUMQUE RESPONSO.

Ost haut longam moram Olafus vitrico ma-
 treque & Hranio nutritio ad colloquium evocatis in
 hunc modum disseruit. Non vos latet, genus me ab
 Haraldo Pulbricomo ducere, lege Regiâ, jure propin-
 quitatis inter heredes regni, quippe maribus oriun-
 dum, non modo ipso jure, sed etiam paterna ditione
 privatam, ne partem quidem nunimam illius possidere;
 vitam certè peregre a patria per longum tempus rapinis, latrocinis, etiam
 innocentium spoliis & cadibus, sustentare coactum: non sine periculo, non cor-
 poris modo, sed & animæ jactura, si his studiis intermori contigisset; cum in-
 terim peregrini Principes, nullo jure nixi, avitam & patriam hereditatem te-
 neant, oppressâ simul, & tantum non in servitutem redactâ, splendidissima
 hac Regiâ familiâ, genteque universâ jugum subire, externisque imperiis pa-
 rere coactâ. Hec tam indigna tantæque familiæ erubescenda ut avertam,
 omni studio annitar, opes, auxilia, consilia, vires propinquorum amicorum-
 que eò directurus, quin imò fortunas omnes, ipsamque vitam, si aliter fieri
 nequit, impendam: nec incepto desistam, priusquam universam territorium
 quod ultimis Rex agnatus meus Olafus Tryggvinus imperio complexus est, mei
 juris faciam. Ad tantæ molis rem conficiendam consilio tuo & ope cum val-
 de indigeam, plurimumque fiducia in eo ponam, primum te consiliorum par-
 ticipem, deinde captorum agendorumque, utpote tantæ prudentiæ virum, qui
 optime provideas, quid inceptu, quid processu opus sit, auctorem delegi; nec
 dubito, quin Uplandorum Reguli, agnati mei, ex eadem Regiâ stirpe orti, ma-
 lint per me familiam & pristinum splendorem evehi, gentem universam a
 longa extraneorum servitute emancipari, quàm perpetuis sordibus erepta di-
 gnitate pariter atque libertate, obsitam in ludibrium verti, ad quod perfi-
 ciendum promptos & alacre subsidium pro virili collaturos arbitror, presertim
 cum Comitem Haconem pertinacis propositi mei luculentum testem habe-
 am, erepta ditione extorrem primò nostro in patriam reditu factum. Solus
 Suenus superest, facilius debellatu quàm uterque. Quod si Reguli tergiver-
 sabuntur, certè plebs alacris externum sibi jugum relaxari anhelabit. Tu igitur
 exponere, utrum consultius sit, palam hæc ad vulgus, an prius ad Regulorum
 consilium deferri. Ad hæc Sigurdus: Ingentem quidem molem animo ver-
 sas, fili, inceptu quidem arduam, progressu dubiam, exitu periculosam, tuo
 quàm meo judicio magis expeditam; quanquam mirum non est, humilem indo-
 lem, quæ ego præditus sum, excessum animum tuum baudquaquam capere;
 nam a pueris ingentis animos geris. Jam longus rerum usus, externorum Prin-
 cipum gentiumque conviciis, rei que militaris scientiæ accessit, quæ prudenti-
 am suggerunt. Potentissimis Principibus te opponis, Regi nimirum Sveciæ, sed
 & Knuto Danie, qui jam Angliæ regnum adjecit longè florentissimum. Hos
 irritabis; horum in te arma provocabis, quin & presentissimo periculo fortu-
 nas & capita eorum expones, qui cum eventu fortuna tue discrimen rerum
 suarum miscbunt. Verum quando id tibi ita certum obstinatumque est, scio
 nihil me profecturum dissuadendo, presertim cum causâ superes, utpote qui re-
 gnum externo dominatui mancipatum, familiæque nostræ per vim ereptum, inju-
 stis

stis usurpatoribus extorquere, illam in pristinam gloriam, patriam in libertatem, asserere decrevisi. Prudenter ergo fecisti, quod tantam rem mihi prius quam aliis communicaveris, quamvis nec opem ullam polliceor, priusquam aliorum, qui Uplandis præsumunt, Regulorum Magnatumque sententias exploraverim; qui si abnuerint, minime è re censeo ulterius tendere. Impetus enim animi ratione & prudentiâ regendus est, ne obstinata voluntas, ratione destituta, eò deveniat, unde regredi nequeas. Interea explorabo Principum voluntates, nec te unquam destituam: quin & opibus & subsidiis iurabo, nec prius hæc plebi proponam, quam ejus animos nobis conciliaverimus, tutius deinde palam facturi; plebis enim ingenium novitatis avidum, opinione cuncta, ratione nulla metitur, ad nutus & exempla Principum versatile: consuetudine ad te citius horum studis perspectis, vel exemplis persuasa. Contigit idem Olafum Tryggvino, nam ut primo in regnum venit, & quis esset professus est, effusissimis omnium studiis exceptus regnare jussus est, quamvis illi regnum haut diuturnum fuerit. Ad hæc Asta Regina. Gaudeo quidem, fili, Josphitem te mihi redditum. Nulli impense parsum velim augendæ gloriæ decorique tuo, quamvis vires meæ admodum debiles sint; quod si mihi optio daretur, malim quidem te universæ Norvegiæ Regem fore, licet Olafum Tryggvinum diuturnitate imperii non excessurum præscirem, quam Regulum, vitrico tuo similem, ad senectutem ætatem producturum.

Apud vitricum deinde Olafus longo tempore cum copiis universis moratus est, usque dum appropinquaret festum, quò Nativitatis Salvatoris memoria recurrit. Edulia dies alternasse memorantur; altera lactaria piscisque, altera hordeaceus potus carnesque apponebantur.

CAP. XXIV.

DE FÆDERE OLAFI CUM UPLANDORUM REGULIS, REGIOQVE TITULO ET REGNO EI ADJUDICATO.



Complures Reguli per id tempus Uplandas rexerunt, plurimi Pulchricomo oriundi. Heidmarchiam fratres duo, Hrærecus, seu Rôrecus, & Hringus, Gudriodus Gudbrandsdalos. Ejus; qui Raumarichiam cum adjecta Thotnia & Hadalandia, ut & illius, qui Valdresiam tenebat, nomen non exprimitur. Hringarichiam Sigurdus Syr obtinuit; qui convocatis omnibus Regulis, magnatibusque & colonis, ad præstitutam diem conventum celebravit in Hadalandia, ubi præstò erat Olafus. Ibi propositò Olafi palam factò coram Regibus differuit, quam necessarium esset, jugum cervicibus omnium a Regibus peregrinis Danorum & Svecorum impositum depellere, demersum in servitutem populum, heredes Regni regio exclusos, illustres familias obscuras factas, in pristinam gloriam, libertatem, splendoremque restituere: adesse virum impigrum, qui communem gentis causam suo periculo suscipere: probrumque retundere ausit, modo non desit propinquorum auxilium. Enumeratis deinde præclaris ejus gestis, non imparem fore cæptis perficiendis persuadere cæpit. Adversus ea primus respondit Hrærechus Heidmarchiæ Regulus; neminem posse inficiari, totam gentem originis Haraldianæ partâ dignitate Majestateque excidisse, cum nemo eorum Norvegiæ sceptrâ teneat: verum illud haut compertum esse, an patriæ Principumve

cupimve conditio hoc felicior futura sit, quo quis ex illis in tantum creverit, ut reliquos imperio coercere possit. Experimentum illius quidem aliquoties factum; cum Hacon Adalsteini alumnus populari aurâ ad regnum pervenerit, nec illius imperii ullum penituisse. Verum cum Gumbildis filii rerum potius sint, fastidium eorum omni ordini ingesum, adeo ut tum Principes, tum vulgus omne, maluerint peregrinum imperium. Externos namque Reges tributis, de quibus convenerat, contentos, libertatem Principibus, onissâ discipline curâ, reliquisse. Orta verò similitate inter Haraldum Gormium Danie Regem & Haconem Comitem Hladensem, immisos postmodum piratas Fomenses, omnia vastasse, quibus confluxu populi, justo praelio, memorabili strage, victis, cives Comitem incitasse, ut regnum assereret, inque libertatem vindicatum ipsemet solus nulli obnoxius regeret. Quod cum sibi stabilivisse visus est, tyrannidem occupasse; cujus impatientes Ibrandos supplicium de eo jumpsisse. Substituto Olaso Tryggvimo, Regio titulo conspicuo, tanta plebis contentione, ut certatim undique confluxus ad eum fieret; virum quidem insignem, ortum stemmate Regio, imperio ex omni parte dignissimum, atque hoc modo regnum Pulchricomum revivisse. Verum postquam ille imperio tutum se animadvertit, omnium libertatem suppressisse, inque se ceterosque Regulos durum & immite imperium exercuisse, nihilque a juris illius rigore remisisse, quod Haraldus Pulchricomus armis acquisivit; quedam etiam ampliora sibi arrogasse: in tantumque restrictam libertatem fuisse, ut nulli integrum fuerit religionem avitam, cultumque Numinum, si ab opinione ejus disideret, sequi; quò summoto, pace constanti in presentem usque diem, gratia & auxilio Regum Danie felix, libertate ilibata, nullâ intestinâ discordiâ laborantes frui. Placere igitur presentem statum, cum incertum sit, an convenientior expectandus, si vel maximè agnatus suus ad imperium promoveatur. Se itaque mutationem, quam quererent, suffragio suo nunquam probaturum. Ad hæc frater Hringus. Quamvis, inquit, nec auctius imperium, nec laxius jus habiturus sim, quam bucusque habui, modo ditid agrique relinquuntur; malo tamen contributelem quam externos Principes avitam regnum tenere, & si quid conjecturâ assequi valeo, emicat è facie viri hujus ipsa probitas, ingenii insignis bonitas; cui fortuna etiam in tantum aspirabit, ut aviti regni propediem compos fiat; gaudebit tunc maximè, qui eum enixissime jurvit, qui cum nec jure ad regnum nobis potior sit, opibus etiam inferior, cum omnes nos aliquid territorii habeamus, ille nullum, cui erit dubium, si jure nostro cefferimus, illumque ad tantum fastigium opibus, consiliis, auxiliisque, omnibus demde viribus, evexerimus, quin memor beneficii cumulatius illud aliquando sit redditurus? Ut igitur nos mutuo federe devinciamus, auctor ero.

His deinde cæteri suum quisque suffragium adjecerunt, conclusumque, ut illum ad regnum cunctis viribus promoverent, sædusque juramentum firmatum est; quo & Olafus ad mutuum cum illis amicitiam colendam se obstrinxit, si regnò potiri contigerit. His ita constitutis, Reges plebem ad frequens concilium convocarunt. Ibi Olafus jus suum publice profiteri; se Regio sanguine ortum, heredem regni a peregrinis principibus vi obsessi asserturum, sibi imperium, populo ab externa dominatione libertatem; petere ut, quod in illis esset, ne sibi deessent, declararent modo se Regem; fore illis omnia jura non ilibata modo, sed & auctiora. Hæc longo sermone perfercutus omnium animos in se convertit. Inde Reguli suam quisque orationem ad populum habuerunt, quibus cum persuasissent, quam non modo utile, sed & gloriosum foret, Regem ex indigenis, nobilitate generis externis parem, virtute, prudentia, & rerum gestarum gloria illustrem, neminique secundum,

regno præfici, consensu omnium Rex totius Norvegiæ declaratur; & ne quid publicæ authoritatis desideraretur, solenni iudicio secundum leges Uplandorum regnum ipsi adjudicatur. Annus hic erat reparatæ salutis MXIV.

CAP. XXV.

DE EXPEDITIONE OLAFI IN UPDALUM
ET ORKADALUM, FESTIVOQVE APPARATU STEIN-
KERIS INTERCEPTO; SEDE NIDAROSIÆ DESTINATA, SIG-
VATO POETA SATELLITUM ALBO INSCRIPTO, REGIS-
QVE FUGA IN HEIDMARCHIAM.



Unde Olafus regnum perlustrare, commeatum villis Regiis pro more imperare, ibique per vices divertere. Primo in Hadalandiam, inde itinere in aqvilonem verso, ad Gudbrandzdaloz profectus est; ubi, quemadmodum auguratus est vitricus, tantus hominum concursus ad eum factus est, ut vix dimidia parte opus esse videretur, cum comitatus ad trecentos excreverit. Et jam commeatus deficere cepit, qui solenni Regiis more in usum alimentaque sexaginta vel septuaginta tantum comitum, nec unquam ultra centum, quoties provincias regni perlustrarunt, apparari consuevit. Igitur appropereis itineribus, unicam in quovis diversorio noctem, ubi trinoctium solebat, transegit, onera comitatus moræ brevitate sublevans. Jamque transitis Dofrinis alpibus, in Updalum, indeq; Orkadalum pervenit: ubi conventu indicto, ab incolis, ut se Regem proclamarent, postulabat, productis testibus idoneis, qui interfuerunt contractui inter ipsum & Comitem Haconem facto, quò cessio provinciarum, hæreditario jure ipsi competentium, continebatur, juramento confirmata. Fuerunt autem quatuor illæ provinciæ, territorio Thrandensibus contentæ, nimirum Orkadalensis, Strandensis, Gauldalensis & Eienensis. Verùm variis sententiis postulata Regis excepta sunt; aliis approbantibus, aliis fugâ sibi consulentibus; aliis apertè abnuentibus. Interea Comes Svenus Steinkeris, id temporis oppido, se continebat, festivumque apparatus memorie Nativitatis Salvatoris instruxit. *Exemplar Ms.* quod Kristianus inscribitur, hanc relationem variat, nam itineri ab Updalo ad Orkadalum hæc gesta inserit. Transacta in Updalo nocte, per Dalensem silvam in Medaldalum itum, convocatisque ad publicum conventum colonis, Regem se communi suffragio ut declararent, postulavit; leges universis, iuraque singulis, quæ Olafus Tryggvinnus tulit deditque, integra ut servarentur, curæ sibi futurum pollicitus. Verùm cum debiliores essent, quàm ut manus cum eo conferere possent, juramento fidem suam & obsequium ei obligarunt. Nihilominus præmiserunt in Orkadalum & Scaunem, qui cuncta Regis acta itinerumque seriem, eis proderent. Einar Thambaskelfir, qui in Scaune prædium ædificiaque habebat, cognito Olafi adventu, telo belli indice in vicinas provincias misso, omnes ad regni defensionem servos pariter ac liberos contra Olafum evocavit. Coi- vit ex Gaulardalo & Orkadalo haut contemnenda manus.

Interim Olafus in Orkadalum prociuctum movit, pacatæque per provinciam copias duxit. Cum ad Griota perventum esset, coloni haut minus

na septingenti ei, sed armati occurrebant. Influxit itaque aciem. pugnatos existimans. Ejus quoque exemplo rustici etiam suos ordinabant, segnibus tamen; nondum enim conveniebat, quo duce pugnarent. Id observans Rex, Thorerem Gudbrandium ad eos misit, qui nunciaret, non sibi in animo esse bello eos impetere; tantum postulare, ut duodecim præcipue dignitatis ad se mitterent. Quod cum sine tergiversatione impetrasset, eos in hunc modum allocutus fertur. *Vos quidem, cives, bene & prudenter fecistis; colloquii copia facta; cognoscetis enim quid me ad professionem in Thrandiam impulerit; audivistis, ut spero, singuli & universi superiore estate Comitum Hacconem & me invicem convenisse; eventum jam indicabo. Transtulit in me omne jus, quod in Thrandiam habuit, provincias nimirum Orkadalum, Gaulardalum, Eynensem & Strandensem; cujus rei testes præsentibus producant eos, qui pactis his juramento confirmatis interfuerunt. Hæc cum ita se habeant, aut me vestrum Regem agnoscite, justisque obsequiis colite, fructuri in posterum legum, quas tulit Olafus Tryggvinus, beneficio paceque perpetua, aut si rebellium nomen notamque prætulertis, armis mecum proinus decernite.* His dictis legati dimissi ad suos condiciones propositas retulerunt; quæ mox ad populum relatæ variis suffragiis ventilabantur: tandem ea prævaluerunt, quæ deditionem sivebant; in quam cum fides juramento data acceptaque esset, Rex deditas provincias perlustrare aggressus, comneatum iis imperabat.

Inde in maritima progressus, tres naves viginti loculorum in usum suum recepit; primam Gunnar de Gelmine, aliam Lodinus de Niggis, tertiam villa Angria in Nefia suppeditabant. Id prædium Comes Haccon quondam possederat, jam vero præfectus illi fuit villicus quidam, nomine Bardus Hvitius. Quatuor insuper lembunculis navium numerus auctus; quibus citato cursu Rex sinum ingressus est. Einar Thambaskelfir certior de itinere Regis Orkadaleniumque defectione factus, ad Gaulardalenses cum domesticis profectus, leviori navigio, remis idoneo, Nidarosiarrepto, vernas suos imposuit; qui interiora sinus legentes, die inclinante Steinkeras ad Comitum pervenerunt, indices ab Olafu instantis periculi. Erant Comiti Sveno longa navis, quæ ad portum oppidi adstabat, velata tentoriiis nauticis; eò universa suppellex domestica, vestes item nautarum & comneatus, quantum capere poterat, actutum delata, navis remis concitata tanta celeritate, ut sub diluculum ad Skarnfundas (aliis Karn-aliis Skor-fundas) pervenerunt. Intera Olafus Orkadalo, quinque navibus rusticorum collectis, intra sinum navigavit. Comes vero prope Mosarvikam ad terram appulit, ubi saltus ingens, cujus frondes ultra nemem expansæ, magnam ejus partem occuluerunt; lateri vero quod pelago obvertebatur, excisæ arbores præfixæ, speciem continuæ silvæ præbebant, dubia interim luce, tranquillo cælo prospectum adimente.

Eluso hoc modo Olafu, cum primum intercedens insula classem ditionem, Comes ad exteriora sinus progressus, ad Frostam propriam ditionem pervenit. Inde missis in Gaulardalum nunciis affinem suum Einarem arcessivit, eique singula, quæ intervenissent, exposuit, suumque consilium de copiis quam maximis colligendis, quibus Olafu extemplo occurreret. Id vero ei cum haut maturum videretur, monuit, per exploratores prius exquirendum quid destinaret, nec ullam suspicionem collecti militis præbandam, quo, specie tranquillitatis, comneatu ad magnificentiam ostentandam uberrimo Steinkeri relicto per festum securus frui, mox ex improvviso facilius invadi obruique possit. Quam primum delectum haberi cognoverit, actutum

fnum transmissurum, eque manibus elapsurum. Probato consilio Comes in Stioradalo ad rusticos, per vices imperato commeatu, divertebat. Verum Olafus, cum Steinkeras appulisset, omnem apparatus festo deputatum intercepit, & quam oacysimè navibus onerariis raptim comparatis imponi Nidarosiamque vehi curavit, ibi festum transacturus; namque Olafus Tryggvinus, ut supra relatum est, ibi urbem statui, Regiamque aulam exstrui curaverat, cum antea unica tantum villa esset. Jam vero ædificia senio & incuriã trita passim corruerunt, reliqua ruinam minabantur; nam postquam Comes Eiricus summoto Olafò rediit, Hladas, paternum domicilium, spretã Nidarosiã, incoluit, Olafus vero Sanctus honori & memoriã tanti Regis, agnati item & fuscceptoris & antecessoris sui, quem exemplum ad imitationem sibi proposuit, statim convulsas domos refaurari, novasve ædificari iussit.

Eodem tempore Sigvatus, pœetarum sui temporis celeberrimus, carmen in honorem Olafi artificiosè factum obtulit. Is in Islandia natus, patre Thordo, Sigvaldii pœeta dicto, quòd Sigvaldii Comitis militiam longo tempore secutus, deinde fratri ejus Thorkeli Procero meruisset; post ejus cædem mercibus exercendis operam dedit, donec Regi Olafò in expeditione occidentali innotuit, ejusque militiã se addixit, quem deinde in hunc usque diem, de quo scribimus, secutus est. Hunc Sigvatus filius in comitatu Regis versantem, ex Islandiã prædio Apavatne, in præfecturã Arnefensis paræcia Grimsnesia sito, ubi educatus erat, profectus inviserat, simul etiam carminis, quod in honorem Regis composuerat, exhibendi potestatem efflagitabat; quam cum non impetraret, quòd se verbis celebrari nolle Rex regeret, versu eodem momento artificiosè fuso peritiam suam adeo commendavit, ut armillam auream selibræ pondere statim reportaret, & collegio aulicorum purpuratorum inscriberetur, intimam denique favoris ejus & gratiã possessionem ad finem usque teneret; nam & statim pro popularibus suis, qui dimidium telonium (landæ auræ vocant) Sveno præcedente autumno pendebant (divisi enim inter illum & fratrem Eiricum filiumque ejus Haconem reditus omnes erant) cum residuam partem exigeret, fortè ut Haconi debitam, in cuius jura successit, idque versu eleganti, qui etiam integer extat; vir communi colloquio, linguæ impeditioris, omnia metris fluente vena exposuit. Ejus adventum plures ad id tempus, quo montem Dofrinum Rex accessit, referunt.

Interea Comes Svenus ejusque affinis Einar Thambaskelfir copias numero quadragintas supra duo millia in Gaulardalum per superiora ducentes Nidarosiam rectã pergunt. Quod ut eqvites excubias supra collem Gaularas agentes senserunt, Regi de media nocte indicãrunt. Qui subito exsurgens, suis excitatis, ad navès cum armis, vestibus, & singulis, quæ auferri in tanta trepidatione poterant, properat, secundoque flumine & remigum strenua opera usus, eodem, quo hostes supervenerant, momento evasit, sinuque trajecto in Orcadalum pervenit, ubi relictis navibus per superiora progressus montem excendit, quo superato ad Dalos (valles) delatus est. Interea Svenus, apparatus universò, festo Jolenfi destinato, directo, omnia urbis ædificia in favillas redegit, testante id oda, quam Klængus quidam Brusinus Comiti Sveno dedicavit. Olafus autem in austrum per Gudbrandzdalum profectus in Heidmarchia hyemavit.

CAP. XXVI.

DE BELLO AD NESIAS GESTO, COMITIS SVENI CLADE, MATURATA IN SVECIAM FUGA, EJUSDEMQUE MORTE ET ELOGIO.



Ppetente vere, magnas copias Regumque auxilia in Vikam Rex deduxit. In his multi fatrapæ, inter quos Ketill Kalfus de Hringanesia memorabilis erat. Is Episcopi Grimkeldis fororis filius, Episcoporum Jonis & Asgauti confobrinus *Codici Flat:* fuisse dicitur, quod nos quoque *in historia Olafi Tryggvini ad finem capituli L.* notavimus. Accessit è Raumarichiâ valida manus, visque magna è Hringarichiâ, duce vitrico excita. Coniunctim ad maritima provecti, classẽ per interiora Vikæ comparabant. Omnibusque apparatis Tunsbergam petunt. Nec seignis Svenus, cum primum festum Jolense effluxit, militem è Thrandia, classẽ, commeatumque comparavit; prolixis enim fatraparum studiis suffultus, facile quæ imperabat obtinuit; nam & illi numero plures, opibus & generis nobilitate clari, haut longâ serie Regibus vel Comitibus orti, imperantium præcipuum robur & præsidium semper habebantur: quippe qui fatrapiis præfecti cives imperio coercerant, vetustissimo more a Regulorum exordio ante conditam Monarchiam recepto, posterisque per perpetuum successione ordinem tradito. Inter quos in exercitu Comitibus affinis ejus Einar Thambakelsfir facile excellabat: multi quoque ex iis, qui eadem hyeme in obsequium Olafi jurârunt, tum præfecturam præsidis, tum etiam civium primarii, ad Comitem transibant. Thrandiâ egressi in austrum contendentis singulis provinciis militem exciebant. Rogiam ingredientibus Erlingus Skialgius, qui magnas copias pluresque fatrapas collegerat, accessit: qui junctis viribus in Vikam infusi, adultæ quadragesimâ, transito Grenmare, classẽ loco Nesiarum nomine deinceps celebri admoverunt. His cognitis Olafus feria septima, quæ festum Ramalium præcessit, cum parum ab invicem distarent, navales copias stativis eduxit. Ipse vectus nave prætoria, quæ Katlsþosut appellabatur, eo quod prora caput viri, quod ipse exsculperat, sibi impositum ostentaret, quod deinceps longo tempore Principum, quas ipsi direxerant, navibus applicari solebat. Die, quæ sequebatur, Dominicâ Olafus summo mane exurgens terram conscendit, signoque tubâ dato copias convocat. Ibi quæ fieri velit, edicit; Comitemque haut procul abesse monet; itaque ad certamen omnes paratos, inque signum a se datum intentos esse jubet, *ordinem suum quemque accuratè servare, ne ullus classẽ portu solventem vel præcedat, vel tardius insequatur; cum incertum sit, an Comes eos, in ea, quâ excubat, statione expectet, an obviam eis tendat. Ideo in omnem eventum necessarium singulas naves junctim procedere, quo se invicem committere queant, ne separatæ invadantur; primum hostium impetum magis sustinendum, quam effusis viribus retorquendum; armorum jaculorumque curam, ne temerè in vanum ejecta maria tantum vel aerem feriant, habendam, navibus verò rite commixtis, certamine fervente, ardore animorum, corporisque viribus strenue utendum, quemque hostes effuderint impetum, majore retundendum.* His dictis, sacra celebrata: inde ad naves reditum, milesq; & nautæ cito potuque

tuqve refecti. Centum pugnatores, delectus miles, Regiam navem tatabantur, singulos lorice annulares, cassidesqve Gallicæ, pallido crucis signo in fronte notatæ, plurimos albi clypei, alii aurea, alii rubra vel cyanea cruce tincti, protegebant, Ipsi Duci album signum, cui serpentis effigies intexta, prælatum, adqve tubæ signum clasius omnis portu decurrit, & in hostium stationem delecta omnes in procinctu deprehendit, magna alacritate in se moturos; qvi ut appropinqvatem hostium classem animadverterent, naves catenis revincientes, signa erigebant. Olafus celeri remigio suam navem in Comitem Svenum concitat, nec segnitus excipitur: durabatqve longo tempore, ancipiti eventu, pari animorum ardore conferta pugna, ab utraqve parte cruenta, vulnere cadumqve aspectu inspectantibus formidabilis, confligentibus periculosa, pluribus etiam exitiosa, iis certè misera, qvi truncatis membris infirma corpora domum retulerunt. Numerò Svenus, genere militum armaturaqve Olafus prævaluit, quæ immunes à vulneribus prætorianos omnes præstitit. Hinc cædes in Comitum propugnatores versa, confertam phalangem, milite circum latera rarefcente, laxavit. Inde in proximam a Comite navem signum Olafi, ipso subsequente, prolatum, tanto impetentium ardore, ut licet Comitum milites acerrimè se opponerent, sustineri tamen nullo modo possent. Alii enim in ipso concursu occisi; alii, dum ferrum vitant, in undas devoluti, minax fatum nequaquam effugerunt. Inde in prætoriam Comitum impetus factus, parumqve aberat, quin invaderetur, ni Comes imminens periculum conspicatus, eos, qvi in prora rem gerebant, concitatore voce inclamasset, ut vincula navis præciderent; quibus concisis, cum solutam Olafi milites, ferrea manu injecta, nihilofcius detinerent, iussit ut manubrio truncato se extricarent; quo facto, Einar Thambaskelfir, qvi ad aliud Comitum navis latus excubavit, injectâ anchorâ celeri remigio eam secum longius a classe Olafi divulsam in sinum late traxit: dumqve Regiam navem præterlapsa fugam accelerat, Bessium Torfii poetæ filium, virum Islandum, eximia corporis specie, habitu & armis conspicuum, notum sibi prius, sed jam inter hostes agnatum, Olafus etiam tunc compellere dignatus; *Vale*, inquit, *Bessi*; qvi accepta salute salutans, *Tu quoque, Rex, vale*, respondit. Id quod ipse carmine, quod deinceps, cum in potestatem ejus venisset, vinculis constrictus in ipsius honorem fecit, unde tres versus adhuc residui Membris continentur, testatus est. Huic bello Sigvatus poetæ non solum interfuit, sed etiam eadem ætate illud carmine luculento celebravit, ubi accuratè singula continentur, inscriptiqve *Þessavísu*; id est, odam Nefensem; unde quædam adhuc supersunt.

Comitum fuga cæteris omnibus tantum terrorem incussit, ut omisso bellandi consilio singuli de salute cogitarent. Alii remis innixi Comitem in sinum tendentem sequebantur; alii in continentem effugare vellent; alii, damnato fugæ consilio, victoris se arbitrio tradiderunt. Ab impetu hostium liberatus Svenus, reliquiis classis, quæ sequebatur, collectis, consilia procerum requirit. Erlingo aqvilonares regni partes repeti placuit, inde militem facile posse reparari, bellumqve denuo restaurari ratus; neque enim hosti spatium permittendum ad vires Ducum absentia nutantibus civium animis confirmandas. Einar autem, satraparumqve plurimi, cladis magnitudinem reputantes, plures ad defectionem proniores, quam fortunam belli iterum adversus victorem periclitandam colligebant: consultius itaqve Comiti ad fœderum Sveciæ Regem Olafum Sveo-

Sveonem in præfens proficisci, indeqve classẽ militẽ apparatus colligere. His instructum civium plurimos, qui metu, non sponte, ad Olafum interea defecerint, facile, cum rediret, ad se reducturum: illudqve consilium prævaluit. Inde ab invicem discedentes, Comes Einare aliisque factis comitatus, transmissõ sinu Foldensi Sveciam petivit; Erlingus cum majore præfectorum numero, qui gentilitia hæredia deferere noluerunt, ad proprios penates relapsi: qui & per eandem æstatem magno militum numero se munivit. Ut autem in sinu Comes dispersam classẽ colligere visus est, Sigurdus Syr vsavit, ut Olafus iterum eos adoriretur: quò tantisper expectandum ratò, donec constaret, an & integram jungeret, an partem ejus dimitteret, in hunc modum respondit. *In potestate tua hujus rei arbitrium erit: præagit tamen animus, eò quòd tu ingenio es, tam imperioso, serò te grandes illos hædos fidos tibi reddituros, jam dudum affvetos adversus Principes contendere.* Verum ut classẽ dissipari observatum, amplius eos impetere Olafus neglexit, spretiq; consilii pœnas longo post tempore dedit. Exinde ad prædam distribuendam mortuosqve sepeliendos conversus, noctes aliquot ibi exegit. Munera magnifica vitrico Sigurdo aliisque Principibus sub discessum data; Ketilli quoqve Kalfo de Hringanesia navis viginti scalmorum, quam per fluvium Raumelsam in lacum Mios deduci curavit. Ut vero Olafus per exploratores, quos subernaverat, cognovit Svenum regno excessisse, occidentalia Vikæ usqve promontorium Lidandnesiam prætervectus, magno populi confluxu exceptus, ubiqve Rex pronuntiatur, Anno MXV. Inde certior, Erlingus Skialgum magnum militum numerum contraxisse, in aqvilonaribus Agdiæ partibus moras amputabat, ventiqve ad votum spirantis oportunitate usus, in Thrandiam magnis itineribus contendit, plurimum referre ratus, si populosissimas regni provincias, dum Comes procul abesset, sibi subiceret. Nec sefellit opinio; nam ut primum eò pervenit, absqve ulla tergiversatione omnium suffragiis Rex creatur, Nidarosiæqve per autumnum consedit; ubi omnia, quæ ad victum hybernũ requirebantur, instrui curavit, palatiumqve Regium, ædemqve sacram memoriæ S. Clementis dicatam, in eodem loco, quo auctoris, qui hæc scripsit, tempore sita erat, extrui, areamqve ædibus statuendis in solo urbis descriptam, mercatoribus & rusticis aliisque, quibus visum ædificare, distinxit & addixit, magnoqve satellitio stipatorumqve numero se munivit, quòd fidem interiorum Thrandorum, si fortè Comes rediret, suspectam haberet; nec id immeritò, cum ipsi tantum abessent, ut quicquam dissimularent, ut etiam Regia tributa pendere palam detrectarent.

Dum hæc in Norvegia geruntur, Comes Svenus in Svecia a Rege affine Olafò benignè exceptus, ultrò delatas conditiones in Svecia manendi, provinciarumqve ad sustentationem pro dignitate sua sufficientium copiam, vel, si mallet, amissam ditionem armis repetere, exercitum classẽqve, & quantum ad id requiratur, obtinet. Posterius probabatur; multis Norvegorum primariis civibus, agris patrimonialibus alodiisque pulsis, qui fortunam ejus secuti sunt, svadentibus. In id postquam omnium suffragiis consensus est, placuit terrestri itinere per Helsingiam & Jamtiam Thrandiam proxima hyeme peti, interiorum Thrandorum fiducia, quos in se optimè animatos, opibus & auxiliis, quam primum ad eos rediret, subventuros nemo dubitabat. Ad opes autem majores tantique belli subsidia comparanda, visum est eadem ætate expeditionem in orientem præmittere. Russia ad id delecta. Ibi Comes per æstatem spo-

liis congerendis intentus, sub autumnum cum copiis in Sveciam reditus, lethali morbo correptus in itinere debitum naturæ solvit; anno memorato MXV.

Exinde Norvegi, qvi ejus auspicia ductumque secuti sunt, pars in Sveciam, pars in Helsingiam, indeque in Jamtiam, transque montem Kiolum in Thrandiam deflectebant, certum gestorum mortisque Comitum nuncium afferentes. Einar autem Thambaskelfir cum suis copiis, multisque aliis Sveni comitibus, ad Sveciæ Regem per hyemem liberaliter habitus remanfit. Tantâ Olafi Norvegiæ Regis audaciâ majorem in modum offensus Olafus Sveciæ Rex, quod nimirum tributarias suas provincias invaserit, suumque vassallum Svenum regnô exegerit, non se continebat, quin gravissimam ei vindictam, cum primò occasio afflueret, interminaretur; nec tamen eò processurum in animum induxit, ut videlicet ditionem Comitum sibi assereret; id quod etiam multi ministrorum, vel potius assentatorum, affirmabant.

Comitem Svenum ab ipsâ pueritia ingenio mitem, in amicos & clientes propensum, exemplo est Sigmundus Brefterinus, ab illo jam puero navibus piraticis nautisque instructus. Animum intrepidum Geirftada-Alfi fabula commendat, haut ab indole ejus alienam personam ei impositura. Nullam totâ Norvegiâ provinciam proprietatis aut hæreditario jure tenuisse videtur; quas enim habuit, beneficio affinis sui Olafi Sveciæ Regis (cujus sororem duxerat) accepit; sed post egressum fratris Eirici in administrationem diffusissimi Comitum Haconis patrimonii adscitus videtur, totiusque Norvegiæ supremus rector. In absentia Eirici ab utroque Rege constitutum, satrapisque Regis Sveni intra Vikensè territorium, qvi Eirici imperio jurisdictionique exempti prius fuerunt, præfectum, ex iis quæ de Greterre Islando hic prolixius subjungemus, facile apparet, unde quoque ingenium ejus illustratur, justique tenax, sed simul etiam mite, moderatum & tractabile. Greterris adventus in Norvegiam incidit in annum, quò Comes Eiricus regno excedens in Angliam trajecit, cum paulò ante prædonum exilio proscriptis provocationibus civium tranquillitate publice cavisset.

CAP. XXVII.

DE GESTIS GRETTERIS SUB COMITE SVENO, ET PRIMO DE GENERE EJUS, NAVIGATIONE, NAUFRAGIO, TUMULOQUE KARI APERTO.



Excesserat regno Eiricus, cum exulare iussa infesta bonis prædonum turba in rabiem exacerbatam vindictam moliebatur. Eminebant autem inter cæteros duo famosissimi fratres, indole roboreque Berserki, Thorer nempe, cognomento Þombi quod *utrem* denotat, & Augmundus, Malus dictus, nati in Hallandia; qvi furore Berserkiano, quoties indignarentur, perciti, plurima damna intulerant, uxores filiasque incolarum ad stuprum poposcerant, reddere abnuentibus eripuerant, postque unam aut alteram Hebdomadam pollutas restituebant, inque spolia prædasque suas promiscuè incolarum debiliorum opes destinabant, quòd non

non esset, qui adversus immanes illorum vires singulari certamine contendere auderet. Hos Eiricus eodem, quo excefferat, anno ultra Norvegiæ limites proscrispsit. Inter cæteros proceres, qui in eo concilio fuerunt, vir quidam memoratur, nomine Thorfinnus; qui insulam Hamareyam, quæ propter Sunnmæras sita est, spatiosam quidem, habitationibusque frequentatam, sedeqve vicarii Regii nobilem, incoluit. Ejus pater fuit Karius Senex, ante receptum Christianum dogma mortuus, ethnicoque ritu colli sepulchrali mandatus, post fata autem infestus insulanis iis, qui filii dominio subjecti non erant, quos omnes metu sui adegit ad villas suas agrosque ei dividendos.

Contigit eodem anno, quo Comes Eiricus regno excessit, ut navis Islandorum, cui præfuit vir quidam, nomine Haslidius, naufragium prope hanc insulam faceret. Omnes cum mercibus Thorfinnus, quantum licuit, periculo exemit; qui nave tantum amissa, domo ejus recepti septiduum ejus liberalitate vixerunt, exinde in continentem delati. Inter cæteros fuit adolescens quidam Islandus quatuordecim annorum, nomine Grettir, nobili prosapia natus; pater illi Asmundus Hærulungus, avus Thorgrimus Hærukollus, ambo domini & incolæ villæ Biargis in pago Midfjordenfi, septentrionalis insulæ quadrantis sitæ. Thorgrimus Hærukollus alio cognomine Flöskubakus dictus est, fuitque filius Anundi Lignipedis, de quo *in vita Haraldii Pulchricomi* dictum est. Fuit nempe frater Gudbrigis, matris Gudbrandi Kulæ, cujus filia Asta, S. Olafi mater Mater Greterris Asdis dicta, filia Bardi, Jökulis nepris, Ingmundi curionis Vatzdalensis proneptis. Avia Greterris, Adsis mater, fuit Alfdis Ofeigi Greterris filia. Ofeigi autem Greterris pater fuit Einar Agulveris Infantium Vetuli filius, cujus genus sæpius expositum est, a Regibus quippe ortum. Ofeigi Greterris uxor, hujus Greterris proavia, fuit Asny Vestaris filia. Vestaris pater fuit Ketill Hængus, inter primos Islandorum incolas ab insula Hrafnista oriundus, genere valde clarus. Hunc adolescentem Thorfinnus apud se detinuit, ob patratam ea ipsa ætate in patria, dum ad publica summa proficisceretur, eadem, triennium exulare iustum. Hic juvenis summæ audaciæ, stupendiqve roboris, cum fortè vespere quodam apud minoris notæ rusticum nomine Audunum, in villa Budyem dicta, Thorfinni colonum, pro more versaretur, conspexit flammam in colle, ubi conditus erat Karius Thorfinni pater, sciscitatusque, quid subesset, ægrè elicuit, flammam esse sepulchralem. Cum autem didicisset, opes haut exiguas tumulo illatas, postredie paratum esse iussit colonum cum ligonibus ad aperiendum collem necessariis. Regenti; *iram domini hoc facto, si vel maximè periculum a manibus mortui habuit exiguum metuendum evaderet, incursum, absterri tamen a proposito noluit.* Paruit colonus; itaque sequenti die tumulo aperiendo in multam diem immorantur. Cum ad materiam perventum esset, eam subito confregit, inque tumulum, Auduno nequicquam dissvadente, descendit, eique catenam, quæ demitteretur, tenendam commisit. Ingressus tetras, ibi mephytes odresque graves & ingratos sentiebat, circumspiciensque, æquina primò ossa, mox hominem sellæ insidentem, animadvertit; auri autem argentique vim magnam, quam protinus abstulit. Sub pedibus verò mortui scabelli loco scrinium argento repletum cum deprehensum unà cum cætera gaza ad catenam deportasset, extrahendumque alligasset, egressum specus subterranei dominus arripuit: misso igitur thesauro vim operosum. Fit lucta ingens, magnâ ab utraqve parte contentione & impetu,

ut quoquo impeterentur, obvia quæque subverti visa sint: acrius tamen qui exanime corpus inflammavit genius instare creditus. Grettir cedendum paulisper ratus, defendendo tantum impetum sustinuit, donec impari se futurum succubiturumque, nisi superaret, metuens, denuo in illum omnibus viribus irruit. Ad cervum ossium equinorum deferuntur, ubi Grettir offenso pede in aliud genu procubuit, quod tandem gravi spectri casu adeoque terribili repensum est, ut subiecta humus contremiscere videretur, percussusque metu Audunus, catenam derelictam, tanquam effusam fugam domum cursu peteret, Grettirem occisum ratus. Verum Grettir nihil moratus, gladio, quem proavus ejus Jökull gestare solebat, caput corpori præcidit, clunibusque applicatum reliquit. Thesaurus autem catenam constrictos, cum magno labore ascendisset, omnes extraxit, lassus quidem & a recenti lucta fatigatus, mox rigescentibus membris horridus, sine mora deinde domum omnia defert, Thorfinnumque inter canandum adit; qui limis eum oculis intuitus, *quid rei esset, quærit, cur canam cubitumque statuto tempore petere recuset?* Grettir sepe per vespertas parvi momenti res moras injicere respondit, simulque thesaurus depromit. Inter omnes gladiolus latus (Sax vocant) eminebat, cujus possidendi desiderio flagrabat, eumque omnium novissimè exhibuit, nec pari bonitate alium vidisse sibi visus est. Quo viso Thorfinnus mitigatus (fuit enim totius gentis cimelium, nec a familia unquam alienatum) *unde tibi iste res? ait: ad pusillas res aggrediendas forsitan ne trepides, nulli enim destruendi tumuli animus unquam fuit; quod autem sciam, malè locari operas eas, quæ terra vel tumulis mortuorum condiuntur, penam non exigam, cum omnia ad me deveneris. Unde autem tibi gladiolus iste incomparabilis?* Tum Grettir metricè erat enim poëta longè felicissimus) quid egerit, exposuit, gladiolumque obliquè expetivit. Thorfinnus, laudato carmine, majori tamen merito opus esse respondit, cum a patre suo, quoad vixerit, ipse impetrare nequiverit. Grettir incertum adhuc, cui iste maximo usus futurus esset, respondit. Id quod ipsum animi quodam præscio divinasse eventus declaravit. Interim Thorfinnus, rebus aliis reservatis, gladium supra lectum suum appendit.

CAP. XXVIII.

DE BERSERKISA GRETTERE IN HAMARSEYA OCCISIS.



Propetente festo Jolensi Thorfinnus in continentem ad villam suam Stithfiord dictam profecturus festum ibi celebrare decreverat; magnum etiam amicorum numerum eò ad convivium invitaverat. Cum autem professionis tempus instaret, filia in morbum incidens, matrem etiam domi suam vicem sollicitam detinuit, Grettire cum colonis octo domi relicto. Reliquos triginta liberos homines comites assumpsit, conviviumque magna hilaritate, convivarumque mutua lætitiâ procescit.

Dies, qui festum præcescit, serenus erat, Grettiremque ad expandendum allexit, Cymbæ scaphæque ultro citroque intermeabant, advehentes, quos communis invitatio ad idem convivium sociabat. Et jam filia Thorfinni, nubilus virgo, sanitati in tantum restituta erat, ut matrem comitari facillè posset. Præcipite die Grettir magnum navigium; clypeis a prora

prora ad puppim usque ordine se invicem excipientibus, instratum, extrinsecus quantum ex aqua eminebat, nobili colore tinctum, celeri remigio insulam petens conspexit, quod remiges duodecim agitabant; qui protinus ad stationem Thorfinni delati, lembo ejus, a triginta viris in stationem deduci solito, momento inde in litus, indeque in mare propulso, ilico subductum in ejus locum substituerunt. Quos cum se ipsos invitatos animadvertit, non expectandos, sed praveniendos, existimans, ad litus progressus officiosè salutavit, quæsititque, quoniam essent, quare duceregerentur? Is autem respondit: *Thororem se, cognomine petitis fratremque suum Augmundum Malum dictum, bis athleticis præesse; nec dubitare se, quoniam nomina sua Thorfinno Insule domino cognita sint, sciscitabaturque, an domi esset? Ne vos, respondit Grettir, fortunati estis, modo estis quos autumo. Thorfinnus quidem domo abest cum domesticis omnibus iis, qui liberi sunt, ad convivium Jolense profectus, nec ante finitum festum rediturus; uxor autem & filia domi remanent: nec ego, si fortè lacesitus, ultionem meditarer, aliam occasionis oportunitatem optarem, hic enim omnium rerum copia affluit cibi potionisque, omniumque expetibilem magna abundantia. Tacuit Thorer, dum hæc exponeret, ne liberalitatem dicentis interpellaret: quo desinente, ad fratrem conversus; Siccine, ait, rem acu tetigi, id enim se ita habere, quemadmodum vir hic nobis refert, statuebam. Subit animum vindicta Thorfinno exigenda, qui operam in nobis proscribendis haur minimam contulit: hic enim vir candidè omnia enodat, nec opus est, ut ei quicquam extorqueamus. Grettir unum quemque verba in propria potestate habere respondit, nec suam operam intra ea constituram, quam impensius eis locare decreverit; se modo domum sequerentur. Illi humanitate istâ læti, domum accedunt: quos Grettir alacriter excipiens, apprehensa Thoreris manum in triclinium deduxit, multoque verborum honore invitat. Id cum domina audiret, quoniam essent isti hospites quæsitit, quos tam hospitaliter exciperet? Grettir ad ea respondit: *Thororem quidem Thömbem cum comitibus, omnes numero duodecim, adesse, festum Jolense illic celebraturos. Haut equidem, respondit illa, inter acceptos hospites numerandi pessimi prædones; sed nec tu melior, qui beneficium Thorfinni, cum te nefraugum è periculo liberavit, egerumque inter liberos homines censuit, liberaliterque sustentavit, tam malignè rependis. Grettir satius esse monuit, viduas vestes hospitibus abstrahere, quam se probris lacesere. Thorer autem hortatur dominam, bono ut animo esset: neque enim eam, vel earum ullam, defectum virorum jure accusaturas. Quo audito, magnus eas metus incensit. Tum Grettir vestes exteriores, & armorum quicquid eos gravaret, reposcebat; neque enim illas, quoad metus abesset, tractabiles futuras. Thorer garrulitate muliebri haudquaquam se moveri testatur, magnam certe ejus præceteris domesticis rationem se habiturum, & quidem tantam, ut arcanorum participem deposcat. Vestra erit ista cura, respondit Grettir; sed nec ego omnes homines pariter aestimo. Hac ambigua responsione ad præcipua armorum sibi tradenda eos allexit. Deinde ad potandum, quippe remigando fatigatos, inde ad cœnam invitat; potionemque fortissimam infert, quam fessis, multaque siti gravati, avidè hauriebant. Festivis narrationibus liberalibusque jocis permulsi, largioribus poculis se ingurgitabant, nec tamen domesticorum ullus eos accedebat. Thorer hospitalitatem Grettiris admiratus, ne in unum quidem ignotum se incidisse testatur, qui tanta cum benevolentia eos exceperit, mercedemque deposcere jubet. Ille nullam sibi destinasse; tantum decrevisse, modo ista amicitia, quæ inter eos jam coalitura**

coalitura videatur, porro firmaretur, illorum se collegio, quantumvis singulis inferiorem, addicere. Gratam societatis oblationem statim firmiore nexu ultro citroque stabilire gestebant. Ille haut præcipitandum monuit; observandum tritum illud, quod vinum alter homo sit (id est, mentem alienet, consiliaque immutet) Procedente vespere, appotos monuit ut cubitum irent. Consensit Thorer, simulque etiam noctes fæminarum poscebat. Tum Grettir egressus, clara voce inclamat, ut suum quæque lectum peteret, sic enim dominum Thorerem imperare. Exortum inde ingens fæminarum murmur, maledictaque & diræ in Gretterem, domusque omnis muliebri luctu iraque personuit. Eos igitur Grettir in separatas ædes, ubi vestes Thorfinni reservabantur, deducit, edito situ a cæteris intervallò haut exiguò discretas, magnas & ex materia firmiore structas, quas janua serâ pensili validissimâ foris clausit, superior contignatio magna trabibusque in frontispicio crassioribus coagmentata. Eò cum ingressi essent, derepente egressus seram obdidit. Illi januam casu recidisse rati, contemplandis pretiosioribus cimeliis, quæ illis Grettir ostenderat, immorabantur. Is interea celeri cursu domum tendit, ingressusque, ubi esset hera, quæsit. Illa vero præ metu nihil respondere ausa conticuit. *Tempus quidem, inquit, venandi instat, nec vanam spem pollicetur, modò arma præstantiora suppetant.* Tum primum respondit, *suppetere quidem, nec tamen scire, an ei usui futura.* Ille id presentis curæ non esse respondens, tantum ne hac vice se moraretur, monet; neque enim hac occasione omisâ meliorem expectandam. *Hæc, inquit, aculeata, grandis quidem illa, quam Karius Senex possedit, loricaque & gladiolus ille latior omnium acutissimus supra lectum Thorfinni pendent, singula quidem valida, si animus gestantem non desiciat.* Is galeam hastamque arripiens, gladium lateri alligavit, reliquosque, ut armati sequerentur, hortatus, quàm ocissime ad latrones properavit; qui jam longiore mora dolum suspectantes, ut præclusas fores animadvertent, fiducia virium in trabes irruunt, moxque furore impleti, frontispiciam effringunt. Eodem tempore Grettir adveniens, gladium ambabus manibus medio Thoreris pectori adactum, in tantum extra dorsum protrudit, ut Augmundi pectus, qui fratrem impellebat, exertus mucro unâ penetraret, amboque simul exanimis in subjectum solum conciderent. Exinde reliqui exsidentes saluti quisque suæ contulere adnixi, afferibus vitam propugnabant, quos Grettir haut sine magno periculo singulatim adortus, iterum duos occidit. Tum primum quatuor coloni advenientes, eos trepidantes faciliè in fugam vertebant; sed quoties iterum adversus eos se convertebant, toties eos ad parietem impulerunt. Isto quoque impetu gladiò Gretteris duo perierunt: reliqui fugâ ad navalia usque proVecti remis se defendentes valida verbera Gretteri infligebant, qui & ibi duos occidit. Tum coloni domum redeunt, virtutem suam multis celebrabant. Domina autem familias ad quærendum Gretterem eos amandavit, sed frustra. Quatuor reliqui elapsi in diversa tendebant. Propiores Grettir persecutus, in horreum quoddam cum compulisset, utrumque occidit. Et jam tenebræ frigusque cum decedente nive eum a reliquis duobus persequendis, festum quoque & multis verberibus, iisque magnis, malè multatum, abstraxerunt. Domum igitur, quam ad indicium viæ, multis accensis candelis, materfamilias conspicuam reddidit, reversus longè majori honore, quàm antea contumeliâ, excipitur; nam & liberatorem suum filiaque, famæque & pudicitia utriusque, totiusque familia propugnatorem conservatoremque appellabat. Ille verò *eundem se jam esse, qui fuerit*

fuerit eadem vesperâ, cum se execrata fuerit, respondit. Illa negavit scivisse tanta virtute fortitudineque præditum, qualem se jam probaverit. Itaque omnia, quæ ipsi honestè exhiberi possint, exinde pro arbitrio exigeret; Thorfinnum autem mercedem meriti tanti redditurum. Is actis gratis, quæ obtulerit, accepturum professus, securè eam dormire iussit. Ipse parùm potans noctem pervigilem duxit. Postridie congregati insulani reliquos duos quærebant, mortuosque ex vulneribus frigoreque sub saxo quodam invenerunt, inque litore sepelierunt. Exinde metu liberati securi vivebant. Uxor autem Thorfinni, Grettire impensius laudato, in supremo loco eum collocabat: atque ita festum univèrsùm majori lætitiâ domi, quam foris dominus, uxor familiæque reliquæ celebrârunt.

CAP. XXIX.

DE REDITU THORFINNI EJUSQUE
GRATO ANIMO, GRETTERIS ITINERE VOGAS
USQUE, ET INDE IN SALPTRIAM HALOGIÆ
PROVINCIAM.

Iniro festo Thorfinnus, convivis pro mōre donatis, domum repetit. Ut verò in litore lembum magnum, qui statione propellab iis, qui domi remanebant, nequivit, procul prospexit, remos nautas concitare iussit, suspicatus amicorum operâ eò minimè propulsum. Primus omnium litus extcendens, adque stationem progressus, navigium piratarum ibi agnovit. Tum verò fortunam incusans; *equividem, inquit, insulam totam cum univèrsis opibus in hoc impendissem, ut viri isti totâ Norvegiâ sceleratissimi, quos hic presentes ipsorum navis monstrat, huc tam alieno tempore non accessissent.* Dominam proprè marito obviam ad litus processuram Grettir de industria morabatur, quò major ex metu mæroreque lætitiâ, favor etiam in se gratiaque sequerentur. Tandem vero ut advenit, omnem gestorum ordinem ei exposuit, Grettierisque fidem, fiduciam, tum animi, tum etiam corporis, fortitudinem prudentiamque in exarmantibus prædonibus inebriandisque, successum denique consilium ratione plenum secutum, meritis laudibus extulit. *Experiendi sunt homines, respondit, & quidem diu, priusquam cognoscantur.* Domumque accedens Grettieri impensè actis gratiis, *precari, inquit, tibi videor ea, quæ amico nemo ut obtingat, optaret, nimirum necessitatem aliquam, quo tibi operam meam iterum locare probareque possim; neque enim aliter tantum beneficium rependi posse arbitror.* Jam vero apud me, *quoad libuerit, manebis, interque familiares omnes summo in honore eris.* Grettir id, etiam si prius patuisset, lubenter recepturum respondit. Cædes Berserkorum in extremum anni reparatâ salutis millesimi duodecimi incidit, hyemis reliquum apud Thorfinnum transactum. Proximo vere Vogas in Halogia ad nundinas publicas profecturum, subsidiis pecuniisque Thorfinnus instructurus, quantum velit, exposcere jubet. Ille pluris, quam in computationes opus esset, se indigere negans, supra necessitatem eum onerare noluit. Nec indiguise constat in gente tam dapsili, ubi omnibus & singulis cana, domus, prandia, cubiliaque gratis patebant, nec absque probro negari poterant.

Cujus moris reliquæ passim apud rusticos hodieque & hic in vicinia super sunt, qui harum impensarum gratia quicquam exigere, sæpe etiam oblata accipere verecundantur. His itaque instructum Thorfinnus ad navem deduxit; tum demum ei gladiolum illum insignem, quem tam avidè expetebat, donavit; quem Grettir deinde toto vitæ tempore gestabat. Vogas cum perventum esset (quò magnus populi confluxus quotannis fiebat) magna gratulatione a multis, qui eum famâ jam noverant, exceptus, etiam magni nominis viris, invitabatur. Impleverat enim totam Norvegiæ nominis sui famâ, celebritateque facinoris tanti, quo omnium sibi benevolentiam conciliavit, desiderioque complures sui videndi affectit. Is autem reditum ad Thorfinnum meditatus, lembo in Salpatriam Halogiæ provinciam pervenit. Lembi possessor fuit vir locuples & inter primarios tractus illius, nomine Thorkell, qui eum ad se Vogas devectum hospitaliter excepit. Inter domesticos præcipuus habebatur vir quidam, nomine Biörnus, cognatione Thorkelem attingens, vir genere quam moribus nobilior, arrogans & garrulus, sibi plus nimio tribuens, alios contemnens, suorum factorum immodicus æstimator, alienas laudes iniquè ferebat; cumque Gretteris famam arroderet, gesta que sæpius extenuaret, tacitam ejus iram conscivit. Accidit autem, ut primâ hyeme ursus, lustrò, ut credebatur, strepitu garrulitateque Biorni sociorumque excitatus, in pecora, homines, omniaque obvia, promiscuè grassaretur. Inde Thorkell, utpote vicinorum omnium ditissimus, maximum damnum sensit: itaque domesticos ad inqvirendum latibulum feræ evocabat. Inventum id in præcipitio rupis, quam subtus vel confragosum litus cinxit, vel profundum mare alluebat, nec aditus eò nisi per angustum tramitem, certo cum vitæ discrimine, patebat. Ibi per dies quietum ursus se continere solebat, per noctes autem animalia dilaniabat. Biörnus multa cum jaçantia se feræ congressurum, exploraturumque certaminis inter cognomines eventum (ursus enim propria lingua Biörn vocatur) sæpius minabatur. Ne autem verbis quam factis fortior videretur, singulis vesperis, aliis quiescentibus, domo egressus est. Contigit autem, dum ad cubile ursi quodam vespere progressus, juxta tramitem sub clypeo jacens in insidiis lateret, ut ursus solito tardius egrederetur, Biornumque interea arctior somnus opprimeret, donec is hominem odoratus etiam appeteret, pedeqve clypeum per præcipitia devolveret. Excitus hoc fragore Biörnus, auxilium à pedibus mutuat, effusâque fugâ agrè persequentem se, quem obsessum tenuerat, ursum elapsus est: nec latuit ceteros domesticos socios casus ille: itaque insequente die clypeum referentes, nec sine ludibrio, restituerunt.

CAP. XXX.

GRETTIR URSUM OCCIDIT, VOGASQUE REDIIIT.



Esto Jolensi ipse Thorkell cum octo, præter Gretterem & Biörnnum, comitibus ad lustrum feræ profectus est, difficili accessu per intercedentem angustam semitam: nec cæsim, sed punctim tantum, oppugnandi facultas dabatur. Biornus magna adhortatione socios incitavit; ipse verbis quam exemplo promptior, periculo nulli se objecit. Tandem penulam

lam Gretteris, quam ipse deposuerat, in cubile feræ projecit; quam cum in latebris urfi animadvertit; *cujusnam*, inquit, *vestrum*, *socii*, *istæ factiæ*? Biornus, *non alius*, respondit, *quàm ejus*, *qui, quæ fecit, audeat confiteri*. Grettir disimulata irâ rem nullius momenti testatur. Cum re infecta omnes domum reflecterent, ipse ruptam fortè corrigiam refecturus substitit, expectaturumq; interea Thorkelem cum comitatu inhiuit, Biornus penulam repetiturum cavillatus, novaqve gloria segnem illius diei operam, langvidumqve certamen repensurum, monet a domino, *ne illum irritaret, nec enim ei rem cum pari*. Ille solita ferociâ neutrum eorum modum verborum sibi prescripturum respondit. Quibus procedentibus, dum colliculus inter eos & Grettirem intercedens mutuum conspectum interciperet, solus ad lustrum urfi se recepit, gladium majorem strinxit, minorem sinistrae alligavit; ingressusq; tramitem incitatum feram in se provocavit, quæ magno impetu in eum irruens, pede eo, qui â rupe remotior erat, eum petebat; cuius inferiorem partem cum gladio amputasset, reliquum extensura, cum truncatus, cui nixura erat, brevior esset, quam usus postulabat, intra brachia ejus tota corporis mole se inferens morsum eum appetit. Id autem immensarum virium maximum experimentum dedisse perhibetur, cum ursum ita constrictum teneret, ut mordere nequiret. Tandem post acrem in angusto loco luctam ambo desuper corruunt, sed ursus pondere gravior succumbens in subjecta saxa, universa ossium compage, quæ terram spectabant, collisâ, decedit, Grettire, qui supra jacuit, incolumi. Subito igitur gladium pectori ejus adegit, mortuumq; reliquit. Ipse, haut sine præsentis Numinis auxilio, aliâs ineluctabili fato subtractus, exinde domum, assumptâ lacera veste, parteqve pedes urfi, quem gladio præciderat, rediit; ingressusqve cænaculum, ubi Thorkell cum domesticis mensæ asidebat, præcisam particulam imposuit mensæ. Quod ut patrum familias vidit, simulqve disruptam lacernam animadvertit, ad Biornum conversus. *Nunquam*, inquit, *cognate, tuum ferrum ita acuisi: me certe suafore illatam Gretteri contumeliam honoris exhibitione pensabis, teqve ei reconciliabis*. Id vero se in præsens omisurum. *iram gratiamve ejus in super habiturum* cum respondisset, Grettir metricè ejus vesaniam exhibilavit; prævidens autem imprudentiæ Biorni arrogantiaqve eventum Thorkell, satisfactionem Gretteri multamqve, quanta ob patratam cædem pendi soleat, obtulit, reconciliatosqve esse voluit. Verum Biornus *melius eum opes suas collocare posse regesit; permitteret modo utrumq; fortune arbitrio; suo damno, qui succumberet, succubiturum*; quam conditionem cum Grettir approbaret, Thorkell eum oravit, ne, quamdiu in sua domo essent, injurias in illum vindicaret, qui deinceps totam hyemem pacatè in domo Thorkelis transiegit. Vere autem proximo, qui annus erat decimus quartus a millesimo, (præcedentis namqve partem primam apud Thorfinnum, mediam Vogis, & in itinere extremam, & sequentis partem primam apud Thorkelem in Salpatria triverat) magna cum gratiâ a Thorkele dimissus, ejus iterum lembo Vogas revectus est, ibiqve nundinarum tempore morabatur: inde vectoriâ nave austrum versus tendens, præcipite autumno in portum Thrandiæ, Gortum dictum, cum mercatoribus pervenit.

CAP. XXXI.

DE CÆDIBUS BIORNI ET FRATRIS
EJUS HIARANDII A GRETTERE PER-
PETRATIS.

Eodem



Eodem tempore, quo Grettir e Salpatria dis-
 cescit, Biornus navi Thorkelis mercibusq; præfectus
 in Angliam navigavit, ibiq; totam ætatem perman-
 fit, comparavitq; Thorkeli, quæ in mandatis habuit,
 adultorq; autumnò inde recessit, delatusq; in eundem
 portum, ubi tunc Grettir detinebatur, quàm primum
 ab eo agnitus est; *qui bene habet, ait, quòd fortuna*
nos iterum commisit, hic enim quoniam potior sit. experiemur, recolemusque
priores simulates. Dudum se earum oblitum Biornus respondit; si tamen
quoquo modo eum leserit, jam se ad noxam ære pro arbitrio ejus redimendam
paratum. Grettir carmine significavit, quòd ampullatorum verborum ipsi
succubuerit, non ideo vindictam remisisse, sed in hospitium gratiam distulisse, ob-
jecti feræ pallii contumeliam in præsens exigendam. Biornus graviores se cul-
pas sæpius pecuniaria satisfactione composuisse, læsorumque sevitiæ litasse testa-
tus nihil profecit, Grettire proclamante: sine prævia culpâ se ab eo offen-
sum; sed nec hac offensuncula ferocium hominum temeritatem in se inescatu-
rum, quòd certè futurum prævideat, si hoc portu uterque incolumis recedat;
si certamen detrectet, turpem formidinem in causâ videri, nec eum in poste-
rum inter viros æstimandum. Probrosium fuit tali formulâ provocato non
 concredi. Itaque arreptis armis in terram ascendit, magnoq; impetu con-
 currunt; brevi tamen Biornus vulneratus, nec longè post occisus est. Mox
 qui eum secuti sunt, e portu solverunt, reducesq; domum Thorkeli, quæ
 gesta essent, exposuerunt. Is autem longius spe sua hunc eventum dila-
 tus fastus est. Hunc exitum fastus & arrogantiamenti viro peperit, qui
 nec quid sibi conduceret, nec consulehti momentiq; bona denique sua pro
 salute ipsius exponenti, obsequi novit, extremæ temeritatis homo, haut in-
 dignus, qui suo exitio alios erudiret. Verum nec vesania isthæc ipsius sup-
 plicio terminabatur. Nam cum Thorkell quocunq; sanguinis nexu eum at-
 tingens de cæde ejus certior factus est, non vi aut armis cum extraneo
 homine, unde victoria sine emolumento, certamen non item sine certo da-
 mno expectandum erat, sed juris viâ decernendum ratus, in Thrandiam
 Steinkeras ad Comitem Svenum profectus est. Grettir autem in Sunn-Mæ-
 ras ad Thorfinnum veterem amicum se contulit; qui tantum aberat, ut vi-
 cem ejus doleret, ut etiam gavisus esset, obtigisse sibi occasionem benefi-
 cium pristinum rependendi: itaq; apud se detinendum, quoad controversia
 ad finem perduceretur, statuit. Erat inter satellitis Comitum Hiarandius
 Biorni occisi frater. Is auxilium ab eo postulavit, ad jus suum persequen-
 dum, id quod ei etiam Comes promisit, misistq; ad Thorfinnum, qui eum
 & Grettirem ad causam coram se dicendam evocarent. Illi dicto audien-
 tes protectionem haut distulerunt. Jussus & Hiarandius, dum causam cog-
 nosceret, adesse. Verum ille abnuvit, *negans se fratrem in marsupio suo por-*
taturum; (qua formula significabat, pecuniariam satisfactionem pro cæde
fratris se haut recepturum) sed aut eadem cæde vindicaturum, aut finem fra-
tris suo profecturum. Cognitâ controversiâ multæ causæ, eaq; prægnantes,
 intervenisse visæ sunt, quibus Grettir ad cædem provocatus erat. Thor-
 finnus autem satisfactionem hæredibus mortui, quantum Comes decerne-
 ret, obtulit: multis etiam merita Grettiris commemorabat, quòd tractum
 illum septentrionalem a Berserkorum injuriis liberavit. Comes *verum il-*
lud esse respondit; maximam enim securitatem omnibus eorum nece partam,
nec esse indignum, à quo in gratiam Thorfinni pecuniaria multa accipitur.
 Verum

Verum cum Hiarandius nullas condiciones admitteret. re infectâ iudicium solvitur. Metuens igitur Thorfinnus insidias Hiarandii, cognatum suum Arnbiornum constituit, qui nunquam a latere Gretteris discederet, eumq; quocumq; pergeret, noctes diesq; comitaretur. Accidit fortè, cum quodam die per plateas simul exspatiarentur, foresq; quasdam præterirent, ut inde exortus armatus quidam ambabus manibus ei improvise, lenteq; gradienti, ictum intentaret: quem ut Arnbiornus viderat, magna vi Gretterem propulit, ut in genua procideret, nec tamen omnino ictum evitaret, quin in scapulas incidens, ad alam usq; extensus, magnum vulnus efficeret, securisq; ferientis altius plateæ immergeretur, quam ut subito extrahi possit: nam & Grettir eodem fere momento gladium strinxit, manumq; ferienti abscidit, Is autem erat Hiarandius, sex comitibus instructus; qui illic accurrens, Gretterem Arnbiornumq; impetebant: brevi tamen Hiarandio cum quinque suorum casu, sed Grettere Arnbiornumq; præter primum vulnus illæsis, unus tantæ cladis nuncius ad Comitem evasit; qui maiorem in modum iratus, postera die conventum indicit. Ubi cum Thorfinnus & Grettir comparuissent, Comes Gretterum harum cædium reum peregit, nec id difficile; habuit enim quod accusatori maximè optandum est, confidentem reum; sed moderamen inculpatæ tutelæ prætexentem, cum aliàs in vasorum manus evadere nequiverit. Pœnituit jam Comitem, eum tantisper feriatum fuisse, præ sagivitiq; vitam ejus longiorem multis exitalem futuram. Venerat tunc ad Comitem popularis & socius Gretteris, nomine Bersius, Skaldner Torfii, seu Torfii poëta, filius, vir eximius; qui unâ cum Thorfinno apud Comitem pro eo intercedebat, ut publicæ securitatis compos fieri posset. Egrè id Comes, precibus tamen eorum, dedit ad verum usq; tempus; pacisci tamen cum iis noluit, inconsulto fratre eorum Gunnare, qui civis Tunsbergæ habitabat, quò & Thorfinnum & Gretterem sequenti vere citabat, ibi namq; mansurus erat, dum maximus navium undiq; appellentium confluxus fieret. Ibi Grettir fratrem suum consanguinem convenit, e priore patris uxore Ranveige Thorsteini, satrapæ cujusdam in Vika filiâ, susceptum, nomine Thorsteinum, cognomento Dromundum, quòd tardior incesso videretur. Is fratrem ad se invitavit, monuitq; , ut caveret sibi a Gunnare, qui insidias ei ubiq; locorum strueret; nec erat vanum monitum, nullam enim occasionem intermisit, nullum temporis punctum, nullus denique locus Gretteri ab insidiis ejus tutus erat.

CAP. XXXII.

DE CÆDE GUNNARIS, GRETTERRIS PERICULO, LIBERATIONE, ET REDITU IN PATRIAM.



Venit die quodam, cum Grettir in taberna quodam potaret, (cupiebat enim Gunnarem quoquo modo vitare) ut effractis foribus Gunnar, cum armatis tribus comitatus irrumpens, Gretterem simul impeterent. Is igitur armis, quæ gestare solebat, supra caput appensis, subito arreptis, clypeo se primum protexit; deinde in invasores conversus, unum eorum gladio feriebat, quo exanimi statim concidente, reliqui terri pedem longius in pavementum retulerunt; ibi cum alter quoq; lethali vulnere ictus

prostratus jaceret, Gunnar exitum maturabat. Verum tertio mediis in foribus lapsò, nec tam subito se erigente, quàm indigebant, qui metu percussì intra domum periclitabantur, impeditus & ipse, dum egredi nititur, obliquo flexu clypeum, extensis retrò manibus, simul elaturus, a Grettete inter clypeum & januam ictu librato, carpo tenuis utraq; mutilatur, supinusq; in limine stratus, iterato ictu necatur. Interea is, qui in foribus jacuit elapsus, ilicò Comiti, quæ contigerant, narravit. Non alias infestior Comes unquam visus frequens concilium indicit; quo cognito Thorfinnus & Thorsteinus Dromundus cognatorum amicorumque magnam manum contraxerunt. Cumq; in forum ventum esset, vix erat cui Comes aures præbere vellet. Primus Thorfinnus Comitem accedens satisfactionem pro omnibus cædibus obtulit, quantam Comes ipse injungeret. Comes truci eum vultu intuitus, *puderetne pro eo intercedere, qui tres fratres interfecerit, omnes tantos viros, ut nemo pecuniâ eadem alterius redimi passus sit? cessaret modo, nec sibi persuaderet, se tam perniciose impunitate pessimo exemplo patriæ quietem labefacturum.* Besius deinde progressus generis Gretteteris nobilitatem commemorabat, nexum etiam initæ à se cum eo societatis, procerum preces, intercessionem, oblatam satisfactionem, ipsi quidem Comiti honorificam, utpote arbitrio suo commissam, quam citra ullius offensam statuere possit, ultro etiam omnium gratiam promeriturus. Comes, laudatâ ejus industriâ, quod amicum non dederat, bonique viri partibus hac in parte, ut aliàs solet, fungatur; non tamen legibus se istam vim facturum, ut reum mortis temerè absolvat, contestatus est. Tandem Thorsteino Dromundo compensationem quoq; offerente, Comes, *qua necessitate ductus opes suas pro illo expendere velit?* quæsit: cognitoque quod frater ejus esset, *rectè & ex ordine eum facere testatus, quod officii sui oblitus non sit, se vero cum nullam in hac causa compensationem admittere decreverit, penas justas cum tempore exacturum;* neque iis ultra respondere sustinens, causas alias cognoscere cepit. Illi autem vim ingruentem prævidentes, ad portas civitatis se armati cum haut exiguo armatorum numero recipientes, copias in ordines digesserunt. Thorfinnus & Thorsteinus manipulum alterum, alterum Grettir & Besius duxerunt. Quo cognito, Comes satellites suos armari jussit, eosque invadere. Ipse agminis ductor erectis signis in illos movit, edicens ut Gretteterem dederent, nec periculum ejus causamq; suam facerent. Illi eadem, quæ prius, offerentes, negabant tam parvi vitam Gretteteris constituram, cum omnium fors communis futura esset, nec unus alteri superesse decreverit. Plurium deinde interventu Comes se exorari passus est, multamque pro arbitrio suo statuit, Gretteteremque liberum dimisit, tantum ut cum prima quacunque oportunitate in patriam remearet, edixit. Deinde Grettir cum Thorfinno domum repetebat, patriamque eodem anno repetivit, amplius a Thorfinno munerebus, vestibus & ephippio magni pretii donatus, invitatusque ad hospitium, si quando rediret. Hac invicta constantiâ fideque & gratiâ compensatione Thorfinnus magnum nomen adeptus per totam Norvegiam celebris evasit.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ

LIBER SECUNDUS,

DE OLAFO HARALDI FILIO, CO-
GNOMENTO CRASSO, ET POST MOR-
TEM SANCTO, MONARCHARUM ORDINE
SEPTIMO, EJUS NOMINIS SECUNDO.

CAP. I.

DE REGNI OLAFI PRIMORDIIS, AULA
ET ÆDIFICIIS, REGISQVE SVECIÆ LEGATI SUP-
PLICIO, GRETTEREQVE GRAVEM CALU-
MNIAM SINE SUCCESSU DI-
LUTURO.



UT primùm certus mortis Comitis Sveni nun-
cius ad Thrandos pervenit, actutum plebs universa,
spe reditûs illius ad eum usque diem suspensâ, ad
novi Principis obsequium se convertit. Multi ex in-
teriore Thrandia ultrò ad eum profecti, juramen-
tum fidei ei præstiterunt; pars nunciis, certa argu-
menta afferentibus, obsequium pollicebantur. Ad
eos igitur eodem anno, qui erat MXV. profectus, publicis in curiis conven-
tibusq; solenni ritu sacramentoq; per singulas provincias omnium consen-
su voceq; totius Norvegiæ Rex pronuntiatur & declaratur. Inde Ni-
darosiam eodem autumnò rediens censum omnem Regium canonesq;ve
recepit, eoque in hybernorum usum deferri curavit. Mox ad ædificiorum
curam conversus Regium ibi palatium exstruxit. aulicumq; cænaculum
amplissimum, cui ad utrumq; brevius latus fores. In medio cænaculo

folium Regis erat; supra (sive a dextera) collocatus Grimkell Episcopus cum sacerdotibus; infra (sive a sinistra) consilarii, in loco autem oppo- sito sedebat Biornus Crassus, Stallarius, seu præfectus prætorio, inde ho- spites. Si illustres viri accederent, idoneus iis locus delectus est. Circa focum potare tunc moris erat. Domesticos officiis Regum more distinxit. Sexaginta aulicis purpuratis (Hjrdmenn) triginta emissariis (gestit) satel- litum constabat. Stipendia illis legesque certæ, mercenarii insuper tri- ginta (hustlar) operibus domesticis, & queis usus indigebat, conve- hendis, adhibiti. Præter hos magnus fervorum numerus. Inter ædifi- cia eminebat cubile, ubi satellites acqvieverunt, tricliniumque magnum, ubi aulici convenerunt, conciliationibus & consultationibus adhibitum.

Sequente hyeme, anni nimirum MXVI. viri numero viginti quatuor, ab Olafu Sveciæ Rege misti, ad tributa à rusticis exigenda, Veradalum devenerunt: quorum Principes fratres duo, Thorgautus Skardius & As- gautus Armannus; qui convocatis ad conventicula rusticis, censum tri- butaque Regi Sveciæ debita exigebant. Post aliquantulam consultatio- nem convenit, ut quæ postularentur, præstituros se permetterent, si eam- dem Rex Olafus non denuò postularet: neque enim se in duplum teneri. His responsis acceptis, nuntii foro excedentes, totam provinciam pera- grantes, in singulis curiis iis responsis promissisque, nullo interea ære depenso, eludebantur. Inde in Scaunem deveci iisdem responsis discede- bant. In Stioradalo ad indictum ab ipsis forum cum nemo compareret, nihil se profecturum conspicatus Thorgautus, domum redire derevit, As- gauto, nisi Olafu Crasso, cujus responsum plebs expetiverat, convento, lega- tionem haut ex officio administratam regerente. Paruit monitis Thorgau- tus, adq; urbem cum fratre profectus in hospitio quodam divertebant, Re- gemque inter prandium adeunt, Regis Sveciæ legatos se profitentes. Is ut postridie se accederent, mandavit. Quo tempore, postquam sacris in- tertuerat, eos in curiam arcesivit, mandataque Regis referre iussit; qui- bus unà cum civium interioris Thrandiæ responsis expositis, postulant ut Olafus suam de his sententiam declaret. Tum ille. *Haut equidem mi- rum videtur, inquit, harum provinciarum cives, quamdiu Comites indigene præsto erant, maluisse iis, utpote familia Regia ortis, quam peregrinis Regibus obsequi: Quin & ipsi Comites rectius Regibus, justis regni hæredibus, paruisent, quam iis impugnatis, folioq; deturbatis, peregrinorum Regum obsequio se man- cipassent. Quid autem juris Olafus Sveciæ Rex in hoc regnum pretendat, quod æ- quitate nitatur, omnino ignoro. Illud certe memoriâ non excidit, quantum ab eo e- jusq; propinquis damnum acceperimus. Asgautus ad hæc: Desinam, inquit, mirari tibi Crassi cognomentum obtigisse, cum tam superbis responsis tanti Principis le- gationem excipias, parum prospiciens, quam graviter illius indignatio te quan- doq; gravabit. Senserunt id jam illi, qui longe potentiores, quam tu mihi vide- ris, fuerunt. Quid si regni possessionem animo obliuisti, consules tibi, si illum adeas, obsequiumq; sacramento jures; nos enim hac viâ causam tuam precibus adjuvabimus, exorabimusque eum, ut usum regni tibi permittat. Ad hæc Rex moderatè respondit. Et ego quoque aliquid tibi, Asgautè, svadebo. Redi ad Regem tuum, referque, primo vere ad regni limites me accessurum, illos qui Sveciam Norvegiamque jam longo seculorum decursu disterrimant. Ibi, si li- bet, Rex vester poterit comparere, deque terminis regnorum amicè transfi- gere, ut cuique illius tranquillâ possessio permittatur, quam gentilitio jure as- serere potis est. His dictis legati diverforium, Rex prandium petit. Sed ite- rum*

rum ad aulam redeuntes aditu per janitores, Regio jussu, prohibentur, cum pronuntiâsset, se eos amplius alloqui nolle. Jamque iterum diffidebant, Thorgauto domuitionem, Aſgauto ulteriorem mandatorum Regiorum executionem urgentes. Diversis igitur itineribus, ille Strindam, Thrandiæ provinciam, hic duodecim cum comitibus Gaulardalum Orcadalunqve petit, inde Mæras profecturus ad mandata Regia exequenda. Quod ut Rex cognovit, continuo per emisarios eos comprehendi jussit. In Nefia ad Steinem Libri capti, in collem Gaularas ad supplicium rapti, patibulis in edito, qui omnium e sinu (ubi publicum navigantibus iter) prospectui patet, loco suffixi sunt. Fraternalis cædis suppliciiqve famam, anteqvam Thrandiâ excederet, Thorgautus perceptam, in Sveciam, quam sine mora continuo itinere petebat, ad Regem Olafum cum omni gestorum ordine detulit; quibus ille commotior, familiares sibi in Olafum Norvegum minas majore verborum asperitate adauxit.

Greterem Asinundi filium post trium fratrum cædes in patriam rediisse, sine præcedentis Libri memoravi: ubi cum annum transgessisset, cognovit per intermeantes naves Principum mutationem in Norvegia, Comitique Sveno bello proſtigato, regnoqve exacto, successisse Regem Olafum, cui nexu sanguinis junctus erat. Placuit itaque eum adire, & pro virili anniti, ut ejus ministeriis inferi posset; cum constaret, neminem selectionum à satellitio ejus repelli. Accinctus itineri Thorbiornum quendam Ferdalungum in ipso portu occidit, nec id sine causa, cum patrem ejus, virum probum & absentem, sigillâsset, ægotantem more canum in hypocausto suffocatum mercatoribus referens. Iis vero indignantibus, eumqve ob linguæ petulantiam objurgantibus, ultoremqve Greterem monstrantibus; cum se fusqve deqve ferre respondisset, evenit ut accedens ipse, vatemqve se professus nequaquam illo mortis genere eum periturum prædicaret, foris etiam nec ad senium perventurum. Mox post facta ultro citroqve mutua dicteria, Grettir vaticinia sua haut longo tempore hucusqve suspensâ testatus, jussit ut sibi caveret, neqve enim id postea tutius; vibratoqve gladio capite eum mutilavit. Mercatores Regio ministerio aptum pronunciantes, navi eum receperunt, portuqve solventes, affecta ætate oris Norvegicis australioribus navem appulerunt. Sed cognito, Regem id temporis in Thrandia hyemem exacturum, lembo quodam exceptus eò quoqve pergebat. Tum vero horrendis tempestatibus objecti magno in periculo fuerunt, quadamqve vespera, decidente nive geluqve prope obruti, ad ripam quandam adveſti, navem mercesqve ægrè conservârunt, cum in opposito sinus latere ardentem ignem conspiciunt; quo cum valde indigerent, inter se musitabant, an tantarum virium nullus esset, ut tranando torrem inde referre posset? illo verò tales olim extitisse asseverante, obnixè orant, ut cum gentis suæ robustissimum habeatur, illam sibi operam præstare ne gravaretur. Tergiversanti primum, deinde regerenti, verendum, ne malam inde gratiam esset relaturus, orabant, ne tantam inhumanitatem & ingrati animi notam is inureret. Tandem perpulerunt, ut exuta veste, pingvi lacerna amictus, vasculo dorso alligato, sinum transnataret. Ibi domum segregem hospitum exultantium lætitiâ personantem ingressus, torrem foco eripit. Ipsi vero statueram monstruosam, circumgelatâ penulâ vasculôqve immaniore, obstupescentes, gigantem rati, torribus, fustibus, & titionibus in eum conjecit, atqve ade omnibus, quæ furor & metus ministravit, eum inceſſebant.

bant. Ille verò brachiis eos repellere contentus, præceps in aqvas ruens, rigentibus sociis titonem retulit, magnam laudem gratiamque ob strenuè navatam operam consecutus.

Interea domus, diverforium nempe viatorum necessitati consecratum, multa stipula lignisque in materiam foci congestis, repletum conceptis ignibus, nec, uti existimabant, satis extinctis, eadem nocte cum univèrsis hospitibus, vino fortè, excusò terrore, nimis inebriatis, arsit. Postridie mercatores transmisso sinu exploraturi, quoniam usu ignis eos prohibuissent, ut incensa omnia deprehendunt, tanti sceleris Gretreren insimulant. Is autem præfagium haut vanum testatus, beneficia in fordidos homunciones malè collocari querebatur. Illi conceptæ opinionis tenaces, non repulsi contenti, tanta insuper infamiâ eum ubique, quâ procedebant, asperserunt, ut omnibus execrabilis, dirisque deprecationibus defixus, nullibi receptum inveniret. Cognitum deinde, viros, qui incendio perierunt, filios fuisse viri in Islandia primarii Thororis de Gardis, paræciæ Adaldali opulentissimi civis, Thorgeirem & Skeggium. Is mercator insignis, varias regiones intermeare solitus, Regis Olafi gratiam in Anglia consecutus, illos ad eum, jam sceptris Norvegicis potitum, ablegavit, qui jam medio in itinere sublati sunt. His majorem in modum perculsus Grettir, ut Regem assequeretur, noctes diesque contendebat, sperans tanti mali remedium consilio & clementiâ ejus se consecuturum. Tandem quoque accedens, condigno Majestate ejus honore eum compellat. Is conversis in eum oculis: *Tunc robustus ille Grettir, ait. Ille agnoscere se cognomen jam pridem inditum respondit; verum versum jam rerum suarum statum ejus clementiam auxiliumque implorare, quo infame crimen innoxio sibi impactum elui possit.* Rex virum quidem alacrem fortemque videri testatus; non tamen liquere an fortuna ad obstruenda difamantium ora satis ei præsidii sit allatura. Sibi a vero alienum videri, constitutum ei, viros nihil mali de se meritos, incendio perimere, jussitque rem ordine exponere. Quo factò candentis ferri purgationem poscebat; cujus copiam cum obtinuisset, jejuniisque ex more se ad illam præparasset, præstituroque die Episcopo aliisque sacri ordinis viris comitatus ad templum processisset, ingressusque ad interiora tenderet, repente exortus adolescens quidam, diris eum probris & maledictis proscidit, bipedum nequissimum & execrabile caput appellans, qui nefarias cædes perjurio quoque cumlaturus, Deum hominesque illudere paret, infamique digito exultans, iræ alioquin impotentem adeo in se provocavit, ut impacto colapho repente animo liqueret: alii mortuum concidisse tradunt. Nemini constabat, unde recens ille emerferit: malum genium ad subvertendum eum excitatum quidam suspicabantur; nec id sine causa, nam superiore anno congressus in Islandia cum genio, diris ab eo devotus est. Totus rei gesta contextus in vita ejus prolixè describitur. Ut verò ad Regem relatum est, eum, qui ad sacramentum purgationis admissus esset, jam in æde sacra confligere, & ipse templum ingressus, malamque viri fortunam admiratus, vix emendabilem pronunciavit, cum illo præsertim statû, in illum jam minas suas elusurum acrius sævire cæperit. Si quis alijs diris obnoxius, illum certe videri testatus, nec in tuum satellitium recipere sustinuit, svasitque ut suam patriam repeteret, ibi enim moriturum. Nec ille deinceps fortunatior, Viginti enim annorum exilio ibi multatus, per avia & inculta oberrans in lustris latibulisque montanis miseram vitam, animi corporisque viribus pariter invictus, transegit, tantasque res, dum ad necessaria vitæ quæ-

ren-

renda compulsus est, gessit, ut digna visa sint, quæ perpetuæ memoriæ consignarentur. Nam in iis, præter singularem fortitudinem, consilii vis ingens & solertia apparet, artisque poëticæ mira peritia, & fluentissima vena, Tandem beneficiis appetitus & prope feminex, sed animo integer, vita spoliatus, nec tamen omnino inultus occubuit, nullius criminis convictus, sed ne affinis quidem, calumniæ tantum viribus expugnatus. Tantillo enim temporis momento domum cum duodecim viris incendio solum delere potuisse, ratione caret. Historia ejus prolixè descripta integra adhuc inter Antiquitatis monumenta reservatur. Meminit ejus *Arngrimus Crymogææ Lib: 11. genealogia 17.*

CAP. II.

OLAFUS LEGES CIVILES ET CANONICAS CONDIT, DE STATU VICINARUM TERRARUM EXQVIRIT, IN AUSTRALIA PROPECTURUS IN SINGULIS CURIIS LEGES PROMULGAT, UBIQUE SINE CONTRADICTIONE REX DECLARATUR, ERLINGUM AD OBSEQUIUM REDUCIT.



Proximo vere Rex Thrandis expeditionem in australes orientalesque regni partes injungit. Mox toto regno sapientissimum quemque sine ullo divitiarum respectu ad se convocavit, legesque, quas Haco Adalsteini alumnus in Thrandia condidit, sibi exponi curavit, iisque ex illorum consilio, prout videbatur, vel demisit, vel addidit. Jus autem canonicum, quod *Kristinrett* / seu Ecclesiasticum jus, appellabat, ex sententia Grimkelis sacerdotumque composuit, summaque ope nixus est ad extirpandum ethnicisimam pravosque mores, Christianæ professioni noxios, eoque rem deduxit, ut cives in leges, quas tulit, consentirent, seque ad earum obsequium jurejurando obligarent. Nec illa sollicitudo regni limitibus terminabatur; majora de Christiana re mereri cupiens, anxie in vicinarum gentium mores & instituta, præsertim quæ religionem spectabant, inquirebat, Orcadensium nempe, Hiallandorum, Færeyensium, & Islandorum, variaque in singulis vitia & defectus observabat. In primis Sigvato poëta aliisque Islandis, quos in aula habuit, referentibus, cognovit in Islandia, non impunè solum, sed legum etiam permisso, equinam manducari, infantesque pro singulorum arbitrio exponi, pluraque alia in usu, Christianorum legibus vetita: quibus ut mederi possit, procerum gentis nomina, & qui inibi plurimum possent, edi sibi curavit. Legum tunc curam gerebat Skaptius Thoroddi filius. Ad eum igitur hoc eodem vere per intermeantes naves, aliasque, quibus in legibus reformandis major autoritas, articulos illos, quos Christianæ pietati adversantes legibus eorum eximi voluit, misit; amicam præterea salutationem omnibus civibus. Hialtium verò Skegginum, cujus operâ fides Christiana ea in gente, auspiciis secundum Deum Olafi Tryggvini, plantata est, ad se evocavit. His peractis in australes partes procinctum movit, in singulis præfecturis aliquantisper moratus. Ubi convocatis in curias judiciales civibus, leges, quæ Christianisimam munirent, publicè recensitæ, pravæ consuetudines abrogatæ, moresque idololatriam redolentes vetiti, qui

qui Comitum tempore irrepserunt; nam licet legum auctoritatem severe vindicarent, Christianorum tamen sacrorum nulla illis cura, religio cujusque arbitrio permiffa. Inde factum, ut passim circa maritima omnes quidem sacro lavacro abluti, plurimi tamen Christianarum constitutionum ignari essent, mediterranea autem, montana, & valles ethnici tantum incolebant; nam cum suo quisque arbitrio circa divina sentiret, id singulorum mentibus maxime inhærebat; quod in juventute didicerant. Tam periculosa licentiæ fræna ut injicerentur, gravis pæna universis & singulis novæ legis prævaricatoribus, absque ullo conditionis fortisque respectu, adjecta est; cujus metu ubique in obsequium Regis, tandem etiam absque contradictione, juratum. In Karmfundam cum ventum esset, intercessores, qui pacem inter Regem & Erlingum Skialgium conciliarent, ultrò citròque commeantes, ut Hvitingseya mutuo conventui deligeretur, obtinuerunt. Ubi cum Erlingus Regem difficiliorem, quam relatum erat, experiretur, vanâ se spe illectum animadvertit. Postulabat autem, si se fido amico & obsequente uti vellet, sibi singula feuda, jura, & immunitates, quas Olafus Tryggvinus, & deinde Comites Svenus & Hacon, concesserant, illibata permitti. Ad ea Rex his verbis respondit. *Feudum quidem, Erlinge, haut minore cum decore meo beneficio acceperis, quam Comitis Eirici liberalitate adeptus es, viri ob illatum irreparabile damnum pessimè de te meriti* (mihi non constat hæc de Eirico dici, cui nunquam reconciliatus est. Sveno malim applicari, quem prælio Svoldrensi interfuisse, licet inter Principes non numeretur, dubio caret.) *Satraparum tota Norvegiâ primatum tibi permittam: modum autem feudalium possessionum beneficiorumque pro meo arbitrio statuum: nec tamen ut præfecturarum præsidibus ansa præbeatur persuadendi sibi in hereditarias nostras provincias allodiale jus competere, me verò ingenti mercede ad operas eorum & ministeria redimenda obligari.* Non sustinuit Erlingus pro his obtinendis supplices ad Regem voces emittere; neque enim talem animadvertit, ut quæ semel proposuerat, facile rescinderet. Vidit quoque se hoc statu in potestatem ejus devenisse, eventumque incertum, nisi ejus arbitrio cuncta permitteret; nec omnino tutum, pacificationem, quamvis valde vellet, abnuere. Itaque respondit: *Illud tibi obsequium illas operas ministeriaque commodissima existimabis, quæ lubens exhibeo:* Atque his dictis excessit. Precibus autem propinquorum, qui imminens a Rege periculum, cui in præsens avertendo impar esset, ostenderunt, quos cum utilia svadere & pro tempore necessaria, perpendit, exoratus, conditionibus, quas Rex præscripsit, acceptis, in verba ejus juravit. Inde in speciem reconciliati discedebant.

CAP. III.

DE ACTIS IN VIKA, TRANSITU CIVIUM
AD REGEM, FORUMQUE SUFFRAGIIS, PROFECTIONE IN SVECIAM, BRYNIOLFO ULFALDO, NEFARIA EYLIFI
CÆDE, SARPSBURGI FUNDATIONE, ET LITE INTER
BIORNUM ET THORDUM ISLANDOS A REGE COMPOSITA.



Ex captum in Vikam iter persecutus, omnes Daniæ Regis præfectos metu trepidantes ilico in Dani- am avertit. Ipse per Vikam frequentes conventus cele- brans Regios census vestigialiq; recepit, adq; obsequi- um suum omnes & singulos reduxit. Bonâ ibi æstatis parte exactâ, Tunsbergâ sinu Foldensi transmissio, Svinasundam prætervectus, in Svedici juris provin- cias penetrabat; quas duo satrapæ gubernabant; parti aqvilonari Eylifus Gautskius, seu Gothus, Orientali Hrojus Skialgius, usque Gautelsam, præ- fuerunt, uterqve potentium familiarum præfidiis succincti. Hrojus ad utramque fluminis ripam familiis potens, villas in Hisingia nobiles possi- debat, vir opulentus. Et Ranarichiæ quidem (provincia hodie Bahusen- sis) cives accitu Regis ex insulis aut maritimis oris in curias & conventi- bula frequentes confluerunt; Biorno Stallario pro Rege ubiqve & sem- per verba faciente, assiduis monitis, ut communi civium Norvegorum exemplo, etiam & ipsi Olaso se submitterent, nec se a communi patria ab- scindendo, alieno corpori membrum nunquam pari ac genuino studio col- endum adjicerent. Inter provinciæ illius primarios fuit vir quidam, no- mine Bryniolfus, cognomento Ulfaldus (quod interpret Danicus pravè elephantem reddidit, cum camelum significet) Hic exurgens: *omnibus;* inquit, *cives, prisici illi limites, qui regna septentrionalia, Norvegiam, Sve- ciam & Daniam separant, notissimi sunt, Gautelsa nimirum a lacu Veneræ mare usque, ab aqvilone Marchiæ ad nemus Eidense; inde mons Kiolus in Fimmarchiam protensus. Notum & limites hos a diversis Regibus turbatos, Svecosque jamdiu Svinasundam usque imperium extendisse. Sunt nihilominus multi, qui malint Norvegiæ quàm Sveciæ, Regis imperio subesse, quod tamen palam profiteri non audent, metu Regis Sveciæ cuius provinciis ab ortu & au- stro velut obsidemur, presidio Norvegiæ Regis destituri, si, ut spes est, hinc ad aqvilonaria regni sui, ubi provinciæ magis populose, recederet: quo casu ad- versus Gothos nullæ nobis vires. Ipsi igitur quid nobis, maximè conducatur, pro- videndum. Nos quod attinet, illi omnes libenter nos addicemus.* Finitâ con- vitione, Bryniolfus per vesperam convivio Regis adhibitus multa secretò cum eo, ut & postridie, contulit. Exinde Rex iter per Vikam instituire cæpit; quod ut Eylifus sensit, exploratores ubiqve subornavit, qui, quæ gererentur, referrent. Ipse triginta curialibus comitatus in superioribus prope Marchas rusticos convocavit. Interea multi civium Regem adie- runt, alii certa in eum voluntatis suæ signa nunciis declarârunt. Plures inter eum & Eylifum ultrò citroqve commeantes, cum utroq; multum diuqve egerunt, ut de pacis consiliis in certo loco simul conferrent; Ey- lifo in primis questis, a Rege sibi vindictam metuendam, ni postulatis ejus subscriberent: itaqve auxilia illi sua & tutamen pollicebantur. Hac suo- rum necessitate, precibus promissisq; expugnatus Eylifus in conventum consensit. Quo cognito, Rex emissariorum suorum duces Thorerem Procerum, cum quinque aliis, qui lorice vestem, galeis pileis superin- duxerunt, ad Bryniolfum misit, inter ejus comites forum accessuros. Post- ridie coloni cum Eylifo frequentes convenerunt, Rex quoqve Bryniol- fo (in cujus comitatu emissarii erant) comitatus accedens, navem rupi in mare prominenti applicuit. Inde excedens rupi insidebat: supra in cam- po colonorum statio, Eylifi autem satellites eum velut testudini inclusum sepe- runt. Mox Biornus Stallarius orationem ad cives habuit; qua fini-

tâ Eylfus exurgens, dum suam quoque orditur, a Thorere Procero, gladium veste tectum educente, capite truncatur. Inde magnus colonorum tumultus; exortus, Gothis fugam quam citissime capeissentibus; ex quibus tamen quidam Thoreris gladio perempti sunt. Sedato tumultu Rex exurgens, omnes confidere iussit. Eo confessu variis delinimentis effectum, ut omnes Regi se dederent; illo vicissim promittente; non eos deserturum, aut inde discessurum, donec controversiæ cum Sveciæ Rege finem impo- fuerit. Atque ita borealis Ranarichæ provincia ad Regis obsequium re- diit.

Eadem æstate Rex ad australia Albim usque profectus insulas & ma- ritima sibi subiecit, Regiosque reditus inde reportavit. Ad ægylionaria Raumelsam usque affecta æstate conversus amnem subiit. Ingens ibi ca- taracta, Sarpur dicta, ad cuius latus, quod boream spectat, promontorium in amnem exporrigitur, per quod transversum aggerem ex cespite, saxo, materiâque excitavit, fossâque cinxit. Castrum inde emporiumque B. virgi- ni sacrum extrui fecit. Mox loca pluribus ædificiis assignata, architecti- que, qui ædificarent, conquisiti.

Hoc eodem anno inter duos Islandos, Thordum Kolbeini filium, & Biornum Hitdalenfium athletam, exortam litem lectus arbiter Rex Olafus æquo iudicio decidit: de cuius ordine exponam. Fuit Thordus vir per se satis celebris; quippe Comitis Eirici, Haconis Hladarum Comitis filii, postea Sancti Olafi satellites, filio tamen Arnore Comitum poeta celebrior, vir perigrinationibus assuetus, & mercator impiger. Biornus autem ath- leta strenuus, juvenis a propinquo suo Skulio Thorsteini filio, Comitis Ei- rici Haconis filii satellite; qui sæpius aliàs, tum præcipuè bello Svoldren- si, ei adversus Olafum Tryggvinum militavit, commendatus, propriâ quo- que virtute acceptus, rebus deinde strenuè gestis clarus. Hic ante dis- cessum è patria virginem eximiam sibi ea lege despondit, ut ni intra trien- nium vel ipse rediret, vel per nuntios de statu suo illam certiozem faceret, a contractu resilire patri ejus integrum esset. Interea Thordus, qui unâ cum illo in aula Comitis hybernabat, sibi a Biorno illius ad puellam nego- tii interpretationem deposcebat; cumque magno munere, annulo nimi- rum aureo, nuper a Comite Eirico donato, ad fidem conciliandam ei de- ferendo deligitur, qui & domum redit, & quæ jussus erat, exponit, vir- ginemque de immota sponsi fide confirmat, moramque spe longiorem per- egrinandi belloque se exercendi cupidine excusat; adjecto de suo, ut si ante reditum illum mori contigerit, se in illius locum ab eo commenda- tum. Cum autem præfinito anno Biornus non rediisset, fama que haut vana retulisset, eum ex vulnere saucium valde de vita periclitari, Tho- dus, subornatis, qui mortuum nunciarent, illam sibi nuptiis sociavit. Quo cognito, Biornus, averso a patria repetenda animo, in Angliam trajecit, Regis Knuti militiam per biennium sectatus. Inde in Daniam longa nave pluribus quoque muneribus a Rege donatus pervenit, societatem cum Au- duno Bokskikio, pirata celebri, & eo nomine tota Norvegia proscripto, cive Vikensii, sed Daniâ oriundo, piraticam inivit. Interea Thordus in Daniam navigat, acquisiturus hæreditatem avunculi sui Hroii Munifici Roskildæ civis, nuper defuncti. Sed primò in Norvegiam delatus, Re- gem Olafum, nuper ad sceptrum Norvegica profectum, adit, eumque car- mine celebrat, munere vicissim, annulo aureo, tunicâ byssina & gladio donatus. Parte deinde magnâ hæreditatis acceptâ, in reditu Brenneyas appulit, ubi Biornus piraticis navibus instructus, in eum improvisum in- cidit,

cidit, latebrisque inter sylvas abditum extrahit, nave veſturaque omni ſpoliat, muneraque a Rege accepta eripit, ipſum cum nauterum ſodalitio, veſtibus tantum permiſſis, cymbæ imponit, dimittitque, teſtatus prius, in gratiam Regis Olaſi, licet nunquam antea ſibi viſi, vitâ donari. Thordus deinde ad Regem rebus omnibus nudatus venit, deque vi & injuria ſibi mercatoribusque illatâ graviter queritur. Id quamvis Biornum non lateret, nec tamen ulla neceſſitas urgeret, ut ſe coram illo ſiſteret, nihilominus cupidine ejus viſendi, calumniamque vel præveniendi, vel retorquendi, ſtudio incenſus, audacter eum accedit, idque biduo poſtquam Thordus illum detulerat. Ingreſſusque aulam, ſalutato Rege, quoniam eſſet, profitetur. Quo viſo Rex a Thordo quærit, illene adverſarius ejus eſſet? Conſtitenti; *mira*, inquit, *viri audacia, qui bis perpetratis me non accedere veretur, juſſitque cum ſociis (erant autem duodecim) in carcerem conſiſci.* Biornus *id in poteſtate ejus eſſe: verum non immeritò adverſario ſuo id eveniſſe*, reſpondit. Thordo prædonibus in mercatores cupidinem pecuniarum cauſæ fatiſ regerente. Rex, ordinem rei Biorno exponere juſſo, ut ereptam vaſtricie ſponſam cognovit, jure irritatum pronunciat, ſibique arbitrium litis arrogat, ſponſamque Biorni, quam Thordus matrimonio ſibi junxerat, ei addixit, loco autem dotis & hæreditatis, quam illa poſt mortem patris ſui acceperat, æquivalens ex præda Biorno, byſſinam inſuper tunicam & annulum, quem ipſe Thordo dederat, Biorno quoque pro annulo, quem ſponſæ Thordo deferendum tradidit, permiſit, gladium tantum reſtituere juſſo, monuitque ut hanc compositionem ratam haberent. Poſtea, cum Biornus ſe ei inſinuâſſet, Thordumque in ejus gratiam vita donatum idoneis quoque teſtibus monſtrâſſet, acceptior fuit. Inter Sanctiatis Regis teſtimonia notatum eſt, quòd accepta à Rege ligula, quâ pes a calceis genu tenus, ut tunc moris erat, obvolvi ſolebat, unâ cum Biorni reliquiis ſepulchro condita (condiebantur autem integro veſtitu) poſtquam computruerunt, integra inventa, veſti ſacerdotali ſubligandæ in prædio paſtorali Gardis parœciæ Akranenſis etiam ſcriptoris tempore adhibita fuerit.

CAP. IV.

DE EYVINDO URARHORNE, SEU URICORNU
 CORNU CÆDIBUS THRANDI ALBI, GUDLAUGI
 GIRSKII, ET THORGAUTI SKARDII, VIN-
 DICE EYVINDO URICORNU.



Ex, per autumnum variis, quæ in hybernòs uſus requirerentur, undique Sarpſburgum adveſtis, ibi hyemem copioſo militum ſatellitumque comitatu exegit. Repletæ & militibus adſitæ provinciæ, vetitæque merces ad victum neceſſariæ, halices ſalque, Vikâ exportari, quibus plurimum indigebant. Jolenſe in primis convivium magna feſtivitate ſumptibusque celebratum, ad quod civium præcipui ex variis provinciis invitabantur. Adhibitus etiam Bryniolfus Camelus, Regi in paucis carus, donatus feſtivi doni titulo gladio, auro affabrè ornato, villaque eximia Vetalandia (Breitaland;) creatus inſuper ſatrapa, inque intimorum amicorum numerum receptus, dona Regia carmine protinus celebravit, cujus ultimum diſtichon extat. Admiſſus & Eyvindus, cognomento Urarhorn/ ſeu

eu Uricornu, vir celebris, generisqve nobilitate clarus, natus in orientali Agdarum præfecturâ, piraticas expeditiones nunc per occidentem, nunc orientem, nunc etiam austrialia, & in his Frisiam, nave viginti scalmorum, optimis classariis instructâ, quotannis facere solitus; jam vero in prælio Nefiano contra Comitem Svenum Olafu suppetias tulit, qui vicissim ei usum amicitia suæ pollicitus est; Eyvindo iterum auxilium suum, quodcumqve exigeret, promptum paratumqve addicente, ideoqve donis egregiè cultus. Eadem hyeme Thrandus Hvitiu è Thrandia in Jamtiam ad tributa Regis Olafi nomine exigenda profectus, cum singula congefisset, incidit in Sveciæ Regis milites, qui universis ereptis, eum cum undecim comitibus occiderunt, id quod Olafum malè habuit. Leges deinde Christianæ in Vikâ, perinde ut in aqvilone, promulgatæ faciliè receptæ sunt, quod Christianorum mores institutaqve notiora Vikensibus essent, quam aqvilonarium partium incolis. Illic enim mercatorum è Dania Saxoniaqve magna singulis anni temporibus frequentia; incolæ etiam merces in Angliam, Saxoniam, Flandriam, Daniamqve quotannis transportare, vel piraticam exercere soliti, in terris Christianorum frequenter hyemabant.

Proximo vere, anni sc: MXVII. Eyvindus Uricornu nunciis accitus, diu cum Rege secretò collocutus, sineq: morâ dimissus, portu exibat, adqve Ekreyias extra Hisingiam nave admotâ, sit certior de Hrojo Skialgio Ordoste, ubi nautica rei sustentandæ (leisdangr vocant) destinata tributa canonesqve prædiorum annuos collegerat, propediem redituro. In Augasundam itaqve illum observaturus desleclit, in q: transitu confligit, cumqve viginti militibus cædit; prædâ deinde potitus in orientem prædatum navigat, æstatemqve inibi terit. In Olandiam per autumnum delatus, cognovit Thorgautum Skardium nuper impari manu cum Gudleiko Girsquio dimicasse, eumqve vita spoliasse, multosqve sociorum nauticorum occidisse, interqve cæteram prædam cimelia, quæ Regi Olafu in Russia comparaverat, interceptis. Eum igitur magnis itineribus persecutus inter Scopulos Svedicos assequitur, magnâ pugnâ superat, & cum magna furorum parte occidit. Reliqui in gurgites ruentes, vel absorpti sunt, vel natando evaserunt. Præda omnis Gudleiko erepta, & in his Regia ornamenta intercepta, quæ eodem autumnu ad Regem retulit, magna ob tanta merita gratiâ auctus; pristina inde gratia novis promissis intentius instaurata. Atqve hic erat tertius imperii Olafi annus. Fuerat Gudleikus Girskius mercator celebris & locuples, natus in orientali Agdarum districtu, in varias terras merces transportare solitus, plerumqve tamen Gardarikiam, seu Russiam; unde Girsii cognomen reportavit. Cum eo Olafus hac æstate societatem iniiit, data pecuniâ, quantum visum, mandatoqve, ut sibi vestem holosericam (Bess vocant) solennibus destinaret, pellicium etiam pretiosissimas, mensæqve apparatus singularem compararet. His instructus eadem ætate orientem petit: dumqve in Gotlandia diutius moratur, quorundam nautarum garrulitate, quod societatem mercium cum Rege Norvegiæ contraxerit, proditur. Inde Holmgardum delatus, quæ iussus est, coemit. In reditu per autumnum Olandiæ navem applicat, ubi diutius adversis ventis detentus, ab insidiantibus sibi, qui hæc omnia expiscatus est, Thorgauto Skardio, piraticâ nave instructo, invaditur; numeroqve inferior, post memorabilem pugnam, cum magna nautarum parte opprimitur, cæteris omnibus vulneratis. Præda omnis ex æquo divisa, præter Regis Norvegiæ pretiosâ, quæ Sveciæ Regi Thorgautus destina-

vit, distans, impletura ea aliquantam redituum Regi suo debitorum partem. Verum quâ celeritate parta, eadem quoque, cum vitæ etiam iacturâ, vindice Uricornu, amissa sunt.

CAP. V.

REGIS OLAFI ET COMITIS ROGNVALDI AD GOTALBIAM CONVENTUS, INDUCIÆ, FÆDERA. BIORNUS STALLARIUS IN GOTHIAM PROFICISCITUR, HIALTIO ET SIGVATO COMITATUS.



Ac eadem ætate Rex expeditionem ad Gotalbiam usque direxit: ubi dum in multam ætatem moratur, inter eum & Comitem Gothiæ Rognvaldum Ulfi filium, Olafi Sveciæ Regis amittinum, eundemque sororis uxoris ejus filium, teste *Cod. Flat.* in Eymundi Hringi filii gestis (cujus uxor, Rognvaldi scilicet Ingibiorg Tryggvii filia, Olafi Trygvini soror) per nuncios de loco conventui idoneo actum est, ripaque Albis delecta, idque maxime uxore Comitissæ annitente, quæ Regi Olafso propinquitatis respectu impensè favit, nec minùs cognominem Sveciæ Regem, quòd fratrem suum Olafum regno (si non vitâ) orbâsset, odit & execrata est. Accessit, quòd sibi quoque jus in Norvegiam, ut fratris proxima hæres, vindicaret (quòd tamen ad eum usque diem, nec toto illo tempore, quo Norvegia indigenis Regibus paruit, in fæminis usu receptum unquam legimus) His irritata omnem lapidem ad res Norvegiæ Regis promovendas movit, maritumque ad amicitiam ejus amplectendam quovis modo concitavit. In eo conventu multa de incommodis, quæ ex mutua regnorum hostilitate emergerent, differebant. In primis de damnis, quæ Gauthis Vikensibusque, sublato commerciorum usu, eventura videbantur. Tandem inducias inter se in sequentem ætatem pacti, mutuis se subdiscessum muneribus fædereque amicitia in posterum devinxerunt. Inde Rex ad Septentrionales Vikæ provincias rediit, auctus hac expeditione orientali provinciâ, Gotalbiæ conterminâ, unde universos reditus Regios juraque recipiebat, incolis omnibus obsequium ultro deferentibus. Hinc Rex Sveciæ infestior edicto cavit, ne quis Olafum proprio nomine, nedum Regio titulo, appellaret, ejus loco Crassi viri titulo substituto; memoriam ejus, quoties injici contigit, asperitate verborum aspergere solitus, victi dejectique speciem adumbrari existimans, si intra aulae suæ parietes & honore nominis careret, & omnium contumeliis impunè pateret.

Interea Vikenses ingens metus ex imminente bello, bellumque secuturis calamitatibus, inceserat: quas nisi flexo Regis ad pacis studia animo, se nullo modo evitatos prævidebant; nec pacis viam ullam, nisi per legationem ad Regem Sveciæ, idque ambiguo eventu, legatis in primis periculoso. Verum non erat, qui hæc civium desideria ad Regem deferre auderet. Biornum itaque Stallarium sollicitabant, ut hanc provinciam in se reciperet. Is ingenii Regis apprimè gnarus, quòd gloriæ suæ decedere existimaret, quicquid honoris Sveciæ Regi deferretur, postulata abnuvit: sed diuturnis amicorum precibus exoratus, in publico foro Regem cum satellitibus civibusque super regni statu consultantem, his verbis affatus est

est. *Qvem tandem, inquit, Rex, finem impositurus es controversiis inter te & Sveciæ Regem. Civium quidem ab utraque parte sanguine, magna contentione disceptatis, eodemque, quo cepta sunt, hodieque ardore ferventibus, nec tamen certa conclusione de stabili & quieta regni possessione decisis. Duas jam æstates & unam hyemem in hac regni parte resides, relicti à tergo omnibus ad septentrionem provinciis. Tædet jam diuturna moræ eos, qui uxores, liberos, familias, domiciliaque ibi habent, omnes igitur satrapæ milites civisque postulant, ut aliquo exitu lites vestras componas. Præsentissimum videtur, cum induciæ inter te & vicinos nostros Vestro-Gothos eorumque Comitum constitutæ sint, ut legatos de pace ad ipsum Regem mittas, habiturum & ibi qui eam promoveant, cum & ii pariter ac nos eâ indigeant. Ad eâ Rex respondit. *Æquum est, Biorno, ut quod svasisti consilium tuo periculo exsequaris, bancque ipse legationem administres, ejus qualemcumque fructum; fortunamque participaturus. si bene cesserit, utilem, sin secus te arbitro provocatum memento; neque mandatum hoc ab officio tuo alienum, in publicis enim confessibus te oratore utimur. His dictis surrexit, sacrisque antemeridianis interfuit; dein de prænium itum. Proximus Biorno affidebat Hialtius Skegginus ex Islandia, a Rege, ut supra dictum, evocatus, loco sibi a Rege assignato. Inde ex convictu magna inter confessores amicitia. Hic ut Biornum solito tristitorem animadvertit, quærit, irâne an morbo ægrescat animus? quem legationem cum certissimo vitæ periculo sibi injunctam memorantem confirmaturus: *Aulicorum, inquit, status splendidus, bonore enim alios omnes antecedunt; qui tamen sæpius gravissimis periculis objectantur: utraque fors magno animo ferenda. Magnum certè in Regia fortunâ momentum; si legatio bene cesserit, gloriâ neutiquam carebit. Tum Biornus; quandoquidem periculum extenuas, an etiam ejus & itineris societatem recusabis? Rex enim mihi potestatem fecit deligendi è convictoribus, quos velim. Tum Hialtius. Ibo, inquit; dubito enim an in tuum locum æque acceptus confessor obtingat. Paucorum dierum interjectu Biornus cum delectis undecim comitibus, & in his Sigvato poetâ, Regem accedit; omnia parata, eqvos quoque instratos refert, tantum ut mandata exponat, consiliaque ad ea exsequenda, poscit. Referetis, inquit, Sveciæ Regi, me ad pacem inter nos regnaque nostra componendam pronum, vos ad eum ejus causa mississe, iis tamen finibus, qui Olaso Trygvino regnante in usu erant: sed cautionem ab utraque parte requiri, ne in posterum ab alterutra turbetur; cædium, quæ interveniunt, satisfactiones neutri exigendas, neque enim pecuniâ istius modi damnum à Svecis illatum expiabile. Exsurgens deinde eos domo deduxit, enseque affabrè ornato annuloque Biorno traditis; gladium hunc, inquit, hac eadem æstate a Comite Rognvaldo donatum tibi redono; annulum autem ei reddas; hic enim certa voluntatis meæ mandatorumque signa agnoscat; postulabis autem, ut opera & consiliis vobis adsit ad mandata mea perficienda; perfeceritis autem ex animi sententia, si Regem Sveciæ coram audiveritis, postulata vel abnuentem, vel approbantem. Dimisso Biorno Hialtius Regem salutaturus accedens. Vale, inquit, Rex: multum refert ut communicatione fortunæ Regiæ iter nostrum negotiaque fortunes. Tum Rex. Time Biornum, ait, combaberis? quo cognito; & id quidem auspiciatò, respondit; sæpius enim tibi prospera evenerunt. Pro certo scies, si quid mea fortuna potest, eam tibi, vobisque adeo omnibus, prosperrimam opto. Inter proficiscendum Sigvatus variis eos verbis exhilaravit; qui etiamnum membris continentur.***

CAP. VI.

COMITIS ROGNVALDI SUPER LEGATIONE UXORISQVE EJUS CONSULTATIO. HIALTHII INGENIOSUM COMMENTUM.



Omes Rognvaldus in civitate Skoris, hodie skara, residebat, quò delati Regii legati comitèr excipiuntur. Fuit enim Biornus, præterqvàm quòd legatus Regius, vir celebris, multisqve ex facie, pluribus famâ, notus: in omnibus enim confessibus publicis curisque exurgens, Regia negotia mandataqve publicè; commendabat. Hialthius quoqve in aulâ Olafi Tryggvini uxori Comitiss, tunc virginis, notus, osculo ab ea exceptus est: sed & intercedens nexus affinitatis ulterius eum commendabat, cujus seriem *in vita Olafi Tryggvini* alitèr qvàm *Chronica* eam hic exponunt (Sigurdum enim Eirici Biodaskallii patrem hoc loco omittunt, ut et alio loco: quem tamen alibi agnoscunt) retuli. Post aliquot dies legationem coram Comite uxoreqve exponunt, signaqve sibi tradita, fidei testes producuntur, cum Comes obstupenti similis, qværit, *quid tandem Biornus in Regem commiserit, cum ei necem machinetur. Tantum abesse ut ei integrum sit hæc mandata ad Sveciæ Regem deferre, ut neminem omnino putet bis coram eo expositis impunitum abiturum, multo enim difficiliorem, qvàm ut ea, qvæ displiceant, illo præsentè edici qveant. Nihil quidem, respondit Biornus, admisi, quo iram Regis in me consciverim; multa tamen incidunt ardua, ipsi pariter atqve ministris ejus periculosa, dubiisque eventis, ad qvæ pusillanimis quisqve meritò trepidaret; necessaria tamen, nec magnanimis viris recusanda aut subterfugienda: qvæ tamen in hunc usqve diem omnia feliciter explicata, animum nobis spemqve in optatos quoqve hujus legationis successus addunt & confirmant. Firmiter itaqve conclusi Regem Sveciæ adire, nec inde recedere priusquam singula Regis mei mandata ei coram exposuerim, nisi morte aut vinculis probibear; sive tu causam Regis promoveris, sive destitueris. Legati verba Ingibiorgis hac forma excepisse perhibetur: Quid mihi in animo sit, Comes, sine ambagibus aperiam, nimirum ut causam Regis Norvegiæ absqve morâ suscipias, omniqve conatu promoveas, nec prius desistas quam mandatis ejus Regi Sveciæ expositis, iræ ejus vindictæqve pariter securus; nam si vel maximè bonis omnibus exutus, feudo, ipso quoqve Comitatu excideris, illam tamen sortem periclitari malim, quam famam incurrere destituti Norvegiæ Regis præ metu Sveciæ Regis. Assuunt tibi omnia nobilissime familie auxilia, præsidiaqve, opes, intrepidus animus, ut nihil impediât, quo minus hic in Sveciâ ea liberrimè eloqui possis, qvæ justa sunt & omnibus accepta, vel maximè ipso Rege præsentè. Hæc in obscuro est quorsum tendas, ait Rognvaldus: & obtinebis forte, ut Regiis legatis auxilium meum in tantum promittam, ut qvæ mandata sunt, ipsi Regi, quantumvis invito, secure referre qveant: meis tamen consiliis omnia geri volo, occasionemqve tantis rebus idoneam expectari, dum ea, qvæ requiruntur, præstruam. Interea legatis hic manendum: neqve enim secundum præcipitantiam Biorni, animiqve ejus ardorem, nobis properandum.*

Grato animo orationem Comitiss promissaqve Biornus agnovit, feqve ejus consiliis obsecuratum pollicitus, longum tempus ad eum remansit. Interea Ingibiorg summo studio & benevolentiam eos excepit, cum qva

qua sæpius unâ cum Hialtio collocutus Biornus tædium longioris moræ interdum qvarebatur. Interea Hialtius tutiorem viam ad explorandum an Sveciæ Rex mitigari nullâ ratione possit, adinvenit, sibiqve illam curam deposcebat: *Sibi enim tutum ad eum accessum pollicebatur, quòd esset homo peregrinus, nec Norvegorum causis immixtus.* Novit quoqve esse in aulâ Regis civium suorum duos poetas magnâ in gratiâ, Gissurem & Ottarem, cognomento Nigros, sibi familiares; per eos posse expiscari, an legatio revera tam ardua esset, atqve perhiberetur, se idoneam accessûs sui causam facîle excogitaturum. His Biorno & Ingibiorgi expositis, & ipsi statim suffragabantur; mox ipsa eum viatico instruxit, duobis viris Gautis in famulitium datis, qui quæcunqve mandaret, alacriter & ex fide exsequerentur. Appensæ & viginti selibræ, impensis in viaticum destinatæ, filiaqve Regis Ingigerdis studium ad negotia Hialtii promovenda nunciis Ingibiorgis, notis indicis fidem confirmantibus, præparatum.

CAP. VII.

REX UPLANDAS PERLUSTRAT, EJUS IN
CHRISTIANORUM SACRORUM CONTEMPTORES
SEVERITAS, REGULORUM CONJURATIONEM SOPIT,
IPSOQVE PUNIT.



Oscit narrationis ordo, ut intercisâ rerum in legatione gestarum serie, res Norvegicæ, quæ interea contigerunt, hic inserantur; maxime quòd repente incidentes, legationi quoqve haut contemnendam materiæ partem præbuerint. Postquam Biornum Rex ablegasset, misit in Uplandas, qui comitum in usum hybernium, civibus indicent. Eas enim illâ hyeme lustrare decreverat, more Regum, qui tertio quovis anno provinciarum statum recognoscere, jura reddere, controversias dirimere consueverunt. Autumno Anni MXVII. Sarsburgo profectus Vingulmarchiam primò transivit, eo ordine observato, ut semper in superioribus diverfaretur, eòqve reliquarum partium incolas, præcipuè verò cultiorum provinciarum populosisimarumqve, convocaret. Ubiqve in religionis statum sollicitè inquisitum, cujus cultus severè ubiqve injunctus, abusus abrogatus: dati & per provincias locis maxime idoneis sparsi pastores gregis, quot opus erat, qui curam ejus gererent. Pæna sacra aversantibus exilium, vel manuum vel pedum mutilatio: aliis oculi eruti, alii capite plexi, alii patibulo suffixi. Nemo impunitus evasit, nullo ordinum opumve discrimine pænæ exactæ, nullus geometricæ proportionis respectus. Raumarichiam trecentis militibus ingressus, quanto ad mediterranea provectus est, eo minorem Christianæ fidei notitiam deprehendit; institit tamen eadem severitate in pænis, ni pareretur, exigendis perseverare. Inde ad Raumarichiam Regem assiduus punitorum, bonis multatorum, vel relegatorum, confluxus adeo eum terruit, ut quò se verteret, nesciret. Cum autem Hrærekus Heidmarchiæ Rex eorum esset sapientissimus, consilia ejus requirere statuit. Ad eum igitur profectus, quo in statu res suæ essent, exponit. Placuit Gudriodum Dalorum Regem, & Hadalandiæ Regem arcessere, Omnes in villa Heidmarchiæ Hringisakro, simul

ubi Hringus Rex Hræreki frater habitabat, convenerunt. Hi quinque simul inter se seorsum colloquebantur.

Primus Raumarichia Rex memorat clades suorum, bona publicata, idque nulla praevidi causâ, tantum ob emissas liberas voces a sententiâ eius dissentientes: proficisci non legibus praescripto comitatu, sed cum exercitu ad omnium oppressionem, multos a Raumarikiâ, metu ejus, solum vertisse, se quoque eandem vim veritum ad eos confugisse; se quidem huic injuria proximum, quae tamen brevi ad eos esset perventura. Communibus igitur consiliis in communi periculo ad avertendam tantam perniciem opus esse. Cum finem dictis imponeret, omnes Hræreki sententiam expectabant. Hanc quidem vanâ conjecturâ, inquit, vel potius metu, ductus, cum primum eum cervicibus nostris imposuimus, ea, quae jam eveniunt, praesagivi: nimirum durum & intracabilem nobis futurum, cum nullo metu coercitus, viribus totius regni succintus, rerum pro arbitrio suo potiretur. Unum igitur ex duobus hoc statu eligendum. Accedamus eum simul, arbitrioque ejus nos nostraque cuncta committamus, id quod ego longè tutissimum existimo; aut copias absque morâ prius quam longius provehatur, colligamus, neque enim cum trecentis aut quadringentis armatis nobis erit formidandus, tamen pauciores uno duce pluribus sub diversis rectoribus plerumque prevalere soleant: id tamen ut periclitemur, adversusque Olafi fortunam contendamus, hanc sciam. Singuli deinde suam quisque sententiam dicentes inter se dissidebant, aliis vires opponendas, aliis cedendum tradentibus: donec Gudriodus Dalorum Rex hoc modo orsus est. Quid in re tam conspicua ambigatis, non video, aut quo metu percussi arma deiretletis, quinque Reges adversus unum Olafum, cui nemo nostrum generis nobilitate inferior, qui nostris viribus Comitum Svenum regno exegit, iisdem totius Norvegiae possessionem sibi vindicavit tenetque, quae prius Svenus, nobis amittentibus, & tum quidem totius aquilonis viribus instructus, excidit; hic autem in praesens paucorum militum praesidio in nos insanda molitur, ut nihil dissimulem. Certe nobis exigua illa regna, quae optime possidemus, erepturus, damnunusque viri optime de se meritis illaturus tormentaque corporibus nostris admoturus. Quo igitur nos in vitam libertatem afferamus, vitam ei eripere non dubitabo; neque enim speranda illo viro ulla nobis in posterum libertas. Qui haec abnuerit, inter viros in posterum habendus non erit. Hac oratione omnes in suam sententiam cum traxisset, Hræreki inquit; Quandoquidem firmiter conclusum est, Olafum, cum primum Heidmarichiam ingreditur, ad certum diem aggredi, simul nobis dehinc noctes diesque, donec propositum processerit, manendum est; neque enim vestrae fidei tantum tribuam, ut hinc alium in Dalos, alium in Heidmarichiam distrabi patiar, periclitaturus deinde, an oportuno tempore simul comparetis. In id cum omnes consensissent, ea, quibus indigebant ad convivium diurnosque sumptus, in Hringisakrum transportari curabant, ibique simul convivebantur, speculatoribus in Raumarichiam missis, qui singula Regis Olafi acta & itinera militumque numerum observarent; qui cum multi essent, vices inter se dividebant. Interea Olafus in Raumarichia capto more eodem stipatorum numero perlustranda perseveravit, non tamen certo ubique, ut antea destinatum erat, tempore; nam alibi commeatus nimiae & praeter morem affluentis multitudinis deficiebat, negotiorum mole nihil remittente. Tali igitur casu rusticis supplementum imperatum. Alibi temporis mansionibus definitum demptum, quantum numerus satellitum ultra usitatum abundabat, moraque anputata. Hinc celerius, quam praesinitum, ad lacum processum, idque praeter Regum conjuratorum spem; qui dum ille iter accelerat, satrapas omnes & civium primarios ex singulis provin-

ciis ad se convocant, mandantque ut ad præstitutum diem cum provincialibus suis adint, consiliique rationem aperiant, & quanta id necessitas urgeat, ad avertendum imminens omnibus periculum. Militum trecenti singulis regnis imperati, dimissique satrapæ ad eos convocandos, adque definitum locum tempusque sistendos, id quod plurimi miro assensu probabant. Latuit tamen in hoc confessu, qui Olafi gratiam Regum futurumque civium favori prætulit. Is erat Ketill Kalfus de Hringanesia, qui eadam vespera ex hoc concilio domum rediens, postquam cænavit, assumptis quadraginta comitibus bene armatis, navem, quam Rex Olafus ei donaverat, in statione paratam conscendit, lacumque remigando postridie mane emensus, viginti ad navem relictis, reliquis comitibus ad Regem, quam citissimè poterat, contendit, inque prædio Eidi in superiore Raumarichia, cum à precibus matutinis rediret, assecutus, ea se afferre refert, quæ moram non paterentur, seorsimque ducto omne Regum consilium aperit. Rex igitur dicto celerius amandat, qui equos undique conquirant, alios ad lacum ad naviculas, quot possent, in adventum suum præparandas. Inde templum accedens sacra celebrari jusfit, quibus peractis a prandio ingenti celeritate ad lacum profectus, Ketillis nave cum comitibus, quot capere poterat, conscensa, reliquos in naviculas transferendos divisit. Adulto vespere, tranquillo stagno remigatum est: principio lucis, cum omnibus copiis, quæ quadringentis militibus constabant, Hringisakrum perventum, custodibus nihil de eorum adventu sentientibus, prius quam domo armatis undique cinctâ detectâ à Ketille, ubi Reges acqvieverunt, ædes, in claram usque lucem accurate circumfessæ, omnisque elabendi via præclusa est. Cumque nulla Regibus ad resistendum manus esset, capti omnes ad Regem producuntur; qui astutiam Hræreki ingeniique pervicaciam veritus, intutam cum eo pacificationem perspiceret, utroque eum oculo privavit, secumque, sed custodibus observatum, itinerum comitem duxit. Gudriodo Dalorum Regi lingua ex-cisa, Hringus reliquique duo regna ejurare, Norvegiæque exulare, datâ fide, se nunquam redituros, adaçti. Hringus & Dagus diu piraticâ vitam sustinebant, inde in Ostrogothia n delati, provincias clientelares naçti regabant, teste *Cod. Flateyensi* in gestis Eymundii. Satrapæ civiumque nobiliores crimine conjurationis contacti, alii in exilium acti, alii membris mutilati, alii in gratiam recepti. Singula Ottar Niger tribus verbis memorat, in avtographis obviis. Horum quinque Regum provincias Rex belli jure quæsitâ sibi deinde reservavit, obsidibus à satrapis & civium nobilioribus fidei pignoribus receptis. Dalis passim & Heidmarchiæ, ut convivia Regi debita pecuniâ redimerent, imperatum. Inde in Raumarikiam reditum, mox & Hadalandiam. Hac eadem hyeme vitricus ejus Sigurdus Syrdecesit, itaque ad matrem Astam profectus est, quæ sumptuosum convivium in adventum ejus apparavit: qui tunc solus Regio nomine in Norvegia usus est, quod à Pulchricomi tempore ante eum nemo obtinuit. Isto convivio mater filios suos, fratres ejus uterinos, ad illum, ut singulorum ingenia exploraret, deduxit; qui cum Haldanum & Guttormum singulis genibus imposuisset, vultu in irati speciem exasperato, utrumque minitabundus inspexit; qui ad aspectum horrentes, cum propius fletum essent, mater in eorum locum Haraldum tum triennem substituit, quem simili modo territurus, interrito vultu se insipientem animadvertit: capillos itaque vellere cepit, ille vicissimi in ejus barbam involare. Vindictæ cupidum futurum Rex pronunciauit. Postridie cum matre ad

stag-

stagnum quoddam exspatiatus, in pueros ludentes incidit. Ibi Haraldus segmenta lignea, agminatim aquæ supernatantia, quid denotarent, interrogatus, myoparones suos respondit. Rex fieri posse ait, ut quandoque illos nancisceretur. Convocatis deinde reliquis fratribus a Guttormo quærit, quo potissimum abundare cuperet? qui cum agros ferendis frugibus aptos posceret, numerum definire iussus, quot promontorium caperet, respondit. Decem villas ibi sitas perhibent. Haldano autem tantum vaccarum agmen sibi deposcente, quantum lacum universum confertim circumdaret, Haraldo verò tot milites, qui uno prandio omnes ejus vaccas depascere; Rex subridens Regem matrem educare prædixisse perhibetur: reliquos autem patris ingenio rei oeconomicæ studiosos futuros. *Codex Flateyensis* hic ab omnibus dissentiens undecim Uplandorum Reges ditionibus exutos tradit, quorum nomina non recenset (adducto in testimonium integro *Sigvati pœtæ* versu, adhuc superstiti) a *Styrmerre Polyhistor* in suo libro exposita tradit, cujus scripta publica autoritate approbata testatur. Eorum autem imperia Olafu Sveciæ Regi, ut supremo domino, subjecta fuisse, ex pacto Comitum Eirici, cum ejus auxilium contra Olafum Tryggvinum obtinuit, id quod ex regni divisione inter hos triumviros, tum etiam ex oratione Hræreki, superioris lib: cap: XXIV. descriptâ, abundè refellitur. Tradit etiam Sigurdo Syre vivo hæc contigisse; quem, cum uxoris relatu cognosceret, solum Olafum Regium titulum usurpare, respondisse: nihil se his moveri, certum eum sibi bene provisorum, nec sibi grave illi regno cedere, quo ejus auctus fiat, latiusque regnaret. Ego hæc post ejus obitum contigisse malo credere. Jam legationis seriem retexam.

CAP. VIII.

HIALTIVS IN SVECIAM AD REGEM PROFICISCITUR, EJUSQUE CONSILIA PER FILIAM EJUS EXPLORAT, COMITIQUE REFERT. COMES IN SVECIAM PROFECTUS, AD FILIAM REGIS DIVERSTIT, INDE AD SUPREMUM SVECIE JUDICEM THORGNYREM SE CONFERT.



Amque Hialtius omnibus necessariis instructus, urbe Scoris Comitum domicilio protectus, in Sveciam Upsalos usque pervenit, magnâque alacritate à pœtis, civibus suis, exceptus ad Regem deducitur; qui eum virum bonum, inter patriæ suæ primates honoratissimum referebant, & impensè commendabant. Rex in suum contubernium eum ejusque comites asciscere eos jussit. Ibi cum aliquantisper mansisset, aulicisque innouisset, omnium favore dignus videbatur. Erant autem pœtæ apud Regem gratiosi, quem sæpius accedebant, liberèque alloquebantur, plerumque ante solium ejus confidere soliti; & inter eos Hialtius, cui maximum honorem deferebant. Inde etiam in Regis notitiam pervenit: qui eum sæpe allocutus, super rebus Islandicis multa rogabat.

Die quodam Hialtius unâ cum pœtis Regem accedens officiosè salutavit, memorans, viam longam multisque periculis obstitam se emensum. priusquam vastissimi oceani minas Norvegiam usque eluctatus esset. Eo vero de-

latum ingentem gloriæ ejus decorisque famam percepisse; quâ acrius impulsus arduum quoque in Sveciam iter ad eam ex propinquo cognoscendam instituisse, cum indecorum videatur, aurium fide, cum oculorum possit, in tanti momenti re contentum domum repetere: accessisse consuetudinem legibus quoque firmatam, quâ Islandi, cum in Norvegiam navigant, certum vectigal pendere teneantur. Jam vero sibi constitisse, Norvegiam in ejus ditione esse: itaque ei, utpote justo Regi, inter alia reddituum genera etiam illud competere. Exegisse itaque univrsam a singulis navis sue vectoribus; egestumque marsupio argentum in sinum Gissuris Nigri effudit. Ad ea Rex respondit. Rari admodum sunt, qui his amicus istud obsequium nobis præstiterunt. Grato igitur animo studium tam enixè oblatum agnoscamus. Tu vero argentum dono a nobis accipies; adjunctamque ei nostram gratiam. Hialtius magno verborum honore munificentiam Regis benevolentiamque extollens, exinde summum gratiæ locum apud eum consecutus, sæpe cum eo sermones conferuit, visusque, ut erat, Regi vir sapiens, & eloquio promptus & sçavis. Deinde pœtis significat; missum se ab Ingibiorge Rogivaldi uxore ad filiam Regis Ingigerdem de re magni momenti; certaque asferre voluntatis ejus signa; quibus inspectis haut dubitandum; quin ejus votis annuat; petere itaque, ut accessum sibi ad eam conciliet. Id vero cum nullo negotio fieri posse respondissent, simul eam quodam die accedunt, inque triclinio multis convivis prædentem offendunt, quæ pœtas, quippe familiariter notos, comiter exceptit. Illam Hialtius venerabundus Ingibiorgis nomine salutans; prolatis indicibus missum se ab ea refert, petitque ut suo se favore dignari non gravetur. Illa paratâ ei sua studia auxiliaque pollicita, in multum diem eos detinuit, multaque ultro citroque sciscitata, se ut sæpius inviseret; mandavit; id quod ille, ut rebus suis perquam conducibile, minimè negligendum censuit. Ut vero idoneum gratiæ locum sibi præstruxit, omnem itineris mandatorumque seriem ei exponit, quæritque, quo animo pater ejus Rex spondit, cum tanta in Olafum Norvegum irâ exarserit, ut ne nomen ejus audire sustineret.

Fortè quodam die, cum Hialtius ante Regem hilari lætoque vultu valde potum confideret, nactus occasionem idoneam, eum his verbis affatus est. *Ingens quidem Majestatis tuæ gloria, auleque splendor, cateraque Regalis magnificentia, toties decantata, jam verò perspectissima, abundè convicit, te Regum septentrionalium longè potentissimum esse. Id vero dolendum, naturam nobis illius usum spectandique copiam invidisse. Distrabimur immenso oceanum interjectu, & cum in Norvegiam ventum est, quotquot vestram amicitiam colimus; hostilitate incolarum hospitalitate vestra prohibemur. Nemone igitur se ad reducendam pacem inter te et Olafum Crasum interponit? Equidem multa de hac inquietudine in Norvegia & Gaubia multos differentes audro, omnesque quasi uno ore pacem unice exoptantes. Quin & ipsum Regem Norvegiæ ex animo cupere, ut tibi possit reconcilari, vera relatione percepi. Fit id ideo, quod se viribus te longe inferior em agnoscit. Pacis fideique & perpetui fedoris pignus nuptias filie tuæ Ingigerdis expetiturus perhibetur: nec alio vinculo amicitia vestra fortius alligabitur. Graviorum & veracium hominum sermone ut vir consummatissimus celebratur. Tum Rex: cave dixeris, Hialti; nec tamen tibi hæc imputabo, cum quæ hic cavenda sunt, utpote peregrinus, ignores. Non licet Crasum illum in mea aula Regem appellare, nec tanti est, quantum multi eum faciunt. An tibi verè hic gener, me sacerdotis dignus videtur? Jam enim decimus Upsalensium Regum, qui suo quisque propinquo successerunt*

omnes autem Monarchæ Sveciæ, multarumque aliarum magnarum regionum Septentrionalium Regum supremi (hæc ferè verbotenus ex Manuscriptis verro. locum quippe observatione dignissimum, nec satis rectè a Rudbeckio. Atl. Tom. I. cap. 7. p. 209. sollicitatum) in Norvegia autem pauca rura, eaque sparsa. Regulis regnata, quos omnes sibi Haraldus Pulchriconus subiecit, maximus in illa regione Rex; eò prudens, quod Sveciam non appetebat. Tranquilla inde etiam cognationis respectu ei à Sveciæ Regibus Norvegiæ possessio permissa. Haconi quoque Adalsteini alumno, quoad Gothiam & Daniam oppugnabat: inde manipulis in se immisissis occisus est. Ejus exemplo Gumbildide, cum Daniæ Regi refractarii facti sint, etiam occisi, Norvegiaque Haraldò Gornio cecit, qui tamen Upsalorum Regibus minime comparandus, adactus quippe ad obsequium ab agnato meo Styrbjorno, patre meo tanto minore, ut cum se irvicem experirentur, perierit. Nec Olafus Tryggvinus Norvegiam impunè occupavit, seque Regem dixit: mox à me Svenoque Daniæ Rege sublatus. Cum igitur Norvegiam jure belli quesitam justà possessione complexus sim, quippe superato Rege, qui eam novissimè tenuit, cur illam Crasò illi permitterem? Mirum eum tam subito oblitum, quam egrè è lacu Logrensi (Melero) evasit, cum eum ibi inclusum obsedimus. Credo aliud ei tunc in animo, modo virus evaderet, quàm ut cum nobis Sveonibus in posterum contenderet. Proinde, Hialti, his ulterius coram me differendis abstine.

Hialtus, cum Regem à pacificatione omninò abhorrere animadverteret, aliò sermone convertit. Paulo post filiam Regis accessit, eiqve hæc singula enarravit, orans, ut si eum forte flectere posset, pertentaret. Illa frustra quidem id fieri respondit; in gratiam tamen ejus periclitaturam. Nacta deinde commodam occasionem, patris animò à curis vacuo exhilaratoque quærit, quid tandem de controversia cum Olafò Crasò conclusit? cuius incommoda multi apud se jam querantur, vel rerum suarum vel consanguineorum jacturà nimia sensitse: nec meliora speranda. præcluso omni in Norvegiam ad rerum necessariorum acquisitionem aditu, usu commerciorum hoc statu penitus sublato: minus itaque consideratè sterilis illius & exsucca terræ possessionem quesitam, que aditu transituque in via & ardua, incolas quoque infidos nutriat, qui quælibet alium, quàm illum, Regem malint. Meis igitur, ait, consiliis si auscultaveris, pacem cum Olafò faceres, patriæ suæ hereditario regimine permisso: bellum autem in orientem transferres, ad reducendas sub imperium terras, quas majores tui Sveciæ Reges possederunt, nosserque propter Styrbjornus nuper subegit. Ad hæc Rex jam iræ impotens; Itane, inquit, Ingigerdis, svades, ut, abdicato Norvegiæ regno, te Olafò Crasò eloquem? aliud animo sedet; nam hac hyeme in publicis Upsalorum comitiis, cum primum licet invadere annem, glaciemque vernus calor eliquaverit, omnes paratos esse jubebo ad expeditionem in Norvegiam suscipiendam; illam enim regionem unquam ferro flammaque vastabo, rependamque incolis suam in me perfidiam. Mox tantam animo iram concepit, ut vox deficeret. Illa vero discedens, Hialtio, qui illam honoris gratia opperiebatur, singula retulit, monuitque, ne unquam ejus rei mentionem faceret. Sæpius inter colloquendum multa de Olafò disseruit Hialtius, ejusque singulares virtutes condignis laudibus celebravit, animumque virginis earum admiratione imbuit. Semel autem bonam ejus veniam de iis, quæ sibi in animo essent, expromendis præfatus, ubi dicere, sed sine arbitris, jusus est: quid, quæso, responderes, ait, si Olafus conjugium tuum expeteret? Erubuit ad hanc quæstionem pudore suffusa virgo, paulisperque conticuit: deinde respondit; se ea de re non cogitasse; neque enim in mentem venisse, ejusmodi responsum a se exigi. Si tamen Olafus talis esset, qualem illum prædicaverit, nec ultra

*tra merita laudaverit, nescire se, quem sibi maritum potiorē deposceret. Ille justo magis nihil de eo commemorāse adseverabat. Hæc secretis colloquiis agitata, monuit, ne cuiquam aperiret, ne iis fortè ad patrem delatis, ille sibi ejus iram conscisceret; poetas tamen ad confirmandum virginis animum in hujus secreti societatem admittit; qui salubre consilium judicantes miro plausu probabant. Itaque Ottar, assuetus Principibus juvenis, ne concepti animo virginis igniculi nullo sufflante exstinguerentur, assiduo sermone alendos ratus, haut segnior virtutum Olafi gloriæque præco, omnia, quæ Hialtius in eo commendaverat, variis elogiis confirmabat, atque ita eorum colloquiis consiliisque in posterum interfuit. Tandem, cum Hialtius nullam ad pacificationem viam patere animadverteret, comites illos Gothos, sibi ab Ingiborge traditos, cum literis à filia Regis ad eam Comitumque remisit. Scripsit & ipse, sed obscurius, de iis, quæ cum filia Regis acta sunt, ejusque responsis; redieruntque nuntii ad Comitem sub festum Jolense, qui præter id, quod literis continebatur, retulerunt filiam Regis Ingigerdem sæpius cum patre de pace cum Olafō Norvegiæ Rege faciendâ egisse, quippe optimè in illum animatam; semper autem illius mentionem eum irritasse. Omnem igitur hoc statu compositionis spem abscissam. Hæc cum Rogvaldus Biorno exposuisset, nec ullatenus à proposito dimovisset, ut promissum, quod is impensius urgebat, absolveret, exacto festo Jolensi, sexaginta comitum satellitio, præter Biornum Stallarium ejusque comites, Anno MXVIII. in Sveciam proficiscitur. Longius provectus Ingigerdi Regis filia per nuntios significavit, ut Ullarakri convenirent; quæ magno comitatu statim eò profecta est. Comitatus & Hialtius, qui discesurus Regem his verbis salutavit. *Omnium Regum felicissimus age, tuam enim Majestatem amplissimam, gloriam eorum, quos unquam conspiciatus sum, maximam excidere me patiaris.* Rex, quoniam profecturus? exquirat. Ullarakrum, respondit, *filiam tuam comitaturus.* Rex eum valere iussit, virumque sapientem, Principumque ministerio aptum, pronunciavit. Jamque Ingigerdis Ullarakri splendidum convivium Comiti excipiendo instruxit, ubi aliquot dies moratus est. Plurima de instrumentis ad pacem inter Reges conciliandam inveniendis acta, cujus à Rege Sveciæ obtinendæ nulla via se panderet. Tum Comes, *Olafi-ne conjugio sociari vellet, si id expeteret?* quærit; neque enim nisi ejus voluntate explorata, assensuque impetrato, illius se mentionem facturum. Illa patrem conditionem sibi quæsiurum respondit, *ab eo secundum illum esse, cujus consilii in magni momenti rebus se permitteret:* sententiamque ejus exquirat. Ille majorem in modum s'vadendo multas & ingentes Olafi virtutes, prudentiam successusque prosperos commemorabat. Mox ordine retulit, ut quinque Reges uno momento ceperit, omnium vitæ pepercerit, singulorum ditionibus regno suo unitis. Id enim illo tempore post legatorum discesum nuperrimè incidit, famâque celebrabatur. Virginis voluntate cognita Regique Olafō conciliatâ, Hialtio recepto discessit, ad nutritium suum Tiundalandiæ supremum iudicem profecturus; quod prius quàm exponam, quædam de Sveciæ, qui in gentilismo obtinuit, statu, authoris verbis præmittam; quædam etiam de Thorgnyris prosapia ejusque majoribus.*

CAP. IX.

DE STATU SVECIAE IN GENTILISMO ET RECENTE CHRISTIANISMO, UT ET DE PATRE THORGNYRIS.



IN Svecia durante gentilissimo vetusto more receptum erat, ut mense *Ge* (cujus initium in Calendario Juliano inter diem octavum Februarii & decimum quartum ejusdem mensis vertitur: habet enim initium, pro Calendarii illius ratione, mobile, quod in istum, octavum nimirum, cum primum, illum decimum quartum, cum novissimè; intermedios omnes, dum hunc circulum conficit, incidere solet) universale sacrificium Upsalis celebraretur. Sacrificandum tunc pro victoria & pace Regis. Cœundum illuc ex universo regno: peractum simul universale iudicium, nundinaeque & mercatus frequens per integram septimanam instituta. Sveonibus verò ad Christianismum conversis, nihilominus iudicium & mercatus servabantur; sed postquam ubivis in Sveonia obtinuit Christiana religio, & deserunt Reges Upsalis morari, nundinarum tempus mutatum fuit, & in Purificationis festum collatum, quod semper deinde servatum, sed (tempore quo auctor hujus scripti vixit) non ultra triduum. Ibi forense iudicium, illic universa regni communitas coiit. Sveonia antiquitus in partes plures divisâ fuit; Vestrogothiam, Vermalandiam, Markiam, & quæ huic adiacebant complexa: fuitque hæc hujus regni portio tanta, ut Episcopo, qui ei præfuit, MC paræciæ subessent. Altera Ostrogothiam comprehendebat, ubi alter episcopatus, cui Gotlandia & Olandia annexæ, priore multo ampliorem efficiebant. In Svecia proprie dicta pars una Sudrmannia dicitur, in qua unus Episcopatus; pars alia Vestmanniæ; seu Fiadrindalandiæ, appellatione venit, cui itidem episcopatus unus; tertia, quæ & totius Sveciæ triens, Tiundalandia, seu Decima, dicta est; quarta Attundalandia; seu Octava, & deinceps pars quinta Sialandia, cum adjacentibus maritimis adversus orientem. Omnes præstabat Tiundalandia, quippe habitationibus omnium tota Svecia frequentissima. Ibi Regia, ibi Archiepiscopalis sedes. Inde Upsalensis gaza nomen sortita, quo Sveci Regis sui possessiones fortè thesauros appellabant. Quælibet provincia proprios habuit conventus forenses, & magnam partem peculiare leges; his iudex provincialis præfuit, cui in cives magna autoritas, ejus namque edicta legis vim habuerunt; qui etiam, quoties Rex, Comes, aut Episcopus, provincias lustrarent, conventus que civiles celebrarent, eorum partes tuebatur (tribuni, ut videtur, plebis autoritate) illi enim omnes adhærebant, ut vix potentiores eorum universales conventus adire auri sint, sine civium iudicisque venia. Ubi autem cæterarum provinciarum iudicia inter se discrepabant, ab Upsalensium legum dictamine interpretatio petenda erat, reliqui enim iudices omnes autoritate ejus, qui in Tiundalandia jura dicebat, regebantur. Tantæ dignitatis statum, tempore, de quo nobis sermo est, Thorgnyr Thorgnyris filius, cujus majores sub multis, qui præceserunt, Regibus, eadem officia secuti sunt, tuebatur, jam senex, magno satellitum numero corpus suum, familiam, domumque vallare solitus, omnium tota Svecia prudentiæ opinione nominatissimus, propinquus Comitum Rognvaldi, ejusque nutritus; de cujus patre *codex Flat:*

Flat: sequentia tradit. Is Thorgnyr quoque dictus sui temporis sapientissimus sub Eirico Victorioso opibus & autoritate floruit, consiliis adeo providus, ut quicquid svaserit, feliciter proceserit; impeditissima quæque & emergentes difficultates optatisimo eventu expedire solitus. Hic, infuso in Sveciam formidabili exercitu, Styrbiorno, tunc grandævus & caligantibus oculis, svasit, ut emendatis in gratiam plebis legibus, civium jura autiora redderet, onera levaret, armorum modum genusque singulis ordinibus præscriberet. navigationem ad Upsalod, meritis in profundum molibus magnis, navibus imperviam redderet. Ubi vero ille exusta classe, copias omnes in campos Fyrenses eduxisset, Thorgnyr phalanges eorum boumque instrui curavit, quibus juga præfixis spiculis hastisque noxia imponebantur, quas prius quam pugna conereretur, servorum aut facinorosorum, mortemque promeritorum, ductu, immitti in hostem in modum falcatorum curruum mandavit, inde prima die haut leve damnum Styrbiorno illatum est. Et hæc de eo bello in ejus laudem memorantur. Tulit & aliud præconium, cum tres fratres, Helgium, Thorgilsem, & Thorerem, aulicorum apud eundem Regem gratiosissimos, sed dolis & injuriis vulgo invisos, sua prudentiâ subvertisset, oppressumque ab illis vi fraudeque peregrinum Danum liberâsset, bonisque eorum ditasset, ad ultimum in generum ascivisset. Narrationis, licet fabulosæ, contextum, qualis eam codex *Flat*: describit, sed paulo brevius, ad hujus libri finem exponam, non ut historiam, sed vetustatis commentum veris immistum.

CAP. X.

COMITIS CUM THORGNYRE CONGRESSUS, LEGATIO IN FORO UPSALENSI CORAM REGE EXPOSITA, IPSE AD CONSENSUM IN PACEM ET FILLÆ NUPTIAS CUM REGE OLAFO METU SEDITIO-
NIS ADACTUS EST.



D domum Thorgnyris quodam vespere sero Rognvaldus pervenit. Palatia ibi ampla & magna, famulorum greges in platea Comitum decenter excipientes, eqvos cum apparatu custodiendos susceperunt. Triclinium domesticorum, fortè & provincialium turba plenum, quod ingressus Comes, nutritium accedens salutabat. Sedebat ille supremo in loco, tanta proceritate, ut nec Biornus, nec focii ejus, parem ullum viderint, barbâ per universum pectus diffusâ, in sedentis gremio jacente, forma insigni, & quæ genium quendam Majestatis ostenderet. Is Comite affabiliter excepto, in loco suæ sedi opposito considerare jubet. Post aliquot dies Comes postulat, ut triclinium causis postulatissque audiendis adhibitum Biorno præsentem concedat; quo obtento exponit: *missos a Rege Norvegiæ legatos ad Regem Sveciæ de pace, eosdem vero ad se præmissos ad præstruendam iis, ad exponenda coram Rege, quæ in mandatis habeant, securitatem. Id vero eo libentius in se recepisse, quod id ad totius Vestrogothiæ salutem omnino requiratur, cum irreparabilibus damnis ob sublata cum Norvegiæ commercia afficiantur. Cum autem Sveciæ Rex adeo a mentione pacis abhorreat, ut nemini tutum sit ejus causa illum accedere, opus sibi nutritii consilii & auxilii ut rem*

tam

tam periculofam, in quam tamen fidem fuam obftrinxerit, tutò perficere poffit, & hanc effe fui ad eum adventus caulam. His expofitis, pofft exiguam moram Thorgnyr: *Mira res, inquit, titulos ampros honoresque expetiitis confilii imminente periculo inopes. Nonne cogitandum tibi, antequam hæc in te fufcepifti, deftitui te viribus ad obloquendum Svecia Regi. Mibi quidem haur & minus amplum videtur, in cenfum ruflicorum relatum, poffe tamen liberar voces emittere, etiam ipfo Rege præfente. Comitiam itaque Uppalenfiam adibo. teque fecurum præftabo, ut absque metu, præfente Rege, quæ volueris, effari poffis.* Comes ob magnificâ promiffâ gratias egit, manfitque ad illum, donec fimul ad statum diem eò proficifcerentur. Ingens ibi hominum frequentia, ipfe quoque Rex cum aulico fatellitio. Primo comitiorum die Rex Olafus fatellitibus undique ftipatus fellæ infidebat. Ei ex adverfo in una fede Comes Rognvaldus & Thorgnyr, aulicis Comitibus Thorgnyrisque domesticis circa affidentibus. Ponè ftabat & undique circa civium provincialium turba, alii collibus tumulisque confenfis, iis, quæ dicebantur, avidè aufcultabant. Primò, ut moris erat, ea, quæ ex ufu Regis, propofita, finitis Biornus Stallarius juxta fellam Comitibus affurgens, hæc clara vocerefert. *Rex, Olafus huc me ablegavit, ut fuo nomine pacem offerrem Svecia Regi, ea lege, ut fuum quisque regnum finibus antiquis quietâ poffeffione teneat.* Hæc clarâ voce, ut Rex facilè audiret, dixit. Exiftimabat enim primò audito Regis Olafi nomine res fuas agi: ut vero de regnorum divifione mentionem fieri intellexit, facilè perfpexit, unde tanta audacia. Exfiliens itaque Stentoriâ voce fatentium ei, qui hæc elocutus eft, imperat. Mox Rognvaldus exfurgens Olafi Crasfi legationem cum pofftulatâ de pace exponit: idem Vestrogothos, dura neceffitate adactos, rerum nimirum omnium, Norvegiâ acqvirendarum, penuria periculoque, fi eos Norvegi cum exercitu invadant, expetere refert. His adjeçit, Olafum Norvegiæ Regem legatis etiam in mandatis dediffè, ut nuptias filiæ ejus Ingigerdis poffcerent. Finiverat Comes, cum Rex exfurgens ilicò pacis mentione rejecta, acerbè in eum invectus eft, quòd fe inconfulto non pacem folum & inducias cum crasfo illo viro pepegiffet, fed etiam amicitiam junxiffet, eiçq; præditionis crimen impetit, dignum pronuncians, qui regno exigatur: omnia hæc confilii uxoris fuæ Ingibiorgis: vefanum tum, cum iuftius fæminæ nuptias ambiviffet. Longa hæc oratione accufatorio fpiritu cum diffe-ruiffet, in Olafum Crasfum iterum invectus eft: cumque confediffet, fatentium primò erat.

Thorgnyre deinde exfurgente, omnes civium provincialium ruflicorumque, quæ antea confedere, turmâ unâ surrexerunt, affluentibus undique, qui longius aberant, in ea, quæ afferret, valdè intentis. Inde ex tanto concurfu armorumque frequentia ingens ftrepitus; quò fedato in hæc verba locutus perhibetur. *Diverfum jam Regum noftrorum ingenium ab antecessorum Regum. Pater meus Thorgnyr meminit Eiricum Emundum Uppalorum Regem; quem, dum ætatis vigor aderat, qualibet ætate militem confcripiffè, diverfasque regiones oppugnâffe, fibique Finlandiam, Careliam, Eftboniam & Curlandiam paffimque orientem fubjeçiffè retulit; extantque ad huc castra aliaque ingentia victoriæ monumenta, quæ ibi exerit: nec propterea ullo faftu inflatus neceffitates hominum neglexit, aut eorum querelas audire contempfit. Idem meus pater longo tempore Biornum Regem fecutus eft, cujus mores ipfi erant notiffimi. Toto ejus tempore status regni haudquaquam debilis, fed omni abundantia floruit; neque is ideo amicis intractabilis. Memini ego Eiricum Regem Victoriofum, cujus multas expeditionibus in-*

terfui, qui Sveciæ regnum multis auxiis & strenuè defendit, nec is suorum consilia fastidit. Hic autem Rex, qui nunc imperat, neminem ad suum colloquium, nisi assentatores, admittit, eò strenuus: tributarias autem regiones incuria & defidia dilabi patitur, Norvegiæ regnum detinere cupit, quod nemo ante eum expetebat, ejusque causâ multos inquietat. Placet itaque nobis civibus, ut pacem cum Olaso Crasso Norvegiæ Rege facias, eique filiam tuam Ingigerdem conjugio socias. Provincias, quæ majores tui parensque in oriente tenuit, si bello repetere curas, omnes te sequi parati sumus; sin movitis nostris auscultare pigebit, occidemus te, nec pacem quietemque nostram turbantem legesque transgredientem ultra patiemur. Idem nostri majores antea fecerunt, cum quinque Reges in foro Mulano voragini immersos trucidarunt, qui fastu inflati cives suos, quemadmodum tu nos, contempserunt. Elige confestim alterutram conditionem. Ad orationem judicis univertus populus armis concrepantibus ingentem strepitum ciebat. Tum Rex surgens, acquieturum se profitetur iis, quæ civibus placuerant; idem omnes Sveciæ Reges fecisse, eorum arbitrio, quæ voluerint, permittendo. Quo dicto tumultus desidit. Inde Rege, Thorgnyre, & Comite, coeuntibus, pax cum Olaso Norvegiæ Rege, conditionibus, quas postulaverat, facta, Ingigerdisque filia Regis nuptiæ pactæ, potestasque omnis in Rogvaldum a patre ad eam desponsandam, pactaque nuptialia conficienda, translata. His peractis ab invicem discessum. Ingigerdis deinde de singulis a Comite, cum convenissent, edocta, misit Regi Olaso togam holosericam, multo auro intextam, elaboratam, ligulasque sericas. Inde Comes domum reversus, Biornum paulo post cum suo comitatu dimisit, qui hac legatione in tanto periculo tam feliciter defunctus, magnas à Rege gratias retulit, ipso felicitatem ejus admirante. Primo autem vere Rex ad maritima destitens, classem expediti, remigesque conscribi curat. Vikamque emensus Lindisnesiam pervenit. Tandem Hordiam ingressus, singularum provinciarum satrapas civiumque præcipuos opulentissimosque evocavit, inque comitatum delegit, quem maximo apparatu pompæque adornavit; quipæ ad sponsam ad Gothalbiam, regnorum limitem, excipiendam profecturus; ubi eodem autumno nuptiarum solennia celebrare decreverat. Circumductus & unâ, magis inter impedimenta, quàm pompæ ornamenta numerandus, fortunæ ludibrium Hrærekus Cæcus.

CAP. XI.

HRÆREKI SIMULATI MORES, SVE- NUM QVENDAM JUVENEM IN GÆDEM REGIS INCITAT, IS CONATU FRU- STRATUR.



um primùm sanatis vulneribus Hrærekus convaluit, in Regia sede Regi à latere collocatus, pari vestis ornatu, mensæ cibariorum polulentorumque apparatu cultus, atque ipse, dum Rex erat, uti consuevit. Dati & famuli duo. Ipse verbis parcus, responsis rigidus & brevis, solitudinis amans sæpius per famulum se longè ab aliorum conspectu duci jusserat. Tum remotis arbitris durius eum verberare, recedentem ad Regem accusare, quod sibi famulari nollet, solitus. Quo remoto, alius suffectus, unusque post alium: verum omnes pari modo habiti dimissique.

Tan-

Tandem quidam, nomine Svenus, famulus vetus, atque sanguine junctus, huic officio adhibitus; nec sic quidem secessus aut rigor mutatus: in fecesu autem diversus habitus, ibi mitis hilarisque sermones de prioro statu ferere, calamitatem præsentem queri, multa in Regem execrari, qui sereno depulset, omniumque ope indigum reddidisset, oculis denique privato usum lucis ademisset: hæc sibi tanta in eam ingestæ potestatis præmia, quam ad gloriam familie Regiæ suorumque consanguineorum statum amplificandum traditam ad singulorum perniciem vertisset. Id tamen se propria calamitate magis angere, quod neque ille, neque alii sui propinqui, viri satis alioquin strenui, in animum inducant, commune gentis suæ probrum ulcisci. Hæc sæpius repetenti regesit Svenus, potentiorum adversarium esse, quam ut iis, omnium auxiliis destitutis, pateat. Quorsum mihi, ait Hrærekus, longior vita, dedecore & calamitate plena, nisi ut cæcus illum superem, qui me dormientem superavit? age sodes, tu modo aggredere, ego consilium dabo; jam enim securus est. Certe nec manus abstinerem, si mihi earum esset usus: illo dempto, tu perficito, certis enim prælagis novi, illo occiso regnum ad hostes ejus perventurum, nec absurdum me fore Regem; quo obtento Comes eris. His aliisque eum in facinus perpulit, Regemque ad preces vespertinas accedentem intra vestibulum, sicâ sub veste tectâ, opperiebatur: prius autem, quam sperabat, advectum cernens, perspecta Regis facie, Juvenis nova formidine correptus ipsa vultus inconstantia, ut difficulter teguntur tanti sceleris meditata, se prodidit. Rex notato pavore signo; quid ita, ait, mibine insidiaris? qui projecta statim veste sicâque, pedibus ejus advolutus veniam supplex orabat, remque omnem ordine enarrabat. Rex compedibus injectis, paulisper cœercitum deinde incolumem dimisit, exulare tantum iussit. Mox locus Hræreko in alio scamno assignatus, lectusque à cubili Regis in aliud translatus. In Regis autem cubili multi satellitum purpuratorum dormiebant. Ex eorum ordine veteres duo Regis stipitatores, non usque adeo nobili genere, sed expertæ fidei viri, ad Hrærekum nocte dieque custodiendum constituti. Ipse sermonis silentiique vires, sed imparibus passibus, variabat. Multos sæpe dies silentium sine ulla voce tenuit; secuta effusa lætitia, sermonisque mira suavitas, & in singulis verbis lepor, quò auditores omnes exhilarabat. Interdum verbis multus simul & asper erat, quandoque poculorum certamen instituit, omnesque superabat, ebriosque, ne pes manusque officium facere possent, singulos sibi proximos reddebat, ipse penè sobrius; nam argenti satis Rex ei ad potandum sufficiebat, sæpius tamen parcè bibebat. Sæpe cubitum iturus vasâ multo plena inferri curavit, omnibusque, qui in eodem cubili dormiebant, propinabat, inde etiam acceptor. Fuit vir quidam, nomine Finnus, a statura parva Parvi cognomen adeptus (alii natione Finnum dicunt) admodum pusillus; pernicitate pedum adeo insignis, ut non esset equus, qui eum cursu assequi posset: xylosolearum arcusque juxta peritus, viarum diverticulorumque per universum Uplandarum agrum calientissimus, qui proceribus cunctisque dignationis alicujus viris innotuit, quo Hrærekus inter famulitiâ longo tempore usus iis negotiis adhibuit, quæ fidem requirebant: quo jam custodibus inter proficiscendum tradito, Finnus inter Regios famulos & servitia unâ profectus est, semper tamen per occasiones Hræreko famulatus, cumque eo sæpe, sed breviter tantum, ad evitandam suspitionem, colloqui solebat. Procedente vere, cum ulterius in Vikam processum est, Finnus aliquot dies affuit, iterumque ad comitatum Regium rediit. Id sæpius iteratum, cum nec esset aliis inusitatum, nullam suspitionem præbuit.

CAP. XII.

ASTUS HRÆREKI IN OCCIDENDIS
CUSTODIBUS, ET SUBSECUTUS IN
REGEM IMPETUS.

Ppetentē festo Paschatis, Rex Tunsbergam de-
 latus magnam ibi verni temporis partem remansit,
 quò illo anni tempore frequens perigrinarum navium
 mercatorumque confluentia rerum omnium abun-
 dantiam vili pretio subministravit. Ibi Danorum Sa-
 xonumque, Vikensium quoque, & ex provinciis a-
 quilonaribus magna frequentia, & hos inter assidua
 convivia & comotationes. Fortè quodam vespere, cum Hrærekus cu-
 bile, serò tamen, ingressus, valde potus & hilaris esset, Finus Parvus
 vas multo generosissimo repletum in medio sistens, omnibus, qui ade-
 rant, ejus nomine potum adeo profusè exhibuit, ut singuli inebriati suo
 quisque loco sopirentur. Et jam ipso pincernâ digressus, Hrærekus reli-
 quias cibi egesturus, excitatis duobus, qui ei appositi erant, custodibus,
 accensa lucerna inter illius noctis tenebras, foricam altioribus columnis
 innixam per gradus evectus ingreditur. Ubi dum sedet, auditâ foris vox
 alium ad alterius cædem instigantis, secutusque inflicti verberis sonus ve-
 ri conflictus speciem præbuit. Igitur Hrærekus custodes suos ad ebrios
 istos dirimendos hortatus, immisiss, qui subornati erant, percussoribus,
 dum per gradus incedunt, singulos, & prius eum, qui pone seqvebatur,
 occidi curat. Ibi Sigurdus, Hræreki quondam vexillarius, cum undecim
 comitibus, Finus quoque Parvus, peremptis iis, cadaveribusque eorum
 sepositis, Hrærekum avexerunt. Paulo post Sigvatus poeta, qui in cubi-
 li Regis acqvievit, famulo a calceis comitatus foricam petivit: in reditu
 autem, dum per gradus descenderet lubricos, offensus pede in genua proci-
 dens, manibusq; ulteriore casum inhibiturus, solum madidum comper-
 tus subridens, *nobis*, inquit, *Rex bodie cancri pedem porrexit*; significans
 nimio mero obruisse, ne pedibus satis insisteret. Mox cubili, ubi cande-
 læ lucebant, redditus, cum à famulo sanguine resperfus observaretur, ipse
 illæsus, rem accuratius explorare cepit. Thordo igitur Tolino Regis
 signifero sui que lecti socio exito, lucernæ ductu, multo sub gradibus san-
 guine deprehensio, mox exanima corpora inveniunt. Quibus cognitis in
 truncum incidunt, securis ictu laceratum. Cognitum postea, ictum ei il-
 latum ad eliciendos Comites Hræreki. In ejus igitur cubile famulus mis-
 sus refert, sopitos ibi omnes, ipsum vero abesse. Necessitas inde excitant
 dilaberentur, mox majoris mali authores futuri. Jam verò haut procul
 abesse tepidus e cadaveribus stillans sanguis indicabat. Regem tamen ex-
 citare veriti sunt. Sed metu majoris mali, majoris etiam iræ ob negle-
 ctum necessitatis consequentisque periculi, quàm Regii mandati, omni-
 nò excitandus visus est. Data optio Thordo, illudne periclitari, an, quæ
 gesta erant, referre mallet: qui exponendi operam delegit. Itaque Sigva-
 tus solerti consilio adituum monet, ut pro occisorum satellitum animabus
 campanam pulsset; ad cujus sonum Rex excitus, precum matutinarum
 tempus indicari ratus, singula Thordo exponente cognovit. Protinus
 igitur buccinæ cantu convocati, satellites ad Hrærekum terra marisq; qua-
 qua

qua versum inquirendum emittuntur. Inter hos Thorer (Codex Flat. Thordum habet) cognomento Longus, navigio cum triginta remigibus evectus, duos lembos se præcedentes primo mane conspexit: qui cognitis persequentibus remis acrius insistentes, cum animadvertissent, se unâ cum Rege elabi non posse, ipso in puppi relicto, litori adremigantes in terram conscendunt, silvisque se abdunt; qui descendentes in clamans, felicibusque votis prosecutus, salvi sospitesque ut abirent redirentque, optavit. Eodem momento Finus Parvus, sagittam nervo evibrans, Thorerem medium transfixit, inque silvam refugit, Thoreris cadaver Tunsbergam translatum ibique sepultum est. Exinde Hrærekus arctiori custodia noctes diesque observatus; nec præsentiori animo aut hilariori vultu unquam visus est.

Festo ascensionis Dominicæ, cum Regem sacram ædem accedentem Episcopus cum sacri ordinis processu ad sedem Regiam deduxit, cui Hrærekus pro more à latere, togæ laciniâ faciem velatus, assidens, humerum ejus manu attrectans; *holofericam*, inquit, *agnate, vestem hodie geris. Fit id*, respondit Rex, *in festi, quod celebramus, maximi honorem, quo Christus in cælos ascendit. Non*, respondit Hrærekus, *ea, quæ de Christo narratis, ita assequor, ut credam: multa enim in iis absurda, quarumvis prædicæ memoriâ multa acciderint.* Exordio sacrorum missalium, cum progressus loco Rex, manibus supra caput levatis, ad altare in genua procumbens preces funderet, toga forte in humeros rejiciebatur. Mox Hrærekus alacriter exfiliens, pugione, quem sub veste occultaverat, Regem appetit, at tactisque leviter humeris (quod opinione ulterius se a loco removisset) toga passim scissa, sine tamen vulnere Regis, successu frustratus ictum iterat, sed ubi longius processisse agnovit; *Mene*, exclamat, *Crasse, fugis?* extemploque jussu Regis templo educitur. Tum vero multi enixe flagitabant ut Rex eum occideret, securitatiqve suæ consuleret; cui nihil periculosius quam tantorum flagitiorum sive venia, sive contemptus, cum detentus noctes diesque in singula momenta intentus vitæ ejus infidetur, dimissus graves turbas & intestina bella procul dubio excitaturus. Rex, consilio approbato, multos minoribus de causis capite plexos affirmat: se tamen invitum victoriam de quinque Uplandorum Regibus una maratina horula sine ullius cæde (quod sui essent propinqui) partam illius sanguine maculaturum. Jam vero valde dubitare, an id sibi obstinati animi pervicacia tandem etiam extorquere queat. Humeros Regis eo fine attingisse dicitur, ut exploraret, an cum loricato res esset.

CAP. XIII.

HRÆREKUS IN GRATIAM REGIS A THORARINO NEFIULFI FILIO SUSCEPTUS IN ISLANDIAM TRANSPORTATUR, IBIQUE MORITUR. HIALTIUS IN ISLANDIAM REDIT, EYVINDUS URICORNU HIBERNIÆ REGI KONÚFOGURI SE JUNGIT, HI CUM EINARE ORCADUM COMITE CONFLIGUNT.



Odem tempore inter peregrinos mercatores celebris Thorarinus Nefulfi filius onustam mercibus navem in patriam reducturus Tunsbergæ constitutus est. (De illo *Histor. Olaf Tryggvini Cap. XV.* quædam ex *Oddo Monacho* retulimus, quæ ex ejusdem *Cap. XXX.* & ex his, quæ jam exponuntur, etiam

abundantiùs refelluntur. Is natione Islandus, ex borealibus illius insulæ partibus oriundus, haut quidem magno natu, sed prudentiâ & eloquio insigni, in Principibus adeundis alloquendisqve audax, in exteris quàm sua patria frequentior, cæterum externa corporis specie turpi, proportione membrorum præcipuè; nam manus illi magnitudine inusitata, cætera turpes, pedes tamen longè turpiores: hic quoqve Regi Olafô innotuit, adqve mensam Regiam aliquot dies invitatus, noctibus quoqve in Regio cubili acqvievit.

Fortè quodam die, Sole recens orto, radiisqve universam domum illuminante, aliis dormientibus, solus Rex evigilavit, Thorariniqve exertum lecto alterum pedem diutiùs contemplatus, cum cæteri quoqve somnum excussissent, eum his verbis affatus est. *Vidi atq; aliquantisper etiam inspexi rarum quid, pedem nimirum humanum, cui similem hac in urbe alium reperiri posse diffido.* Aliosqve inspicere jusfit; omnes autem Regi suffragabantur. Sensit se designari Thorarinus, itaqve respondit, veteri verberio circumferri; *rara omnino, quæ sine pari.* Rex se illud tueri malle, pariter isti pedi alterum non inveniri, etiam si pignore contendendum esset. Tum Thorarinus: *paratus sum contendere, ex hac urbe etiam me alium turpiorem producturum. Qui nostrum succubuerit, ait Rex, obligabitur victori ad unum ejus postulatum exequendum.* Consensit Thorarinus, alterumqve pedem exertum lecto protinus ostendit, nullo victorem, hoc etiam fædiorem, quòd digito maximo cassus erat, seque viciorem pronunciavit. Rex vero turpiorem illum, quem quintus quoqve digitus deturparet, respondit, illumqve sibi in petitu obligari. Tum Thorarinus; *sacra verendaqve dominantium effata. Quid exigitis?* Rex, ut *Hrærekum in Gronlandiam deportes, tradasqve Leifô Eiricio,* respondit. Ille se nunquam Gronlandiam adisse regesfit. *Tempus igitur, ait Rex, ut tu tam celebris mercator eam irvisas.* Pauca ad ea Thorarinus; cognitâ autem seriâ ejus super his voluntate, nihil abnuit; se tamen relaturum ei, quid ab illo expetiturus fuisset, si sibi victoria obtigisset; nimirum ut in purpuratorum ordinem inscriberetur: quod si obtineret, etiam se obligationem fieri ad exequendam ejus voluntatem. Rex petitis annuit, eumqve satelitem creavit. Mox Thorarinus iter adornavit, Hrærekumqve recepit. Jamqve omnibus apparatis, Regem accedens. *Sepius, inquit, accidit, ut navigaturus in Gronlandiam proposito frustreretur, nec destinatam terram assequatur. Idem si mihi contigerit, appellatqve ad alias regiones, Islandiam, aut aliam quamcumqve terram, edicas quæso, ubi hunc Regem deponi, aut quid de eo fieri jubeas.* Ad ea Rex: *Si Islandia te excipit, Gudmundo Eynulfi filio, aut Skaptio Nomophylaci, aut alii procerum, qui me sibi amicum cupiunt, trade, indiciaqve voluntatis mee exhibe. Quod si propior vobis terra obtingat, provide, ne unquam huc redeat; sed ne hoc quidem, nisi rem omnino aliter expedire nequeas.*

His mandatis, Thorarinus extra omnes insulas Lindisnesiam usqve proventus, vasto inde oceano navem commisit, omni cautione adhibitâ, ne terras ulla attingeret, tamen si navigatio lentè procederet. Islandiæ austrate latus prætervectus, mare Gronlandicum ingressus, variis in affectam ætatem procellis incommodisqve agitatus, Islandiæ tandem finem occidentalem Breidafjordum invectus, Thorgilsi Arino procerum primo se accedenti Regis petitionem de Hræreko exposuit, prolatis indiciiis, quæ hoc merito copiam gratiæ Regiæ promittebant, a quo statim receptus hylmem ibi exegit. Tædio deinde loci Hrærekus ad Gudmundum se deducip-

ci postulavit; relatum quippe sibi, ejus domum tota Islandiâ magnificentissimam. Eò devectus in gratiam Regis Olafi honorificè suscipitur. Ibi alia hyems exacta, nec sic quidem ei satis factum; inde in exiguum villam, Skalsfittin appellatam, à Gudmundo, sui domestici pauci, sepositus tertiam hyemem transegit. Nec alibi, postquam regno excidit, se melius habuisse testatus est, quippe ab omnibus summo honore cultum, nec alterum sibi prælatum; certè ingenio Julio Cæsari haut dissimilis, qui in turgurio in Alpibus primus, quàm Romæ secundus haberi maluit. Proxima æstate Hrærekus ex morbo decesit. Sed fallitur author, qui eum Regem solum in Islandiâ, fama referente, sepultum tradit; cum Geirmundus Heliarskinn, seu fuvræ cutis, Norvegiæ Regum unus, de quo dictum est, ibi quoque tumulatus sit.

Thorarinus Nefulfi longo deinceps tempore diversas regiones cum mercibus intermeabat, interdum ad Regem Olafum remansit. Eadem ætate, qua is Hrærekus in Islandiam transvexit, Hialtius quoque Skegginus eo rediit, liberalitèr à Rege Olaso sub discesum donatus. Tum quoque Eyvindus Uricornu in occidentem prædatum concessit, sub autumnum in Hiberniam ad Regem Konufogurem (qui regulorum unus sub Malachia secundo fuisse videtur) delatus. Orta deinde pugna in Ulfrechisinu, inter Hiberniæ Regem & Einarem Orcadam Comitem, adeo Einari, minore manu certanti, malè cecidit, ut exutus prædis omnibus, maximaque copiarum parte amissa, unica tantum nave domum refugerit. Inde majorem in modum exacerbat, cladem Norvegis, qui se Regi conjunxerant, Eyvindo Uricornu duce, maximam partem imputavit.

CAP. XIV.

REX OLAFUS SPONSÆ OBVIAM PROPECTUS A REGE SVECIE DELUDITUR, SARPSBURGIOVE HYEMAT.



Unsbergâ profectus Olafus comitatum, cæteroquin splendidissimum, pluribus inde navibus adauxit. Delictus ex omni ordine nobilissimus quisque eorum, quorum copia haberi potuit. In singulis, genus, forma, statura, corporis vires, morumque decus spectata, etiam in iis, qui singulos proceres comitabantur, vestium armorumque; omnibus, pro conditionis modo, exquisitissimum. Inter hos fuit Thorgeir Havaris filius, nuper in famulitium ejus admittus, & in superiorum aulicorum ordinem ascitus: de quo ad calcem hujus libri plura. Konghella cum ventum esset, nihil de Sveciæ Rege, vel qui ejus partibus fungeretur, cognitum; cumque mora longè in ætatem eduraret, nec quid Regem Sveciæ moraretur, quantumvis diligentissima inquisitione, explorari posset, legati ad Comitem Rognvaldum in Gothiam missi responsum retulerunt; *nihil ei ea de re constare: sepe tamen incidere, quæ Regem ultra quàm constituerit, tardarent; si aliam causam subesse cognosceret, se ejus rei Olafum per nuncios certiolem facturum.*

Habuerat Olafus Sveciæ Rex, antequam conjugium iniret, ex Edla quadam, Vandalici Comitis filia captivâ, atque ideo pro serva habitâ, quâ tamen concubinâ usus est, liberos tres, Emundum, Astridem, & Holmfridem.

fridem. Ex Regina autem filium legitimum, festo Sancto Jacobo sacro in lucem editum, quem in Apostoli honorem faustumque auspicio Episcopos, dum infans sacra lymphâ tingeretur, Jacobum vocavit: id quod Svecis displicuit, nullum unquam isto nomine in Svecia regnâsse regeantibus. Singuli ejus liberi forma speciosa ingenioque perspicace; Regina tamen novercali ingenio invidi, qui extra conjugium nati. Emundus a patre in Vandaliâ missus, apudque agnatos educatus, Christianam religionem diu neglexit. Astridis in Gothia apud virum eximium, nomine Eigilem, enutrita, facie eximia, ingenio hilari & sine fastu, eloquens insuper & liberalis, adultior sapius ad patrem remansit, magno omnium in se studio, qui eam in oculis certatim ferebant. Rex autem Sveciæ ingenio obstinaci immitique admodum ægre tulit, tumultu populi in comitiis Upsalensibus se ad iniquas condiciones adactum: cujus culpam omnem Comiti Rognvaldo imputavit. Pacta igitur vi expressa rescissurus, nullum ad professionem ad Gothiam, quò sponsam se deducturum promiserat, apparatus adornabat; id quod multos suspensos tenebat, quorsum tenderet, incertos; in primis filiam Regis, cujus res gerebatur; sed nec ipsa, vel alius ullus, eum super his interrogare audebat. Tandem & ipsa, plurimum precibus exorata, illud in se negotium, sed valde trepidans, recepit, testata prius: *molesta ista interpellatione nihil se profecturam; neutrum enim Regum inter se amicos. Id se expertam quondam, cum causam Olafi Norvegiæ Regis egisset, nec posse patrem animum mutasse, quippe irasci quoties ejus mentionem Regio titulo honorari audiat.* Tandem occasionem mentis Regiæ explorandæ fortuna admovit, ipso Rege cum comitibus mane ejusdem diei venatum profecto, cum inter emissos accipitres is, qui Regis erat, duos tetraones primo impetu occidit, mox eodem volatu tres his adjecit: singulos in terram decedentes, æque canibus apprehensos, Rex eqvo pernici affectus iis ademit, deque successu valde gloriatus, neminem satellitum suorum id imitaturum perhibuit. Illi nec Regem ullum tantilo tempore pari successu. Valde igitur hilari domo adequivitanti filia Ingigerdis ædibus egressa obviam processit: quam gratulabundam læto vultu ridensque excipiens, præda ostensâ, *an Regum ullum tam parvo tempore tot aves venatum audivisset? quærit.* Cui illa respondit. *Magna quidem hec matutina præda, tetraones quinque; major tamen Olaf Norvegiæ Regi obtigit, quinque Regibus prima luce captis, regnisque eorum sibi subjectis.* His irritatus subito eqvo desiliens: *scies, inquit, Ingigerdis, quandocumque amore Crassi illius duceris, nunquam te ejus conjugem futuram; quin potius alteri principi, meâ amicitia digno, te jungam: huic certè amicus nullo modo fieri possum, qui regno jure parto me spoliavit, mibi que multa damna direptionibus cædibusque intulit.* His utrinque discessum. Jamque cognito Regis consilio, Ingigerdis confestim nuncios ad Comitem Rognvaldum misit, qui significarent, rupta à patre pacta, utque sibi Comes Gautique a Norvegis caverent, ne forte eos invaderent, id quod ille per universam Gaudiam proclamari curavit, cum mandatis, ut adversus Norvegos eorumque impressiones, si quid tentarent, in procinctu essent; missis simul ad Norvegiæ Regem nunciis, qui omnem rei ordinem exponerent, bellumque deprecarentur, se enim a foederibus cum eo initis non recessurum. Quæ auditis, hinc irâ, inde mærore, Rex abreptus per aliquot dies neminem alloqui sustinuit. Inde advocatâ concione Biornus Stallarius exposuit, *quam effuso in Regem studio propensaque benevolentia Comes Rognvaldus se byeme præcedente ad pacem conciliandam missum exceperit.* Regem

vero Sveciæ agrè primâ vice pacis mentionem audivisse, nec sponte deinceps, sed vi adactum, a Thorgnyre plebeque ejus dicto audiente, Comitisque Rognvaldi auctoritate in pacta consensisse; inde facile colligi posse, Regem ipsum penitentia subeunte fœdera rupisse; non autem Comitem, quem fidum & constantem Regis amicum noverit. Jam vero Regem à proceribus ducibusque cognoscere velle: placeretne in Gautiam bellum presentibus copiis transferre, an secus? Visum est proceribus bello in præsens abstinere: comitatum quippe presentem, etsi numero abundet, nec tamen ad bellum, sed festivum convivium, delectum; multos ibi veneranda canitie senes, quibus juvenes præde gloriaeq; bello captandæ aptiores sint, multos divites, qui tamen alios corporum suorum præsidio adhibere soleant: pauperes enim haut minus bello strenuos, quam illos, qui delicatè educati pecuniâ insuper abundant, cujus comparandæ studio in tantum non teneantur, ut propterea periculo se exponere, vel vitæ vel membrorum discrimen adire opus ducant. His pervasus Rex copias dimisit, singulis ad penates suos repetendos veniâ datâ; se tamen in sequentem ætatem universas regni vires exciturum professus, Sveciamque invasurum, vindicatorumque inconstantiam; id quod omnes assensu probabant. Burgum deinde, novum orientalis Viçæ partis oppidum, rediit, eoque transportari mandavit, quæ ad hyberna requirerentur. Ibi enim frequenti satellitio comitatuque hyemem exacturus erat.

CAP. XV.

SIGVATUS POETA AD COMITEM
ROGNVALDUM ABLEGATUR, ADQVE REGEM RE-
FERT CONDITIONEM DE SORORUM PERMUTATIONE, INQ;
INGIGERDIS LOCUM ASTRIDE SUBSTITUENDA,
QVAM OLAFUS ACCEPIT.



Interea Rognvaldus variis hominum sermonibus traducebatur, aliis fidum Regi Olafu amicum, aliis dubiæ fidei existimantibus: id vel inde perspicuum, quod ea esset auctoritate, ut, si voluisset, Regem Sveciæ à rumpendis pactis facile cohibere potuisset, Sigvatus autem poëta Comitis studiosissimus agrè ferens fidem ejus in dubium vocari operam suam Regi, ad explorandum quid in aulâ Sveciæ Regis de his conclusum esset, addixit, sibiqve iter in Gautiam ad Comitem deposcebat: id quod Regi, impotenti amore sponsæ flagranti, de qua sæpius cum fidelissimis ministris sermones instituere solebat, admodum placuit. Prima hyeme Burgo duobus comitibus profectus, Rege prius artificioso carmine salutato, Marchas travecti Eidam pervenerunt, difficilique tractu fluvium pineâ scapha transmittunt. Salto deinde Eidenfi superato, in Gautiam quodam vespere ad prædium Hof delati, oclusis foribus ingressu prohibentur, ne sacra, quæ ibi celebrabantur, temerarent. Ad aliam igitur villam provecti perinde arcebantur, quod Alforum (geniorum) ibi sacra peragerentur. Proximo vespere ad tres agricolas evecti, quorum singuli Aulveres appellabantur, hospitio excluderentur, sed nec quartus, qui eorum optimus habitus est, eodem vespere aditus eos hospitio recepit, singulorum rigorem Comitis Rognvaldi humanitas obliteravit; cui de itineris ordine sciscitanti, cum singula Sigvatus exposuisset, armillâ aureâ donatus est; quod

ut fortè fœmina quædam præfens animadvertit, non de nihilo nigris istis oculis profectum videri memorabat: is vero *donum liberalitati Comitum, oculorum vero suorum originem Islandicæ mulieri acceptam referendam*, versibus cecinit. Septemdecim extant, quibus itineris ordinem celebravit. Ibi cum diutius moratus esset, Comes per literas ab Ingigerde fit certior, Jarisleifum Holmgardiæ, seu Ruffiæ, Regem ejus nuptias per legatos ambivisse, acceptamque patri legationem.

Eodem tempore Astridis illius soror ad aulam Comitum pervenit, convivio magnificè excepta, cui Sigvatus facilè innotuit, maximè quod Otaris Nigri, qui diu in patris ejus aula versatus magna in gratia fuit, esset avunculus: inde ei familiarius cum ea colloquium, aditusque frequentior. Tandem Comes cum Sigvato consultat; *satisfierine Regi, ejus possit Astridis Ingigerdis loco nuptiis; id si non aversaretur, etiam inconsulto patre assecuturum: idem quoque virgo assensu confirmavit.* Hoc responso dimissus ad Regem, Sarpsburgum sub festum Jolense rediit; qui audito Ingigerdem Jarisleifo Ruffiæ Regi nuptiis destinatum, valde contristatus tanto merito vindictam interminatus est. Procedente deinde tempore, ubi primus iracundiæ impetus deferbuit, multa super rebus Gothicis sciscitatus; mox de Astridis in Gautiam adventu per eundem Sigvatum fit certior, qui formam, mores planè Regios, indolisque bona justis laudibus deprædicans, Ingigerde nihilo inferiorem asseverabat. Ut verò aures facilè accommodantem animadvertit, tum vero consilia colloquiaque ordine exposuit, quæ adeo non displicuerunt, ut ea quoque privatis cum Sigvato colloquiis sæpiùs volvere iterumque revolvere dignaretur; maximè quod partem vindictæ reputaret, contumeliosè ereptum Sveciæ Regi filia collocandæ arbitrium. *Ergone, respondit, ausurum me putabit Olafus filiam suam mihi, se invito, jungere?* Sed ad tantam rem Comitum Rognvaldi fides & invicta constantia requireretur, ne ea fortè vacillante ludibrio cumularetur; de quo interrogatus Sigvatus, carmine eum protinus ita commendavit, ut additiorem optari non posse asseveraret.

Post festum Jolense Thordus Skotakollus, Sigvati fororis filius, famulabant; hi Sigvatum proximo autumno in Gautiam comitati cum certis voluntatis Regiæ indicibus Comiti exhibendis, jam denuo eò missi sunt. (videtur enim ipse Olafus literarum elementa ignorasse: nunquam enim in iis, quæ cum nullo communicare sustinebat, literis usus legitur, sed finis & techmeriis) quibus ille a Thordo acceptis, absque morâ circiter centum comitum, delecto ex aulicis primariorumque civium filiis satellitio, ornato armorum equorum vestiumque splendidissimo, unâ cum Astride in Norvegiam Sarpsburgum usque profectus, festo Purificationis A. M. XIX eò devenerunt. Ad quorum adventum omnia à Rege summa cum magnificentiâ exquisitissimè apparatus, potulentorum varia genera maximâ abundantia, evocatus provinciis nobilissimorum civiumque urbanorum agrestiumque flos tantum non omnis. Comes ingenti Regis ministrorumque studiis exceptus, omnique officiorum genere quam effusivè cultus, ædes ei magnificè singulari ornatu provisæ, curatoresque, qui providerent, ne quid eorum, quæ convivium exornarent, desideraretur aut segnius præberetur, constituti. Id cum aliquot dies tenuisset, Comes Regi Astridem, tum quoque præsentem, despondit, dictâ dote, partemque vicissim donatione propter nuptias, Ingigerdi antea promissâ, conviviumque hospitale in nuptiale conversum. Quo peracto, Comes amplissimis

plisimis, ut oportuit, muneribus donatus discescit; firmatâ, quæ deinceps, quoad vixerunt, durabat, amicitia.

CAP. XVI.

INGIGERDIS IARISLEIFO RUSSIÆ REGI
JUNGITUR, EAM COMES ROGNVALDUS SEQVITUR,
CUJUS DISCESSU VESTROGOTHI IRAM REGIS METUENTES,
EMUNDUM DE SCORIS SUPREMUM SUUM JUDICEM AD RE-
GEM SIBI RECONCILIANDUM ABLEGANT, EJUS ITER,
APOLOGI, DISCESSUS A REGE.



Eqvente vere legati à Jarisleifo Holmgardiâ (Jaroslaum Georgium vocatum Novogardiâ Principem fuisse, ex Johannis Basilii Magni Rusiæ Ducis ad Johannem III. Sveciæ Regem literis, Campano supercilio scriptis, *Loccenio* memorante, constat) in Sveciam misit, de Ingigerde secum ex pacto ducenda egerunt, & illa vicissim cum patre de permittendo sibi dotalitii, ut vocant, titulo Aldeiguburgo, cum subjecto territorio; quod cum legati annuissent, iterum à patre postulat, quemcumque tota Sveciâ sibi in comitem deligeret, à legatis vero parem ei in Rusiâ dignitatis gradum, par jus, atque in Svecia obtinuit. In singula cum fide publicâ consensum esset, quærit Rex, quem exposceret? *Rognvaldum*, inquit, *Ulfum*, cognatum meum. Atqui ego, ait Rex, aliud ei hac æstate proditiōnis præmium, laqueum nimirum, decrevi, quod seductam in Norvegiam filiam meam *Crasso* illi in pellicem tradidit; viro quem mihi inimicissimum novit. Illa datam fidem urgens, ne promissa rescinderet, oravit, aptaque oratione obtinuit, ut incolomis Sveciâ discederet, ea lege, ne postea in patris conspectum, sed nec in Sveciam, illo Rege, rediret. Mox Ingigerdis Comitum per nuncium de his certiore facit, locumque, quo se in itinere exciperet, designabat; qui statim omnia apparabat, profectusque in Ostrogothiam naves conscendit, eamque cum universa domo in Rusiam secutus, Aldeiguburgum cum subjecto territorio, ea donante, fiduciaro jure obtinuit: ubi diu magnificèque vixit. Ejus ex Ingiborge filii, Comites *Ulfus* & *Eylifus*. Jarisleifi autem ex Ingigerde *Valdimarus*, *Vifivaldus*, & *Holtius Vegetus*.

Interea Vestrogothi à Rege Sveciæ sibi valde metuebant, quod majorem in modum infensus expostulaturus videbatur, quod pacem cum Rege Norvegiæ se inconsulto fecissent, quidam quoque exiis filiam ejus in Norvegiam, duce Rognvaldo, transfulissent. Conventu igitur eodem vere, quo Rognvaldus excesserat, habito, quid facto opus, consultabant. Aliis ad Norvegiæ Regem desciscere placuit, aliis displicebat; quòd remotior esset, quam ut eos protegere posset, nec ipsis ullæ adversus Sveciæ Regis potentiam idoneæ vires. Visum igitur viam ad reconciliandam sibi ejus gratiam primum tentandam; quod si non successerit, ad Regem Norvegiæ respiciendum. Qui vero susceptâ in se legatione omnium vota ad Sveciæ Regem deferret, aptissimus visus est *Emundus de Skoris*, supremus *Gauthiæ* judex, prudentiâ eloquentiâque præstantissimus, familiaris nobilitate, familiariumque numero, opibus etiam præpotens, a Comite Rognvaldo secundus; cæterum dubiæ fidei & notæ versutia. Eum igitur,

tur, ut hanc provinciam in se recipiat, orant: sed nec is publicis suorum precibus refragatus, triginta comitibus in Vestrogothiam primò profectus est. Ibi multi amici cognatique, à quibus amicé suscipitur, cum prudentissimum quemque de his consulisset, omnes injurias iis à Rege legibusque vim fieri affirmabant. Ulterius in Sveciam delatus, idem eos sentire cognovit. Tandem sero diei Upsalos provectus, idoneo hospicio per noctem usus, postriedie Regem in frequenti conventu reverenter salutabat: quo salutato Rex, quid novi afferret? requisivit. *Pauca inter nos Gautbos, respondit, relatu digna, illud tamen memorabile, quod Attius stultus è Vermia, venator nostra existimatione sagacissimus, hac hyeme arcu xylosoleisque solitudines montanaque peragrans, tantam mustellarum pellium copiam, quanta trabà vehi potuit, comparavit, in reditu autem in scieurum inter silvas oberantem cum incidisset, sagitta trajecturus à scopo aberravit. Concitator inde, deserta traba, eum impensius persequi cepit. Is nemora densissima intermeans, modò circa radices arborum discurrebat, modò in ramos persultabat, modò ab una arbore in aliam transfiliens, quantumvis destinatis ictibus ab Attio peteretur, sagittis tamen hinc inde aberrantibus, incolumis quidem, sed nunquam è conspectu, evasit. Tantà igitur contentione ejus capiendi estuare cepit, ut integrum diem huic venationi nequicquam impenderit. Itaque tenebris demum ingruentibus, in mediis nivibus supra glaciem more suo prostratus pernoctavit. Manè autem, cum plaustrum repetere omni ope aniteretur, nusquam illud reperire potuit, sed prædâ vacuus domum reverti coactus fuit. Hec sunt nova, quæ ego afferro. Cui Rex, valde minuta, ni his plura adferres. Iterum igitur Emundus: Accidit non ita pridem, id quod inter memorabilia haberi meretur, quod Gautius Tosti filius, cum quinque myoparonibus Gautelsi exiret, jactisque ad Ekreyas anchoris, quinque naves mercatorias Danicas conspexit adventantes; quas cum aggredederetur, mox quatuor earum suæ fecit potestatis, magnamque ex illis prædâ sine ullius militis sui jacturâ retulit; quinta vero meridiem versus in altum nonnihil provecta vela expandere cepit; quæ Gautio una tantum nave persequenti lentè primum, mox ventis magis magisque irvalescentibus opinione celerius se subducere cepit; tandem etiam è conspectu effugit. Is vero longius in altum provectus ad suos reversurus, increbrescente procellâ, naufragium ad insulam Hleseyam fecit, amisâ prædâ inaximâque nautarum parte. Reliquos ipsius commilitones, qui ad Ekreyas eum præstolabantur, Dani cum navibus quindecim oppresserunt, illisque ad interneccionem deletis, omnem, quam antè paraverat, prædâ diripuerunt. Hunc avaritia ejus exitum habuit. Tum Rex respondit: hec quidem magni momenti, & memoratu digna. Verum quid tibi hic negotii? Ut cognoscam, respondit, sententiam tuam de causis nonnullis gravioribus, de quibus nostræ & Upsalensium leges inter se dissentiunt. Expromere jussus, Duo, inquit, viri nobiles, patri stemmate orti, sed fortunis ingenisque dispares, inter se disceptabant, dâque sibi invicem intulerunt, majora tamen qui majoribus instructus erat opibus; donec lis eorum in foro judiciali latâ sententiâ decideretur, quæ potentiam ad estimationem litis condempnavit. Hic ergo præstituto tempore, pro auresere caculum, pro majali porcellum, pro auri signati selibra (codex Flateyensis, argenti) dimidium tantum, pro reliqua lutum & pulverem persolvit, interterminatus insuper dura ei, qui accepit. Quid autem tibi, Domine, hac de re videretur? Tum Rex respondit: Solvat secundum sententiam latam integrum, Regique triplum; & nisi intra annum & diem solverit, extorris esto. bonis omnibus multator, quorum semissis Regio fisco, alter actori cedat. Emundus super hac sententiâ, quâ leges Gothicæ cum Upsalensibus conciliatæ vide-*

videbantur, omnibus, qui aderant, potentissimis, testibus appellatis, Rege salutato discessit. Rex cognoscendis deinde aliis causis tempus longius ad prandium usque extraxit. Tum vero, ubi esset Emundus, quærit, auditoque, hospitium accessisse, ad mensam eum invitari iussit: sed neglecto mandato mox fercula apposta, musicis cum citharis panduris variisque instrumentis ingressis, dies universus multa convivarum frequentiam hilariter processit. Diei, qui secutus est, manè evigilans Rex altius secum revolvere cæpit, quorsum Emundi nova spectassent. Missi ergo, cum primum vestes induisset, qui consiliarios ejus arcessirent.

CAP. XVII.

REX SUPER APOLOGIS EMUNDI SOL-
LICITUS, EORUM EXPLICATIONEM A CONSILIA-
RIIS POSTULAT, DE SEDITIONE FIT CERGIOR,
DE QUÀ COMPRIMENDA CON-
SULTATUM.



Consilarii Regis duodecim erant, qui in judicio ei assidere causasque difficiliores decidere solebant. Res ardua, cum nec obloquentes nec injustam sententiam pateretur. Ex iis tres accedebant fratres, viri qui generis nobilitate & divitiis inter omnes senatores eminebant, singuli insigni prudentiam, Regi in paucis cari, singuli quoque aliquo natura vitio notabiles; quorum nomina Arvidus, Thorvidus, & Freyvidus. Iste adeo cæcutiebat, ut vix bello habilis esset, longè tamen strenuissimus: balbus ille, atque adeo, ut ne ultra duo verba absque hæsitacione efferre posset; fortis tamen & impiger: hic surdaster, item & ingeniosissimus. Et jam quoque Emundum Rex advocerat: cæterum relatum, eum, postquam pransus esset, discessisse. Ad eos igitur conversus, quid juridica illa questio, quam movisset, sibi velit? quærit. Illi, videri ipsum perpensis, si quid reconditi velaretur, respondent. Tum ille, per duos illos nobiles viros qui se mutuis damnis infestabant, quorum tamen alter potentior, me & Olafum Crassum fortè designat; quibus acu rem tetigisse confessis, adjecit: *Lis hæc in comitiis Upsalensibus inter nos decisa est: sed unde de fraudata solutione queritur, cuculumque anseris, procellum majalis loco, lutumque pro semisse auripensa refert?* Mox Arnvidus hunc in modum respondit. *Domine, inter obryzum lutumque ingens discrimen, majus tamen inter Regem & servum. Tu spondidisti Olafu Crasso filiam tuam Ingigerdem, ex omni parte Regali stemmate, & quidem Upsviorum, quod toto septentrione nobilissimum, utpote ab ipsis Diis ortum, prognatam; Astridem autem reportavit, etsi Regali satum, matre tamen servam, & quidem Vandalicam, natam. Magnum quidem inter illos Reges discrimen, quorum alter tantam contumeliam æquo animo fert, inque beneficio reputat; neque enim absonum, hominem Norvegum Upsalorum Regi non posse comparari; grato igitur animo eam felicitatem agnoscamus, utque in posterum daret, Deos supplices veneremur: istis enim diu sua progenies cordi fuit, licet illa per se jam multis sordeat.* Tum Rex, quid sibi vellet, quod Emundus de Attio Stulto narravit? quæsit. Tum vero nemo respondit, alterque in alterum oculos conjecit. Quo observato, Rex, ut edicerent, iussit. Tum Thorvidus: *Attius, rixosus, avarus, malevolus, stolidus,*

ulus, pertinax. Rege, quid hæc denotent, quærente, Freyvidus: Bona, ait, tua pace apertius eloquar. Rex, quicquid vellet, edicere iussit. His, inquit, titulis frater noster Thorvidus, nostrum sapientissimus, designat, cui pax inimica atque adeo exosa est, ut rerum minutarum contentiosa cupiditate, quas tamen assequi nequeat, salubrium magnarumque jacturam pati non dubitet. Attilum nimirum avarum, rixosum, stolidum (synonyma hæc, vim vocabuli Attili exprimentia, quam nihil ad Regiæ nobilitatis significationem faciant, viderint qui Olavum Rudbeckium legunt) Ego certe, quantumvis surdus, auctori tamen, ita ut intelligere possim, omnium regni ordinum offensam te contraxisse, rupto federe cum Norvegiæ Rege, magis etiam rescissa sententiâ, quam populus in publicis Upsalensium comitiis approbavit; nec tibi Norvegiæ, nec Daniæ Reges, nec certe ullus alius, Svecis obsequentibus, metuendi sunt. Si quem populus omnis ordinesque regni in te conspiraverint, nos certe amici tui nullam satis tutam viam invenimus. Quærenti, quinam conjurationis principes essent? Freyvidus, respondit. Omnes ordines præscas leges, suaque jura illibata postulare: jam vero constare, quot consiliarios circa se habeat, ex eorum numero tantum sex, reliquos ad conventum ordinum populique confluisse; in omnes quippe partes telum comitorum indicem missum, ad exigendam de eo violatarum legum penam, in illius quoque consilii societatem se omnes invitatos; verum à proditorum titulis, patri suo semper exosis, se quoque abhorrere. Rex, ut consilia maturè prospicerent, postulabat, ne regno patri-moniove excidat, neve contra totius Sveciæ vim armis contendere adigatur. Mox Thorvidus vsasit, ut protinus ad Arosiam cum comitatu, qui sequi vellet, proficiscatur, naves conscendat, lacum Logerum, seu Melerum, ingrediat, inde populum convocet, blandisque verbis demulceat, plebemque confirmet de juris & legum custodia, atque justa libertatis tutela; omnique ope adjuvatur; nuntium conventus telum vel prævenire, vel revocare, vel saltem impedire: neque enim tantillo tempore longius circumlatum videri. Interea amicorum fidissimos ad seditionis auctores ablegandos, si forte a proposito possint revocari, tumultusque sedari. Hanc itaque legationem iis Rex injunxit, testatus, eos illos esse, quorum usum commendassent. Thorvidus nusquam se iturum respondit: filium ejus Jacobum præsentem necessitatem requirere. Assensit Freyvidus, fratremque excusavit, quod nolit Regem in tanto periculo deserere: se verò fratremque Arnvidum hoc negotium in se recepturos.

CAP. XVIII.

REX DUOS FRATRES AD FACTI-
 ONEM ABLEGAT, EORUM SINGULARIS PRU-
 DENTIA ET FIDES, INTER OLAFUM ET FILIUM RE-
 GNUM DIVIDITUR, PAX CUM OLAFO NORVEGO
 COMPOSITUR, EJUS TALORUM JACTUS FABULO-
 SUS. EYMUNDI HRINGI HEIDMARCHIÆ REGIS FL-
 LII MIGRATIO IN RUSSIAM, EJUS GESTA,
 REGNUM, MORS, SUC-
 CESSUS.



Ex, probatis consiliis, classe in lacum proventus, confestim magnam confluentium multitudinem contraxit. Arnvidus autem & Freyvidus Ullarakrum Jacobum Regis filium secum clam vulgò ducentes contendebant: mox certiores de jugi civium armatorum confluxu, qui dies noctesque in conciliabula conveniebant, confestim simulant se eorum partes secuturos, idque cum amicis suis & consanguineis communicant. Cuncti igitur sibi de eorum accessione impendio gratulantes ad eos pluri- ma consiliorum momenta referunt, quos & exemplo optimatum plebs quoque respexit, eâ tamen cautelâ, ne Olafus ulterius imperet, neque enim superbiam ejus, & qui nulli hominum aut procerum, quantumvis utilia svadentium, æquas aures præbere dignetur: nec legum ludibria ulterius toleranda. Videns itaque Freyvidus irritatos plebis animos in præfens intractabiles, omniaque in Regis Olafi perniciem prona, proceribus convocatis, excogitato prudenti consilio, quo iis in diversa tractis potentior partem sibi conciliaret, hunc in modum differit. *Quandoquidem animo sedet, Olafum regno dejicere, certè nobis Upsvionibus providendum, quem in ejus locum surrogabimus: id enim jus nobis sine exceptione inveteratâ consuetudine competit: quod enim illi inter se concluserunt, id cetera regni partes singulaque provincia semper secuta sunt; neque enim nostri parentes in iis, quæ ad regni administrationem pertinebant, Vestrogothorum consilia requisiverunt; nec nos in tantum degeneravimus, ut ex arbitrio Emundii rem gerendam putemus. Placet itaque, ut nos cognati amicique, qui hic præfentes adsumus, mutuo sedere uniti, quid fieri velimus, præscribamus, quàm aliorum præscriptis obsequamur.*

His magnis omnium suffragiis conclusis, maxima plebs pars Upsvionibus se junxit; mox fæderis principes Freyvidus & Arnvidus delecti. Id cum sensisset Emundus, quò res cellura esset suspicatus eosadiit. Dumque de his inter se differunt, Freyvidus ab eo quælivit, quem Regem constitui vellet, si Olafum occiderent? *Aptissimum, respondit, sive Regio stemmate ortum, sive secus, Freyvidus verò negabat Upsvionem permisuros regnum suo tempore à veteri familiâ Regia in aliam transferri, illo præsertim tempore, cum tanta Regalis seminis copia suppeteret, esse enim Olaso filios duos, magno quidem discrimine, alium gentilitio Regum stemmate, totoque genere Sveonem, alium serva natum, Vandalum hybridam, horum tamen alterum Regem deposcendum.* Huic sententiæ cum omnes adstrepentes, Jacobumque in patris locum poscerent, Emundus, *penes vos Upsviones, respondit, harum rerum potestas in præfens: illud tamen in futurum haut vanus vates prævideo prædicoque, quòd quidam eorum, qui jam maximè annuntur, ne Reges extra familiam Regiam creentur, tunc quoque virent, cum etiam eorum cum consensu decus illud alia quoque stemmata exornabit, non sine regni civiumque commodo.*

Exinde Freyvidus & Arnvidus Jacobum, tum decem aut duodecim annorum, in medium produci curant; cui Regius titulus Aunundique nomen ingestum, quod etiam ad finem usque vitæ usurpabat, ut colligitur, diu; cum scriptores Svedici eum annosum appellent, mox satellitio ad corporis tutelam, militumque, quot opus visum, præsidio securitatem suam munivit, plebemque dimisit. Inde legationes inter Reges, mox etiam conventus secutaque pacta. Patri, quoad vixit, regnum Regiusque titulus concessus,

cessus, injunctumque ut pacem fœderaque cum Norvegiæ Rege coleret, nec ulli fraudi esset adversus eum hac in causa conjurâsse; Auundo quoque Regius titulus conservatus, parsque ea regni, quæ inter patrem eumque conveniret, civium tamen causam adversus eum, si quicquam in eos indignum moliretur, tueri tenebatur. Hinc refellitur, quod Svedici scriptores communiter tradunt, nimirum Auundum apud Regem Olafum educatum: id autem, postquam regno admotus erat, fieri nequibat, neque ante hoc tempus factum, ex superioribus constat.

Deinde legati in Norvegiam ad Olafum missi, cum mandatis ut certiore eum facerent, Regem Sveciæ Konghellam ad pacem cum eo pactaque confirmanda venturum, illuc ei quoque obviam procedendum. Placuit conditio pacis nuncia, itaque ad præstitutum tempus conveniunt. Tum primum Olafus Sveciæ Rex obvius mitis alloquioque blandus fœdera pactaque omnia rata esse iussit. Memorat *Thorsteinus Polybistor*, paræciam in Hisingia fuisse, controversi inter Gautiam Norvegiamque juris, quæ singulis alternis paruerit. Placuit Regibus talis de ea certare, ut victoria plures numeros sequeretur. Primo jactu Sveciæ Regi senarius in singulos obtigit; qui victorem se gerens frustra eum deinceps jacturum monuit. Norvegus autem, concussus intra volam taxillis, respondit; *idem senarius adhuc remanet, quem Deus facile sursumvertere potest est*, primoque jactu prodierunt. Iterum Rex Sveciæ totidem adeptus, nec Olafus Norvegus propterea fortunæ suæ diffusus eo minus jactum iteravit; evenit autem ut alter talis senione insignitus, alter vero bipartito ruptus in unâ superficie canem, in aliâ senionem ostenderet; atque hoc modo decem & tres numeros sortitus victor evasit, cesitque possessioni ejus paræcia. Nec plura eo conventu notata. Mutuâ in posterum amicitiam utrinque difessum, Norvegiæ Rege Vicham urbemque primariam Tunsbergam repetente, ubi parum moratus inde provinciis aqvilonaribus lustratis proximo autumno in Thrandiam rediit. Fortè dum provincias Uichæ præteriret, spectrum Odini humana forma sub nomine Gestis, brevi pallio, promisso pileo, ei apparuisse *codex Flat*: tradit, postulatoque aliquantisper aulicorum convictu, ad Regem ductum cum rerum antiquarum notitiâ se commendasset, promptè & expeditè propositas quæstiones enodabat; tandemque eò audaciæ procescit, ut quæreret, *quænam ethnicorum Regum potissimum emulari vellent?* cumque Rex respondit, *nec se Regum, sed nec hominum ullum, à vero Dei cultu alienum, sectaturum*, regessit Gestus, *futurum illum eundem, qui jam esset; illud quæri, si quis eorum imitandus esset, quænam potissimum deligeret?* Tum Rex respondit; *neminem quidem, ad cuius exemplum vitam formarem: si tamen alicujus, salva Christianâ religione, mores certè & magnificentiam Hrofi Krakii emularer.* Tum Gestus, *Ergone illum deligis, qui ne in comparationem venit cum illo Rege, qui animi corporisque & fortuna dotibus omnibus instructor, non modo victoriam de hostibus semper reportavit; sed aliis etiam, quotiescunque voluit, communicavit, rei quoque pœtica artifex.* Rex, intellecto spectro, librum sacrum, quem manu tenebat, capiti ejus impegit. Mox immersum pavimento disparuisse visum est.

Eodem itinere Rex tumulto Olafi Geirflada-Alfi adeqvitanis interrogatus à quodam fertur, *an ibi aliquando conditus fuisset*, mox respondisse, *nunquam animam suam in duo corpora distractam fuisse, nec hoc in presenti seculo, neque cum mortui resurgent, futurum.* Atqui, respondit ille, *fama circumferi, te, cum novissime huc accederes, dixisse; hic fuimus, & hic incedimus.* Ille vero id sibi excidisse serio negabat, parumque commotior calcaribus

caribus eqvo subditis properè discessit, longumque iter Nidarosiam usque emensus est. Convectis, quæ ad usum hybernium necessaria erant, ibidem pacificè hybernavit, magna rerum tranquillitate, tum certè totius regni, quod Haraldus Pulchricomus tenuerat, Monarcha, atque adeo solus, ut ne quis esset, qui Regis titulum cum illo participaret. Partem, quæ Sueciciæ Regis erat, pacificationibus consecutus, quæ Danorum, vi tenuit, parique libertate atque reliquis provinciis rexit, Knuto Daniæ Rege id temporis Angliam Daniamque imperio tenente, qui plurimum in Anglia residens res Danicas per præfectos administravit, nullâ ad id tempus de Norvegia controversiâ motâ.

His circiter temporibus Eymundus, Hringi Heidmarchiæ Regis filius, ejus qui Hræreki frater, regno pulsus, in Norvegiam paternamque ditionem multis piraticis navibus instructus rediit; cognitiqve tantâ rerum vicissitudine, concione advocatâ, deliberare cæpit, armisne eam repetere anniteretur, an Regis Olafi gratiam experiretur? certum professus, præter titulum Regium nihil sibi erepturum. Erant enim adoptivi fratres, pari ætate, & ejusdem educationis focii apud Sigurdum Syrem & Hringum Eymundi patrem alternis enutriti, iisdem artibus exercitiisque excolti, expeditionumque contubernio conjuncti, etiam cum Olafus in Angliam moveret, quos tunc quoque Ragnar Agnaris filius, Ragnaris Ryckelis nepos, Haraldus Pulchricomi pronepos, inter plures nobilissimæ prosapiæ juvenes secutus est: postea vero ab invicem separati, ille patriam repetivit, isti vero solennibus piraticæ studiis invigilantes, terrorem & clades morte seculi latè circumferebant. Quod vero vulnera familiæ salvo honore pristinam conjunctionem non admitterent, nec residui amoris igniculi mutuas injurias, cessurum se contestatur, inque Russiam concessurum: cui tunc à morte patris Valdimari tres ejus filii, iniqua patris divisione discordes, præsidebant: Burislaus eorum veterrimus Kænugardia, parti totius Gardarichiæ, seu Russiæ maximæ, Jarisleifus Holmgardiæ, & Vartislaus Paltesciæ (Saxoni Lib. II. pag. 21, urbs est Peltisca, Stephanio notis ad eundem locum pag. 66. Policka Ruthenis dicta, hodie Plefcovia) & subiectis provinciis, id quod etiam Ragnare socio fecit. Quod ubi Olafus cognovit, nimis serò id sibi relatum questus est: non mirum: illum sibi majorem in modum insensum, illum tamen sibi placandum statuisse, si convenissent; virum quippe, quem unum præ omnibus præcipuis ornamentis, excepto Regio titulo, condicorare destinasset; sed notam sibi virtutem illius, cui nihil arduum aut irvium. Illa enim sibi, quocumque contenderet, amplissimam fortunam fabricaturum. Nec aberravit à scopo: magno enim Norvegorum, novarum rerum tædio solum vertentium, comitatu auctus ad Jarisleifum Holmgardiæ Regem Holmgardiam classe sexcentis armatis instructâ proventus comiter excipitur; cum non ita pridem Ingigerdem, Olafi Sueciæ Regis filiam uxorem acceperit. Gesta Eymundi in Russiâ codex Flateyensis fusè describit, fratrum nimirum Burislai & Jarisleifi prælia, Eymundi que stratagemata, dum toto triennio Jarisleifo meruit, donec Burislao bis fuso, tertio demum bello in suis ipsius castris occiso, debellatum esset; inde quæ inter Vartislaum & Jarisleifum intervenerunt, cum Eymundus ad hujus partes transisset: tandem memorabili Eymundi astu composita, postquam Reginam Ingigerdem, medium agmen intereqvitantem, ex insidiis erumpens, occiso derepentè eqvò, cui insidebat, per socium Ragnarem ex improvviso abreptam in potestatem Vartislai redegit. Kænugardia (Chunegardia) Vartislao, Paltescia fiduciario jure cum Regio titulo Eymundo, totiusque

regni custodia & defensio data, etiam in hæredes, si liberos sustulisset: sed cum his moriens careret, permissu Jarisleifi testamento in Ragnarem translata. Vartislao brevi deinde mortuo, solus Jarisleifus totius Russiæ hæres & Monarcha factus est; Comiti Rognvaldo Aldeigiuburgi possessio ut prius confirmata. Hæc ex Islandorum, qui Eymundi militiam secuti, dum Butislao occideretur, interfuerunt, relationibus descripta videntur, quorum nomina Biornus, Garda - Ketill (ita fortè dictus à Gardarichia (Russia) ubi militavit) Askell, & duo Thordi. Garda-Ketilis meminit *Oddus Monachus* in fabulosa narratione de Ingvare Multivago.

CAP. XIX.

THORKELIS NUTRITII ACCESSUS AD
SANCTUM OLAFUM HOC EODEM ANNO, EJUS-
DEMQUE CAUSÆ ALTIUS REPETITÆ DESCRIBUN-
TUR EX HISTORIÆ ORCADEN-
SIS CAP. XII.



Hoc eodem anno Thorkell Nutritius Orcadibus metu Comitis Einaris profectus ad Sanctum Olafum pervenit. Singula *Historia Orcadensis* fusè describit. Cum autem pariter ad historiam Norvegiam pertineant, totum propemodum caput, pluraque alia; quæ hic omitti nequeunt, huc inferre operæ pretium duxi.

Secundum mortem Sigurdi Comitis, filii illius adultiores, Sumarlidius, Brusius, & Einar, Orcades & Hiallandiam æquis portionibus inter se dividebant, transmarinis provinciis Katanesia & Sudurlandia Thorfinno fratrum minimo permissis; eum namque avus maternus Scotiæ Rex Melcolmus (nostris Melkolfus pronunciatur) Comitem creavit, earumque ditionum possessionem confirmatione Regia stabilivit. Cum autem Rossaviæ, Moraviæ, & Dalorum hic nulla mentio fiat, licet suspicari, Comitem Sigurdum aut earum possessione ante mortem excidisse, aut nominum confusione huic Sigurdo a scriptoribus attributa, quæ priori Sigurdo competeabant. Thorfinno itaque tenello tutores dati sunt. Ut autem primum adolevit, haut obscura avaritiæ ingeniique audacis & animosi belloque dediti indicia prodidit. Dissimilia singulis fratribus ingenia erant; vasto Einar alta semper spirabat; vultu truci, sermone infvavi, animo immiti, & ad bella magis quàm subditis expediret propenso, adversusque pericula interrito. Brusius mitis quietusque & otii studiosus, eloquio facundus, mansuetusque & tractabilis. Sumarlidius ei per omnia similis, natu quidem maximus; sed qui omnium primum in fata morbo solutus improlis concessit. Quo mortuo Thorfinnus insularis paternæ ditionis trientem postulabat, tunc quidem, cum patri succederet, controversum, jam vero fratris morte sine ullo dubio sibi debitum. Obstitit Einar, discurans Katanesiam & Sudurlandiam, quas communis pater antea tenuerat, trientem Orcadam excedere. Æqvior Brusius, plus se, quàm quod jus sibi addiceret, possessione complecti velle negans, cessit Thorfinno trientem, quem Sumarlidius possederat. Quem Einar quasi derelictum confestim occupat, armisque detinet, atque ita insularis paterni imperii bessem adeptus potens divesque evasit; nec tamen redditibus istis contentus continuo gravi-

que militum delectu ad excursions piraticas subditos fatigavit, & tantum non opibus exhausti: verum haut semper felici successu domum reditum est. Inde coloni exhauriri facultates, filios periculis absque intermissione hostiumque telis objici, multos etiam absumi, dolentes, nequicquam ad obferatas aures querelas suas deferebant. Nihil enim in conscribenda ad militiam nauticam juventute à pristina consuetudine vel omisit vel mutavit; unde rerum omnium caritas, mox etiam fames secuta, eam insulæ partem afflixit, quæ imperio ejus paruit; abundabant autem, quibus frater Brusius, in conservandis tum tuis, tum etiam subditorum facultatibus, quam acquirendis vir melior præfuit. Inter proceres Orcadenses longè præstantissimus Amundius habebatur; opibus enim & dignatione & prudentiâ omnes insulanos anteivit. Prædium Sandvicham in Hrosleyæ (nunc Pomonæ) promontorio Hlaupandisnesia (vel Lopandisnesia) incoluit: cui filius pari indole & virtute, nomine Thorkell, juventutis insularis facile princeps. Cum nihil à solito rigore Comes Einar in rapiendis ad piraticæ usum rusticorum liberis remitteret, fessi tandem subditi opem Amundii, instante vere, implorabant; obnixè orantes, ut preces suas, quas penuria omnium rerum, durum illud necessitatis telum, expresserit, ad Comitem deferre ne gravaretur, eumque apta oratione edoceret, quo in statu civium res versarentur. Quibus ille moderatè respondit: *intractabilem esse Comitem, nec civium quantumvis æquis precibus mites unquam aures præbuisse; sibi quidem in præsens amicum, si tamen dissensus interveniret, edum se, tum illum, ingenio esse, ut metus sit, ne tandem res ad periculum spectet; Se itaque aures ejus, quas mitigare non possit, nec odiosis querelis fatigaturum.* Desperato patris auxilio filium sollicitabant. Diu multumque reluctantem tandem exorârunt, ut petitis annueret. Nimis id præpropere promissum patri visum est: sed quod jam retractari non posset, etiam cum periculo præstandum. Proximo igitur conventu à Comite indicto Thorkell gravamina civium, simul etiam supplices preces, exposuit: *fame macerari plebem, distractis qui agros colant, fenum secant, fabriles operas exercent, piscatu vel aucupio communem inopiam sublevent, patriam continua bellorum tempestate civibus orbari: iis enim alendis onerari, qui ad operas omnes aut inutiles essent, quippe manibus aut pedibus truncati, aut aliquo sædo vulnere deformati propriis etiam matribus fastidiosi redeant, vel nimia licentia efferati omnes labores detractent.* Quibus benignè auditis, responsum accepit: *intercessioni ejus tantum daturum, ut cum sex navium classem hæc æstate expedire proposuisset, jam tribus se contentum futurum; caveret tamen, ne sæpius hæc postulata iteraret.* Magno verborum honore Comiti gratiæ à Thorkele; cum ingenti omnium assensu, nec ei minores à plebe, actæ sunt. Hac tam parvâ manu eo tempore, contentus Comes autumnino rediit; proximâ æstate amissum militum paucitate lucrum majore delectu reparaturus. Durissimâ igitur conquisitione, cum vere novo clasarios cogeret, iterum Thorkell colonorum precibus victus pro iis deprecabatur. Hac pertinaciâ majorem in modum offensus Comes gravamina hac interpellatione plebi se aucturum non levaturum respondit: *intantumque, crescente ira, excanduit, ut vix sui potens publicè minaretur, proximo foro alterum eorum haut saluum excessurum: atque his dictis solvit conventum.* Quibus cognitis, Amundius filium periculo iræque Comitis subducturus in Katanesiam ablegavit, mansitque longo tempore apud Comitem Thorfinnum, eique, dum tener esset, educationis officia præstitit, *Æsir*; id est nutritius, proinde cognominatus. Complures alii præ-

stantiorum civium sævum Einaris imperium subterfugientes, aut in Norvegiam, aut alias regiones, plurimi tamen in Katanesiam ad Thorfinnum concesserunt. Is postquam adolevit, legatos ad fratrem Einarenum denuo misit, trientem Orcadam postulatum. Quod ubi negabatur, classem Katanesiâ in insulas direxit; nihilo segnius Einar, armis eum prohibiturus, copias contrahit. Videns autem Brusius fratrum contentionem, publicam quietem eversuram, ipse quoque, quantumvis ingenio ab omni certamine alieno, militem conscribit, seque paci conciliandæ medium interponit. Quæ his conditionibus coaluit, ut Thorfinno triens insularum cederet, nihil imminutâ possessione reliquarum in Scotiâ provinciarum. Brusius autem & Einar divisas antè ditionis partes in unum conferrent, Einari administratione & tuendorum finium cura commissa, hac lege, ut qui eorum diutius viveret, utramque partem hæreditate caperet. Inæqualis & iniquus mutua istius adoptionis contractus visus est, eo quod Brusio filius esset, Einari vero nullus. Hoc ita ad verbum ex avtographo reddere placuit; cum inde elicatur, Orcades fuisse ex eorum feudorum genere, quæ masculina vocant, nec ad fæminas transeunt.

His peractis Thorfinnus, suo triente gubernatorum administrationi commisso, ipse potissimum in Katanesiâ resedit. Einar piraticis excursionibus Scotiam, Hiberniam, & Bretlandiam singulis æstatibus infestabat, non autem semper pari fortuna. Congressus enim cum Konufögge (nescio quo) Hiberniæ Rege in Ulfreksfiordo, ut antea memoratum est, magnam cladem accepit, quam Nordmannis, duce Eyvinde Urahorne, adscripsit. Eum igitur sequente æstate ex Hiberniâ in Norvegiam navigantem, tempestateque in celebrem Orcadam portum Afundurvogum abruptum, ibique diutius detentum, Comes instructa classè invasit, captumque occidit, maxima sociorum parte dimissâ, qui eodem autumno MXIX in Norvegiam redeuntes Regi necem Eyvindi retulerunt: quam licet graviter ferret, verbis tamen temperavit, prout solebat, quoties graviter læsum se sentiebat.

Interea Thorkell Nutritius in Orcades, ad colligenda tributa Comitæ Thorfinno debita, missus fit certior, Einarenum sibi imputasse, quod Thorfinnum ad extorquendum sibi trientem insularum instigasset, eoque nomine infensum, oportunitatem se de medio tollendi anxie querere. Quanta igitur potuit celeritate commissum sibi negotium expedivit, & quæ percepit, Thorfinno retulit. Adjecit præterea; *si intra terras Einaris imperio subjectas, aut vicinas illis provincias, morandum esset, vel sibi vel ei moriendum: remedium ergo discrimini vitando fore in remotioribus a potestate ejus terris tutum exilium.* Probato consilio Thorfinnus svasit; *ut Norvegiam Olafumque Regem peteret, principum quippe convictui aptum, illum breviter mansuetum faciliemque Regem sibi conciliaturum; imò ubicumque terrarum degeret, in magna existimatione futurum.* Paruit consilii Thorkell, eodemque autumno ad Olafum profectus, comiter per integram hyemem excipiebatur, brevi que gratiam Regis tantam consecutus est, ut ad secretiora consilia adhiberetur. Fuit enim rerum gerendarum mirè peritus. Interea de rebus Comitum ita coram Rege disseruit, ut faciliè, cum de Einare parcius loqueretur, in Thorfinnum prior appareret. Itaque appetente vere Rex navi ad eum directâ amicè illum ad se invitavit; nec Thorfinnus honorem à Rege sibi exhibitum, oblatamque ultro gratiam, abnuvit. Ad eum itaque profectus summo studio excipitur, magnamque æstatis partem ibi moratus, sub discessum instructissimo myoparone donatur,

tur: qui proinde se sequentem Thorkelem, navigio, quo in Norvegiam vectus erat, pariter remuneravit. Cum ad Orcades redissent, Comes Einar, collectis copiis classiqve impositis, excubabat; Brusius vero ad utrumque profectus eos inter se reconciliavit. Receptus & in gratiam Thorkell, cui confirmandæ securitatis causâ convivia invicem exhibenda utriusque injungebantur. Primò Comes à Thorkele in prædio Sandvicha excipi debuit, hic vice versa digredientem inde domum ad quod ipse instruxerat; sequi. Magnificè omnia à Thorkele apparatus ingenti alacritate exhibebantur, nihilque intermissum, quod ad Comitum honorem facere posset. Verùm tristis ille & severus, nullum exhilarati animi indicium præbebat. Hoc tenore totum convivii tempus procedebat. Quo finito Thorkell domum secuturus, moras de industria nectebat; præmisit enim speculatores, qui vias explorarent; hi autem redeuntes tribus diversis locis armatas cohortes in insidiis abditas; & procul dubio in caput ejus subornatas, retulerunt. Quo cognitò, necessarios suos colonosque evocatos expectabat, prætextisque aliis atque aliis longioris moræ causis Comitem detinebat: qui impatiens, tempus profectionis dilabi, excusatione domesticorum negotiorum eludebatur. Oblongum erat triclinium, brevioribus parietibus, binis ex adverso foribus, sibi invicem oppositis, interitum. Focus in pavimento stabat. Comite in superiore loco sedente, illum focumque intercurrentes Thorkell, nunc per has, nunc per illas fores, aut intrabat, aut exibat; ad alias armata phalanx, viciniâ excita, satellitibus Comitum insciis, stabat. Cum novissimè ingrederetur, Islandus quidam, nomine Halldor, eum comitatus, fores eas clausit, ante quas Comitum milites in excubiis erant. Quærenti tandem Comiti, *accinctusne esset itineri?* *iam se paratum esse* respondit; simulque sublatum gladium in caput ejus ingenti ictu dejecit; qui cum è celsiore sede in vicinum focum præceps rueret, idem Islandus, cæteris negligentia increpatis, eum inde extractum juxta pulpitem collocavit. Egressus itaque per alias quam intravit fores Thorkell a suo præsidio excipitur. Satellites Comitum, ubi eum mortuum deprehenderunt, subito casu consternati, animos ab ultione avertent, duce quippe destituti; reque adeo inopinâ percussi (omnia enim sincerè ab utraque parte, sopitis inimicitias, agi putabant) plurimi etiam inermes, pars Thorkeli amici, adversus præparatas ad defensionem vires fortunamque viri, eum ad meliora servaturam, si quid tentassent, damnum profectò se sensuros prævidebant. Dilapsi itaque Thorkeli nullò impedimento fuere. Ille nulla interposita morâ naves expedit, inque Norvegiam post primas hyemis noctes pervenit, statimque magnis itineribus ad Olafum Regem profectus, benignè excipitur, gratior hoc facinore perpetrato, quòd cum occupatâ cæde, cui destinatus erat, se ipsum conservasset, tum etiam hostem Regis satellitisque ejus percussorem sustulisset: mansitque hac hyemem apud Regem.

CAP. XX.

REX OLAFUS NIDAROSIÆ DE STATU
CHRISTIANISMI SOLLICITE INQUIRIT, IN NAUMU-
DALUM HALOGIAMQUE PROFICISCITUR, CONVIVIISQ; EX-
CIPITUR, ASMUNDUM GRANKELIS FILIUM
IN MINISTERIUM ASCISCIT, NIDA-
ROSIAM REDIT.



Nno MXIX. cum Olafus post pacificationem cum socero Nidarosiam rediisset, Thorkell Nutritius Comitibus Einaris metu ad eum profugit, eademque hyeme apud eum, ut dictum est, permanfit. Anxiè tunc in Christianæ religionis statum inquisitum, relatumque, aqvilonarem Halogiæ partem cognitionis illius plane exfortem: sed & multa in Naumudalo ac interiore Thrandia limam requirere. Visum itaque Regi in remotiora, & primò quidem Halogiam adfitaque, proficisci, usque ad extremos imperii sui limites: decretaque in sequentem æstatem expeditio incolas partium illarum variè affecit. Appetente vere, anno MXX, quinque naves navalesque socii cum satellitibus, numero trecenti, delecti, cursusque in Naumudalum directus: evocati que in curias cives, ubique fidem Regi sacramento obstrinxerunt, moreque seculi Regem pronunciarunt. Mox leges nuper latæ promulgatæ; adjecta vel capitis, vel membrorum, vel omnium bonorum publicandorum pœna, nova sacra adversantibus, secundum obstinationis modum vel gradus, irrogataque supplicia multis, idque absque ullo fortis statusve respectu, nec prius discessum, quam omnes & singuli in religionem jurassent. Plurimi procerum civiumque opulentiorum per universam Halogiam sumptuosa convivia in adventum Regis apparasse memorantur; in primis tamen Harechus, insulæ Thiottæ dominus, magnificis epulis & opiparo convivio excessisse, adhibito magno procerum viciniisque excito præcipuorum civium numero. Is Regio genere satus, Eyvindi Skaldaspilleris (seu poetarum crucis) filius, viri ut nobilis, ita parva in re, cujus tempore pauperes coloni, sed multi, insulam inhabitabant. Villam ibi exiguam primò emerat, ubi cum paucos annos resedisset, expulsi omnibus; universæ insulæ possessionem solus obtinuit, magnificamque domum exstruxit: cumque Reges, qui præcedebant, arcto propinquitatis nexu attingeret (avia quippe paterna Gunnhilde Comitibus Haldani ex Ingibiorge Pulchricomi filiâ pognatus) essetque vir prudentiæ opinione celebris; & in rebus gerendis impiger, præcipuum apud eos gratiæ locum jamdiu tenuit, provinciæ, ubi habitabat, præfectus, Finnemarchiæ præfecturæ interdum solus, interdum cum aliis commune regimen; ut & commerciorum privilegia longo tempore obtinuit, omnium Hålogensium faciliè ditissimus. Jam vero ad senilem ætatem provectus, necdum Regem accesserat, per nuncios tamen amicæ mentis pignora, etiam hac ipsa, quæ præcesserat, hyeme intervenerant, jam vero, auctâ colloquio convivioque gratiâ, præfectus constitutus, eandem quam prius Regum indulgentiâ sortem tenuit. Inde ad magni nominis virum, Grankelem vel Granketilem dictum, ad convivium invitatus Rex processit, lautæque exceptus magnisque muneribus donatus discessit. Fuit Grankell ætate senex, junior vir insignis, pirata memorabilis, robore artiumque usitatarum exercitiò nobilis: quem filius Asmundus non modo æquasse, sed etiam superasse perhibetur; formæ quippe venustate, virium robore artiumque usitatarum peritiâ, exercitiorumque dexteritate, Norvegorum, qui ut quàm fuerunt, tertius habitus, secundum Haconem Adalsteini alumnum & Olafum Tryggvinum maximus: cujus admiratione captus Rex multis verbis eum, ut se comitaretur, invitavit, assecutusque in satellitium, mox in intimam gratiam, admisit. Maxima ætatis pars in Halogiâ per singulas curias Christianis sacris publicandis, civibusque initian-

dis transacta. In Biarkeya Thorer, cognomento Hundur (seu *Canis*) districtus illius longè opulentissimus satrapa creatus est. Opulentiorum colonorum filii permulti Regem inde proficiscentem comitabantur. Affecta ætate in Thrandiam reditum, ibi hiems proxima exacta, quo tempore Thorkell Nutritius Orcadibus post cædem Comitis Einaris Distorti Oris rediit.

CAP. XXI.

THRANDI AD IDOLOLATRIAM REVERSI A REGE PUNIUNTUR CUM ANTISTITE SUO AULVERE, EJUS UXOR DATA KALFO ARNINO, CUJUS PATER FRATRESQVE DESCRIBUNTUR.



O autumno Thrandiam adversus frugibus annus longæ fertiliæ seriei succedens afflixit, gravis tamen provincias septentrionales, pro cujuscunque situs ratione, in orientalibus autem, ut & Uplandis, facilis annona, Thrandiam quoque superioribus annis collecta frumenti copia levavit. Eodem tempore Rex per exploratores cognovit, interioris

Thrandiæ cives initio hyemis frequentibus convivis magna convivia celebrasse, poculis omnibus, more veteri, a suis consecratis: macetatis insuper bobus equisque, aras sanguine imbutas, sacrificiaque perpetrata hac precationis formula: *Pro annone restitutione*: facile enim constituisse, iram Deorum conversione Halogensium ad Christiana sacra provocatam. Missis igitur nunciis, certos quosdam civium Rex ad causam dicendam arcescit. Inter hos eminebat Aulver de Eggis, a prædio, quod incoluit, ita dictus, vir potens & nobilium propinquorum viribus succinctus. Hic Regi crimen intentanti civium nomine respondit; *nullas commissiones sacras isto autumno, nisi sœveta convivia, aut circulares comotationes fuisse*, (Hvirfingæ dicitur *extraordinarias comotationes vertit Verelius*, cum tamen etiam hodie obtineat, rusticos domesticatim convivari, ita ut qui convivas exceperit, eos discedentes ad vicinum sequatur, donec omnem viciniam percurrerint) *nonnullos etiam amicos invitasse. Quod autem tibi dictum est, Rex, inquit, de Thrandorum nostrorum formulis verborum in bibendo, ita est, ut homines providi & cordati sibi ab ejusmodi verbis cavere possint. Quid autem stulti & cereviciâ insani dicant, ego præstare non possum.* Cumque esset Aulver vir disertus & audax, causam civium alacriter defendit. Rex ipsos sibi quandoque testimonium perhibituros præfatus, singulos dimisit. Deinde per hyemem monitus, frequentes in Mæria confluxus ab iisdem fieri, sacrificiaque magnifica mediâ hyeme ad pacem cælique mitem hybernâ constitutionem consequendam institui, eorum prudentissimos iterum ad se in urbem evocat. Qui conventu habito, quid factu opus sit, consultant, singulis, qui causam prius coram Rege propugnârant, iterum fortunam periclitari detrectantibus, exoratus Aulver, iterum ad Regem orator proficiscitur. Ut vero expostulantem audivit, quòd sacrificia mediâ hyeme ethnicis solennia peregerissent, negabat cives istius criminis reos esse. *Celebravimus, inquit, festiva gaudia & hilaria Jolensia, atque comotationes late per territoria; non enim tam parcè instituant rustici convivium sua Jolensia, ut non supersint magnæ reliquæ continuandis comotationibus. Præcipua hic in Mæria civium est multitudo, & ædificia ampla, frequensque circumcirca*

circumcirca vicinitas; quæ omnia ad augendam letitiam faciunt, ut multi una computationibus indulgeant. Ad hæc commotior Rex, deludi se, suppressâ veritate, certus, abire eos jusfit; se tamen ea, quæ jam negarent, diligentius exploraturum, monuitq; quicquid huc usque peccatum esset, ne iterarent. Festo Paschatis anno MXXI. Rex multos urbanorum provincialiumque civium convivio adhibuit: eo vero finito naves apparari, vela, remos, velamenta, instrumentaque omnia expediri, inque portu statui jusfit. Interea villicum suum, nomine Thoraldium, prædio Halogio curiæ Veradali præfectum, accivit, remotisque arbitris, *Verane essent, quæ affuit, quæ de interioris Thrandiæ civibus ad idolorum cultum conversis sibi delata essent? eum ad hoc referendum sibi, utpote domino, obligari.* Is respondit; *primò te scire velim, me uxorem duosque filios, univesaque mobilia, quæ transportari poterant, hanc in urbem convexisse, quo tutius tibi, quæ exploraveris, referrem, certus, si vera, te meis rebus consulturum.* Rex periculum securum esse, quæque vera essent, edicere jusfit. *Hæc itaque accipe,* respondit: *quamvis interioris Thrandiæ cives quidam sacro fonte abluti sint, prope tamen univesi, quæ religionem, pagani sunt.* *Conseverunt enim singulis autumnis sacrificium ad propitiandam hyemem, aliud media hyeme, tertium sub æstatem, ad eam propitiandam peragere.* Collegium istud Eimenses, Sparbyggii, Verdälenses & Schenenfes constituunt. *Præsumt his duodecim viri, jamque Aulverem ordo tangit, qui quæ ad convivia sacrificiaque magnificè instituenta desiderantur, magno labore in Meria conquirit; quò omnia, quæ usus requirit, transportata sunt.* His cognitis, absque mora copias ad sonum tubæ convocatas per naves disponit, magistrisque singulis præficit, ususque vento commodo celeri cursu sequenti nocte omnibus improvisus in Mariam pervenit. Mox circumfessæ singulæ domus, captus Aulver cum multis aliis, jussuque Regis ilico occisus, apparatus convivii omnis, ædiumque ornatus cum pretiosis, adeoque omnia, quæ hinc inde eò convecta erant, ad naves delata, prædæque titulo inter Regios stipatores militesque divisa: nec domus eorum, qui præcipui hujus facinoris authores erant, persecutionem evaserunt: alii capti, inque compedes conjecti, alii bonis exuti; quidam cursu insectantium manus aufugerunt. Mox ad comitia singulæ provinciæ excitæ, metu Regis, quòd multos potentiorum civium cognatos amicosque in potestate haberet, omnis defectionis vel rebellionis consiliis, comparebant, obsequiumq; in posterum promittentes fidem Christianam profesși sunt: sacræ aedes sacerdotesque constituti, qui quæ ad promovendam Christianam fidem facere videbantur, summo studio procurarent. Aulver jure cæsus judicatus, ejusque possessiones, mobilia, immobiliaque Regio fisco addicta. Aliorum, qui in culpâ maxime participabant, membra truncata; alii in exilium acti; alii pecunia multati, quidam etiam occisi: deinde Nidarosiam reditum. Aulveris vidua in Regis tutelam recepta, paulo post Kalso Arnino, nuptias ejus à Rege expectanti, elocata; donatæ insuper possessiones omnes Aulveri erectæ. Ipse satrapa interioris Thrandiæ constitutus in magnum virum evasit, sapientiæ opinione in primis celebris. Datum id amicitæ patris Arnii Armodi filii, Thorsteini Galgii nepotis, viri magni, satrapæ opulenti, numerosaque prole memorabilis. Filii præter Kalsum Finus, qui una cum Kalso in aula Regis magno in honore vixit, Thorbergus, Amundius, Kolbiornus, Arnus; filia Ragnhildis, uxor Harechi de Thiotta. Annus hic erat regni Olafi secundum exemplaria

MSS. septimus.

CAP:

CAP. XXII.

BRUSIUS ET THORFINNUS ORCADUM
COMITES IN NORVEGIAM NAVIGANT, IN CLIENTE-
LAM REGIS CONCEDUNT, THORKELEM NUTRITUM REX
IIS OB CÆDEM FRATRIS RECONCILIAT, INSULARUMQVE
DUAS PARTES BRUSIO TRADIT, TRIENTE THOR-
FINNO RELICTO.

Secundum cædem Einaris Brusius duos insularis imperii trientes sibi vindicabat, vi contractus inter eos novissimi, quo convenit, ut superstes in omnia defuncti bona succederet. Thorfinnus pactum legi inimicum juri suo præjudicare posse negabat, cum ad se iusta hæreditate excludendum neutri eorum jus vel potestas fuerit: ideoque partem dimidiam insularum ut Brusius sibi redderet, postulabat, sed frustra in præfens, utramque enim eâ hyeme (*codex Flat: duas hyemes haber*) detinebat. Isti controversiæ dirimendæ conventus indictus; ubi proceres se frustra interponebant. Neque enim Thorfinnus juri hæditario quicquam decedere, nec Brusius contractui vim fieri passus est. At fortiori quidem jure Thorfinnum nixum perpendenti constat, si ipsius consensus non intervenerat: quia tamen Brusius, dum litteram inter fratres composuit, pacis & concordiæ reducendæ & stabiliendæ, cum publicâ civium, tum privata suorum causâ motus ad iniqua pacta suo damno descendit, Thorfinnum quoque, qui præfens interfuit, trientemque controversum, annitente suoque jure decedente Brusio, vi illius pacti adeptus est. Consensus præsumptio est; consensus autem hac occasione vel retractasse vel limitasse, non abhorret ab illius ingenio: dixerat enim Brusium ea indole esse, ut unico saltem triente contentus esse posset. Brusius ad hæc respondit. *Cum de paterna hæreditate controverteretur, triente se contentum fuisse, quem etiam nemine requirente possideret: jam de hæreditate fraterna, novis pactis firmatâ, quæstionem esse: se quidem, quantumvis fratri viribus impari, jus tamen suum aliquâ honestâ ratione tueri malle, quàm eo hoc statu decedere.* His dictis conventus solutus. Videns autem potentiozem esse fratrem, quàm ut vim ejus sustinere posset, (nam præter populosas Scotiz provincias, quæ illius juris erant, avi etiam materni Scotiæ Regis auxiliis fruebatur) in Norvegiam trajecit, adducto secum filio Rognvaldo, tantum decenni, jam tum quidem domandis piratis adhibito, (teste *vita Thorgeiris Havarði Islandi*, qui ei tunc temporis militabat, versuque Thormodi Kolbrunnæ poetæ, S. Olafi satellitis celeberrimi, quo popularem suum fratremque adoptivum Thorgeirem celebravit) profectusque ad Regem benignè exceptus est. Ut verò statum controversiæ inter se & fratrem Thorfinnum exposuit, auxiliumque Regis ad jus suum propugnandum, sua vicissim operâ studioque oblatò, efflagitavit, respondit Rex Olafus: *Haraldum Pulchricomum omnia Orcadam allodia proprietatis jure acquisivisse, quæ deinde Comites in fide clientelari, nunquam in proprietate, beneficio ejus tenuerint.* Formula vero illa de allodiis, quorum mentionem Olafus injectit, ad verbum expressa, in *codice Flateyensi*, ut & *vetustiore alia membranâ*, existat. Rex jus suum postulatorumque æquitate vel exinde liquido patere affirmat, quòd exactus regno Ericus Blodoxius, denique filii e-

jus, Comites Orcadenses in obsequio habuerint. *Cum vero agnatus meus, ait, Olafus Tryggvinus eò delatus est, juramentum fidei pater tuus Sigurdus ei præstitit; atq; ego in omnem hereditatem ejus successi. Exigo itaque, ut solenni homagio præstito, clientem vasallumque meum te profitearis, atque ita insulas in feodum in posterum meo beneficio accipias; fac denique periculum, tibi jam ipso jure fratre potiori meum, an ei Scotiæ Regis subsidium magis conducat. Hanc si conditionem aversaris, nos tamen nihilominus possessiones prædiarum, quæ majores nostri agnati in transnarinis occidentis regionibus possederunt, recuperare nitentur.*

Ingentem animo sollicitudinem inopinata Regis postulata incusserant; ergo quicquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secreta meditatione pensans, tandem consilantium sententiam requirit, proinde conjiciens, *subjiceret se Regi, imminutam fore libertatem; si vero subjectionem abnueret, plane amissam, hoc certè rerum suarum statu, cum in potestatem ejus reciderit: neq; enim eum, quippe pertinaci ingenio Principem, ceptis destitutum, prius quam ea ad optatum decretumq; finem perduxerit: parvi omnino pensurum, quamcumq; fortunam sibi fecerit. Itaq; quamvis utraq; conditio plurimum acerbitatis haberet, Regi tamen se submittere cum universa ditione hereditariisq; provinciis omnibus, velle. Quæ omnia & singula ejus potestati jurejurando permisit, atq; ita in ejus clientelam transit. Ut vero Thorfinnus fratrem in Norvegiam profectum cognovit, ne quid sibi inde damni emergeret, provifurus, statuit & ipse eò navigare. Incitabat tum pristinae Regis gratiæ magna fiducia, tum purpuratorum favor & studium ad causæ suæ patrocinium propensum, quod præsentia suâ accendi; plures etiam in partes trahi posse, minime dubitat. Iter itaque summa festinatione maturat, redditusque littori Norvegico ad Regem celeriter properat, omnium, quæ inter eum & Brusium convenerant, ante adventum ignarus: neque enim in mentem venerat, Brusium in clientelam Regis concessisse. Lætus adventu ejus Rex, tanquam de cælo misso munere, quod absque ullo periculo, Diis quasi porrigentibus, sibi posterisque jus in insulas asserere, eosque ad regni obsequium revocare istâ occasione liceret. Ei itaque, quæ inter se Brusiumque acta essent, simul etiam argumenta pro jure suo militantia, eodem ordine, quo Brusio, luculenter exponit, idem ab eo obsequium trinitis, quem teneret, de ditione pari juramento exigens. Thorfinnus subterfugia quærens callidè ad singula postulata respondit: *promeruisse Regem, ut si res cum hoste esset, ei quam ericissimè auxiliaretur, ejus enim sibi gratiam ingens ad utramque fortunam momentum: in clientelam autem concedere hanc sibi integrum, cum isto obligationis genere Scotorum Regi antea devinctus sit. Cognitâ tergiversatione, Rex, si subjectionem abnueret, aliam insulis se præfecturum minatus est. Caveret autem ejus securitati, jurando se illum nullo modo infestaturum; quod si in horum neutrum consentire vellet, planum esse consilia perniciose cogit: cum ergo ab eò sibi metuendum sit, nec se iniquè facturum, si sine securitati quam optime caveat. His auditis, Comes tempus ad deliberandum, deque tanta re cum iis, qui sibi à consiliis essent; conferendum, postulat. Quo impetrato, id in integri anni spatium extendi requirit, liberum interea reditum ad suos, domi enim præcipuam consilium esse, se verò puerum ætate, tantis rebus decidendis imparem. Rex ubi jam esset, ibi deliberare, deliberataq; concludere jussit. Interea Thor-kell, tunc in aula Regis, per occultum nuncium Comitem monuit, ut temporis præsentis, quam præteriti, ubi esset, quam undè venisset, Norvegiæ quam Orcadum aut Catanesiæ meminisse mallet, nec persuaderet sibi reditum**

in patriam sui arbitrii futurum, ni se prius omnemque controversiam, non ita pridem una cum ipso in Regis potestatem a fortuna translata, arbitrio ejus permitteret. Durum videbatur patrimonium in Regem transferre; durius etiam sacramento confirmare, quietam ejus possessionem illis futuram, ad quos nullo sanguinis jure pertineret: præsentis tamen necessitatis consiliique Thorkelis ratione habitâ, exemplo fratris in clientelam fidemque Regis se cum triente insularum dedit. Ingeniorum discrimen in fratribus Regi statim observatum. Altum Thorfinnus sapiebat, ideoque post deditio- nem ad reliqua facilis, cum nullas condiciones à Rege propositas abnue- ret, suspectum se de promissis majori levitate rescindendis, juramentoque per occasionem violando, reddidit: quippe potentiâ fiduciâque Scotiæ Regis inflatus, facile se extortum vi patrimonium recuperatum speravit. Brusius moderatus suisque contentus, uti alienis non inhiabat, ita nec suis privari volebat; tardè igitur & providè in cætera consensit. Inde majorem constantiæ & perseverantiæ fidem meruit, ut qui segnissimus ad pacta faci- enda, tegnius etiam ad rumpenda videretur futurus.

His ita constitutis, Rex frequentem conventum indixit, quò etiam Comites ambo vocati convenerunt: ubi populum his verbis affatus est. *Eo sine convocavi vos, cives, ut quæ inter me & Comites Orcadenses conven- runt, cognosceretis. Orcades enim & Hiattlandiam, mei juris provincias, se- que meos vasallos agnoscunt, & in posterum profitentur; id quod jurejurando stabiliaverunt. Itaque feudi jure, quantum singuli antea habuerunt, iis proinde permitto, nempe suum cuique trientem, sed residuum eum, qui Comitis Ei- naris fuerat, mihi adjudico, in multam scilicet cædis satellitis mei unice dilecti Eyvindi Urarhornis, quem is occiderat, cui præficiam, ipse providebo. Volo autem, Comites mei, vobis reconciliatum Thorkelem, me arbitro, si vobis ita placet. In hoc perinde ut alia fides ab iis sine morâ data: spondit & Thorkell se judicio Regis fisci; nec plura eo in foro acta sunt. Rex Comitem Einarem tribus satrapis seu baronibus æquabat, indictamque Thor- keli multam triente minuit, quod à Comite insidias sibi struente ad vim prævisam propulsandam provocatus eò vel invitus processisset: residuum Comitibus in satisfactioem adjudicatum.*

Rebus ita compositis, Thorfinnus discedendi potestatem postulavit; quâ impetratâ, summâ festinatione reditum maturat. Omnibus paratis, cum in navi quodam die potaret, ex improvviso Thorkell ad genua ejus prociens, gremio caput, arbitrio ejus commissum affirmans, imposuit. Comes, *quò hoc, ait, lite jam judicio Regis decisâ? Jussus ergo Thorkell surgere, cum se erexisset, quod ad Brusium, inquit, attinet, judicium Regis colam; tu vero pro arbitrio, quicquid volueris, statue: neque enim me lateat, invito te intra Orcades mihi nequaquam tutum: quantacumque possessionum mearum securitate per Regem pactâ aut definitâ: itaque si tibi ita cordis est, ju- rabo me nunquam illuc rediturum.* Ad hæc Comes conticuit; post aliquam deinde moram: *quandoquidem, ait, meum judicium Regio præfers, me jam in patriam proficiscentem comitaberis, manebisque apud me, quamdiu volue- ro, nec absque veniâ discedes, ad imperium meum defendendum, aliæque ne- gotia meo nomine peragenda, quoad vixerimus, obstrictus; de pecuniariâ multa postea statuum.* Thorkell se in potestate ejus sine exceptione futu- rum pollicitus sponsione & juramento fidem obligavit, statim eum, cum primum licuit, discedentem comitatus. Hæc dies conspectum Regis & Comitibus colloquiaque in posterum mutua diremit. Brusius quoque ad pro- fessionem se parabat, verum lentè, ne nimia festinatione agendorum aut

in usus suos comparandorum quicquam negligeret. Prius autem quam discederet, Rex eum advocatum ita affatus est. *Cum imperium nostrum ultra Oceanum extensum in transmarinis illis oris fido custode indigeat, te potissimum deligere placet; ne vero meâ clientelâ inminutus videaris, adjicio trienti tuo etiam meum, qui Emaris antea fuerat. His viribus auxilioque meo fra- tri Thorfinno ad insulas defendendas habet imparem te futurum animadverto. Fidem filio apud me relicto oppignerabis.* Grata erat Brusio trientis contro- versi accessio: qui sine ulteriore mora, relicto filio, amicè dimissus, domum sub autumnum pervenit, liteque victor duos sibi trientes vindicavit.

CAP. XXIII.

REX UTRAMQUE MÆRIAM RAUMS-
DALUMQUE LUSTRAT, SACRORUMQUE CHRISTIA-
NORUM CURAM GERIT, INDE AD UPLANDOS, TANDEM
ETIAM IN GUDBRANDZDALOS, PROCINCTUM MOVET, EJUS
CUM GUDBRANDI FILIO PRÆLIUM ET VICTORIA, GUD-
BRANDI ET CIVIUM CONVERSIO, OMNES UPLANDÆ CHRIS-
TO CONSECRATÆ, OTTAR NIGER IN SATELLITUM
ADMITTITUR, LEGES HEIDSÆVEN-
SES INJUNGUNTUR.



Secundum eadem Aulveris transactionemque cum Comitibus Orcadensibus Rex, utraqve Mæria lustratâ, eodem autumno in Raumsdalum pervenit, ibique relictis navibus, terrestri itinere in Uplandas concessit. Lesiæ & Dofræ visitatæ, incolæ ad Christiana sacra adacti, refractarii morte multati; quidam fuga sibi consulebant; converforum filii obsides dati, ecclesiis sacrorum præfides præfecti; nox in prædio Boris transacta; inde per Orodalum & Liardalum iter usque Stafabreckam directum. Mediam villam fluvius Otta secans, amænas villas longo ordine ripis utrinque distingvit, quæ uno nomine Loar appellantur: quas cum Rex procul inspiceret, palam damnum earum, incendio jamjam delendarum, questus mox copias omnes in vallem deduxit. Prædium Nes diversorio delectum, in superiore contignatione quinque noctes exacta: quam absque reparatione ad sua usque tempora integram constitisse scriptor, quem explicamus, asseverat. Inde signum conventus circumlatum, accitque Vagi, Lonis, Hedaliqve incolæ, denunciatumque, arma opponerent, ni incendi villas suas vellent, aut etiam in Christi cultum concederent. filiis obfidibus datis. Quidam imperata faciebant, alii Dalos versus diffugiebant. Gudbrandus illo tempore Dalorum principatum tenuit, titulo baro, auctoritate Rex, Sigvato poëta ditionis amplitudine Erlingo Skialgio comparatus, antiquo Gudbrandorum stemmate fortè oriundus. Hic cognito, Regem incolas Loarum ad sacra Christiana perpulisse, universos Dalorum civis telò belli nunciò ad villam Hundþorp ad se convocavit. Ingens multitudo confluit, maxime oportunitate vicini lacus, Lauar dicti, qui navibus transmitti solebat. Ibi in publico foro refert, virum quendam, nomine Olafum, in Loas pervenisse, novæ religionis præconem, imperareque ut suos Deos singuli & universi confringant, miraque vesaniâ suum Deum omnibus majorem potentiorumque affirmare; stupendum, blatu terre nondum ab-

*sorptum, qui ore sacrilego tam impia non vereatur effutire, Deosque talia permittere; certum esse, si Thorem in hac sua villâ constitutum templo efferant, Olafum ejusque Deum ad ejus conspectum cum universo satellitio ut ceram liquefieri, inque nihilum redigi. Ad hæc omnes magno clamore vociferabantur, nunquam incolumem inde rediturum: sed nec videri aufurum ulterius in valles progredi. Mox septingenti in Breidam aqvilonem versus præmissi, præfectusque Gudbrandi filius, octodecim annorum, codici Flateyensi nomine Alfus, datiqve curatores ex præcipuis. Ubi in prædium Hofdeventum est, tridui mora multos, qui ex Lefis, Lone & Vagis, Christianismi odiò profugerunt, attraxit. Interea Rex cum Episcopo Sigurdo, constitutis Lone Vagisque ecclesiæ ministris, transitâ Urgurauste, Usæ pernoctabat: ubi per exploratores cognitum, imminentes sibi hostiles rusticorum copias; adque eorum famam incolas quoque Breidæ armatos se illis junxisse; itaque ut primum lecto surrexit, per campos Suuvollos in austrum profectus in Breida substitit, armatasque cohortes in aciem ordinabat; quam prævectus ipse rusticos allocutus, ut Christo nomina darent, adhortabatur. Illi alios ei ludos experiendos afferentes inconditum clamorem sustulerunt, scutisque concrepantibus impetum minabantur. Quo viso, qui circa Regem erant, conjectis in eos hastis, propius investit, adeo illos terruerunt, ut protinus effusa fugâ sibi quoque confulerent. Magna inde strages, captusque Gudbrandi filius: quem Rex cum quatuor dies apud se detinuisset, incolumem ad patrem remisit, cum mandatis, ut de adventu suo certiorum eum faceret. Qui reversus, cum suorum cladem, turpemque in limine pugnae fugam, captivitatemque suam & clementiam Regis, mandataque ejus de proprio Regis adventu exposuisset, magno opere svasit, ne iterum belli fortunam adversus eum periclitaretur, jam tanto quàm antea debilior, quòd ex tantis copiis soli ducenti essent residui. Ad hæc Gudbrandus, perspicuum, ait, excusam ei audaciam animumque dejectum, cumulatamque ignominiam conatum, eo super omnia memorabilem, quòd Regis quoque, qui ipsi contumeliam, comitibus ejus cladem intulerit, delirius & insaniam fidem adstruxerit. Eadem nocte visus per quietem Gudbrando vir facie clarâ, sed formidabili, sibi assistere, hisque verbis alloqui. *Vides, quàm infelix filii tui adversus Regem Olafum expeditio fuerit; tu tamen damnum clademque longe majorem accipies, si te opposueris; occumbes cum universo exercitu, unâ cum illis à lupis & corvis dilaniandas. Territus hac visione, eam ad Thordum Istrumagium, qui quoque Dalorum Princeps erat, detulit: qui eandem sibi quoque oblatam memorabat. Sono itaque tubæ universis convocatis, promulgat, placere pacificè congregari cum viro illo, qui ab aqvilone cum novo dogmate proficiscatur, ejusque vim & veritatem explorare, filiumque cum duodecim comitibus jussit regredi ad virum illum, qui ei pepercerat; qui profectus conventum expeti, atque interim inducias, denunciabat. Rex accepit conditionem, eumque ad patrem remisit. Inde prædium Lidstadas profectus, post peractas ibidem quinque noctes, ad conventum, uti convenerat, pluviali die concessit; exurgensque in foro, Læsarum, Lonis, & Vagarum cives in Christi cultum concessisse, delubra diruisse, fidem suam vero Deo cæli terræque rerumque omnium conditori addixisse, pronuntiavit, iterumque confedit. Ad hæc Gudbrandus: *De quo Deo sermo sit, plane ignoramus. Eumne Deum appellas, quem neque tu, neque ullus aliorum videt? Noster certe Deus est quolibet die conspicuus, nocte non sub dio, pluviam obstante, cujus cum primum vires molemque & formidabilem potentiam videritis, mirabimini.***

in forum vero productus, quantum, queso, terrorem pectoribus vestris incurriet? cum autem jaces tantam Dei vestri potentiam, fac ut crastinâ die, cum iterum conveniemus, cælum nubibus obducat, ita tamen, ne pluat. Inde Rex in diversorium filio Gudbrandi obside comitatus rediit, à quo de habitu idoli sciscitatum, cognovit in formam Thoris effigiatum, statura ingenti, interius cavum, malleum manu tenens, pulpito, dum foras deportatur, imponi, auro argentoque grave, quatuor expansis panibus carnibusque singulis diebus sustentari. Cæteris cubitum euntibus, Rex universam noctem insomnem ardentibus precibus traduxit, primaque luce ad sacra, deinde jentatum, ibat; inde ad forum. Habitus cæli, ut Gudbrandus præscripsit, memoratur. Episcopus togâ indutus, mitram capite, baculum manu gerens, oratione ad populum mirabilia Dei exposuit; quâ finitâ Thordus Istrumagus, *Multa, inquit, loquitur cornutus ille, qui baculum in modum cornu arietis incurvum tenet; cum autem vos tot Dei vestri miracula predicetis, eum assamini, ut diem crastinum serenum, nulla nube impeditum, nobis in concionem redeuntibus, exhibeat: quo facto litem hanc vel amicè componemus, vel armis decidemus.* Rex ubi in diversorium rediit, misit, qui singula rusticorum navigia eadem nocte terebrarent; alios, qui eqvos eorum e singulis villis in abdita remotioraque abigerent: ipse precibus per totam noctem intentus de tantarum rerum successu Deum devotè sollicitabat. Mane sequentis diei, postquam publicis precibus interfuisset, forum accessit. Fuit vir quidam Kolbeinus, ab ingenti robore Robustus cognominatus, inter satellites Regis, Fiordis oriundus, qui gladio semper amictus clavam gestare solebat: eum sibi à latere eodem die Rex constituit. Quidam rusticorum in foro aderant, major tamen pars appropereans ingens simulachrum auro argentoque coruscum devexit, cui universi & singuli, qui ibi congregati erant, inflexis corporibus obviam procedentes honorem exhibuerunt. Constitutum in medio foro, ab alio latere rustici, ab alio Rex ejusque comites spectabant. Exsurgens deinde Gudbrandus, *ubi nunc, inquit, tuus Deus, ô Rex? barbarie demittit? an & vigor ille hesternus hodieque tibi cornutoque, qui tibi assidet, quem Episcopum appellatis, constat? quo pridie insolescentes in præconis Numinis vestri ampullabamini; jam enim noster, qui omnia regit, præsens adest, vosque limis intuetur oculis, unde repens consternatio, ne coram quidem spectare sustineatis. Mittite itaque stultam persuasionem; credite in nostrum Deum, qui omnem nostram sortem pro arbitrio regit & moderatur.* Dixerat Gudbrandus. Sed Rex Kolbeinum subornavit, ut se concionante, dum ab idolo singuli oculos averterent, ictu quam possêt maximo idolum feriret: deinde assurgens; *Tu quidem, inquit, Gudbrande, copiosis verbis exprobras, Deum nostrum in conspectum non produci, quem tamen mox proditurum scimus, minarique nobis tuo Deo caeco surdoque, aliorumque auxilio indigenti, quem simul ac loco movendus erit, tristi fato obnoxium prævideo. In orientem oculos convertite, ibi jam Deus noster magno cum lumine procedit.* Omnibus oculos convertentibus, Sol in ortu apparuit; cum eodem momento Kolbeinus tanto ictu idolum percussit, ut collisum in partes minutas decideret. Inde mures felium magnitudine, lacertæ & serpentes erumpentes conspecti sunt. Rustici autem subito metu consternati in diversa fugiebant; alii ad naves, jam inutiles, ulteriore fuga prohibebantur, alii ad eqvos conquirendos, sed longius abactos, eorum usû destituebantur. Revocati igitur à Rege in forum redeunt: quos hunc in modum affatus est: *Equidem nescio, quid tumultus iste, quid fuga tam præceps sibi velit. Vires vestri Dei,*

Dei, quæ fuerint, præsens dies docet. Aurum, argentum, cibum potamque in eum abundè ingessistis; quibus mures, serpentes, lacertas, ranasque aluistis. O miseram sortem auxilia, tutelam, fortunæque suæ præsidia a talibus exspectantium! aurum vestrum, gemmas, argentumque, sparsa per hunc campum recipite, aptiora uxoribus vestris ornamenta, quam lapidibus aut lignis. Adsumt duæ conditiones, alterutram eligite, Christianam religionem profiteamini, aut armis mecum decernite. Victoria penes eum sit, cui eam nosler Deus addidit. Tunc Gudbrandus assurgens. Magnum quidem damnum, inquit, Dei nostri interitu acceptum est; cum tamen sibi succurrere nequiverit, par est ut in illius cultum concedamus, quem tu colis. Mox Gudbrandus cum filio ab Episcopo baptizatus, relictique in Dalis verbi Dei ministri, amicitiaque inter Regem Gudbrandumque contracta postea viguit, ab eoque templum in Dalis fundatum.

In Heidmarchiam inde profectus Rex, univèrsam ad Christi notitiam perduxit, pastores per parœcias disposuit, templa ædificari initiatumque curavit; desiderabantur enim multa; neque enim prima lustratione post captos Reges exactosque, in penetralia provinciæ proficisci licuit, irritatorum ingeniorum, factionumque Regiarum insidiantiumque metu. Jam vero inter domitos, præfectorumque Regiorum metu coercitos, imperioque assuetos, omnia tutiora. Heidmarchiâ univèrsa in Christianum morem manserata; per Thotniam & Hadalandiam itum, neque prius, quàm incolis Christianis ritibus imbutis, discessum. Hringarichia deinde visitata; ibi quoque, quæ ad Christianam fidem confirmandam desiderabantur, abundè provisa. Cives autem Raumarichia, de adventu Regis certiores, non immemores se professi novissimi transitus, copias contraxerunt, eiq; ad fluvium Niziam, Nitiam, vel Niciam, obvii, numero longè superiores, prius eum adorti sunt, sed mox in fugam acti, clade sua Christianam religionem lucrati sunt. Univèrsa inde provincia lustrata, Christiana sacra recepit. In Soleyas, inde ortum versus profectus, totam provinciam ad nova sacra convertit. Ibi obviam habuit Ottarem Nigrum, qui satellitio ejus inscribi postulavit, quod Olafus Sveo Sveciæ Rex eadem hyeme in fata concessisset. Hic ob carmen, quo Reginam Astridem imprudentius celebravit, offensam Regis incurrens in carcerem conjicitur; monitu autem Sigvati, mutatis strophis, quæ offenderant, carmen aliud in Regis laudem composuit, idque triduo, quo custodia detinebatur. Inde revocatus, coram Rege causam cognituro (capitis enim anquirebatur) carmen ante pedes ejus confidens decantat; quo finito, sine respiratione, sicut instructus erat, Regium orditur, cuius principium exstat. Aulicis autem objurgantibus, eumque conticere jubentibus; *planum est*, inquit Sigvatus, *penes Regem esse pœne pro lubitu irrogandæ arbitrium, etiam si priori poemati hoc quoque subjungat: sed nos præcontum Regis audire juvat.* His conticentibus, Rex quoque haud invitas aures præbuit: finitoque carmine, cum Sigvatus artificium laudasset; *præmium*, ait Rex, *carminis caputium reportabis.* Ille, licet haut niveum, (niger enim erat) quovis tamen munere acceptius respondit; mox detractâ brachiò armillâ a Rege donatum, Regina quoque exempto digito annulo ornavit: quo nomine à Rege reprehensa respondit. *Quandoquidem ille laudes suas compensaret, nec sibi in culpam vertendum, quod ejus exemplum sequeretur.* Carmen, quod Regi exhibuit, *Idæudættun*: capitis redemptio, appellabatur. Exinde magnâ gratiâ & diu apud Regem remansit. Sub exitum hyemis in Raumarichiam Rex revertit, inque eo loco, ubi exinde forum Heidsævensè celebratum est,

est, populosum conventum egit. Ibi constitutum, inque codicem legum relatum, ut Heidsåvenses leges, ab Haldano Nigro primò latæ, omnibus Uplandis aliisque, qui iis postea usi sunt, communes essent. Appetente vere ad maritima itum, navesque præparatæ, quæ Regem Tunsbergam devexerunt; ubi diu moratus est, dum maxima hominum frequentia, diverforumque è variis regionibus mercatorum, omnis generis merces urbi invehentium, conflatus fieret. Inde laxior per Vikam magnamque regni partem annona Stadas usque, per Septentrionalia difficilior.

CAP. XXVI

EINAR THAMBASKELFIR IN GRATIAM RECIPITUR, ERLINGUSQUE REGI CONCILIATUR.



Odem vere Rex trumenti, farris & polentæ, Agdis, Rogiâ, & Hordiâ evectiones nunciis vetuit; destinarât enim, more recepto, provinciarum istarum statum magno comitatu recognoscere. Ipse interea in Vichâ æstate exacta, ad limites usque orientales regni profectus est. Classè Gothalbiæ provectò, Einar Thambaskelfir è Svecia, ubi à morte Comitissæ Sveni, quamdiu Olafus vixit, præfecturam gessit, prædiisque uxori Berglioti dotalibus in Thrandiam migravit, Rege in Vicha autumnoque & prima hyeme Sarpsburgi remanente. Is vere sequente Tunsbergam profectus Erlingum Skialgium, ab Aslacho Fitiaskallio propinquo suo accusatum, ad causam dicendam evocavit. Erant autem patres eorum Thorolfus Skialgus, & Askell Aslaki pater, patruelis: sed Aslakus apud Regem gratiosus, amplis in Sunnhordia officiis præfectus est, jus suum adversus Erlingi injurias fortiter propugnare jussus. Verum Erlingus, quamvis fiduciaria bona multo minora quam antea obtineret, omnes tamen cives a Sogniæ sinu ad promontorium Lidandisnesiam metu suo adeo coërebat, inque obsequio tenuit, ut contrâ hifcere nemo auderet, sed nec Aslakus quidem, quantumvis Regis præfectus, absente Rege, provinciam satis ex officio administrare potis erat, ideoque Regi injuriam propinqui questus in adventum Erlingi Tunsbergæ detinebatur: quem præsentem Rex his verbis affatus est. *Te, Erlinge, imperium adeo severè adducteque exercentem accepi, ut inter finum Sognicum & promontorium Lidandisnesiam ne unus quidem restet, cui libertas integra, quanquam ibi hanc pauci sunt, qui gentilitio jure tibi pares, æquali sibi homini colla subdere indignantur. Præstò est propinquus tuus Aslakus, immodicam istam vim nimium, ut perbibet, exuperius: an suis meritis, an eo, quod meas res, quibus præfectus est, curet, ambigo, nec is solus hæc queritur, sed multi præterea provinciarum villarumque præfecti, quibus mei satellitumque nostri comitatusque excipiendi, conviviarumque instruendi cura mandata est. Ad hæc Erlingus: Nego, inquit, sive Aslaco sive ulli alii in culpam imputari, quod negotia tua gerant; illud constiteor, inter propinquos nostros jamdiu emulationem fuisse, singulis primas sibi vindicantibus. Nec minus illud constitebor, sponte, nec ulla ex parte invitum, me colulum tibi subdere, Thororem autem Solum, virum paterno maternoque genere servili, quantumvis villicum tuum, aliosque pari natu, à te licet honoratos, invitum revereor. Mox communes Regis Erlingiq; amici se interponentes mon-*

monstrârunt Regi, nullum Erlingo toto regno parem, neque qui majori usui ei esse possit, si fidam ejus & sinceram amicitiam sibi obligaret. Ab alia parte Erlingo svaferunt, cedendum Regi; ejus quippe gratia obtentâ reliqua omniâ ei prona fore. Amica itaque compositione convenit, ut missis expostulationibus, Erlingo Regia feuda, quæ tenuerat, confirmarentur, Skialgusque ejus filius in Regis famulitium adscriberetur. Atque ita Aslaks & Erlingus ad sua redierunt, in speciem reconciliati; Erlingo tamen nihil de pristina administrandi consuetudine remittente. Sed nec inter Regem & Erlingum amicitia diuturnior, cujus labefactatâ causam sororis Erlingi filius brevi præbuit: quam altius repetitam ordine enarrabo.

CAP. XXV.

ASBIORNI SORORIS ERLINGI FILII GENUS, PARENTES, MAGNIFICENTIA, PROPECTIO AD INSULÆ KORMTIS PRÆDIUM AUGVALDZNESIAM, ET ERLINGUM SKIALGIUM, REDITUS AD AUGVALDZNESIAM, VECTURÆQUE JACTURA.



IN Halogiæ provincia Aunde celebre prædium Thrandarnesiam vir opibus potens, magna dignatione, Sigurdus Thoreris filius, Thoreris Hundi de Biarkeya frater, incoluit, nullâ parte frate, nisi quod Regiâ præfecturâ carebat, minor. Uxor ei Sigridis Skialgi filia, Erlingi soror: filius ex illâ Asbiornus, magnæ spei adolescens. Consvenerat Sigurdus ethnicismo durante tria sacrificia qualibet hyeme celebrare; primum ineunte hyeme, secundum mediâ, tertium sub ætatem (bipartito enim annum veteres diviserunt, autumnò & vere, cæteris partibus annumeratis.) Postea verò quam Christiani cultui se addidit, consvetum morem retinuit, quoad commissationes, ita ut in autumnò amicos ad se invitet, mediâ vero hyeme commissationes Jolenses, invitatis quàm plurimis, celebraret, tertium Paschatis tempore, & eam quidem convivis satis frequentem, eumque morem, quamdiu vixerat, observavit: quem etiam morbo absumptus filio Asbiorno juveni annorum octodecim cum hæreditate paternâ tradidit; cujus is observantissimus. Tria quoque singulis hyemibus convivia instituit. Paucis ab obitu patris annis sterilitate & fructuum inopiâ laboratum est; moris tamen patrii tenax veteris frumenti reliquias in convivia erogavit. Cùm verò subsequentes anni nihil de sterilitate remitterent, vitum est matri morem istum, vel in totum, vel ex parte, antiqvandum; quod cum sibi pervaderi nollet Asbiornus, magnam frugum partem vel per autumnum coëmit, vel ab amicis dono accepit, atque ita eadem hyeme sumptus conviviorum more solito sustinuit. Vere autem proximo, cum quæ ad serendos agros requirerentur, deficerent, etiam domesticorum mercenariorum partem exauthorandam mater svaferat: id cum minus placeret, æstasque frugibus adversa eandem proven-tus inopiam minaretur, accederetque rumor mandati Regii, quò frumentum ex australibus provinciis efferri vetabatur, expers consilii Asbiornus, cum nullam in vicinia comparandi, quæ ad sustentationem domus faciebant, nedum sumptuosa convivia sustentanda, occasionem affulgere ani-

madvertit, ea quæ remotiora circumspicere cepit. Erat ei lembus magnitudine navibus mercatoriis, quæ regiones internavigare solent, parum è statione propellit, optimè instructum abarmamentis, in primis velum variis coloribus distinctum exornabat: viginti nautæ asciti. Navigatum in austrum Karmfundam usque, delectaque exitu diei statio ad Augvaldznesiam. Celebre ibi prædium, nec longâ à mari distantia, inter tamiaca Regia id temporis nominatissimum; præfectus ibi villicus Thorer, cognomento Selus, seu Phoca, vir genere ignobili, industriâ creverat, lautè vestiri, intrepidè animi sensa, interdum nec satis cogitatè, effari, rebus etiam alienis se ingerere consuevit; immittis, nec id sine successu, postquam Regia eum gratia afflavit. Ibi nocte ad anchoram exactâ, primâ luce Thorer, assumptis quibusdam comitibus, navem accedit, & quinam tam ornata navis rector esset, quærit, & quonam tendat? Asbiornus annonâ se diritate coactum, ad frumentum & polentam coemendam tam longam navigationem eò, ubi magnam horum abundantiam proficere comperiret, instituisse, respondit, quæritque, an vendere velit? fruges enim magnas ibi conspicuas; se quoque in beneficio reputaturum, quod ulteriore navigandi labore liberetur. Thorer levaturum se eum isto onere pollicitus, ut nec ulterius nec aliò per Rogiam ad emendas fruges proficisci opus habeat; *domum enim, ait, redi, istud tibi commodissimum, neque enim alibi venales sunt, mandata Regio obstante, qui in septentrionalia idgenus merces avehi prohibuit.* Ad hæc Asbiornus; *quandoquidem tam longum iter institui, lubet irvisere cognatum meum Erlingum de Solio, ejusque domum inspicere, ne omninò de nibilo tam longa peregrinatio suscepta videatur.* Thorer quantâ propinquitate eum attingeret, cum quævisisset, Erlingumque avunculum ejus esse cognovisset; *temerè fortè locutus sum, ait, si tu Rogensium Regis nepos es.* Mox Asbiornus, remotis tentoriis, statione exiit; quem inclamans Thorer; *vale, inquit, meque in reditu accede;* id quod Asbiornus pollicitus est. Sublatis inde velis, eodem vespere in Jadriam pervenit, decem ad navem ministris relictis, reliquis comitatus avunculum accessit, summâ benevolentia exceptus à latere ejus proximè collocatur. Multa de statu provinciarum septentrionalium Erlingus sciscitatus, ubi quo fine eò præfectus esset cognovit, *dolere sibi respondit, quòd irritum iter eò fecerit, cum Rex interdixit frumenta vendi: neque enim esse, qui mandata ejus transgredi ausit, se quancumque obsequii studio, vix tamen offensam Regis præ delatorum calumniarumque turbâ evitare.* Ad hæc Asbiornus. *Serò vera cognoscimus, puer audivi matrem meam omni ex parte nobilem esse, etiam Erlingum de Solio inter necessarios ejus hodie celeberrimum, jam vero constat, ne tantillum libertatis tibi superesse, ut de frumento tuo dispensare possis, quippe servis Regis obnoxius.* Erlingus eum intuitus subridensque, *minus vobis, inquit, Halesiensibus, quam nobis, regni Regi vis innotuit, libero certe ore domi, que placet, eloqui te credam, nec id præter spem, gentis ingenio.* Potabimus hoc vespere, cras de his cogitabimus. Vesperâ hilariter exactâ, postridie Erlingus, quales venditores exigeret, si frumentum venale esset? quærit: *perrinde sibi quales essent, respondit Asbiornus, neque in iis discrimen requiri, modo sua venderent.* Erlingus tantum servis suis frumenti esse, quàmò ei opus esset, affirmat: *illos autem legibus non teneri, jure quippe liberorum bonum societateque exemptos.* Placuit conditio Asbiorno, lembumque frugibus eorum polentâque oneravit, discedensque honorificis muneribus ab avunculo donatus, ferente vento ad Augvaldznesiam sub vesperam delatus,

tus, noctem in statione exegit. De his omnibus certior per exploratores Thorer eadem nocte sexaginta homines congregat, primoque diluculo iis comitatus ad navem Asbiorni, dum se amiciret, properat, eamque conscendit, moxq̄, quas merces veheret, interrogat. Asbiorno vera proficenti. *Antiquum ergo, ait Thorer, obtinet Erlingus, mandata Regis insuper habens. Miram Regis comiventiam, qui tantam superbiam impunitam ferat, multaq̄ in Erlingum & longo tempore ferociter concionatus, ubi destitit, Asbiornus à servis Erlingi se emisit regeffit. Thorer respondit, confutos eorum dolos frustra in presidium causam tam iniquam trahi; iussitque excedere navi, terramque cum comitibus conscendere, neque enim se ab iis coarctari velle, dum eam exoneraret, secus se omnes in mare deturbaturum minatus. Istam vim evitaturus Asbiornus, utpote tantæ multitudini impar, nave excessit. Inter hæc Thorer versicolore carbaso erepto, ejus loco aliud vetustate obsoletum reddidit, testatus eundem ipsum usum vacuæ navi præstiturum. Tantâ contumeliâ damnoque affectus Asbiornus domum sub initium hyemis rediit, non sine vicinorum ludibrio, & magnificentiæ jacturâ, eadem enim hyeme conviviorum solennia interciderunt. Sed & patruus ejus Thorer Hundus eum matremque cum comitatu, quanto velent, ad convivium solense invitavit. Cum autem accedere detrectaret, indignè tulit, contemptum sui interpretatus, jactisq̄ in eum dictariis, *Haut, inquit, mirum me vilisieri, cum proxima estate magnum iter in Fardriam ad avunculum Erlingum frumentatum profectus sit, jam enim proximam domum accedere dedignatur. An & Thorerem Selum semper in qualibet insulâ presentem putat?* Hæc taliaque ad Asbiornum relata præter injuriam ignominiamque in itinere acceptam admodum ægre tulit, nec ad ulla convivia profectus totam hyemem domi degebat.*

CAP. XXVI.

ASBIORNUS DOMO NAVIGANS AUG-
VALDZNESIAM PER VENIT, THOREREM SELUM
ANTE REGIS CÆNANTIS MENSAM CONSISTENTEM OC-
CIDIT, CAPITUR, TANDEM AB AVUN-
CULO LIBERATUR.



Post festum Purificationis longam navem, scalmorum viginti, apparatu insigni expedit, convocatique amicis, centum ex iis in itineris societatem armis abundè instructos delegit; qui in austrum tendentes ut plurimum extra scopulos insulasque absque prævia famâ libero mari navigabant, quintoque a festo Paschatis die ad occidentum insulæ Kormtis latius devenerunt. Insula in longitudinem extensa, sed passim in angustias arctata, publicæ navigantium viæ prætexitur, alibi villis conspersa, alibi sed circa maritima, inculta. Eò Asbiornus appulit. Mox nave in portu collocatâ, nautas omnes se expectare jubet, dum in insulam exspati-entur ad exploranda quæ cognitu digna essent. Vestis ei vilis, pileus promissus; clavam manu, gladium sub veste, gerebat. Longius proventus e colle quodam aedes Augvaldsnesiæ interjectumque fretum, mari terrâque magnum hominum confluum prospexit; causam cogniturus, propius ades accedens, ab iis, qui cibaria apparabant, fit certior, Regem i-

bi convivari, jamque ad cœnam accessisse. Atrium itaque ingressus, nec ulli observatus, per apertas triclinii fores Thorerem Selum ante Regiam sedem consistentem animadvertit. Forte accedit, ut de iis, quæ inter eum & Asbiornum intervenerunt, interrogaretur, quæ falsis aspersa, non sine ejus fugillatione, narrabat; tandemque quærenti, *ut se habuerit, cum navem frumento evacuasset, cum respondisses, utcumque tunc, verum cum carbasum eriperetur, lacrymas non tenuisse*, ultra se Asbiörnus non continuit, quin educto protinus gladio, celerrime triclinium inuestus, uno ictu illi caput præfeceret, quod in mensam ante Regem incidens apparatus omnem sanguine contaminavit, trunco ad scabellum defluente, pedesque Regis pavimentumque irrorante. Mox Asbiornus jussu Regis comprehensus triclinio educitur, elatoque Thoreris cadavere, purgatisque ædibus, Rex, quantumvis iratus, verbis tamen more suo temperavit. Inde exurgens Skialgus. *Spatiosissimus, inquit, campus clementiæ explicandæ, cuius tu palmam, Rex optime, semper obtinuisti, hic se offert: multam cædis pecuniariam, quantum exigis, solvam, vitam tantum membraque viro huic pacifcor, de ceteris omnibus pro arbitrio statue. Ad hæc Rex respondit. Crimine capitale, Skialge, festivæ Paschalis securitatis violatio, alterum cædes in ædibus Regis perpetrata, tertium, quod tibi patrique forte vilescit, pedes mei in usum trunci, decollandis hominibus a carnifice adhiberi soliti, conversi. Skialgus, dolendum, factum, aliàs præclarum, te tam moleste ferre, respondit; quod cum tantopere displiceat, in famulitii mei premium veniam ejus impitari, ne id quidem multorum judicio nimium, exposco. Rex; magna licet mereris, Skialge, non tamen in tui gratiam legibus vim fieri, vel Majestatem Regiam proculcari sinam. Skialgus cum nihil se profecturum animadvertit, protinus cœnaculo egreditur; quem quotidiana servitia, duodecim famuli, multique alii sequebantur. Excedens Thorarinum Nefiolfi filium rogavit, ut si amicitia sua illi cordi, omni ope anniteretur, ne Asbiornus ante proximam dominicam plecteretur. Mox actuariâ nave citato remigio primo diluculo in Jadriam pervenit, tantaque celeritate impetuque domum inuestus est, ut fores superiorum ædium, ubi pater acqvievit, subito confringerentur, qui fragore excitus, omnium, qui ibi dormiebant, primus, gladio clypeoque arreptis, ad fores progressus, quæsito, qui tanto impetu ferretur? ut filium aperiri postulantem cognovit; *hanc mixtum, respondit, si quid insanie inde proveniat. Atqui, respondit Skialgus, cognito nostro Asbiorno ne pro necessitate satis properatum videbitur, qui jam vinculis restrictus in Augvaldzneshâ detinetur. Hæc de Skialgo, qui rem patri omnem ordine retulit. Jam ad Regem Asbiornumque redibo.**

Purgata Regia domo Rex sedem suam repetit, hanc obscura altioris iræ signa vultu præferens, quæritque ubi homicidas? ubi responsum accepit, in custodiâ teneri; curni protinus plecteretur? iterum quæsivit. Thorarino respondente, *nocturnas cædes nefarias reputari, in compedes eum in sequentem diem conjici jussit; id quod factum est, solusque per noctem domo inclusus Asbiornus pænæ reservabatur. Postridie Rex publicis precibus cum interfuisset, necessariis cognoscendis usque ad tempus solennibus sacris celebrandis idoneum vacabat, accedensque templum a Thorarino quærit, assurrexeritne in tantum Sol, ut amicus eorum Asbiornus patibulo suffigi possit. Thorarinus inclinato in honorem Regis corpore respondit. Revertit Episcopus proximo, qui præcessit, die Veneris, Regem Omnipotentem gravissimas injurias sustulisse; beatiorem qui ejus patientiam, quam feralis istius sententiæ auctores, quæ neci adjudicatus est, imitari posset; *cras diem**

diem profectum, nec longam moram. Rex eum intuitus; *Obtinebis*, ait, *ne hodie occidatur: tu modo custodi, tuæ certè vitæ periculo, si quocunque modo elabatur.* His dictis templum accessit. Thorarinus vero Asbiornum exemptum vinculis in cœnaculum deduxit, ciboque & potu appositis, Regis in se minas, si elaberetur, retulit: qui eum securum esse iussit, nihil enim inde periculi metuendum. Longo itaque tempore Thorarinus ad eum illo die mansit, per noctem quoque in eadem domo dormivit. Feriâ septimâ, celebratis matutinis precibus, Rex in frequenti provincialium conventu lites longiore tempore audivit, quàm alias consuevit: inde ad solennia sacra, iisque finitis ad prandium processit, & aliquantisper potabat, quo tempore Thorarinus sacerdoti, cui templi cura, duas uncias argenti in hoc dabat, ut simul ac mentæ Regiæ removerentur, campanâ signum imminentis festi daret. Finito prandio, remotisque mensis, cum captivum à fervis ad locum supplicii duci iussisset, campana sonuit, eodemque momento Thorarinus Regem accedens, ut festi tempore ei parceretur, oratur. Rex custodiâ ipsi mandatâ ad sacra processit. Atque ita illo die apud Asbiornum Thorarinus remansit. Die dominica Episcopus Asbiorno peccatorum veniam, præviâ confessione, annuñciavit, utque sacris meridianis interesset, permisit. Tunc primum Thorarinus Rege adito, ut custodiam illius aliis commendaret, petivit, se enim illius curam amplius gerere nolle. Rex, fide ejus collaudatâ, aliis custodiendum tradidit. Tum denuò in vincula conjectus, sub exordium missæ ante fores templi vincitus statuitur, omnibus interea sacris intentis.

Dum hæc Augvaldsnesiæ geruntur, Erlingus Skialgi filiorumque suorum consilii obsecutus, per telum belli nuncium prope quingentos supra mille viros convocat, omnesque Augvaldsnesiam ducit, dieque dominica, cum textus Evangelii ad altare recitaretur, eò devenit. Omnibus ad templum properantibus, Asbiornus compedibus ferreis eximitur, inque collegium ejus recipitur. Ad eum tumultum armorumque strepitum omnes, qui foris erant, subito templo se inferebant; qui intus, foras prospectabant, præter Regem, qui immotus sacris intentus confedit. Ad utraque plateæ, quæ à triclinio ad templum extenditur, latera Erlingi agmina longo ordine constabant. Ipse triclinio proximus, Regi finitis sacris templo excedenti, recta inter copias viâ cum comitatu suo ad ædes progredienti, adque fores triclinii provento obviam procedens, debito cultu salutem dicit, resalutantemque his verbis affatur. *Compertus*, inquit, *gravi in te commisso iram tuam incurrisse jam capitali supplicio destinatum cognatum meum Asbiornum, vicem ejus haut immeritò, sed etiam te offensum, doleo: huc itaque profectus satisfactionem arbitrio tuo exigendam committo. Videris*, respondit *ei tantum membrorumque exilii gratiam exposco.* *Videris*, respondit Rex, *Erlinge, compositionis arbitrium tibi reservasse, atque idèo tantas copias contraxisse: quorsum ergo satisfactionis oblatio tendat, parum perspicio. Penes te*, respondit Erlingus, *arbitrium erit, sed ita ut reconciliati hinc discedamus.* *Siccime*, inquit Rex, *mene territorius his copiis accessisti? minime effeceris, quicquid tandem moliaris: certe non fugiam. Non est*, ait Erlingus, *quod mihi in mentem revoces, me, quoties bucisque convenimus, copiis inferiorem fuisse, jam vero quid animo sedeat, minime reticebo. Provide ut reconciliati hinc discedamus, cæteroquin plures tecum congressus non periclitabor.* Atque hæc intumescente in iram sanguineâ facie elocutus est. Tum vero Episcopus Sigurdus, quorsum tenderet, prospiciens, Divinæ potestatis vim prætexens, imperavit Regi, ut satisfactionem ab Erlingo obla-

tam, conditionibus, quas expetivit, acciperet, litemque arbitrio suo dederet, vitâ membrisque Asbiorni salvis. Rex accepturum se promisit. Mox Episcopus monuit, ut Erlingus fide iustione satisfactionem stabiliret, Asbiornusque, incolunitate pactâ, dederet se Regi. Paruit Erlingus, datâque cautione Asbiornus potestati Regis se commisit, manumque ejus osculatus est. Mox Erlingus absque ullâ salutatione cum universis copiis discessit. Rex triclinium, comitante Asbiorno, ingressus conditiones edixit, nimirum secundum leges, quibus cautum est, ut qui aulicum Regis occideret, ejus locum, si Rex ita voluerit, subiret; villam Augvaldsnesiam Thoreris loco procuraret. In hæc cum Asbiorno consensisset, veniam reditûs ad domum suam prius disponendam poposcit & impetravit. Inde Rex ad alia convivia processit, Asbiornus ad socios, qui toto illo tempore, dum Augvaldsnesiâ periclitabatur, in abdito portu excubabant, de singulis, quæ gerebantur, per exploratores certiores, reditum prius maturare noluerunt, quàm quid de eo fieret certò cognoscerent; jam verò receptum gavisi domum devexerunt, ab occiso Thore Selo Selicidam in posterum cognominatum. Sed nec diu domi manserat, cum patruo Thoreri Hundo singula causæ illius momenta accuratius exquirenti exposuisset, quibus cognitis; *Ergone, inquit, ignominia, qua primo itinere affectus es, exsolvisse te videris? ita quidem,* ait Asbiornus, *sententiam tamen tuam exquiram.* Edicam itaque, ait Thorer, *neque enim dissimulandum, primam illam profectionem ignominia plenam fuisse, qua tamen demi poterat; hæc autem non tibi solum, sed universæ tuæ familie contumeliosissima accidit, si servus Regis Thoreri Selo pessimo homini equaberis. Id itaque elige, quod dignum te, dignum nobilissimo genere, unde prognatus es, dignum propinquis amicisque tuis omnes arbitramur, hic maneto in paternâ avitaque domo, gentilitiorum prædiorum curam gere, tibi que vroe. Nos tui propinqui auxilium tibi præstabimus, quibus in posterum tutus talia pericula evites.* Placuit consilium Asbiorno, convenitque, ut repudiato Regio famulatio domi maneret, neque deinceps ad Regem rediret. Ab illo tempore inter Regem & Erlingum nova simultas exorta, processu deinde aucta, in sævam tandem hostilitatem desivit.

Ad hunc annum *Arngrimus* Gronlandiam tributariam factam, sed ab eo pacto subinde defecisse, *Specim: Isl. Part: II. membro II. pag: 149. refert.* Meminit & ejus in *Gronlandia sue Cap: III.*

CAP. XXVII.

REX VOSSENSES ET VALDRENSIS AD FIDEM CONVERTIT, THOTNIAM LUSTRAT, INDE THRANDIAM REDIT. EINAR THAMBASKELFIR ANGLIAM PETIT, INDE ROMAM ÆSTATEQUE SEQUENTI DOMUM REDIT. REX MAGNUS NASCITUR.



Odem vere, cum Hordiam Rex Olafus circumvississet, in Vorsiam profectus est, cognitoque Christianum ibi cultum langvescere, in Vangio forum egit; quò frequentes incolæ, sed armati omnes, convenerunt. Jussi Christiana sacra profiteri, ethnica armis vindicare statuebant. Instructâ ab utraque parte,

te acie, cum res ad conflictum spectaret, singulis Vossensium ducis officium detrectantibus. Inde metu perculsi Regi se universi dederunt, ample-xique dogmata, quæ imperabantur, Christo nomen dederunt: nec inde priusquam singulis ad fidem revocatis discessum.

Quodam die, dum inter eqvitandum Rex piis hymnos cantando fa-cris intentus contemplationibus eo profectus esset, ubi tumuli à latere, tum subsistens in hæc verba prorupit. *Perpetua relatione ad posteros tradi velim, ut caveant Reges Norvegia, ne unquam hos tumulos inter-sequant;* id quod pluribus Regibus deinceps observatum memoratur. Tu-mulos istos hodie non extare retulit mihi venerandus *Mag: Gerbardus Mil-zovius.* In sinum Ostrensem inde profectus Rex receptis navibus Sogniam petiit, eamque per æstatem lustravit, autumnum sinum intrat. In Valdre-siam deinde prociunctum movit, magnis itineribus stagnum usque, ubi improvisus omnibus singula navigia interceptit. Indicto foro, locum pro-pe lacum delegit, ut omnium naves, si necessitas exigeret, in potestate haberet. Frequentes ibi cives, armati omnes, Christiana sacra obtru-denti strepitu tumultuque minati conticere eum jusserunt. Intractabiles observans, majorique numero, quam ut cogi possent, ad causas audiendas litesque dirimendas se convertit; consiliò ut in factiones distributos a pro-posito oppugnandi Christianismi distraheret. Mox magna litium messis concordiam solvit, singulis litigantium studiosè necessitudines fautoresque in causæ præsidium conquirentibus, idque toto die, donec vespere con-ventus solutus est. Sed nec tunc quidem rustici collectam turbam distra-hi passi sunt; nam cum primum de Regis adventu certiores facti erant, telo belli indice per universam provinciam misso, omnibus simul liberis servisque convocatis in Regem moverunt; villis maximam partem intra provinciam hominibus vacuis. Quod cum Regem non lateret, naves conscendit, transmittensque transversum lacum agros exspoliat urit-que. Postero die, singulis promontoriis lustratis, interjectis villis faces succendit: quod conspicati, qui in unum congregati, Regem invadere decreverant, mox inter se discordes plurimi domos suas repetebant, si forte uxores liberosque periculis eximere possent. Dissipatâ itaque acie, inque manipulos divisâ, qui conjunctis prius viribus invicti fuerant, non amplius resistere poterant. Itaque Rex, trajecto stagno, ab utroque latere provinciam vastat, diripit, incendit; quâ necessitate coacti manus dede-runt, clementiamque implorantes, obsequium promiserunt. Singulis ta-lia postulantibus parcitum, Christianaque sacra ubique introducta, omnes-que provinciæ ejus incolæ baptizati fidem obsidibus firmabant.

Longa deinde per autumnum mora Regem in templis ædificandis, consecrandis, sacerdotibusque ordinandis, detinuit. Navibus per isthmos inter stagna deductis profectum: nec tamen ad superiora, suspectâ colo-norum fide, quod usque dilatatum, dum asperum frigus aquas congelaret: tum demum Thotniam itum. Incensarum Uplandarum meminit *Arnor Comitum poeta*, carmine, quod in laudem Haraldi Strenui, patris Sancti Ola-fi, fecerat, etiamnum superstitite. Inde Rex per aquilonares valles mon-tem usque profectus, rectâ Thrandiam petivit, ibique hyemavit. Hac eadem æstate, anni nimirum MXXIII, cujus acta descripsimus, Einar Tham-baskelfir in Angliam ad affinem suum Comitem Haconem navigavit, ibi-que aliquantisper moratus, à Rege Knuto, quem simul accessit, magnifi-cè donatus; inde mari transmissò Romam profectus est, sequentique æ-
state rediit, remanensque domi Regem illo tempore non adiit. Erat
in

in aula Regis virgo quædam, nomine Alfhildis, insigni forma, honesto quidem stemmate natuque, sed inter Regias ancillas numerata, cui Rex paucis concisiis affuevit. Hæc nocte quædam, paucis mulieribus, presbytere & poetâ Sigvato, præsentibus, cum partus dolore diutius conflictata, nec sine præsentissimo vitæ periculo puerum enixa est, mortuo quàm vivo propiorem, atque adeo, ut decerni nequiret, an vitalem auram traheret: sed ut primum ægrè admodum respiravit, sacerdos Sigvato suggestit, *Regem necessariò excitandum, sine cuius consensu infans sacrâ Lymphâ abluendus, certo nomine insigniri, absque temeritatis culpâ nequiret: nec initiationis sacramentum absque animæ illius periculo differri.* Is necessitatis articulum agnoscens, non tamen adeo inevitabilem, ut severum Regis interdictum de se non excitando ea propter violandum existimaret, cum constaret, sponte excitari velle; mystæ author fuit, ut is lustrali aquâ infantem perfunderet, ipse nominis imponendi periculum in se susciperet, id quod factum est, pueroque nomen Magni inditum. Manè sequentis diei, postquam Rex surrexisset, quæ gesta essent, cognovit. Accito itaque Sigvato quærit, unde ei tanta audacia, ut filium suum se incio baptizari fecerit? quia, respondit, *duos Deo lucrari, quàm Diabolo unum, malui.* Rex unde salutis tantum periculum? quærit. *Ad mortem, inquit Sigvatus, spectabat infans; si ante baptismum extinctus, procul dubio Diaboli, jam verò Dei. Sed nec te irato ultra mortem puniri poteram, quàm, si jam officio rectè functus, te exigitate, non evadam, Deum tamen habebo propitium.* Qui, inquit Rex, puerum Magnum appellasti, nomine familiæ nostræ ignoto? *Caroli Magni, respondit, viri, quem toto orbe optimum novi, nomen ei aptavi.* O vir quidem, ait Rex, *verè fortunatus! nec mirum, sapientiam fortunam sequi: sequi autem insipientes, consiliaque stultorum promovere, quod sepe contingit, magis mirandum.* Probavitque Rex animi vultusque hilaritate factum. Is puer deinde adlevit, tandem etiam Rex Norvegorum potentissimus evasit. Ab eo deinceps Magni nomen in posteros Reges, deinde etiam alios, profluxisse videtur.

CAP. XXVIII.

DE ASBIORNI SELICIDÆ CÆDE.



Eperat Regem impetus atrocissimam injuriam, novâ perfidiâ contemptuque cumulatam, in Asbiorno (Selicida vindicandi; quem cum amicorum præsidiis sedulaque curâ septum cognovit, privatis certè nimium, præsidibus vero arctiori nexu illigatum, quàm ut per eos exequendi vindictæ spes affulgeret; præfecturam Halogiæ, quam Harechus de Thiottâ eousque totam, partim Regii beneficii, partim rationum reddendarum titulo tenuit, eodem vere (erat autem anni MXXIV.) inter eum & Asmundum Grankelis filium partitus est, adque ejus administrationem eum ablegavit, cum occultis mandatis, ut Asbiornum de medio tolleret; qui ad Harechum cum triginta comitibus armatis devectus, mandatum Regium signaque id confirmantia exhibuit. Is jus conferendi præfecturas penes Regem respondit, *insoletum tamen antecessoribus ejus, eorum jura, qui familiâ Regiâ orti jus ad eas haberent, imminuere, inque rusticorum filios, qui eas nunquam antea gesserint, conferre.* Paruitque mandata Regio, partem provinciæ cedendo, quantumvis invitus. Inde Asmundus ad

ad domum paternam rediit: ubi parumper moratus, mox in septentrionalia Halogiæ jurisdictioni suæ subiecta concessit. In insula Langeya duo fratres, Gunnsteinus & Karl, viri opulenti, magna existimatione, habitârunt, usitatorum exercitiorum apprime gnari. Gunnsteinus ætate major œconomia curâ, cultu corporis Karl præstabat. Ad eos Asmundus, dum reditus provinciæ colligeret, divertit. Karl animo elatior, Asmundum comitatus, ejus commendatione satellitio Regis inferi cupiebat, id quod is mirè probans suam quoque operam venditabat. Interea de Asbiorno Selicidâ sollicitus, omnes ejus actiones, aditus, egressusque per exploratores rimabatur: jamque certior factus, eum ad nundinas, quæ Vogis quotannis celebrabantur, profectum, iter ejus stationumque vices & tempora explorabat; cumque nec eum ex facie, nec navem, quâ vehi solebat, nosceret, egit cum Karle, quem in lecti societatem admiserat. ut utrumque sibi indicaret. Jamque ambo ad australia profecti, interdum tranquillo cælo remis innixi, multas è nundinis Vogensibus naves ad sua redeuntis obvias habuerunt. Inter cæteras Asbiornus Selicidâ, cum nautis circiter viginti; domum repetens occurebat; quem ut primum sinu egressus est, conspicatus Karl, cum probè nosceret, Asmundo fugerit, aut se omnino falli, aut obviâ navi Selicidam vehi; erat enim valde conspicua, carbasis coloribus distinctis ornata, in rubrum albumque tincta. Cognitâ nave, eum ipsum quoque sibi monstrari postularet: *ipse est, inquit, qui ad gubernaculum cæruleâ veste amictus sedet*; quem in transitu conspicatus Asmundus; *hanc igitur mox rubrâ permutabit*, respondit. Conjectaque protinus hastâ medium eum transfegit, ita ut penetrato corpore asseri, qui pone caput infixus; adhæreret. His peractis, Asmundus viâ, quæ cæperat, progressus est; vectores autem Asbiorni corpus ejus exanime in Thrandarnesiam deferentes matri gestorum ordinem referabant. Illa ad exequias honorificè celebrandas amicos, & inter præcipuos Thorerem de Biarkeya, convocavit, singulosque sub abitum donis pro more honorabat: Thorerem vero ad navem deducens, discessurum his verbis alloquitur. *Cum salubria tua consilia, quæ secutus est filius meus, ipse morte preventus rependere nequiret, nec ego ad rependum pariter idonea sim, propensum tamen est officiosum animum agnosces: hic enim domum habebis, quod tibi usui futurum velim; hastam nimirum, recenti filii sanguine cruentam, quæ transfixus est, quò memoriâ vulnus nepotis tui semper recoles; recoles autem ut forti viro dignum, si in pectore Olasi Crassi condideris; certè, ni vindicaveris, Nidingr (o: improbus, abjectus, omnibus contemptui) eris; atque his dictis ab eo recessit. Ad hæc Thorer tanta irâ exarsit, ut oculis mentemque pariter obcæcatus, nec vocem emittere, nec hastam dimittere, nec viam per pontem observare posset: præcepsque in subiectum mare corruisset, ni a comitibus in navem deductus fuisset. Inde domum rediit: Asmundus verò ad Regem remeavit, eique inter cætera auxilium Karlis in monstrando Asbiorno exposuit, id quod amici Thoreris, qui in aulâ erant, accuratius observantes ad eum detulerunt. Exinde Karl satellitio Regis inscriptus est.*

CAP. XXIX.

REX PROVINCIAS LUSTRAT, ISLANDOS FÆREYENSESQUE SIBI CONCILIAT, INSULAM PARVAM AB ISLANDIS EXPEDIT, NEC IMPETRAT. PROCERES FÆREYENSES AD OBSEQUIUM ADIGIT, IN UPLANDAS PROPECTUS NECESSARIAS SUAS NUPTUM ELOCAT; PROCERUM ISLANDORUM FILIOS AD SE MISSOS EXCIPIT.



Effecto vere classem Rex apparavit, inque australia profectus, cives ad conciliabula curiasque convocavit, lites diremit, mores & consuetudines minus commodas coerexit & reformavit, regiaque tributa exegit, totaque æstate maritimis peragratis ad orientales usque limites autumnno devenit. Jamque totius regni majores provinciæ Christianum dogma receperant, revocataque ad imperii obsequium Orcades, ut antea dictum (*Arildus Hvitefeldius in Christiani Primi vita pag. 361.* tradit, illum unum metropolitanum & tredecim suffraganeas ecclesias fundasse, suisque impensis dotasse.) Jamque transmarina respiciens, injectâ per intermeantes auctioris gratiæ suæ spe, multos in Islandiâ, Gronlandiâ, & Færeis ad se allexit, materiam templo ædificando, campanamque ingentem in Islandiam donò misit: quæ in perpetuum ejus honorem memoriamque in publico totius insulæ comitio constituta est: campana autem scriptoris nostri ætate ibidem remansit, jam vero ablata est. Hæc dona missa sunt, postquam Islandi jus canonicum, quod ipse condiderat, in suas leges, ipso monente, retulerunt. Exinde multi præcipuæ dignitatis viri ad eum profecti satellitium honore ornati sunt; quorum hi memorantur, Thorkell Eyulfi filius, Thorleikus Bollinus, Thordus Kolbeininus, Thordus Borcki filius, Thorgeir Havardius, & Thormodus Kolbrunæ pœta. Multos enim proceres Islandiæ donis sibi conciliavit, qui ei vicissim munera ex iis, quæ patria eorum optimi generis protulit, remiserunt. Verum tanto benevolentia prætextu aliud quærebatur, quod postea emerit.

Hac eadem ætate Rex Thorarinum Nefulfi filium eò ablegavit; qui Regem è Thrandiâ in Mæriam comitatus, inde in Islandiam rarâ ventorum indulgentiâ pervenit. Appulsus ad insulas Vestmanneyas inde in forum insulæ universale, quod vicefimo nono Junii styl. vet. quotannis instituitur, ipso comitiorum tempore devenit; accedensque curiam, cum quæ ad publicum gentis statum pertinerent, exposita essent, orationem hac formula orsus est. *Ante quatuor noctes Olafus Rex me dimisit, jussitque salutem Dei suamque principibus rectoribusque gentis hujus omnibus totique populo utriusque sexus, cujuscumque ætatis & conditionis, deferrem, annunciaremq; quod se dominum vobis, si ei subditi esse velitis, offeri, mutuaque amicitiam, & ad honesta quæque auxilia.* Oratio hæc Regisque salutatio reverenter, sed omisâ dominii mentione, excepta est, omnibus se Regi amicos fore promittentibus, si sibi vicissim amicus esset. Tum Thorarinus præter salutationis solennitatem: *Septentrionalis, inquit, quadrantis cives sibi imprimis devinctos cupit; à quibus scopulum, vel insulam, quam Grimsøyam vocant, propter Eyafjordum jacentem, in ditionem suam dedi expetit, illis vicissim è suæ regionis provinciis, quæ postulant, liberaliter concessurus. Rogat autem peculiariter Gudmundum de Modruvellis, ut banc suam causam apud cives suos promoveat, cum compertum habeat, eum ibi plurimum posse.* Respondit Gudmundus: *ultra se Regis gratiam expetere, quippe longè utiliore sibi futuram, quam insulam eam, quam expetat: hanc tamen verâ relatione percipisse, sibi in eam majorem quam aliis potestatem esse; quippe ad publica reddendam: cum iis autem super hoc negotio acturum, quibus ea maximo quæstus esset.* Inde ad tentoria sua singulis concedentibus, mox septentrionis incolis in unum locum convenientibus, Gudmundus postulata Regis exposuit, multosque exemplo suo ad gratificandum Regi traxit. Cum autem frater

us Einar de Thvera, eorum prudentissimus, nihil ad hæc responderet, tandem sententiam rogatus conticuisse se respondit, quippe à nemine consul-
 tum: jam verò tributio omne genus oneraque Norvegis solennia omnino abuen-
 da: agitari enim hoc postulato imperium in eos, cum insula ista tantis copiis a-
 lendis capax esset, ut navalibus excursionibus pacem publicam continuo turba-
 re, tedioque calamitatum, quæ ex belli injuriis oriri soleant, affectos vicinos
 ad deditionem compellere possent: mox principes remotiores, in factiones divi-
 sos, unum post alium blanditis, muneribus, promissis, vel minis, terrore in-
 se tantisper committere, donec universorum cervicibus, quorum libertate ex
 insula ista, tanquam speculâ quadam, insidiari Rex capisset. servitutis jugum
 imposuerit, non suo quidem seculo terminandum, sed ad posteros in æternam
 perennaturum; mitius fortè sub eo, quippe, ut videretur, virò bono: quem
 autem pro successoribus ejus sponsorum? Si igitur receptæ principio gentis liber-
 tatis, inque id tempus feliciter conservata, curam gererent, insula possessione
 nequaquam cedendum, sed nec tanta munera Regi mittenda, quæ speciem tri-
 buti & obsequii præbeant: reliqua autem ad amicitiam favoremque concilian-
 dum placere miti, ut equos & falcones, vela etiam & tentoria, & idgenus
 alia; quæ si gratiam mereantur, benè collocata videantur. Hæc cum sin-
 gulorum suffragiis probarentur, legatus postero die forum ingressus. præ-
 missâ salutatione Regiâ, significavit: Regem procerum præcipuos, Gudmun-
 dum nimirum Eyulfi filium, Snorrium curionem, Skaptium supremum judicem,
 & Thorsteinum Hallium ad se invitare: honores & munera amicitiamque Re-
 giam, ni aspernarentur, hac professione promerituros. Illi, actis decenter
 gratiis, responsum se ei duros pollicebantur, cum invicem consultâ-
 sent. In eo consilio inter principes sententiis variatum. Snorrius & Ska-
 ptius negabant vel suam privatam, vel patriæ publicam salutem & emolumen-
 tum Norvegis concedendum; si enim proceres, penes quos imperium patriæ
 esset, in potestate Rex haberet, facile iis, quicquid vellet, expressurum: suspec-
 tam videri hanc humanitatem, postulataque eò spectare, ut, prout collegit Ei-
 nar, id iis præsentibus per vim extorqueret, quod a dissitis absentibusque ob-
 tinere nequiret. Gudmundus & Thorkell, amplos sibi honores sponden-
 tes, præfectionem urgebant. Cum autem sententiis inter se proceres diffi-
 derent, ne gratiam Regiam, tanta humanitatis specie oblatam, aspernari vi-
 derentur, convenit ut in annum sequentem singuli, qui invitabantur,
 vicem suam viros, qui maximè idonei viderentur, ad eum mitterent. In
 id cum Thorarino fidem dedissent, conventum solverunt. Hoc eodem
 autumno in Norvegiam redux principes Islandiæ proximo anno; prout
 mandaverat, cum accessuros, vel etiam suos filios ad eum missuros, retulit.
 Eadem ætate evocati è Færeis supremi tribunalis iudex Gillius,
 Leifus Aufsuris filius, Thoralfus de Dimone, cum multis aliis nobiliorum
 civium filiis, eum accesserunt. Solutus Thrandus, jam paratis, quæ ad commea-
 tum requirebantur, cum primum profecturus esset, in gravem morbum
 incidit, quo impeditus domi remansit. Ut vero Færeenses ad Regem
 pervenerunt, consilio advocato, tributa sibi ex insulis annua pendi, suas-
 que leges incolas accipere, singula sacramento confirmari, mandavit;
 præcipuos eorum in satellitum suorum numerum se asciturum, honoribus-
 que ornaturum pollicitus. Illi re inopinâ territi, tempus ad deliberandum
 postulavit. Metuentes autem, ne quid gravius in se statueret, si subjectionem
 abnuerent, postquam aliquoties de his inter se deliberassent, cuncta con-
 sensu suo approbarunt. Gillius, Leifus, & Thoralfus satellites purpurati
 creati

creati, mox in censum legesque omnes jurarunt. Sub discessum, qui in fatellitum numerum inscripti erant, donis honorati patriam deinde repe-
tebant; missa & à Rege navis cum exactoribus ad censum inde deserend-
um: quæ longo ibi tempore morata, cum serò autumnus navigaret, in Nor-
vegiam nunquam rediit.

Eodem autumno Rex, Vikâ perlustratâ, hyemem in Uplandis ex-
egit, ubi conviviis passim exceptus quæ ad confirmandum novellæ reli-
gionis statum desiderabantur, abundè procuravit, correctis quæ limam
requirere videbantur. Dum in Heidmarkia moraretur, Ketill Kalfus de
Hringanesia fororis ejus uterinæ, Gunnhuldus Sigurdi Syris filia, nuptias
expetivit, facileque obtinuit; quippe vir nobili prosapia, prudentiâ ma-
gnâ, opulentiâ & autoritate clarus, quippe jam dudum ingentem Regis
gratiam maximis meritis promeruerat, ut supra dictum est. Convivium
nuptiale ipse Rex præsentia sua exornavit. Inde in Gudbrandsdalum pro-
fectus, Thordo Guttormi filio, civium districtus illius opulentissimo, qui
nobile prædium Steigem incoluit, materteram suam Isridem, cujus is eti-
am tutor erat, nuptiis jungit: inde in intimam Regis gratiam receptus,
propinquis quoque suis eam conciliavit, quorum exemplo plures deinceps
allecti. Altera Regis matertera, nomine Thoruna, Sancti Hallvardi ma-
ter fuit. Isridis autem Thoreris de Steige, qui Magni Nudipedis tempo-
re supplicio affectus est, avia materna.

Inde Rex in austrum conversus, Thotniâ, Hadalandiâ, & Hringari-
kia lustratis, proximo vere, quod erat anni MXXXV. Tunsbergam per-
venit: ubi longo tempore, dum mercatores undique confluerent, magno
circa se comitatu classem apparari curavit. Quâ ætate, uti convenerat,
ex Islandia isti nobilissimorum virorum filii à parentibus propinquisque
missi eò devenerunt: Stenus Skaptii supremi judicis filius, Thproddus Snor-
rii Curionis, Gellir Thorkelis Eyulfi, Eigill Thorsteini Halli de Sida filii
frater. Gudmundus autem Eyulfi filius, cognomento Potens, eadem hye-
me naturæ concessit. Omnes humaniter excepti in aula ejus vixerunt.
Eodem tempore cognitus, navem superiore ætate ad tributa Færeyis
exportanda misam nusquam comparuisse: aliam igitur ejusdem negotii
causâ eò ablegavit; quæ cum nec rediisset, nec constaret an eò devenisset,
variis suspicionibus sermonibusque causam præbuit.

CAP. XXX.

KNUTUS DANIÆ ANGLIÆQUE REX
PER LEGATOS AB OLAFO REGNUM
NORVEGIÆ REPOSCIT.

Hoc eodem vere, dum Tunsbergæ moraren-
tur, legati ex Anglia à Knuto Daniæ Angliæque Re-
ge, cum literis sigillo Regio munitis missi, magnificè
instructi advenerunt: quorum adventu commotior
Rex diu eos admittere noluit, dicens sibi suisque sub-
ditis utile nihil allaturos. Admissi tandem jus domi-
ni sui in Norvegiæ regnum hereditarium per ordi-
nem successionis ab avo patreque relictum monstra-
bant, quod amica passione, pacis studio, quam orbi reddere decreverit, quam
bellò illum malle repetere: nec nisi coactum ad arma processurum; quod si O-
lafus

*Olafus possessionem Norvegiæ Regio cum titulo detinere cupiat, ejus beneficio impetraturum pronunciant, si eum adiret, tributaque, quæ comites antea, ipse quoque in posterum penderet. Mox prolatae literæ eadem, quæ legati postulabant, confirmabant. Causa autem, cur jus suum repetere tardius sustulerat Knutus, occasionis defectus erat. Primo enim suo in Norvegiam adventu Olafus, totius gentis populique, novum Regem indigenarum Regum stemmate ortum oblatumque certatim expetentis, studiis exceptus, facile se adversus externas vires defendere poterat; sed nec tunc Knuto Anglicis rebus intento Norvegiam armis laceffere vacabat. Jam verò versâ vice, cum strictiore imperio procerum animos Olafus à se alienasset, potentiorum civium multi, eorumque filii, vario prætextu Regem Knutum accesserunt: omnes autem, quos sibi studentes animadvertit, ingentibus muneribus affecit. Majorem quoque majestatem aula Knuti, tum diurna vel servientium, vel edicta expectantium turba, tum conclavium apparatus, ædiumque Regiarum splendor, quam cæteris Regibus conciliabat: quorum singula in admirationem advenas rapièbant. Cum enim septentrionalia regna opulentissima possideret, magnificentiam cæteris insuetam ostentabat, non modò in apparatu pomposo, sed etiam in munerum largitione supra aliorum Regum sortem. Accesserunt pacis bona, quibus subditis suis adeo cavuit, ut nemo eam violare auderet, priscaque libertas juraque devictis permixta celebrem eum toto orbe reddiderunt. His hospites è Norvegia allesti non modò spem, duram servitutem, quâ oppressi sibi videbantur, exuendi, sed etiam perpetuæ in posterum securitatis, conceperunt, si sub imperium ejus redirent: quidam igitur conditionis suæ publicique status miseriam Comiti Haconi, qui quoque vi & ignominia patrimonio exutum se dolebat, quæsti, plurimos ad defectionem ad Knutum Comitemque recuperandæ libertati paratos affirmabant: quæ ipse, utpote valde accepta, Regi denunciabat, obnixè orans, ut experiretur, an Olafus induci posset, ut vel regno cederet, vel cum Rege conditionibus pacifceretur, multosque in patrocinium causæ apud Regem subornabat. Erant etiam inter ipsos Norvegos, qui hæc ipsa Regi proponerent. Auditâ legatione Olafus respondit. *Antiquâ relatione percepit. Regem Gormum inter nationum Reges insignem habitum, cum tamen solam Daniam teneret: iis autem, qui postea successerunt, id parum visum est: nam Knutus, cum Daniam totam possideret, Angliam adjecit, magnâ quoque Scotiæ parte armis subjectâ (Radolfus de Diceto pag. 468. totius eum Scotiæ Regem fuisse perhibet) meum insuper patrimonium postulat. Modum ponat avaritiæ. Totius septentrioni imperare, aut solus omnem, quæ in Anglia provenit, brassicam excedere proposuit? id tamen prius perficiet, quam ut ei caput meum aut ullam subjectionem deferam; itaque referre ei, me armis Norvegiam, quamdiu vixero, defensurum, neque minimum censum inde vel tributa relaturum. Hoc responsò non satis ex voto dimissi legati discessum maturarunt; quos Sigvatus poeta accedens, quid responsi accepissent? percontatus est. Is Regem Knutum prius accesserat, armillamque auream, dimidiam selibræ pendentem, dono reportaverat: quo tempore Bessius, Torfii poetæ filius, in aula ejus degebat, cui quoque duas armillas, singulas semimarchæ pondere, gladium insuper bene ornatum, donaverat. Utrumque donum Sigvatus carmine celebravit. Ut vero cognovit, Regem postûlata abnuisse, legatosque mirantes, unde iste vires, ut cliens fiduciarius tanti Regis aspernetur, tutissimam certè rebus suis conditionem; tanta enim clementiâ Knutum, ut nemo Principum tantum in eum deliquerit, quin eo adito, reverenterque culto, venia pateat,**

teat: expertos id nuper duos septentrionalis Scotiæ Frivæ provincie Reges, quibus non modo venia data, sed etiam ditiones permiffæ, ingentia infuper munera data: carmine respondit, cujus sensus est. Illustre quidem Scotiæ Regum exemplum eos referre: felicem vero hucusq; victoriisq; clarum Olafum deditioe capitis nunquam pacem redempturum. Cum legati ad Knutum redeuntes responfa Olafi ultimamq; sententiam retulissent, respondit; falli Olafum, dum se omnem tota Angliâ brassicam exesurum conjiciat; aliud enim cogniturum sibi intra costas, quam solam brassicam; illinc enim perniciofa consilia expectaturum.

Eadem ætate Erlingi de Jadria filii, Åslakus & Skialgus, ad Knutum profecti sunt, affinitate commendante comiter excepti; nupsit enim Aslako Sigridis comitis Sveni filia, Comitissæ Haconis soror patruelis, datum ipsis territorium, unde se liberaliter sustentarent. Haut multo post Rex Olafus satraparum ministeriis magnas ex provinciis copias contraxit, quarum præsidio stipatus Vikam tamen haut egressus est. Nam cum repens per mercatorias naves, Angliâ digressas, fama Knutum inde cum ingenti classe exercituqve propediem soluturum vulgavisse, mox per alios procedente ætate in dubium vocasse, placuit ibi vel adventum expectare, vel consilia ejus per exploratores speculari, si fortè in Daniam moveret procinctum. Cumqve suis solius viribus adversus tantam potentiam diffideret, eodem autumno legatos in Sveciam ad affinem suum Regem Aunundum misit, qui postulata Regis Knuti exponeret, ejusque societatem expeterent: *neque enim, expugnatâ Norvegiâ, diuturnam ei Sveciæ pacem expectandam; junctis igitur mature viribus robur ejus retundendum, singulis fortè nimium, junctis haut superiorem futurum. Qui probatis, quæ postulabantur, præsentibus ut congregarentur mandavit, fædusqve utrisque pariter utile facerent; nimirum ut ei, qui prius indigeret, alter statim auxilium succurreret: se eadem hyeme Vestrogothiam lustraturum: locum tempusqve idoneum conventui deligendum, ubi de singulis coram consultarent.*

Eodem autumno Rex Knutus in Daniam devenit, validisqve copiis instructus ibi per hyemem remansit; mox certior de Olafi legatione in Sveciam, haut ignarus se peti, etiam ipse legatos cum magnis muneribus majoribusqve promissis eò mittit, qui significarent, nihil Sveciæ hostile à se expectandum; tantum peti, ne se rebus suis Olafiqve Rex Sveciæ immisceat. Verum is nec legatis, nec muneribus motus, speciem contracti cum Olafò fæderis haut obscure præbuit; id quod Knuto legati redeuntes retulerunt, hortantes, ut quam de Aumundi amicitia spem conceperat, protinus mitteret.

CAP. XXXI.

KARL HALOGENSIS MERCATUM IN BIARMIAM A REGE MISSUS A THORERE HUNDO INCAUTUS IN ULTIONEM SELICIDÆ OCCIDITUR. REGES NORVEGIÆ ET SVECIÆ CONVENIUNT.



Adem hyeme Olafus Sarpsburgi resedit; cum navem negotiatoriam per ætatem in Biarmiam expediturus, negotiationis societatem, æqvâ collatione mercium lucridamniqve, cum Karle Halogensi iniivit; qui per Uplandas montemqve profectus Nidarosia tantum pecuniæ Regiæ, quantum ad instruendam

dam ac ejus parte profectioem reqvirebatur, recepit, navemqve Regiam, tanto itineri idoneam. Inde primo vere MXXXVI. in Halogiam provectus, fratrem Gunnsteinum socium ascivit: qvi merces quoqve pro sua parte conferebat. Viginti qvinque comitibus sine mora in Marchiam delati sunt. Ut verò Thorer Hundus de Biarkeya propositum eorum cognovit, per internuntios iis significat, se quoqve in Biarmiam iter destinasse, placere ut simul navigent, præceptaqve sua cuiqve sorte lucrum ex æqvo inter naves dividatur; id quod Karl probavit, sed pari utrinque vectorum numerò. At Thorer longam navem, & id generis magnam, expedit, cui domesticos suos, numero prope octoginta, imposuit, quos imperio rexit, solusqve omne lucrum reportavit, inqve Sandverio Karlem convenit. Displicuit Gunnsteino tanta nautarum vis, periculosum rato, salutem suam moderationi ipsius aut fidei, qvi in ipsos omnia posset, committere. Rectius domum repeti svasit, suspectam enim illius fidem. Karl, si ante profectioem ex Langeya scrivisset, Thorerem tanto nautarum numerò profecturum, respondit, se quoqve plures assumpturum: jam verbò metu ejus retrogredi turpe. Itaqve cum Thore expostulavit, cur numerum præterquam convenerat, auxerit? Is graviorem esse navem, quàm ut tam paucis regi possit, causatus est: sed nec nimium bonorum sociorum, tanto præsertim periculo, respondit. Cum autem navium cursus pro ventorum gradibus variaret (nam cum intencius spirarent, gravem Thoreris navem celerius; ubi remissius, fratrum magis provehebant) rarò simul navigatum est, nec tamen ita disjunctim, quin se invicem semper cognoscerent. In Biarmiam delati emporium ingressi sunt. Inde nundinæ publicæ utrinque fide & securitate institutæ, magnumqve lucrum mercium permutatione obtigit. In primis Thoreri ingens vis pellium castorearum, mustellinarum, albarum, Scyticarum, muriumqve Zybellinorum: magna & tallium copia Karli comparata. Postquam nundinæ effluerunt, prono amne Vinâ ipsi devesti, fadera incolis denunciant; ubi verò ad maritima devenerunt, utriusqve navis vectoribus convocatis, Thorer, *placeretne continentem ascendere, spoliis, sed non absque periculo, comparandis? quæsit.* Omnibus se paratos profitentibus, exponit, *more ibi receptum, quoties divites obirent, ut mobilia omnia inter mortuum heredemqve dividerentur; ita ut semis vel triens, interdum minus, mortuo cederet, ejusque pars vel sylvis vel tumulis, interdum adiculis, pulvere interjecto, conderetur.* Vespere omnes in procinctu esse jussit, ordinemqve servari, ne se vel invicem desererent, vel ad naves remanerent. Cum iter pronunciaretur, ad navem quot opus erat relicti. Procedentibus primò æqvabiles campi, deindè solitudines objectæ. Thore præcedente, Karl & Gunnsteinus proxime sequebantur. Sine tumultu proficisci, notariqve arbores nudatas corticibus jussit. Tandem in vacuum arboribus locum deventum est; septum ibi ligneum, editum valde, januâ clausum, singulis noctibus sex custodibus munitum, quorum duo singulis trientibus, traditis per vices excubiis, adhibiti; qvi adventu Thoreris domum regressi sunt prius quam quos ordo tangebant, aderant; quâ occasione Thorer strenuè usus, fixâ in fastigio septi securi, per manubrium se allevando, transcendit munimentum. Idem ab alia parte molitus Karl, jam tum simul ac Thorer ad januam pervenit, remotisq; repagulis apertis foribus reliquos intromitebant. Tum Thorer, monstrato tumulo, aurò, argentò & pulvere mixto, interius verò idolo Biarmorum, quod Jomalam vocant, vetabat, ne ullus eò audaciæ procederet, ut spoliaret. Inde ad tumulum itum, interqve aurum & argentum, quòd vestibus

vestibus, quantum poterat, ingerebatur, magnum pulveris pondus receptum est; mox mandante Thorer discessum. Karle Gunnsteinoque præcedentibus, postremus ipse agmen sibi claudendum delegit. Ad fores ventum est, cum Thorer retrogressus, urnam genibus Jomalæ impositam, arbrachio appendens, ad januam rediit. Omnibus per fores exierant, cum Karl conversum ad Jomalam Thorerem observans, & ipse retrogressus, urnam gestanti occurrit: qui stropham interpretatus; quod idolum, cujus securitati edicto cavit, ipse expoliasset, eo se proripiens, torqvem ingentem à collo ejus pendentem animadvertit. Mox levatâ in altum secure, tanto ictu ligulam, quæ catenam connectebat, secundum cervicem dissecuit, ut caput idoli præceps in terram stupendo fragore corrueret. Ipse arrepto torqvem ingenti celeritate extra fores se projecit. At custodes, simul ac fragor increbruit; accedentes, cornuæque instantes, hostilis irruptionis signa dederunt; mox undique circa tubarum sonus, Biarmorumque turba se invicem inclamantium conspecta. Omnibus ad navem tendentibus, ultimus omnium Thorer agmen claudebat, cui saccus à duobus comitum prælatus, pulvere cineris in formam plenus, quo suorum vestigia resperit, interdum & supra capita projecit, emensusque sylvas in plana pervenit. Tum verò persequentium Biarmorum vociferatio clamorque & inconditus sonus increbruit, conspectaque è sylva erumpentium multitudo, cum nec eos corninus assequi, nec eminus jaculis possent, obcæcati credebantur. Ad litus delati, primus Karl Gunnsteinusque navem conscenderunt, remotisque tentoriis quàm citissimè poterant, in altum provecti sunt; tardior Thorer graviore nave magisque inhabili, post longiorem moram litore solvit. Utrique sinu Gandvikensi transmissio, per noctes adhuc lucidas diesque, jugi navigatione cursum dirigebant, usque dum Karl sero diei ad insulas quasdam appulsus jactis anchoris expectabat, quoad æstuum relapsu, cessante undarum confluxu, mare tranquillaretur. Interea Thorer eos assecutus, jactis anchoris, scapham expedit, conscensaque Karlis nave, erectum Jomalæ torqvem reddi sibi postulabat: *dignum enim se, qui cimelia ex indiviso præcipiat, præfertim cum periculo, in quod is omnes indixit, singulos exemerit.* Ad hæc Karl, *sortem lucrumque eâ projectione quæsitum Regem Olafum ex semisse participare: sicum adiret, torqvem forte impetrabilem, videri enim sibi non vindicaturum, quod industriâ sua Jomalæ abstulerat.* Ut ergo insulam conscenderet, lucrumque ex æquo secundum pacta divideret, jubet. Gunnsteinus æstu remittente navigationis oportunitatem intermitteri posse negabat. Mox sublatis velis navem portu moliti sunt; Thorer quoque ad suam redeunte; qui tardior nondum vela fecit, cum ille longius in altum evecti eum magno intervallo à tergo reliquerunt, ita ut magnâ licet contentione diu tamen eos assequi nequiret, usque dum ad *Seitseret* ubi prima in aquilone ad pontem statio, inclinante in vesperam die ventum esset. Exteriora stationis Karl, interiora Thorer tenebat, qui inductis navigio suo velamentis, frequenti comitatu navem fratrum accessit, eosque in terram ad colloquium evocavit: paucis comitati cum accessissent, prædam dividi postulavit, Karle *id satis maturè fieri, cum domum redissent, regerente.* Thorer & insolens & intutum respondebat, *eousque sociorum fidem moderationemque periclitari.* De his cum verbis discederent, Thorer abiit, parumque processerat, cum comitibus suis illic expectare jussis, Karleque revocato, esse ait, quæ sine arbitris eum cognoscere velit. Accedentem medium hastâ transfodit, cum hac verborum expo-

exprobratione: *velim hic unum Biarkeyensium noscas, bastam quoque Selsæ herui* (id est *Selicide vindicem*: id enim nomen statim ex effectu ei indidit) quo protinus mortuo concidente; ad navem cum suis rediit. Corpus Karli à fratre Gunnsteinó in navem relatum; sublatumque velis, portu navis summâ celeritate propulsa, remis insuper quàm contentiosissimè acta in altum fertur; quo visò Thorer & ipse citissimè carbasum erigit, fune vero, quo attollitur, rupto, remora injecta est; nam dum reficitur, Gunnsteinus tempus lucratus haut parùm profecit: nihilominus Thorer aspicientem auram remis quoque juvans, obversante ante oculos periculo imagine metuque mortis, magis eos ad fugam instruxit. Utrisque itaq; iter summo studio accelerantibus, quo minus jungerentur, freta insulis interjecta obstitērunt: ibi namque Gunnsteinini navis levior Thorerem diu frustrabatur, nec tamen ita ut evaderet: nam ut Lengjuvikam pervenit, continenti admota, ab eo nautisque omnibus deferitur. Paulo post, adveniens Thorer dum eos inquirebat, mulieris cujusdam reconditarum artium peritiâ famosæ operâ absconditus Gunnsteinus rabiem ejus evasit, Thorer vero navem omnibus spoliatam, injectis lapidibus saxisque, in sinum longius deductam perforatamque demersit, mox Biarkeyam redit: Gunnsteinus autem cum suis per noctes piscatoriis scaphis quàm occultissimè procedebat, de diebus latitans, donec superatâ Biarkeya, Thoreris præfecturam prætervectus, primò Langeyam propriam domum rediit, nec ibi diu moratus in Thrandiam magnis itineribus contendit, aditoque Rege, qui ibi tunc præsens erat, omnem itineris seriem calamitatemque exponit; id quod eum majorem in modum offendit; pollicebatur tamen, se causæ ejus patrocinium, cum primùm liceret, suscepturum. Interea apud se detinuit. Dum Sarpburgi Olafus, in Dania Knutus, hybernarent, Aunundus plus trium millium comitatu occidentalem Gothiam ingressus, Olafus per internuncios, ut Konghellæ proximo vere convenirent, significavit: differri tamen conventum, quoad exploratum esset, quid Knutus moliretur, placuit. Qui cum, adulto vere, relicto in Dania ad regni tutelam filio Horda-Knuto, Comiteque Ulfo Sprakaleggo, seu Celere, sororis suæ Astridis marito, viro acri & impigro (quorum filius Svenus Estridius, Dania postea Rex) in Angliam cum copiis rediisset, ut decretum erat, se mutuo gaudio, variisque benevolentia studiis, publicâq; populî lætitiâ Konghellæ invisebant. Multa ibi secretis consiliis agitata, quæ postea cognita: mutuis tandem muneribus discessum. Aunundo Gothiam repetente, Olafus deinde ad septentrionalia rediturus, per Vixam Agdasque navali itinere profectus, in Eikundarfunda (hodie *Æggersund*) diutius detentus secundos ventos expectavit. Ibi certior fit, Erlingo de Solio magnam armatorum vim concitam. Die quodam, nautis de constitutione aëris temperamentoque disputantibus, austerne an africanæ flaret? an vehementior quàm conduceret, præsertim ubi mare apertum, præternavigaturis, pluribus nimium quærentibus, Haldor Bryniolfi filius, *haut nimium navigationique incommodum videri* respondit. *si Erlingus de Solio convivium apparatusset*; quo audito revelli velamenta navibus Rex jubet. Navigatum ferente vento eodem die Hvitingseyas: inde Hordia more

Regio visitata.

CAP. XXXII.

SATELLITES REGII LITERIS REGIS OLAFI IN NORVEGIAM EVOCANTUR, THORALFUS DE DIMONE PROFICISCITUR, ALIA NAVE NEPOTES THRANDI PRIVATIS NEGOTIIS EXPEDIENDIS SIMUL NAVIGANT, THORALFUS IN LITORE NORVEGICO SCELERATE PERIMITUR, CÆDES SIGURDO THORLACIO IMPUTATUR, AD CAUSAM DICENDAM A REGE EVOCATUR, COMPARAT, ELUSOQUE REGE INCOLUMIS IN PATRIAM EVADIT.



State eadem navis è Norvegia in Færcyas mandatum Regis retulit, quò unus è satellitibus Regiis, sive Gillius supremus iudex, sive Leifus Auffuris filius, sive Thoralfus de Dimone, ad eum evocabatur. Consulentes, quò sine id fieret? concluderunt, inquiturum Regem, quid factum esset de duabus illis navibus, quæ ad censum deferendum missæ erant, è quibus nemo salvus evaserit: imputatum quippe insularis, quòd omnes vectores sustulerint. Placuit ut Thoralfus proficisceretur. Decem aut duodecim clasariis comparatis iter adornavit. Omnibus paratis, dum ventos faventes expectaret, contigit ut die quodam sereno Thrandus triclinium ingressus, alumnos suos Sigurdum & Thordum, Thorlaci fratris ejus filios, in scamnis recumbentes, acrius his verbis objurgaret: *Atas, inquit, hominum multa immutat; me quidem juvene indecorum visum viros alacres per amanos dies dormire domique recumbere; neque ullus existimasset Thoralfum de Dimone vobis alacritate præferendum. Certè lembus meus intra navalia, quantumvis pice illitus, putrescere videtur, tanquam nullius usus, cum tamen singule domus lanâ plene sint, quas avehi quàm domi putrescere præstat. Quod si atas hæc, ut ante paucos annos virida, virium integritate me non orbasset, meis rebus aliter providerem.* His irritatus Sigurdus subito exsilens Thordum Gautumque inclamavit, objurgationes Thrandi non ultra se pasurum vociferans, accitisque domesticis, lembum in litus propulit, paucisque diebus, mercibus impositis, oneravit. Decem aut duodecim nautis instructi, simul cum Thoralfus ex insulis solventes, eodem usi vento, inter navigandum se invicem cognoverunt. Ad Hernam vespere quodam delati, non longè ab invicem distabant, Sigurdo navem non in portu, sed ante apertum litus, ad anchoras ligante. Contigit autem, dum appetente crepusculo cubitum ituri, quæ requirebantur, apparerent, ut Thoralfus uno suorum comitatus terram conscenderet, cum inter redeundum comes ejus, panno capiti repente injecto sublevatus, eodem momento fragorem audivit, mox longius auctus præcepssive datus in subjectum mare decidit, qui ut litori adnavit, ad locum, ubi Thoralfum reliquit, properans, capite eum ad humeros usque dissecto exanimem invenit, mox nautæ corpus ejus ad navem delatum per noctem custodiunt. Cumque Rex Olafus in insulâ Lygrâ non procul abesset, missi qui hæc ad eum deferrent. Freqvens deinde conventus indicio teli, ut moris erat, per singula rura circumlati, indictus est, quò utriusque navis vectores omnes inter cæteros evocabantur. Lege, quâ securitati fori cautum est, ut consuevit, promulgatâ, exurgens Rex in hunc locutus

locutus est. Horrendum nefas hic patratum apparet; cujus exempla quo pauciora, hoc magis Deo gratie agenda. Vir bonus scelesti sicariorum manu oppressus, & ut spero, innocens, miserum omnibus spectaculum præbet. Si quis tanti sceleris auctorem noverit, actutum ut indicet, edico. Nemine proficiente, Suspicionem, ait, meam detegam: ipsis Kereyusibus hoc imputo, & eadem quidem Sigurdo Thorlacio, fratri autem Thordo Lagio quod comitem ejus per præcipitia in undas dejecerit, utrumque eo sine, ne scelera eorum cædesque meorum civium ad se missorum, qui ibi, ut dudum suspicabar, sublatis sunt, proderet: cum scirent eum hæc minimè latere. Cum Rex dixisset, Sigurdus exurgens hunc in modum verba fecit. Equidem in publico foro ad hocusque tempus verba nunquam habui, ideoque minime mirandum, si ea me deficiant. Cum tamen præsens necessitas, ut aliquid dicam, exprimat, quid de accusatione Regis sentiam, paucis enarrabo. Eam enim ab aliorum, & quidem a virtutibus illius & sapientia alienorum, stultorum quippe & malevolorum, instinctu emanasse credo, qui hostilia in vos machinari conantur; cum enim turpissimum scelus mihi intentant, speciem tamen veri adducere nesciunt. Qui enim hominem mihi amicissimum, fratremque collectaneum, occiderem? Si tamen id ob graves aliquas causas destinasset, adeone stultus essem, ut hic in potestate & imperio tuo, Rex, te etiam tantum non presente, ubi vindictæ effugiende nulla via, quam domi, ubi amicorum præsidium auxiliumque abundat, illud facere mallet? Sed quid verbis opus? juramento secundum legum vestrarum præscripta me meosque nautas omnes purgabo. Id si parum videbitur, igniti ferri testimonio innocentiam meam probabo. Te vero, Rex, præsentem judicemque exopto. Cum dicere destitisset, multi oratione ejus simul & alacritate moti, infontem videri perhibentes, Regem orârunt, ut tam justis precibus mites aures præberet. Ad hæc Rex; bujus viri ingenium duo extrema polliceri videtur, aut virum optimum, si facti tam atrocis falsò insimulatur, aut citra exemplum audacem; id quod etiam animus præsentis. Quicquid horum est, ipse profectò sibi testimonium perhibebit. In gratiam autem deprecantium Rex sponsonem ejus ad candentis ferri purgationem admisit, constitumque ut postridie in Lygra adesset, quò Episcopus evocatus adesse tenebatur. Atque hoc modo conventu soluto singuli dimissi sunt. Rex in Lygram, Sigurdus cum suis ad navem rediit. Tenebris deinde noctis incumbentibus, ventoque ad discessum commodè spirante, nautis exponit, quam atroci injuriâ fuerint affecti in terrâ peregrina: se quidem Regem istum fraudis dolique plenum prospicere, qui cum Thoralsum ipse occidere curaverit, culpam in ipsos transferre gestiat. facile ei candentis ferri testimonium pervertere: cumque omnes illos neci destinaret, insanum esse potestati ejus se ultra permittere; itaque cum aura ad votum spiraret, liceatque eum effugere, sapienter facturos, si oportunitatem illam non omitterent; suadere itaque ut sublatis velis patriam repetant: permissurum Thrando anno proximo peregrè ad nundinas laneas instituendas proficisci: si enim hoc tempore evaderent, nunquam se deinceps in Norvegiam rediturum. Cum omnibus consilium placeret, usi ventorum oportunitate in altum, quantum poterant. eadem nocte contenderunt, transmissoque oceano delati in Gatam à Thrando majorem in modum objurgantur; quod licet iniquo animo se ferre, verbis etiam asperioribus in eum conjectis, significarent, tamen apud eum ut prius manebant. Ut vero Rex discessum eorum cognovit, licet verbis parceret, tamen conceptam de iis suspicionem hoc dolo satis confirmatam, tum ille, tum etiam illi, qui causam eorum maxime propugnauerant, judicabant.

CAP. XXXIII.

GELLIR IN ISLANDIAM A REGE MITTITUR, REQVE INFECTA IN NORVEGIAM REDIT. STEINUS SKAPTII FILIUS OFFENSAM REGIS INCURRIT, QVAM CÆDE VILLICI EJUS AUGET, PROSCRIBITUR, A THORBERGO ARNINO RECIPITUR, QVI EVOCATUS A REGE SOCERI FRATRUMQVE AUXILIS, VENIAM SIBI, PACEM STEINO IMPETRAT; QVI DEINDE REGI KNUTO MILITAT: EJUS EXITUS.



Illo anno Olafus legatos ex Islandia, quorum nomina prius recensui, ad se convocavit, & hunc in modum affatus est. *Sæpius me hac æstate de veniâ reditus in patriam vestram interpellastis, bucusque sine certo responso, quod jam accipietis. Solum Gellerem eò delegandum constitui, vos autem ceteros eousque hic detinere, donec cognovero, quid cives vestri ad postulatâ mea responderint.* Omnes vero, quibus reditus in patriam interdictus est, indignè ferentes, adversam libertati cõactionem speciem servitutis interpretabantur. Solus Gellir, uti mandatum erat, profectus, hylmem ibi exegit; proximâ deinde æstate mandata Regis in publico totius insulæ confessu exposuit. Postulabat autem, ut leges, quas Norvegis tulerat, ipsi quoque Islandi caperent, inque subjectionis confessionem talem nummum in singula capita penderent, quorum decem pannum Islandici ulnam valore æquarent, gratiæ Regiæ copia morigerantibus, abnuentibus minæ, per occasionum momenta exequendæ, adjectæ. Diu de his consultatum: conclusum tandem, censum oneraque omnia deneganda; dimissusque hoc responso Gellir, Regem eodem anno in Vika ex Gothia redeuntem, ut deinceps dicitur, convenit.

Inter Islandos, qui impatientius tulerunt reditu se in patriam prohiberi, præcipui fuere Thoroddus Snorrii & Steinus Skaptii filii; & Steinus quidem formâ singulari, miraque receptorum artium peritiâ, poeta egregius, fastuosus, ornandique corporis plurimum studiosus. Hujus pater Skaptius Legifer carmen in honorem Regis prolixius (quod Dramam vocant) à se compositum, filio deferendum, atque ideo memoriæ mandandum, tradiderat. Ipse autem irâ in Regem stimulatus, ut & Thoroddus, multa temerè, interdum etiam ligatè, in eum jecit: non enim esse ei cum popularibus Islandis idem de candore gloriæ certamen, quibus hac in parte se inferiore ipse & ultro confiteretur, cum filios eorum, fidei suæ creditos, servitute affligat. Quibus per delatores cognitâ offensâ Rex, cum quodam die a Steino rogaretur veniam carmini, quò pater eum celebrasset, recitando, prius recitare jussit, quod ipse de se composuerit. *Nihil, ait Steinus, de te composui, neque enim poeta sum; sed si vel maxime essem, etiam tibi istud officium, ut cetera mea, vilesceret.* Gnarusque innotuisse, quæ in illum luserat, exiit. Horum colloquio interfuerat villæ Regiæ in Orcadalo præfectus, nomine Thorgeir. Interjectis paucis diebus Steinus, famulo a calcis comitatus, effugit, transitoque colle Gaularensi vespere quodam ad eum devenit, invitatusque ad hospitium, quonam pergeret? rogatur. Is traham equumque, queis frumentum advehebatur, conspicatus, utrumque ut in itineris usum traderet, postulat. Thorgeir igno-

tum sibi respondit, an etiam bonâ cum veniâ Regis proficisceretur: id enim ex pridiano eorum colloquio facillè collegi. Ad ea Steinus; quamvis apud Regem mei juris non sum, tamen à servis ejus me cogi non patiar: eodemque momento villicum occidit; seqve trahæ, famulumque in eqvum, imposuit: noctem diemque sequentem continuo itinere in Mariæ Syrнадalum, mox, trajecto sinu, magnis itineribus Giskium pervenit, ubique inter proficiscendum se à Rege missum professus, atque eo nomine necessariis instructus, nullâ interim cædis confessione editâ. Aberat domo Thorbergus Arninus, uxore Ragnhilde, Erlingi Skialgi filiâ, domi relicta, quæ pristinæ amicitiae respectu eum perbenignè excepit. Accidit enim quondam, cum Steinus propria nave ex Islandiâ in Norvegiam profectus Giskii littoribus allaberetur; ut Ragnhildis cum partu agrè conflictaretur, nullo tota insula sacerdote suppetente; fortè advena Islandus, nomine Bardus, factorum minister, ætate juvenis & valde rudis, ex occidentali Islandiæ quadrante oriundus, unâ cum Steino in proximum portum advectus est. Hic nunciis accitus, sed conscius ruditatis, metuensque sibi, accedere recusavit, ni Steinus quoque accederet, sibi que ea suggereret, quibus absolvendis se minis idoneum agnoscebat; qui postulatis annuens eum secutus est. Paulo post virgo valde debilis in lucem edita, per sacrum regenerationis lavacrum sacerdotis ministerio, Thoræ nomine, susceptore testeque Steino, sacris initiatur: quam Steinus annulâ digitali aureo honorabat, solam inter virgines futuram testatus, cui in posterum testis baptismi adstaret. (Hæc postea Regis Haraldi Strenui uxor facta est.) Cui Ragnhildis vicissim amicitiae suæ usum primum promptumque pollicita est, utque se, si quando auxilio suo indigeret, inviseret, hortabatur; jamque eò deventum erat. Rem itaque omnem, ut gesta erat, ordine exposuit. Illa ut in adventum mariti ad se maneret, adhortata, auxilii, quantum posset, suihaut immunem futurum pronuncians, a latere filii Eysteini Orrii, (non istius, qui anno MLXVI. juvenis in Anglia bello fortissimè pugnans occubuit, sed fratris ejus cognominis: cujus fortè nomen posterior retulit) duodecim annorum pueri, eum collocavit: qui utrumque vicissim muneribus honoravit. Horum Thorbergus ante reditum certior, temeritatem uxoris valde indignatus, jam intercedenti respondit: *relatum sibi, Regem post necem Thorgeris indicio teli, per singula rura circumlati, coactò frequenti foro Steinum proscripsisse, eique vehementer offensum: se itaque crimini peregrini hominis minime immixturum, Regisque iram nullâ necessitate in se conversurum.* Ut itaque eum quam citissimè dimitteret, mandavit. Illa vero se simul cum eo abituram, aut domi mansuram, contestante, quò liberet, abire jussit, citò enim redituram, cum auctiorem alibi conditionem aut honoris incrementum sibi polliceri nequeat. Quo audito, filius Eysteinus Orrius se quoque matrem secuturum respondit. Ad hæc Thorbergus: *quandoquidem tanta contentione advenæ receptum urgerent, cessurum se iis responderi: videri tamen uxorem, familiae genio concitatum, edicta Regis minoris quam oporteat facere.* Illa, si hæc supra vires arbitraretur, ut vel ipse, vel idoneo comitatu ad patrem suum Erlingum Steinum incolumem deduceret, monuit. *Abunde ei offensarum in Regem; etiam sine hac, quæ plures quoque accessuras, Thorbergus respondit. Atque ita Steinum apud se detinuit.*

Post festum Jolense missi à Rege nuncii Thorbergum ad Regem medio jejunii verni tempore sub gravi pœna citant. An igitur hoc statu Regem adiret? amicos consuluit. Plurimis dimittendum potius exulem svadentibus, ipse Regem accedere maluit. Paulo post ad fratrem Finnum

profectus, comitem eum sibi deposcebat. Is nimiam illam uxorem videri, cuius metu fidem Domino datam debitamque violaret. Thorbergus integrum ei respondit pro lubitu comitatum detrectare: metu tamen quam fide erga Dominum præpeditum videri. Iratiquæ ab invicem facesscebant. Inde ad Arnium alterum fratrem profectus ei rem ordine retulit, comitemque sibi deposcit. Ille, mirum, inquit, te virum sapientem prudentemque aded hallucinatum, ut infortunium iramque Regis contraxeris nullâ necessitate; misericordiam fortè meruisses, cognatò aut fratre adoptivo defenso: in gratiam autem hominis Islandi, à Rege proscripti, extremo propè periculo se suosque omnes obijcisse, monstro simile. Ad hæc Thorbergus; Tandem, inquit, paræmie illius veritatem experior, quæ singulis familiis sua portenta refert: dispicio enim, quam infelix pater novissimo filio procreando fuerit, exorbitaveritque, dum eum sustulit, qui generis nostri nullam indolem aut similitudinem habet, virtute cassus; certè ut matri probrum addictarem, nunquam te nostrum fratrem appellarem. Atque inde domum iratus tristisque discessit. Mox in Thrandiam ad fratrem Kalsum nuntios misit, qui postularent, ut sibi ad promontorium Agdanefiam occurreret, qui absque ullo prologo se adfuturum significavit. Interea Ragnhildis ad partrem Erlingum in Jadrinam misit, qui subsidium efflagitarent, Sigurdum & Thorerem filios, singulos lembis viginti scalmorum vectoribusq; nonaginta instructos; quorum adventu lætus pari magnitudine navigium expedit, iisque comitibus usus, ad Thrandiæ ostium devectus, fratres Finnum & Arnium, singulos singulis navigiis pari magnitudine instructos, obviam habet: quorum adventu confirmator jam acutionem profuisse pronuntiat. Finnus nec eâ quidem indignuisse respondit. His copiis universis classeque simul in Thrandiam profecti, Steino itineris comite, ad promontorium Agdanefiam devenerunt. Ibi Kalsus viginti scalmorum nave delectoque milite comparuit. Nidarholmum inde itum, noxque in statione exacta. Mane diei, qui sequebatur, Kalsus Erlingique filii inter se consultabant, placuitque ut universas copias in urbem ducerent, viresque suas ostentarent. Thorbergus clementiam Regis moderatione pactionibusque prius tentare maluit. Id quod Finnus & Arnium quoque prætulerunt, paucisque comitati primò Regem adeunt: qui de tanta vi certior asperius eos allocutus est. Finnus Thorbergo pœnam exilii remitti, præfecturæque Regiæ solennem curam confirmari; Steino vitæ membrorumque incolunitatem pacturus, pecuniariam multam arbitriò Regis irrogandam permisit. Ad ea Rex, *Videmini*, inquit, hac profectioe exitum controversiæ plus mediâ parte vestro arbitrio reversasse; sed ut improvisum mibi exercitum à vobis fratribus adversus me consulari, ita quodè cognitum, unde hæc tanti ausûs consilia provenerint, quippe in Jadrinâ contexta. Sed quicquid sit, pecuniâ mibi haudquaquam satisfeceritis. Ad ea Finnus. *Haut eo sine copias has contraximus, ut te invaderemus; sed ut ministerium nostrum tibi omnium primò offeramus: id verò si aspiciens Thorbergum fratrem nostrum severius punire firmiter concluseris, hac classe copiisque ad Knutum potentem conjunctim proficisci decrevimus.* Rex conjectis in eum oculis: *Quodsi*, inquit, vos fratres sacramento obligaveritis ad comitandum me intra & extra regnum, ita ut sine venia me nunquam deseratis, nec celetis ad vestram notitiam delatam quamcunque in me prodicionem aut structas insidias, ad pactionem vos admitam. Has conditiones Finnus continuo ad fratres detulit; quas Thorbergus statim probavit, præfatus, peregrinorum Principum stipendia exilio patriæ agrorumque gentilium iactura se neutiquam permutaturum, sibi enim Regi semper præsentem ministrare amplum

et honorificum nunquam non futurum. Kalfus autem negabat se Regi ullò sacramento alligatum, tantisperque secuturum, dum prefecturam dignitatemque illibatam ejusque amicitiam teneat: placere ut ceteri suum exemplum sequantur. Sed Finnus fidei in Regem tenax, beneficiorumque memor, conditionum ferendarum arbitrium se ei delaturum respondit: quem secutus Arnius; *Quandoquidem,* ait, frater Thorberge, tibi vel Regem oppugnaturò auxiliari decreveram, jam certè saniora consilia agitantì terga minime vertam, probatis tibi Finnoque conditionibus à Rege prescriptis etiam accedam. Atque ita tres illi fratres, unicà nave consensà, ad Regem profecti in has conditiones jurârunt. Steinus incolumis suoque arbitrio permisus Erlingi filios domum comitatus primo vere in Angliam ad Regem Knutum Magnum delatus, inque satellitium receptus, longo tempore magnâ polens gratâ ei ministravit; circa corporis cultum, vestis armorumque ornamenta, ad eò accuratus, ut Sciti vel Elegantis cognomen reportaverit. Tandem eò processisse dicitur, ut eqvò ad ungulas usque aureo tegmine instratò æmulari ipsum quoque Regem videretur; ideò dimissus diu mercaturam exercuisse traditur. Ad ultimum naufragio circa litora Jutiæ factò, cum solus etiam tunc ornatiore veste conspicuus, nec auro vacuus, ad ripam maris viribus prope confectus evassisset, à muliere, quæ ad lavandas vestes eò accessit, inventus, malleoque lotorio ad necem usque, dum inter algas marinas volutaretur, contusus dicitur; quò aureâ massâ, quam apud eum conspexit, compendiò potiretur; quæ tamen non pro comperto author historiæ Sancti Olafi affirmat, sed famâ duntaxat vulgata refert; atque hunc factus adversus Olafum eventum simul notat.

Thorbergus à Rege discedens comites suos accessit, quibus consalutatis domum rediit: suam quoque Kalfus repetivit. Finnus apud Regem remansit.

CAP. XXXIV.

**FINNUS IN HALOGIAM AD COPIAS
CONSCRIBENDAS MITTITUR, A THORERE SATIS-
FACTIONEM PRO CÆDE KARLIS EXPOLIATAQUE NAVE
REGIA EXIGIT, MULTATUR, DUASQUE PARTES SOLVIT,
IN ANGLIAM NAVIGAT, ADQUE REGEM KNU TUM DEFI-
CIT, ASMUNDUS GRANKELIS FILIUS CONTROVERSAM CUM
HARECHO DE THIOTTA INSULAM VI OCCUPAT,
JUDICIOQUE REGIS SUPERIOR
DETINET.**



Xiguum tempus ad Regem Finnus manserat, cum ei ceterisque, quos consiliis secretioribus adhibere consueverat, significat, sibi in proximum ver militum naviumque ex singulis regni provinciis delectum habendum, universasque copias classemque adversus Regem Knutum dirigendam; pro certo enim constare, litem de regno semel motam minime deserturum: placere itaque, ut Finnus in Halogiâ naves navalesque copias undique conquirat, classemque universam ad promontorium Agdaesiam duci curet. Alii in Thrandiam, alii in austrum ea de causâ; atque adeo in universas regni partes, ablegati sunt. Finnus lembo propè triginta vectoribus instructus in Halogiam movit, ubi & magnæ naves & multæ, expeditionibus bellicis idoneæ: civibus-

que

que in curias evocatis mandata Regis exponit; qvi naves continuo, haut secus ut iussi erant, apparant. Inde in septentrionalia Halogiz profectus, conventum Vogis celebravit, quò Thorer de Biarkeya inter complures alios nuntiis evocatos accessit, & tunc quoque eadem nave usus, quâ superiori anno in Biarmiam vectus est, iisdem ministeriis domesticis, ad huc quoque singulis sui ipsius impensis instructis. Singuli Finnum è septentrione magna frequentia comitatum expectabant; qvi statim ut adfuit, tubâ universas copias excivit, inspectisque singulorum armis, delectu ex singulis curiis habito, ad Thorerem conversus quærit, *quam satisfactionem Regi ob cædem aulici ejus Karli, direptamque in Lengivvika Regiam pecuniam, demersamque ejus navem, offerat? sibi enim causam illam commissam: placere autem ejus responsum audire.* Thorer circumjectis oculis, ubi ab utroque latere armatos circumstantes, & in his Gunnsteinum Karli fratrem aliosque ejus consanguineos, observavit, id se dilaturum negabat, quippe judicio Regis acquieturum. Finnus *tanti honoris copiam in præsens ei futuram negabat: si enim pacisci cupiat, suo arbitrio causam omnem committendam. Sed nec id durum*, respondit Thorer, *nec dilationem requiri*; se itaque ejus decreto staturum spondit, conditionibusque, quas præscriberet. Finnus eum in triginta auri selibras condemnavit, extempore solvendas, unum Regi pro cæde ministri ejus, alterum Gunnsteino ejusque agnatis, tertium spoliis pretium constituit. Thorere de rigore sententiæ quærente, rescissurum se pronunciavit, si mallet; sed præsentem vim veritus dilationem poposcit, dum a popularibus suis argentum mutuo sumeret. Finnus statim solvere iussit, unâ cum torque, quem cæso à se Karli detraxerit. Neganti se detraxisse, Gunnsteinus ante novissimum discessum fratrem suum eum gestasse testatus est, exanimi vero eripit. Thorer oblitum se istius, & si vel maximè habuisset, tamen domi relictum affirmabat; hastæ itaque mucrone pectori ejus admoto Finnus expromere mandavit; quâ necessitate compulsus cervicibus ablatum reddidit, navemque suam repetivit. Secutus Finnus magno comitatu, procedensque secundum navem claustra aperiri iussit, deprehenditque sub foris malò tenus inusitatæ magnitudinis cados; quos cerevisiâ in usum itineris esse plenos, interrogatus non solum affirmavit, sed etiam confirmavit, cum famulo præbente potum inde Finno comitibusque ejus optimi generis, ipso inspectante, deprompsit. Jamque solutionem urgente Finno, ultrò citroque navem permeabat, varios allocutus. Acrius obtundentem, ut terram conscenderet, orabat, illic se soluturum professus; quo obtento, paulo post cum comitibus successit, trientem primum uno marsupio depromptum appendit: inde multa strophiola, quorum nodis nunc semilibra, nunc dimidium, quibusdam etiam aliquot unciaz, continebantur, præfatus, æs hoc esse alienum à variis mutuo acceptum, suum quippe viaticum consumptum. Inde navem denuò repetit, rediensque inclinante die exiguis pensionibus partitò reddidit. Et jam triens restabat, cum appetente vespere, soluto conventu, naves quisque suas repetentes portu solverunt, plurimisque dilapsis, ut rarefcentem circa se comitatum observans Finnus inclamantibus suis, ut professionem maturaret, Thorerem his verbis alloquitur: *Tardè quidem nomina solvis, atque omnino gravatè: neque in præsens exigam, residuum Regi solves.* Atque his dictis surrexit. Ad ea Thorer respondit: *Placet quidem, Finne, nos hac vice dirimi: scias tamen cordi mibi futuram residui solutionem, atque aded, ut neque Rex, neque in jure quæri possis, minus exactò depensum.* Inde Finnus classem accessit, Tho-
rer

rer ferius portu egressus, austrum versus, sed adeo procul à terra contandit, ut medii interdum montes, interdum ne continens quidem, prospectui pateret. In Angliam deVectus Regem Knutum adivit, comiterque exceptus ad eum remansit. Tum primum cognitum, non ei destinatum Olafi Regis militiam sequi, prædam enim omnem, quam in Biarmia, tum ipse, tum etiam Karl & Gunnsteinus superiore ætate comparaverant, in eandem navem compegit: pelles autem in prægrandia illa dolia, unde cerevisiam exoneravit, quæ quatuor fundis exigua distantia clausa, interioribus merces celarunt, exterioribus liqvozem egerebant. Finnus autem ad Olafum classem universam copiasque deduxit, retulitque, videri Thorem in Angliam ad Regem Knutum profectum, ipsi vero valde inimicum: id quod ille certum affirmabat; esse autem virum, quem remotiorem a se quam propinquirem malit.

Eadem hyeme Asmundus Grankelis filius in Halogiæ præfecturâ sibi commissâ domi ad patrem remansit. Erat quædam insula edito situ, capturâ phocarum, avium, ovorumque & piscium quæstuosâ, quæ longo tempore prædio Grankelis subiacebat. Hanc Harechus de Thiotha sibi vindicabat. Jamque aliquot annos solus cum universo quæstu detinuerat. Hoc vero statu fiducia Regis jure suo cedere nolens Asmundus cum patre eum adit, Regisque mandatò, certis indiciis conspicuò, insulâ cedere jubet. Is tergiversans Asmundum increpavit, quod se ad Regem calumniaretur, cupidine prius præfecturæ, quam sibi ademerit, jam vero insulæ potiunde incensum, quæ tamen optimo jure sibi competat: debere eum modum desideris suis ponere, quantumvis fiducia Regii favoris instatum. quò eò processerit, ut procerum alios occiderit sine satisfactione, se vero spoliare admitatur, quamvis olim etiam adversus viros nobilitate sibi pares, non sine successu, contendere consueverit: ipsum vero sibi generis ratione longè inferiorem. Ad hæc Asmundus: verè quidem te familiæ agnatorumque nobilitate extollis, id enim multi experiuntur, quibus per vim, quicquid cupis, extorques: quam adversus nos frustra experieris; nec enim contra leges opprimas. Paulo post Harechus domesticos suos decem aut duodecem magno navigio in insulam ablegavit, qui variæ venationis generibus illud onerârunt: quibus domum redituris, Asmundus cum triginta comitibus supervenit, quæque compararunt, reddere jussit; abnuentibus vim intulit, alii verberibus, vulneribus alii, multati, quidam nave deturbati, singuli prædâ exuti, vacuique ad Harechum remissi; qui novum id sibi accidisse testatus, neque enim prius ministros suos male affectos, fortiter tamen ferre visus, neque actionem intendit, nec de solita animi præsentia vultusque hilaritate quicquam remisit, vereque proximo navem viginti scalmorum, optimo apparatu selectisque domesticis instructam, ad usum expeditionis Regiæ adornavit, accedensque Regem, Asmundum ibi prævium habuit. Utriusque causâ cognitioni Regis commissâ est: examinatisque utriusque testibus, insulam Grankeli adjudicavit, ministrosque Harechi, quæ passi erant, jure passos pronunciauit. Harechus iudicio Regis acquiescere sibi haut indecorum respondit, quocumque in posterum eventu.

CAP. XXXV.

REX THORODDUM SNORRII FILIUM
IN JAMTIAM AD TRIBUTA REGIA CONQVIRENDA
MITTIT; NECI DESTINATUS CUM FAMULO ÆGRE EVADIT,
LATRONIS ARMLIOTI GELLINÆ AUXILIO TANDEM
SUBLEVATUS AD REGEM REDIT.



Quâ occasione Jamtia Helsingiaqve primitus cultæ sint, *Part. 1. lib. 3. cap. 2.* exposui, alibi deinde ut aucta coloniis utraqve sævum Haraldî Pulchrîcomi insuetumq; liberæ genti jugum fugientium creverit, Jamtiaqve tota, & pars ea Helsingia, quâ Norvegis oriundi, illecebris Haconis Adalsteini alumni demulcitæ, in tributa legesqve ejus consenserint, eumqve originis ratione Svecis prætulerint, id quod deinceps, usqve dum uterqve Olafus, Sveo ille, Crassius hic, Sveciæ Norvegiaqve Reges, inter se de regnorum limitibus contenderent, obtinuit: tum enim Jamti Helsingiqve ad Sveciæ Regem defecerunt, Eidenfi nemore ad ortum, monte Kiolo in Septentrionem Finnmarkiam usqve regna terminantibus. Hinc Helsingi Jamtiqve Sveciæ Regibus tributa reditusqve pendebant. Id verò Olafus Norvegiæ Regi pactis comprehensum visum est, ut Jamtia Norvegis cohereret, quantumvis longo tempore obtinuerit, ut Sveciæ Reges per præfectos censum exigent: Sveci quoqve ipsi omnia cis montem Kiolum sibi vendicârunt. Reges autem quantumvis affinitate amicitiaqve fœderibus juncti, neuter tamen quicquam de jure suo remittere sustinuit, & Olafus quidem obsequium à Jamtis exigebat, pœnas ni parerent, interminatus: ipsis autem Svecis obsequi constitutum.

Principio hyemis, cum Rex Nidarosia resideret, publicè promulgavit, constitutum sibi legatos in Jamtiam ad censum sibi debitum requirendum mittere; eam verò profectioem omnes detrectabant, terribi exemplo Thrandi Hviti, quem unâ undecim viris comitatum, ejusdem negotii causa à Rege missum Jamti crucidârunt, præsidio Sveciæ Regis deinceps tuti. Cæteris tergiversantibus, Thorodds Snorrii filius, ob ademptam libertatem redeundi in patriam animo æger, eidem negotio, quantumvis periculoso, se obtulit, modò sui juris esset, omnis periculi securus. Placuit Regi ultro delatum officium, datisque undecim comitibus eum ablegavit. Profecti deinde ad primarium totius Jamtiæ virum, supremum provinciae judicem, nomine Thorerem, devenerunt, hospitaliterqve excepti, cum ibi aliquantisper divertissent, Thorodds mandata exponit. Is causam publicam esse, quæ quoqve aliorum procerum consensum requireret, ideoqve in forum singulos convocandos, respondit: moxqve concilium per indicem frequens indictum. Eò igitur Thorer profectus, nunciis Regiis interea domi remanentibus, postulata Regis publicè exponit: quibus illi magis irritati, non tantum tributa Regi Norvegiæ deneganda censuerunt, sed etiam nuncios ejus suppliciiis afficiendos decreverunt, sed de modo executionis & tempore dissidebant, aliis in crucem agi eos, aliis publicis sacrificiis immolari placuit. Conclusum, ut in adventum præfectorum Sveciæ Regis benè & ex dignitate habiti, prætextu, dum census colligeretur, detinerentur, perqve hospitia sparsi, binis singulis rusticis exciperentur, ex sententiâ præfectorum civiumqve deinceps puniendi. Thorodds cum socio ad Thorerem divertit, ubi apparatus festiva Jolenfis de symbolis comissatio strenuè potantium turbâ celebrabatur. Inter convivas affinis Thoreris, e vico haut procul dissito, eminebat, vir potens & locuples, cui filius juvenis. Hi festivum convivium ex æquo inter se partiti per vices celebrare tenebantur, alterqve ad alterum dimidiam festi partem divertere, & primò ad Thorerem. Ipsi affines, Thorodds quoqve & affinis judicis filius, sibi invicem propinantes certatim potabant, per vesperam

speram etiam contentiosis verbis certatum, institutaque inter Norvegiam & Sveciam, inde utriusque gentis Regum, tum præteritorum, tum præsentium, mox damnorum, spoliolum, cædiumque mutuarum, comparatio. Tandem compotator Thoroddi: *Si Reges, inquit, nostri hominum cædibus majora damna reportarunt, pensabunt ea præfecti ipsorum, cum finito festo buc accedent, duodecim hominum vitæ impensâ: neque agnoscitis miseri, quem in finem detineamini.* Id vero suspicionem Thoroddo injectum, mox palam factum, cum poti universi, alii convicia in eum, alii in Regem ipsius cum irrisu jactarent, ebrietate secretiora quæque vulgante.

Postero die Thoroddu arma vestesque cum comite ad fugam apparatus, nocteque sequente, sopitis omnibus, in sylvas aufugit; ibique se absconderunt. Manè vero de fugâ certiores Janti, per canes venaticos eos investigarunt domumque reducerunt, domusque segregis subterraneæ cellæ inclusos, exiguo cibo, nec nisi propriis vestibus refectos, oclusis foribus custodiebant. Posteriorem festi partem Thorer cum ingenuis omnibus ad affinem genialiter traducturus cum concessisset, servis captivos custodiendos reliquit: cumque zyti affatim suppeteret, ipsi quoque eodem potando modum excedentes, plenis se poculis ingurgitarunt, Thoroddoque cibi potusque abundè exhibuerunt; is autem carmina iis præcinebat quo exhilarati servi, virum eum majoris notæ judicabant, candelamque magnam ei honoris ergo opposuerunt. Advocatis deinde aliis, vicem suam excepturis, ipsi apertis cellæ cædiumque foribus exhibant. Cumque nec ii, qui succedere tenebantur, accederent (erant enim nimiam ebrietate insani) nactus occasione Thoroddu, pallio suo famulique in restium speciem concisis, nodisque laquei instar connexis, supraque domus pavementum (quod cellæ tabulatum erat) conjectis, arcæ majoris, quæ ibi consistebat, pedi alligatis, famulum quoque obvolvit, suisque humeris exceptum insistentemque in tantum extulit, ut ope concatenatorum centonum allevatus supra pavementum eniteretur. Ibi restium magna copia, quas ad Thoroddu statim demisit. Cum autem vires ad eum extrahendum deficerent, monitu Thoroddi injectum trabi funem; ab altera parte lapidibus lignisque appensis, aggravabat, quousque eorum pondere subsidente ipse allevatus ad superiora evasit. Multa ibi vestis, unde tantum, quantum opus erat, desumptum; inventæ & caprearum exuvia, ex quibus solæ, sed inversæ, calceis substratæ. Mox amplissimo horreo facibus subiectis, denuo fugâ maturatâ, per alias quoque domus incendium sparsit. Universa nox in solitudinum transitu exacta, latebræ sequenti die quæsita, ipsi per sagaces canes inquisiti, qui inversis rangiferorum vestigiis decepti, domum, quò duxerunt, redibant. Elapsi hoc modo, diu in tesquis delituerunt, donec vespere quodam in tugurium inciderunt; quod ingredienti, virum tantum, qui se Thorerem appellabat, ejusque uxorem conspexerunt. Ille cædium reum illuc se confugisse, domunculamque fixisse, retulit, eosque hospitaliter excipiens, cænam juxta focum instruxit, deinde cubitum ducebat. Paulo post, foco adhuc ardente, Thoroddu virum staturâ ingenti, qualem neminem antea, ex aliâ domo ingrediendentem, coccineâ veste, aureis limbis exornatâ, conspexit, qui ob receptos hospites eos objurgabat, cum ipsimet egerent: quem materfamilias fratrem, nomine Arnliorum Gellinam appellans, ne indignaretur, oravit, quò hæc raro contingerent, utque auxilio iis esset, postulabat. Ut vero Arnlioti nomen audiebant, novo metu percussi de salute desperabant; erat enim famosissimus prædo, viarumque publicarum obsessor. Sed longo itinere

fessos subitus somnus amplexus est, usque ad ultimum noctis tridentem. Tum vero Arnliotus eos excitans, proficiscendum monet, refectosque cibo & potu soleis ligneis instruit, mira longitudine latitudineque, pedibus aptatis, ut primum baculo nixus cursum instituit, longo eos intervallo post se reliquit: mox expectatos increpans, tam languido cursu nunquam progressuros affirmat: utroque igitur suis imposito, pari celeritate ac cum solus esset ingentia spatia super coacervatam nivem emensus est. Thorodds propior cingulum ejus utraqve manu tenuit, cornes quoque Thoroddi eidem adhæsit. Die integro noctisque primo triente continuo cursu exactis, ad tugurium solitarium ventum est. Ibi ignis filice excusus cibisque apparatus, in lancem argenteam, quam sinu exeruit, ingessus. Sedulo cavit ne vel ossa vel micas projicerent: ipse, postquam cænati sunt, reliquias omnes reservavit, inde in extrema domus supra tabulatum trabibus sustentatum cubitum ibant. Armatura Arnlioti hasta aurato manubrio, hominis extenso brachio staturam æqvante, & gladius, quo cingebatur: singuli arma & vestes secum ferebant.

Paulo post mercatores duodecim, merces in Jamtiam deferentes, accesserunt, qui effusa lætitiâ tumultuque focum incendebant, largeque nutrimento foverunt, dumque cibarent, ossa reliquiasque foras projecerunt, inde ad focum strati somno se dederunt. Parum dormiverant, cum gigantei generis sæmina, ingens quidem illa, casam accessit. Hæc ossa primum, & quæ esu digna visa, devoravit, mox dormientem sibi proximum raptum dilaniatumque in focum torrendum conjecit; hinc tristi somno exciti cæteri stratis evolarunt, idque frustra, omnes enim unus post alium iniretempti sunt. Quidam ad tabulatum proventus inclamavit, ut qui ibi essent, opem ferrent, hunc Arnliotus per humeros raptum apud se statuit. Ipsa ad focum provecta eorum corpora, quæ tosta videbantur, devorare cepit. Interea Arnliotus exsurgens hastam inter scapulas ejus tanta vi adegit, ut penetrato pectore mucro prominere, quo vulnere accepto, ingenti clamore sublato, desubito foras se projiciens, hastam corpori impactam gerebat. Mox Arnliotus, elatis occisorum cadaveribus, domum purgavit, postesque & januam recursum ejus fracta reficit: reliquum noctis somno datum. Summo mane, postquam jentassent, Arnliotus se non ultra deducturum professus, viæ, quam mercatores pridie fecerant, insistere eos jussit, sibi amissam hastam requirendam, præmiumque ex mercatorum mercibus capiendum, quicquid usum suum commendaret, Thoroddsque Regi Olaso salutem suam dicere jussit: *eum esse virum, cujus invisendi desiderio maxime flagraret; scire tamen, vilem ei salutis suæ dictionem videri; lancem igitur argenteam loco ejus reddi ei jussit.* Inde suâ quisque viâ profecti, Thorodds cum comite atque eo, qui presentissimum vitæ periculum nuper evasisit, ad Regem profectus, omnem itineris sui ordinem retulit, lancemque reddidit; qui *dolendum* respondit, *Arnliotum se non accessisse, quodque institutum tam impium vir tantus tam magnanimus setaretur.* Inde ad Regem, quod reliquum erat hyemis, Thorodds manlit, æstateque sequenti, bona ejus veniâ, nec sine gratiâ, patriam repetivit.

CAP. XXXVI.

REX KARLEM DE MÆRIS AD CENSUM
REPETENDUM IN FÆREYAS ABLEGAT, QVI
INIBI ASTU THRANDI A FILIIS THOR-
LACI OCCIDITUR.

Hoc



Hoc eodem vere, MXXVII. Rex cum universis terrestrium navaliumque copiarum septentrionalibus provinciis excitavit viribus è Thrandiâ movit, satrapis omnibus comitantibus, præter Thorerem Hundum, qui regno excesserat, & Einarem Thambaskelferein, qui postquam rediit, domi remansit. nec beneficiis Regis usus, nec usum sui Regi addixerat, opibus agrorumque multitudine potens, haut minus magnificè vixit, quam cum stipendiis Regiis suffultus esset. In Nordmæriâ Raumsdaloc, aucto delectu. tandem in Sunn-Mæriam Rex pervenit, diuque in Hereyis copias expectabat, ubi frequentioribus conventibus multa, quæ emendationem requirebantur, cognovit. Hic jam subsistendum, dum legationis ejus in Færeyas, quippe hinc directæ, scopum eventumque exponam.

Fortè in publico Concilio de jactura eorum, quos in Færeyas ad reditus requirendos miserat, questus, alios ad idem negotium perficiendum se missurum asseverabat, cum promissa tributa non penderentur. Hanc igitur legationem diversis mandavit; quam cum certo vitæ periculo, aut non incerta morte conjunctam, omnes exemplis moniti perspicerent, pro se quisque eam deprecabatur. Inter cæteros vir staturâ eximiam, vultu alacri, rubram tunicam indutus, gladiò amictus, casidem gerens, tenens manu hastam longam, ictibus inferendis aptam, surrexit, &, *Discrimen, inquit, hominum haut exiguum apparet, inter bonum Regem & malos cives, qui numeribus ejus honorati, legationem unam, quam imperat, abnuunt; ego quidem hujus Regis amicus non fui, ille certè mihi inimicus, nec id, ut videtur, sine causâ; nihilominus, si huic negotio expediendo nemo aptior suppetit, me ad legationis periculum offeram.* Rex, quoniam vir ille adeò strenuus esset, qui voluntati suæ tam promptè annueret? quæsit; nam &, inquit, aliis multum distare videris, qui id ultro offers, quod ii, de quibus bonam cateroquin spem fovi, recusant: te autem nunquam novi, ne nomen quidem. Illud tamen, respondit ille, te fando inaudivisse non dubito, nec est difficile: sum enim Karl ille Merskius, seu Merensius. Audivi quidem, respondit Rex, fateorque fuisse tempus, quo, si nos in mutuum conspectum venissemus, tu exitum illius non enarrâsses, jam verò fide à te superari nolo, cum non modo ultro potestati meæ te commiseris, sed etiam ministerium tuum obtuleris: id quod insuper gratia & humanitate rependam. Mecum ergo bodie convivaberis: interea de legatione differemus. Fuerat Karl pirata & prædo famosissimus, ad quem comprehendendum Rex sapius emissarios ablegaverat, qui ipsum occiderent, verum frustra: cum enim esset vir strenuus, nobilique familiâ ortus, propinquorumque præsidio tutus, semper Regis persecutionem declinavit; jam vero non impunitatem modò impetravit, sed insuper in gratiam receptus, etiam diligebatur. Eum igitur Rex cum comitibus (viginti simul erant) à comiteatu optimè instructum ablegavit, nunciò ad aulicos suos, Leifum Auffaris filium & Gillium, misit, ut ejus negotium promoverent. Feliciter absoluto itineris cursu, postquam in portum Straumseyæ Thorshafniam appulisset, comitia habuit; ad quæ frequens indigenarum confusus. Ibi Thrandus magnò comitatu, Leifus quoque & Gillius haut minori frequentiâ, comparuerunt. Fixis deinde pro more tentoriis, ad tabernam Karlis accesserunt, saluteque, magnâ benevolentia significatione, ultro citroque datâ, Karl Regis ad Leifum Gilliumque mandata exposuit; qui se omni studio cau-

sam Regis promoturos polliciti, eum ad hospitium invitârunt; id quod ille grato animô accepit. Paulo post Thrandus accedens magnâ gratulâ-tione eum excepit, *gratum sibi præfatus, tantum virum patrie sue à Rege eor-um, cui omnes obedire teneantur, missum obtigisse, utque ad se cum universo comitatu per hyemem divertere dignaretur, majorem in modum petere; se enim nihil, quod ad honorandum eum faceret, omisurum.* Ille se grato ani-mô benevolentiam ejus agniturum, accepturum etiam hospitium respon-dit, ni Leifus ipsum prævenisset, cui id deinde renunciare neqviret. *Iste ergo, ait Thrandus, Leifus bonos obvenerit. Quæsitv it ergo, si quid aliâs ipsi gratificari posset? Si, inquit Karl, tributa per Austreyam & omnes aqvilonares insulas hæc hyeme collegeris, rem mihi feceris gratissimam.* Id autem omnium minimum respondit Thrandus, *quod in gratiam Regis facere possit;* atque ita tentorium suum regressus est, nec eo conventu plura contigerunt. Karl domum cum Leifso profectus, ad eum per hyemem divertebat, qui ejus nomine omnem Regium censum per Straumseyam & insulas, quæ in-de in austrum protenduntur, collegit.

Proximo vere Thrandus ægrotare cæpit. Ex oculis plurimum labora-bat, licet alia quoque gravamina accederent, nihilo minus in forum pro-more profectus tabernæ interiora nigris velis subducebat, ne oculis lumi-nis claritas officeret. Post paucos à foro celebrari cæpto dies, Leifus cum Karle ad tentorium Thrandi magnâ frequentiâ progressus, com-perto eum intra tecta se tenere, Regis nomine evocari curat. Ille nunci-um referre jussit, *tanto se oculorum dolore teneri, ut nullo modo exire posset, petere ut Leifus se accederet;* qui protinus dolum suspicatus, *ut sibi quisque sedulo caveret, unusque post alterum ordine intraret; qui primus ingrederetur, postremus exiret,* monuit; primoque ingressus Karl proxime sequen-tem præcessit; singuli deinde, ut præceptum erat, omnes integrâ arma-turâ muniti, velut in prælium ituri succedebant. Leifus usque ad nigra ve-lamina progressus, quæsitv, *an Thrandus adesset?* qui amice Leifum saluta-t, ab eo interrogatus, *an Regia tributa per insulas aqvilonares conquissere-ris? Non dememnisse respondit, quid Karli pollicitus fuerit: habere præsen-tem crumenam argenti signati plenam, quod ut ipse inspiciat, petere.* Leifus conjeçtis circa oculis, paucis intra tabernam conspectis, in scamnis autem quosdam recumbentes observavit, deinde acceptâ pecuniâ ad exteriora processit, quo clarioris lucis indicio examinaret: quam in clypeum effusa cum accuratius inspexisset, Karlem quoque aspicerè jusfit. Quâ in-spectâ, cum Leifi sententiam exquireret: *huc credo, ait Leifus, omnem pecuniam adulterinam ex aqvilonaribus insulis omnibus confluisse.* His auditis Thrandus Leifum interrogat, *pecunia-ne satis proba? improbam respondente, Heus scelus!* inquit, *certè propinqui mei fraudis dolique nihil mediocre nobis pollicentur, cum eorum fidei nihil tui concedi possit; eos enim hoc vere per universas aqvilonares insulas ad exigenda tributa misi, cum ipse ager id expèdire neqvirerim, sed illi muneribus rusticorum expugnati admissâ mu-tili pecuniâ fidem prostituerunt: itaque inspicere argentum, quod nomine cano-num ex agris meis accepi; traditoque alio marsupio, cum istam quoque pecuniam Leifus cognoverat, Karl, qualis esset? quæsitv.* Ad dissolven-da nomina inter privatos, certâ specie non definita, sustineri respondit, ad tributa autem Regia inhabilem. His auditis, quidam in scamno recumbens, exerto è bardocucullo capite; *Probat, inquit, jam se proverbi illius veritas, quod unumquemque, quantum ad senium procedat, tanto vilior fore perhibet: Karlem enim Merkiium æris tui valorem toto die improbare rejice-re que*

reque permittis. Is erat Gautus Rufus, His accensus Fraudus in propinquos suos magna verborum atrocitate intonuit, quòd fraudulenter creditum sibi negotium peregissent; redditoque Leiso alio marsupio. quod ante tradidit, reposcebat. Hoc, inquit, argentum à colonis meis ipse hoc vere accepi; quamvis enim morbus me visu pene privaverit, tamen propriis cuique manus commodissima. Mox alter in scamno recumbens, cubitu se sustentans erexit. Is erat Thordus Lagius, seu brevis. Haut, inquit, mediocres verborum contumelias Merensis ille Karl nobis struit, mercede non indignus. Leifus cum hanc pecuniam inspexisset, Karli ostendens, non, inquit, eget hec pecunia longo examine; cum unus nummus alterum bonitate superet, tu modò, Thrande, libram, quòd argentum appendamus, prome. Ille Leifi se fidei id credere respondit; atque ita exhibant, nec procul a tabernà confidentes appendebant. Karl detractæ capiti galeæ nummos appensos infudit. Interim virum propius accedentem, hastam malleatam manu tenentem, cucullum promissum capite gerentem, indutumque togâ breviori, colore viridi, nudum pedes, linea femoralia pedibus alligantem conspicati sunt; qui hastam campo impingens, cum discederet; cave, inquit, Merensis Karl, ab hastâ meâ periculum. Paulo post vir quidam properè currens Leifum inclamavit, ut quam citissime ad Gillii iudicis tabernam acceleraret, Sigurdum enim Thorlacium per inferiores tabernæ parietes irrupisse in ejus tentorium, ejusque comitum unum letaliter sauciâsse. Leifus citò exurgens ad tentorium properavit, secuti que eum suorum singuli, Karle cum Norvegis eum circumstantibus interea remanente. Mox Gautus Rufus accurrens, securi supra humeros circumstantium unius extensâ, istum eum levi in caput feriebat, quem Thordus, arreptâ, quæ campo impacta erat, hastâ, malleo in securim fortiter impulsò ita aggravabat, ut peterebrato cerebro topiretur. Illicò ingens hominum multitudo è tentorio Thrandi se proripuit, Karl autem exanimis elatus est. Magnopere Thrandus facinus execrari visus, nihilominus satisfactionem pro cæde legati obtulit, verum Leiso & Gillio litem persequentibus, cum non admitteretur, singuli exulare jussi sunt, Sigurdus ob vulnus Gillii comiti inflictum, Thordus autem & Gautius ob cædem Karlis. Norvegi nave, quâ vestri erant, summâ cum festinatione expeditâ, domum reversi, Regi singula exponebant. Verum imminens id temporis a Knuto illo Potente Daniæ Angliæque Rege periculosum bellum vindictæ facultatem ei; deinde regnum, tandem quoque vitam, ademit. Quæ post cædem Karlis in Færevis gesta sunt, gentis illius historia, a nobis ex codice Flateyensi collecta, latè persequitur, quò lectorem remittimus: neque enim alibi, quantum scio, extant.

CAP. XXXVII.

REX IN DANIAM PROPECTUS SIALANDIAM INFESTAT, AUNUNDUS SCANIAM; KNUTUS HORUM EX ANGLIA CONTRA EOS MOVET, COMES ULFUS HORDA-KNUTUM KNUTI MAGNI FILIUM, ABSENTE PATRE, REGEM PROCLAMARI CURAT, UTERQUE IRAM DEPRECATUR ET VENIAM IMPETRAT.



Rex Olafus Sunn-Mæriâ solvit, Stadasqve prætervectus in austrum tendebat, ubi ex singulis provinciis magnus ad eum confluxus fiebat. Ipse navi molis inusitatæ usus est, quam proximâ hyeme adificari fecerat, Visundumqve appellavit, ab aurato bisonis capite, quod proræ imposuit, de qua carmen Sigvati poëtæ exstat. Ubi in Hordiam pervenit, cognovit Erlingum Skialgium magno comitatu, quatuor vel quinque navibus, quarum primariam ipse duxerat, reliquas singuli filiorum, singulas viginti scalmorum, in Angliam ad Regem Knutum concessisse. Inde in australiora ingenti exercitu profectus, anxie de expeditione Knuti inquirebat. Omnes eum in Angliam remanere, quidam etiam expeditionem in Norvegiam adornare, referebant. Cum autem nihil certi de ejus consiliis aut expeditione constaret, nec tantus exercitus sine damnò uno in loco intra regnum moras necere posset, placuit eum in Daniam transportare; sumptibus peregrinæ gentis alendum. Mox dimisâ parte minus idoneâ, eò cum potissima manu, satrapis omnibus, præter eos, qui patriâ excesserant, vel domi remanserant, comitantibus, devectus est; inqve Sialandiam infusus, ingenti clade eam afflixit, aliis occisis, aliis captis: pars in vincula conjecta adqve naves deducta, lateqve populatio sparsa, magnum terrorem circumtulit; cumqve vires ad resistendum imparatos deficerent, fugâ sibi, quotqvot evadere poterant, consulebant. Ab alia parte Aunundus Sveciæ Rex Scaniam ingressus, magnam & ipse cladem damnumqve intulit. Tum primùm cognitum, quid inter se Reges de resistendo Knuto ad Gotaliam agitassent; nam ut primùm se conjunxerunt, deditionem gentis obsequiumq; postularunt. Multi igitur primæ nobilitatis viri, quando vis improvisa arceri non posset, possessionibus suis agrisque pacem & securitatem transitionis prætextu paciscuntur. *Cujus rei mentione (verba sunt Saxonis) detecta, Haqvinas quidem è villa Stangby, amantissimus Regis, arrepta quam celerrimè navigatione, Canuto cuncta ex se cognoscendi copiam tulit, eaqve humanitate, quantum principis ac patrie charitate teneretur, aperuit. Rex tantæ conspirationis nuncium exercitu subsequutus, ne rumoris auctorem premio vacuum præteriret, fidem nuncii, quod & longam & periculosam navigationem egerat, præmi loco dùm jugerum agri Scanici donatione repensavit.* Nostri per negotiatores Knuto hæc cognita tradunt. Igitur ad arcendos patrimoniali regno infestos hostes, totâ Angliâ ingentem classem exercitumqve colligit. Dumqve in eo esset, Sigvatus poeta Rotomago, quò, Bergo quodam socio, merces superiore anno advexerat, in Angliam delatus Regem adivit, quem cum navigandi copiam in Norvegiam interdixisse cognovit, ab eo commeandi veniam impetravit. Cognitqve, quantum viribus expeditionem adornasset, carmen fecit, quo Olafus se metuisset perhibet. Extant & alii versus de itinere ejus in Galliam.

Omnibus apparatis, Rex Knutus navi inusitatæ magnitudinis, molisque sexaginta locorum, & Comes Hacon, cui post Regem summa potestas, aliâ quadraginta scalmorum, Angliâ egressi, singulæ inauratis draconum capitibus, velis rubro, viridi, cæruleoq; colore interstinctis, cum ingenti classe in Daniam navigant, sinumqve Limicum absqve noxâ intrant, cognito, filium Knutum, tutelæ Comitibus Ulfi à se superiore anno relictum, Regem Daniæ, artibus Comitibus, quo sub umbra nominis potestatem ad se traheret, procerum populique suffragiis renunciatum. Produxerat enim diploma

diploma Regium, quod à Regina Emma, consiliorum istorum artifice, clam Rege scriptum, annuloque ejus furtim subducto firmatum, impetraverat, inque mandatis novissimè datum monstravit: *Regis filium regno se absente constituere, neque alio sine in Dania sue curæ relicto: satisfactorum quippe civium desiderio, qui sæpius questi sunt, quàm arduum sine Rege vivere, superioribus enim temporibus unius hominis vires Daniæ regendæ sufficere visum, quæ remotioribus multorum Regum imperiis regebatur, jam vero multo majorem necessitatem ingruere; prius enim pacem suam externos principes non irritasse, nunc Regem Norvegiæ in se armari compertum: novum etiam a Sveciæ Rege metum, Knuto Rege interea in Anglia peregrinante.*

Subornati procerum multi, sententiæ hujus voluntatisque Regis assertores, populum universum ad sacramentum Horda-Knuto dicendum perpulerunt. Inde compertum, Olafum cum magno exercitu Sialandiam invasisse, in Jutiam concesserunt: ibi copiis classeque comparatis, infusi in Daniam Sveciæ Regis famâ territi, ambobus simul impares, consilia ad Jutiam defendendam verterunt. Retento itaque exercitu, classem in sinu Limico in adventum Regis Knuti condiderunt. Quo cognito, ad Reginam Emmam, ut sibi maritum placaret, miserunt. Illa filii ditione deprecationem pollicita, facile patrem ad clementiam flexit, adeo ut ipse teneram ætatem imprudentiamque, simul ac necessitatem imminentis atam potentibus hostibus periculi, excusaret. Jussit itaque, ut deposito vano titulo, quem aliorum instinctu assumpsit, se protinus supplex accederet. Quo per Reginam renunciato, adjectoq; hortamento, ut clementiam paternam, cujus ipsi copia facta, quam severitatem, cum ad resistendum vires deficerent, experiri mallet, Horda-Knutus, re cum Comite amicisque communicatâ, postquam patuit, populum omnem patris potentiam, præsentiamque, unde præsidii turbulentis rebus unica spes, respicere, nec præter ditionem aut fugam quicquam reliquum, patris clementiam omnium consiliis prætulit. Ad eum igitur supplex profectus, adque pedes prostratus, anulum signatorium, cui Regium nomen impressum, in gremium ejus deposuit. Mox datâ dexterâ a patre erectus, inque loco, quem antea tenuerat, constitutus, veniam impetravit. Comes quoque Ulfus, misso ad Regem filio Svenô, quem ex sorore ejus susceperat, Horda-Knuto ætate pari, qui se Regi obsidem offerebat, veniam exposcebat. Rex ut copias classemque colligeret, mandavit, deinde se accederet, postea de reconciliatione acturum: fortè veritus, ne vir bello egregius, desperatâ veniâ, ad hostes deficeret: qui etiam mandatis impigre paruit.

Hæc Saxo Lib. X. longè aliter refert, & quæ ad Olafum Knutumque pertinent, valde confusè. De Horda-Knuto autem paterna sceptrâ invadente omninò silet. Ea verò, quæ de dolo Comitum Ulfi, in impetrandis sororis Regis Astridis nuptiis, exponit, cum nostris Scriptoribus minimè coherent: nimirum cum Svecis, absente in Anglia Knuto, assidue in Scaniam irrupentibus, ad constringendos eorum impetus, poposcisse sibi Ulfum protectionem in Daniam, & quod soror Regis procuracionem Sialandiæ gereret, impetrâsse à Rege ad eam literas signatorio annulo impressas, quibus jubebatur exequi, quæcumque Ulfus imperâisset; illum vero nuptias ejus postulâsse. Ratam autem idarcano fratris imperio præceptum haut repugnâsse, mox bellum adversus Daniam professum, ejus exequendi causa, tum etiam ut vindictæ fratris se subduceret, in Sveciam cum uxore concessisse, ibique invadendâ Daniæ propositum pertinacius

animo voluisse, Anundo Olafoque consilii participibus factis, alteri maritimis Sialandiam copiis, alteri Scania terristribus impetendam proposuisse, ipso classem se ex Sveciâ ducturum promittente. Mox bellum ad amnem Helgam, & hæc, quæ jam describimus, recenset, & post illud, imò post sublatum è vivis Sanctum Olafum, Svenonem Estride natum perhibet. His contraria *Knytlingsaga Cap. VIII.* tradit Ulfum duxisse Astridem uxorem, cum primum Knutus in Angliam migravit, anno ætatis suæ tertio supra decimum, Salutis vero MXII. Ergo non absente in Anglia Knuto, nec hac fraude eâ potitus est, nec quæ de nativitate Sveni refert, magis consistunt; hic autem Horda-Knuto natu æqualis dicitur. Nam si anno post hunc conflictum, aut hoc eodem anno, qui æræ Christianæ vicefimus septimus supra millesimum est, natus erit Svenus, non poterit ultima penè senectute, ut *Saxo* scribit, decessisse; decessit autem, nostris Simoneque Dunelmenfi idem perhibentibus, anno MLXXXVI, ætatis nimirum LVIII. Probabilius est, Horda-Knutum Svenumque æquales fuisse; atqui Knutus Magnus, teste *Polydoro Virgilio*, Emmam circa animum MXVII, altis MXVIII. uxorem duxit, non igitur ante eum Horda-Knutus nasci poterat. Decennis ergo puer fuerat, cum hæc gesta essent, quæ quidem ætas Sveno convenit, cum anno MXLII. a summis virtutibus commendatus Daniæ à Magno Bono Comitibus titulo præpositus est, quod in puerum quatuordecim annorum minus cadit: quamvis Olaf Tryggvini, Haraldi Pulchricomi, paucorumque aliorum exempla memorentur. Sed nec refragor, Ulfum, hoc ipso anno res novas molitum, cum hostibus Regis Knuti collussisse; id enim innuere videtur *Bromton*, qui scribit Kanutum anno regni sui nono, id est, ut explicat ipse, à cæso Edmundo, anno nimirum MXVII. (nam annum, quo Conradus Imperator factus est, Kanuti octavum prius scripserat, qui est æræ Christianæ MXXXVI.) anno MXXXVII. in Daciam contra Ulf & Eylaf (nescio quem; forte Olafum) qui gravissimam multitudinem contra eum terrâ & mari de gente Speon (Sveones intelligit) adduxerant, cum Anglorum exercitu transfretasse. Credibile etiam, adventante Rege, deinde illis relictis, ejus se partibus adjunxisse, veniamque hoc pacto impetrasse, licet id hic non ita distinctè relatum sit, *Saxo* hæc refert ad ea tempora, cum Olafus è Russiâ rediens regnum exitio suo repetebat; *Fagurskinn* etiam ad ulteriora & post ejus obitum, ut inferius exponam. Ad rem redeo

CAP. XXXVIII.

CONFLICTUS AD AMNEM HELGAM, REGUMQUE CONSILIA DESCRIBUNTUR.



Hama tam memorabilis classis exercitusque ductu ipsius Knuti in Jutiam delati, subditorum singulos, præcipuè verò proceres, qui avertendo periculo spem deditionis Regibus fecerant, ad eum convertit. Reges autem, qui vanâ spe obtinendæ Daniæ lætati, tempore inutiliter per ætatem trito, aperta tantum litora infirmaque villarum oppidorumque in raptus inglorios reportarunt. Sialandiâ relictâ, classem univerfam ad orientalia prope Scaniæ Sveciæque confinia, ubi fluvius Helga in mare se exonerat,

nerat, dirigunt. Ejus situm non procul Calmariâ *Loccenius historiae Svecanæ Lib. II. pag. 66.* coniectat; *Winslovius Spicilegio Arctoo in Additamentis ad Cap. II. pag. 15.* non procul Christianstado. Ubi dum subsistunt, de insequente se Knuto certiores invicem consultant. Placuit ut Aunundus classem utramque dirigeret.

Interea Olafus cum parte copiarum ad mediterranea lacum usque, unde fluvius Helga evolvitur, profectus, alveo lignis & cespitibus obstructo, aquas immanibus fossis exceptas, pluribus quoque stagnis committit, quæ intersectis intervallis concurrentia immensi maris speciem præbebant: siccatum deinde alveum excisis magnarum arborum molibus sternit. Ingenti operi multi dies insumpti. Ut verò Aunundus de propero Regis Knuti adventu per exploratores certior factus est, statim id per nuncios Olafò significat, cumque inclinante in vesperam die cum universâ classem appropinquaret, signo tubâ dato, omnes ad arma se expediebant; moliti portu classem ad orientale latus funibus & anchoris ligant. Interea Olafus de his per Aunundum certior, obicibus ruptis, cum flumen veteri alveo reddidisset, ad naves descendit. Knutus verò ad portum delatus, animadversò deductas stationibus classes in procinctu stare, postquam longam classis suæ seriem (quæ utrâque Regum duplo major, lateque sparsam ingens spatium reqvirebat) collegisset; ad conferendam pugnam haut satis temporis suppetere ratus, eam in sequentem diem dilaturus, portum ipse cum tot suarum navium, quot capax erat, intrat, maximâ parte propter litus excubante. Postridie luce clarâ, cum pars copiarum in terrâ vel colloquiis vel ludis distinerentur, improvisa aquarum eluvies immani strepitu impetuque claustris effusa, magnas simul trabium moles vehens, universam planiciem inundans, quicquid hominum pecudumque offendit, de repente oppressit, actaque in naves fluctuum vi ingens trabium moles, meris vectoribus multas collidebat. Omnes autem, quibus licuit, anchoralia incidebant; acti denique, quò æstus ferebat, ab invicem distrahebantur. Prætoria quoque Regis simili impetu rapta, inque hostilem classem delata, ab omni parte invaditur; neque enim præ gravitate remis inhiberi facile poterat. In hanc omnis omnium, qui vel eminus vel cominus attingere poterant, cura visque versa, spe posse capi, cum ipso Rege, dum auxilio suorum procul cum impetu fluctuum conficatur; verum altior, inque castelli modum educta, respuebat minas ictusque ex humilioribus magnam partem innoxios: validissimo insuper fortissimorum virorum, frequentique & ab armis instructissimo præsidio, defendebatur; nec longum Regibus oppugnandi tempus suppetebat, Ulfo cum sua cohorte, quantâ poterat celeritate, accurrente. Inde ex oppugnatione bellum exortum; mox universa Regis classis undique affluens, Reges, quibus in unius navis expugnatione omnis victoriæ spes constitit, adeo terruit, ut solutis vinculis continuo se ex hostili classe subducerent, priusquam se poterat colligere: neque enim secundum ordinationem Knuti oppugnatio processit, postquam insperati fluctus omnia dissipassent.

Elapsi hoc modo Reges, copiis recensitis, nihil damni acceptum prehenderunt, nec tamen iterum hosti, viribus longe superiori, si ordinatâ acie se adoriretur, ausi congredi, circa Sveciæ litora ortum versus cursum dirigebant. Cognitò autem Knutum se non persequi, Barvicæ per noctem stativa habuerunt. Eâdem nocte maxima pars Svecanæ classis dilapsa, continuo cursu suas quisque domos repetebant. Aunundus igitur, convocatis, qui remanserant, præsentem Olafò exponit, ut *Daniam eâdem æstate*

estate simul infestaverint, præde quidem uberrime, nullius autem provincia lucra: se viginti supra quadringentas, Olafum sexaginta navium classe, quæ ipsi quidem integra, sibi tantum centum & viginti, remaneant; placere itaque integro curru domum vebi, partoque gaudere, cum nihil amiserit, Olafum quoque se sequi, inque suum usum quantum velit ad suam militæque suæ sustentationem accipere. Si verò terrestri viâ Norvegiam petere malit, patere ei liberam per regnum suum comœandi potestatem. Pro tam amicâ invitatione grates exsolvens Olafus, se quoque classem viginti supra quadringentarum navium ab initio habuisse, lectissimas tantum sexaginta, strenuissimo milite instructas sub satraparum ductu in expeditionis usum delegisse; videri etiam ignavissimum quemque Annundum deseruisse, fortissimos, imò omnes, ejus satrapas adhuc præstò esse: non igitur istis viribus de successu desperandum, si more maritimarum Regum per integram hyemem in navibus excubarent: neque enim Knutum tantâ classe ad anniem Helgam infidâ statione mansurum, nec minori milites ejus penatum suorum passim vastatorum desiderio, quàm suos, tenere. Ideo verisimile, exercitum tantum cito dilabi. Inde ambiguan victoriam fore: per exploratores consilia ejus ceptaque certiora fieri. Probato consilio, ambo Reges simul in navibus, speculatoribus in exercitu Knuti abditis, remanserunt; nec minus ille de eorum actis securus, quacumque se classis circumegerat, equites, qui terristri itinere per litorum anfractus, brevioribus semitis eos, quocumque tenderent, observarent, ordinavit. Compertò autem, dilapsam maximam classis vim, suam quoque ad Sialandiam reduxit, inque freto Eyrarundo statuit, partem quoque in litore Scanico.

CAP. XXXIX.

REX KNUTUS AD CONVIVIUM A COMITE ULFO INVITATUS, LINGVÆ INTEMPERANTIA OFFENDITUR, SEQUENTE DIE IMMISSO IN EUM PERCUSSORE, IN IPSO TEMPO EUM OCCIDIT, EFFUSAE LIBERALITATE FACTUM EXPIAT.



Ridie festi Michaelis Roschildam magnò comitatu profectus Rex Knutus festivo convivio ab affine suo Comite Ulfo excipitur, magnâ quidem alacritate; ipse tristi vultu, verbisque parcus. Cumque Comes omnia, quæ ad exhilarandum eum facere videbantur, studiosè conquiret, ad ultimum eum ad ludum latruncolorum invitat. Consensit Rex, aliquantisperque ludit, donec Comes equite eum spoliavit. Ductum revocare jussus, sed parere recusans, irâ insuper concitus, alveum lusorium dejecit, diceffitque. Abeuntem Rex inclamans: *janne, inquit, fugis, pertrepide Ulfe?* Is verò verbis præceps, ingenio pertinax, itaque in mediis foribus convertens se jam exiturus: *Et tu quidem, inquit, longius ad flumen Helgam, si potuisses, fugisses; nec tunc Ulfum timidum vocassis, dum classem ad auxilium tuum converti, dum Sveci vos perinde ac canes verberabant.* His dictis egressus cubile accessit, mox etiam cubitum. Rex quoque paulò post acquievit. Postridiè mane, cum vestes induisset, misit eum, qui à calceis, ut Comitern occideret, qui cum post horulam rediisset, an mandatum executus fuisset? quæsit. Is autem negabat, quòd in templo B. Lucie sacro eumprehendisset; alium ergo, nomine Ivarem Hvium

tium, seu Album, genere Norvegum, ad eum occidendum misit; qui ingressus chorum, gladiò eum transfodit, ita ut ilicò vitâ excederet, cruentumque referens gladium quæsitus an occidisset; mox profectus laudatur. Monachi pollutam cæde sacram ædem occludunt; iussi recludere sacram celebrare, parent. Ipse Rex deinde ingressus tantum agrorum ecclesiæ donavit, ut integram provinciam constituerent; causam deinde urbis illius incrementi. Fuit Ulfus vir, secundum Regem, tota Daniâ potentissimus: soror ejus Gida Godvini Ulfnadi filii uxor, quorum liberi Haraldus Angliæ Rex, Toftius, Valthiofus, Marcarus, Svenus, & Gida S. Edvardi Confessoris Angliæ uxor. Scriptores alii hæc aliter exponunt. *Fagur skinna*, seu *Compendium*, hic in tempore aliisq; circumstantiis variat; postq; cædem Regis Olafi contigisse refert, Comitem enim Ulfum primarium inter eos, qui Svenum Knuti & Alfifæ filium Regio titulo Norvegiæ imperio præfectum eò deduxerant, memorat: postea vero in Angliam ad Regem profectum, literas, de quibus agitur, in scio Rege, annitente Reginâ, impetrâsse, easque in publicis Viburgensibus comitiis, ministerio Capellani sui, recitâsse; eas autem scriptas fuisse ad majoris nominis proceres omnes, universumque agri Daniæ populum. Gravi deinde & longâ oratione monstrâsse, quàm periculosa esset tanto regno Regis absentia, cui semper cum Saxonibus & orientalibus, nuper etiam cum Nordmannis, bella. Hordaknuto deinde omnium consensu Daniæ Rege, sed potestate apud Ulfum remanente, declarato, patrem ejus de his certiore factum, Angliâ cum magna classe in Daniam eadem ætate profectum, ad urbem Sialandiæ Roschildam pervenisse, eiq; Comitem obviam processisse, diei mane eum alloquio dignatum, sed famulo a calcis mandâsse, ut ipsum occideret: quo sine executione redeunte, & quod Comes precibus matutinis in templo occupatus fuisset, regeunte, eiq; alium in eum immisisse, qui in sacra æde eum lethali vulnere percusserit, gladiumque cruentum, nec vaginâ conditum, Regi retulerit, laudemque meruerit. Deinde quæ de Monachis & occluso templo tradit, superioribus consentanea sunt. Addit deinde, publicâsse Regem. in scio sibi surreptum esse anulum, quo literæ signatæ essent. Arcesivissè deinde filium Hordaknutum & Svenum Ulfi filium, qui venientes ad genua ejus acciderint, restitutoque patri sigillo, Hordaknutum, cum duodecim procerum præcipuis, juramento se obstrinxisse, se Daniam non aliter quàm in beneficio ejus reputaturum, seq; ejus vasallum futurum: atq; hac ratione Regium titulum à patre impetrâsse, nec tamen aliter ejus usum, quàm absente è Daniâ patre: Svenum autem Ulfi filium diutius in Sveciâ moratum splendide vixisse, quòd Olafus Sveo Sveciæ Rex ejus esset avunculus. In tempore erratum existimò, tolerabilis tamen hic, quàm a *Saxone*, *Adamum Bremensem* secuto; non enim ex Russia, ubi exulavit, tanto exercitu instructus est Olafus, ut Daniam infestaret, nec hoc in vitâ ejus unquam traditur. Hæc autem post cædem Olafi contingere fortè poterant; non tamen eò stabilitur, quòd Comes Ulfus Svenum Alfifæ filium in Norvegiam deduxerit, nam *Chronica Norvegica* tradunt, Haraldo Comite eum comitatum fuisse. Is est Haraldus Thorkelis Proceri filius; unde concluditur, mortuum tunc fuisse Ulfum. Ego *Chronicorum Norvegicorum* traditionem cæteris præfero, quod in anno cum loco ex *Bromtone* a nobis antea citato conveniat: tum quod *Saxo* videtur innuere cædem hanc statim post confictum ad fluvium Helgam contigisse, dum mersæ nuper militiæ cladem nocturnis laudum suarum cantibus celebrâsse memorat. Illam vero post reditum ex Russia non

contigisse monstratum est. Illud certe ex iis, quæ hucusque dicta sunt, constat. Ulfus ad hostes Regis transit, illud aliâ quavis causâ factum, quam metu a nuptiis sororis ejus dolo contractis. Diversas de bello ad amnem Helgam narrationes *Loccenius historia Svedicane Lib. II. in Amundo Carbonario* collegit, quò lectorem remitto. Factum Regis in cæde Ulfi *Pontanus* Alexandri Magni, cum Clytū occidisset, comparat. Inter enim epulas a Rege invitatum peremptum, *Saxonem* secutus, existimat. Verum multa hic diversa occurrunt: meram temulantiam ille, fidus alioquin amicus, vetusque miles, ipsiusque Regis servator, hic perfidiæ læsæ Majestatis novâ temeritate instauratum crimen luit: temulenti temerario Regis facto ille, hic sobrii Regis providò consiliò occisus, periculosissimo tempore, cum metus esset, ne hostibus se aggregans multos regni proceres populique partem seduceret, nec aliâ de causâ tam properè, & quidem in sacrâ æde, sublatu, quam ad elabendi spatium amputandum.

CAP. XL.

OLAFUS IN NORVEGIAM REDIT,
KNUTUS MUNERIBUS PROMISSISQUE PROCERES
EJUS ET CIVES CORRUMPIT, HARECHI DE THIOTTA
ASTUS, ERLINGUS AD KNUTUM DEFICIT, ET NUNCIOS
KNUTI AD ALIOS SOLLICITANDOS MISSOS
PROTEGIT.



Secundùm cædem Comitum, propitiatamq; Nunimis, vel etiam Monachorum, iram, auctu redituum, ad classē Rex rediit, ibique in multum augmentum magno cum exercitu remansit. Quo per certos rumores cognito, consilium Reges habentibus Olafus, non *sefellisse se conjecturam*, ait: *neque enim in furvio Helga diurnam stationem habitam; multos jam ab eo dilapsos, accisumque ingentem illum copiarum numerum, qui illuc confluxit, dilapsuros in dies plures, modò suis excubandi constantia non defuerit; neque enim in navibus hyemandi rationem Danis quam suis acceptiorem futuram; si in captis perseverarent, futurum ut exinanito terribili isto exercitu occasio illis ad se transeat.* Sveci verò reclamabant, *non ex Norvegorum consiliis res suas fortune committendas, cum incertum sit, qualis hyberna constitutio futura sit; sepe enim unversum pelagus frigore ita constringi, ut glacie occludatur.* Illis itaque magno fremitu obstrepentibus, Aunundus morem gerens, classē exercitumque omnem domum reduxit, Olafō adhuc stativa tenente. Interea Knutus per speculatores, non solum quæ in exercitu Olafī gerebantur, exploravit; sed etiam præcipuos præfectorum muneribus aut promissis vel tentavit, vel corrupti: multi etiam magnificis donis antea præceptis, quamvis sine prodicionis titulo, tamen devincti, & ad gratificandum ipso beneficiorum jure obligati tenebantur. Erant namque Knutus in omnes alicujus momenti viros, præcipuè peregrinos, & inter eos maximè, qui è remotissimis terris eum accesserant, mirè liberalis & beneficus: hic autem æris largâ profusione prodicionem mercatus fidem in hoc accepit, ut prostitutâ fide, cum primùm Norvegiam classē & exercitū peteret, ad possessionem regni, dejecto domino, se sine cæde & sanguinis impendio pro se quisque promoveret; id quod multi in exercitu

citu Olafi in se receperunt: quos inter alios ipse, fraudis ignarus, consiliis privatis adhibuit: ut verò sententiis dissidentes animadvertit, facile colligit, multos ex iis ad proditionem illectos; cum enim plures, ut navigationem per fretum Eyrarsundense in Norvegiam dirigeret, svaderent; non enim auferos Danos, quamvis magnâ classe, in istis angustiis eum aggredi, in rem hostis suamque perniciem consultum animadvertit; quippe edoctus exemplò Olafi Tryggvini modicâ classe patriam, repetentis, navalia bella Danos minimè defugere: novit etiam multos Norvegorum Knuto militare. Terrestre igitur per superiora Gothiæ iter omnibus se comitari volentibus indixit, naves vero cum impedimentis in Svecia se relinquentium, in futuros usus reservandas, pronuntiavit. Primus Harechus de Thiottâ ætatem senilem, invalidumque pedestri itineri corpus excusavit, impensasque in navem suam majoris pretii, quam ut hostibus eam permittere velit. Rex si pedes ire non posset, vehendum replicavit; qui metricè respondit; *etiam si vel ipse Rex Knutus angustias freti obsideat, eum nihilominus elusurum*: nec segnius quam jactabat executus; nam exspectato ferente vento, orientale Scaniæ litus prætervectus, Holmas (aliis Halas, seu caudas: sitûs ratione credo promontorium FASTERBOENSE intelligi) usque delatus, malum deponi, coronides aplustriaque auferri, quantumque navis mari emergebat, cinereis integumentis velari, plurimos nautarum humiliora insidere, paucos in extremis ad proram puppimque loculis remos segniter agere iussit. Consultantibus excubitoribus Regis, quid navigii esset? lembus sale vel halecibus onustus visus est; lentum enim remigium, pauci remiges, pannus Sole illustratus arida picis latera reagentans, speciem onustæ navis referebant. Ut verò classem præterit, malum aurataque aplustria erigi, velamenta demi, carbasum nivis instar candidum, rubro ceruleoque distinctum, ad ostentationem extolli mandavit. Fuere tunc, qui Olafum ipsam interpretabantur; Knuto prudentiorem discutiente, quam ut salutem suam inter tantam classem uni navigio committeret; verisimilius Harechum de Thiottâ aut alium ei similem hoc astu usum. Verum postquam Knuti partes aperte secutus erat, invaluit opinio, à Rege jam tum corruptum ipso consilio navigasse, secus id minimè periclitaturum. Is vero astu evasisse videri volens, inter navigandum carmen quasi de elusis triumphans, hodieque superstes, pepigit. In Norvegiam delatus in Halogiam domum recta navigavit.

Interea Rex Olafus, deductis Kalmariam navibus, armamentisque & impedimentis custodiæ traditis, quicquid armorum vestisque, ultra quam quotidianus usus requirebat, reliquum, equis; quot comparari poterant, vehendum imponi iussit, perque Smalandias in Vestrogothiam pacificum lentumque iter instituit; civibus benignè, quibus indigebat, præsentibus. Inde per Vikam Sarpburgum usque itum, procurataque ad usum hybernæ necessaria. Pars maxima exercitus dimissa, retentum satraparum quantum visum, omnesque Arnii filii, quippe præ cæteris culti: quo tempore ad Regem ex Islandia legatus Gellir Thorkeis filius; ut supra dictum rediit: ut & Sigvatus poeta ex Anglia, commeandi potestate à Knuto impetratâ. Jamque suspectus defectionis ad Knutum, quantumvis Stallarius Olafi ante obitum creatus: qui cum Regem inter prandium, sed sine responso, salutasset, delatum se sentiens, metricè, ubi locum sibi designaret? quærit. Rex nescire se ait, suo Stallario, an Knuti ministro. Cum iterum rhythmicè se purgasset, nec diffiteretur oblatam sibi ab eo conditionem, nec acceptam, priorem sedem insidere jubetur, moxque in pristinam, eamque intimam, gratiam recipitur. Eadem

Eadem ætate Erlingus cum filiis omnibus militiam Knnti secutus sub signis Comitis Haconis, ubi & Thorer Hundus, sev Canis, magno in honore etiam ad Regem remansit. Jamque cognitò, Olafum terreſtri viâ domum repetiſſe, & ipſe ſuum exercitum dimiſit, ſingulis, quæ ad hybernam ſuſtentationem requirerentur, comparare permiſiſis. Magna tunc in Dania peregrinorum, Anglorum, Norvegorum, aliarumque nationum, frequentia, qui eadem ætate in militiam confluxerunt. Erlingo per autumnum diſcedenti ingentia munera data; miſi unâ ſpeculatores cum majoribus theſauris erogandis iis, qui fidem auxiliumque Knuto ad deturbandum regno Olafum nuper promiſerunt, pluribusque aliis, quorum fidem venalem experirentur, in hanc ſocietatem comparandis. Hi Erlingi curæ commendati, tutis itineribus ubique, ejus gratia & auctoritate, proceſerunt, nec ſine magno fructu, plurima procerum parte fidem pretio poſtponente, & quidem tanta fiducia, ut pars apertè, major tamen clam deficeret. Variis nunciis fama hujus rei ad Olafum delata, multos in aulâ ſermones graves, interdum execrationes, excitavit. Dam-natus & plurimorum ſermonibus Comes Hacon, ut perjurus, quod è poſteſtate Regis incolumis, diſto ſacramento, dimiſſus eſſet: jaſta in illum probra Sigvatus, quippe amiciffimus; ægre ferens, verſu eum defendebat, ita Regi fidus, ut memoriam mæcenatis, licet hoſtis, traduci nollet; forte etiam ingenii Regis gnarus, quod à convitiis in principes, etiam hoſtes, abhorreret: quippe curis & remiſſionibus ſemper à latere, magna fociorum invidia, quæ novi anni initio, dato in ſtrenam gladio aureo capulo, multum auxit. Feſtum enim Jolenſe magno pro more cultu, convivarumque nobilium frequentia celebrare, octavumque diem ſtrenis in amicos diſtribuendis ornare, Rex quot annis ſolebat; repetita adhuc ſolen-nitate conſuetudo, eum in domum, quâ pretioſa cimelia in amicos eo tem-pore conferenda reſervabantur, provexit. Inter cætera gladiatorum deauratorum vis magna parietibus dependebat, quorum unum rhythmo expe-ctanti Sigvato inter optimos dederat; cæteris ægre ferentibus, ut poſtea apparuit.

CAP. XLII.

REX IN UPLANDIS A RAUDULFO EXCI-
PITUR, EJUS FILIUM IN COMITATUM ASCISCIT, A
QVO DE ABDITIS REBUS INSTRUITUR, BIORNUM SATRAPAM
EXILIO MULTAT, THOREREM AULVERIS DE EGGIS FILIUM
FRATREMQUE EJUS GRIOTGARDUM OPPRIMIT, NAVES
MILITESQUE PROVINCIIS INDICIT, PARUMQUE IMPE-
TRAT. HARECHUS DE THIOTTA GRANKE-
LEM INCENDIT.



Lapſo feſto Joſenſi, ſine morâ ad Uplandas i-
tum, ad levandas provincias onere tantum copiarum
numerum ſuſtentandi, nec enim Regi unde alerentur
ſuppetebat, ſeptentrionalium provinciarum re-
ditibus nondum exactis, id quod æſtiva expeditio im-
pediverat, ipſa quoque Regiis impenſis ſuſtentata.
Deerant & naves, quibus ſeptentrionem peteret, ſed
nec tuta navigatio inter rebelles viribus inferiori. Hinc Uplandæ, quam-
vis intra præſcriptum legibus aut conſuetudine receptum tempus (juſtum
enim

enim à novissimâ visitatione nondum defluxit) necessitate exigente, lustratæ, plebis tamen onera satraparum Regiorum, civiumque opulentissimorum studiis invitato ad convivia Rege, levata. In his fuit Biörnus, quidam, natione Gothus, carus Reginae Astridi, & ex parte cognatus, quâ annitente præfecturam villarumque administrationem per superiorem Heidmarchiam Eystridalosque asscetus est, minus Regi acceptus, rusticis etiam inivisus.

Eòdem fortè tempore novis in ejus præfecturâ furtis subrepentibus remedium adhibiturus Rex agricolas in publicum conventum convocabat, cumque de furibus nihil constaret, illis, qui montana & abdita colebant, hæc jure imputari pronuntiavit; id Dalorum indigenas crimen haut obscure impegisse visus est, indole provinciæ, quæ sparsim, idque ad lacus vel inter excisas mediis saltibus arbores, raro confertim, colitur. Duo erant fratres, qui illius provinciæ causam fortiter propugnabant, Dagus & Sigurdus, conspicuæ formæ juvenes, armorum vestisque ornatu valde sciti. Pater iis Raudus, *codici Flat.* Ulfus, & per nominum compositionem Raudulfus, mater Ragnhildis. His infensior satrapa, tum defensionis pertiniaciâ, tum quoque cultu sui fortè æmulo, quem fastum interpretabatur, crimen haut obscure intentabat. Ista contentio animis ultro citroque concitatis tam diu duravit, donec definitum foro tempus exiit. Paulo post, Rege ad Biornum cum copiis omnibus divertente, instituta nuper accusatio renovatur, crimenque Raudulfi filiis a Biorno obijcitur; qui arcesciti, ut primum in conspectum Regis venerunt, ingenui vultus iudiciò absolvuntur. Invitatus deinde Rex ad paternam domum cum omni comitatu ad triduanum convivium proficiscitur, Biorno nequam dissvadente, rarâque magnificentia excipitur. Fuit Raudulfus natione Svevus, opulentus & nobili prosapia, uxor ejus Hringi Regis Dagi filii filia, raptu paternâ domo illuc translata, agnata ipsi Regi. Sagacitate horum virorum conspectâ, artes, quas callerent, profiteri jusit Sigurdus somniorum explicationem, singularumque horarum distinctionem, nubilo quantumvis cælo, profusus, utrumque Regi probavit. Dagus singulorum hominum virtutes præcipuas vitæque, modò observare liberet, sibi obvia affirmat; cujus rei experientiam a se capturus Rex, quò potissimum inclinaret, edere jusit; mox collineasse fastus. Inde quæ præcipua Biorni satrapæ labes animi? sciscitatur. Furandi genio præditum respondit, indicatoque loco, ubi osâ, cornua, coria boum, quæ furatus est, abscondisset, facile evicit, solum eum omnia, quæ eo autumnò desiderabantur, quorumque culpam in alios conjecerit, uncis manibus subtraxisse. Inde non sine magnis donis, filiis in comitatum receptis, discesum; excusaque Biorni latibula furtivas reliquias prodiderunt, qui, furcæ panâ prescriptione in Regis gratiam mitigatâ, evasit. Quantam mendacii materiam præfaga Raudulfi indoles otiosis Monachis præbuerit, *codex Flat:* evolutus monstrat; ubi ejus ædes ad Solis cursum mobiles, majori artificio factæ perhibentur, quam tentorium Friderico Imperatori à Soldano Babylonæ missum, ad annum Christi MCCXXXII, memorante *Tribemio*, aut illa Neronis cænationum præcipua, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumagebatur, teste *Svetonio cap. XXXI.* Ipse quoque Raudulfus somniorum non modò prolixâ explicatione, sed etiam suggestione Daniele superante, introducitur. Certè delirasse videntur monachi, divinitatem Olaso mortuo afferentes, cum vivum homo vivus illo sapientior superasset. Talibus itaque fabulis superfedeo. Sed nec satis

tis assequor, quomodo Raudulfus filiam Regis Hringi Dagi rapere poterat, & hos, uti videtur, filios ex eâ prognerâsse; modò is Hringus intelligatur, quem Rex Olafus inter alios Regulos anno MXVII cæpit & regno exegit: nam si ante illum annum id fecisset, longius profecto fecessisset, quàm in viciniam; si posterius, adultos filios id temporis ex ea sustulisse nequivit, ni forte eam è Norvegia in Sveciam aut aliò secum transtulit, & post exilium patris iterum in viciniam retulit, id quod *codex Flar: & Morkinskinna* diluunt, quæ eam non filiam, sed sororem, fuisse tradunt.

Inter cæteros juvenis egregiis natalibus Thorer, Aulveris de Eggis, quem idolatriæ convictum plexumque memoravi, filius, Kalfi Arnini privignus, Thoreris Canis sororis filius, annorum octodecim, nuper locupleti conjuge in Heidmarchia auctus, Regem ad convivium invitat. Hunc præter generis nobilitatem, formæ, institutionis, ingeniique bona, favor ingens populi, rectorem sibi spe destinantis, moresque amæni commendabant; nitor tricliniorum, apparatusque ferculorum, potulentorumque delectus, & administrationis dexteritas alacritasque, convivas in admirationem rapuit, adeo ut Rex quoque singula commendaret, Dago ad hæc conticente; quod observans Rex, jam antea secretis colloquiis, iisque frequentioribus, peritiam ejus, dictorum præfagiorumque fidem expertus; sevocato magnificentiam convivii hospitisque cæpit extollere, qui parçè ad singula respondens nihil horum refellebat: tandem quò animi morbo maximè infestaretur, sciscitatus, responsum accipit: *omnia in eo commendabilia, si ingenii abdita externum habitum sequerentur*; inexpectato responso majori rei cognoscendæ expectatione suspensus Rex, jusfit ut ediceret, quid in illo notabile animadverteret, id enim ei ex officio incumbere. *Si*, inquit Dagus, *culpam aperuero, par est ut pæne arbitrarium mihi permittas*; id verò Rex abnuvit. Tum Dagus memor sententiæ, quæ necessitatem domini etiam cum parricidio implere jubet; *Mandatam*, inquit, *Domini sanctum: familiare multis vitium avaritia eum quoque obnoxium tenet. Furne ergò an latro?* ait Rex: *Minimè*, inquit, *sed conductus in te à Knuto percussor armillâ aureâ, quæ dexterum ejus brachium supra cubitum ambit, vesteque tegitur.* His dictis Rex conceptam animo ingentem iram tegens convivium repetit. Cum à prandio aliquantis perpotatum esset, omnibus exhilaratis, Thorerem acciri jubet: qui accedens manum mensæ imponit. Rex quò *ætatis processerit?* quærit: ad octodecim annos professio, *juvenis quidem ingens*, ait: simulque manu apprehensâ, brachii superiora contractat, attactâque armillâ; *parçè Rex*, ait Thorer, *ibi namque ulcus.* Latentem duritiem observans Rex, se quoque medicum professus, nudare jussit. Videns detectum scelus, armillam porrigit, faturque pretium esse capitis Regii, licitatore Knuto. Mox compedibus vincitur. Kalfus autem pluresque alii deprecantes, pecuniariam multam offerunt, ipsius Regis arbitriò irrogandam. Verùm major erat ira, quàm ut placari se permetteret: habiturum fatum, quod sibi destinaverat, edicit, penamque exigit. Accensa inde in Regem per omnes Uplandas, Thrandiam quoque, ubi propinquorum Thoreris plurimi, ingens indignatio, aversisque ab implacabili ingenio animi, quod nullâ ætatis teneræ, nullâ paternæ cædis, quâ provocatus juvenis ad extrema prolapsus videri poterat, nullo intercedentium amicorum, latera ejus ab insidiantium apertorumque hostium dolis vique suorum objectu propugnantium, respectu, à severitate sævitæ proximâ flecti se pateretur. Valde etiam Kalfus juvenis, utpote privigni, quem ipse in tenerâ ætate educaverat, eadem ægrè tulisse dicitur

citur; ægrius etiam frater Griotgardus, ætate major, juvenis pariter insignis, comitatuque in morem satellitii quotidie stipatus. Is in Heidmar-
chia, cum fratrem cædis nuncium accepit, præsens, in ultionem accen-
sus, ministros Regis villicosque, ubi poterat, occidit, pecuniamque Re-
giam diripuit, latebris interea in sylvis aut oportunis locorum se abdens;
unde occasiones observavit, damnaque intulit. Rex de ejus itineribus
per exploratores in id subornatos certior, in villâ quâdam non proculâ di-
verforio Regis pernoctantem assecutus, principio lucis domum milite cin-
xit: qui audito armorum strepitu, sumptis & ipse armis, in atrium pro-
gressus, quærit quo duce impeteretur? cognitoque Rege, qui præ fori-
bus erat; quærit, an etiam verba sua percipere possit? jussu eloqui, arrepto
gladio clypeoque, quo se protexerat, celeriter projiciens, *pacem*, inquit, *non
expetam*: directoque in Regem ictu (neque enim dubiâ luce discerni pote-
rat) Arnbiorno sub loricâ collineato ventrem perfodit, qui et statim con-
cidit exanimis: concidit et Griotgardus cum maximâ suorum parte. His
gestis in Vikam reditum. Inde Tunsbergâ in provincias ad milites nave-
que conquirendas (cum præter colonorum navigia nulla suppetere) mis-
si proximis provinciis satis multos, remotioribus paucos aut nullos, ex-
civerunt; apparuitque rem ad defectionem spectare. In Gautiam itaque,
qui naves aliaque ibidem relicta repeterent, missi, longo tempore detine-
bantur, haut tutiore per Daniam, quam proximo autumno, itinere, Knuto
eodem vere universâ Dania exercitum classemque plus quam quadrin-
gentarum navium supra mille in Norvegiam destinatum educente; quô
in Norvegiam delatô, contumaciores cives imperata Olafi parvi pendebant;
quin & ipsi consiliarii in conventus minores majoresque convocati, quoti-
es Rex periculum a Knuto indes cum tanta classe copiisque, quibus resisti
non posset, imminens, civiumque dubiam fidem, exponebat, sententiis dissi-
dentes nutabant. Inter hæc tres speculatores a Knuto cum pecunia ad sa-
trapas missos Rex interceptisse *codici Flat*, memoratur; cumque expres-
set ab iis sex eorum nomina, qui fide mutata Knuto se addixerunt, liberos e-
os dimisit; interrogatus a Rognvaldo Bruvi filio, cur in eos non animad-
vertisset, cum aliâ severitate uti solet? respondit; *cum Dei causa agatur,
penam nullô modô remittendam, suum autem jus relaxare sibi licitum; non se
latere, famam odiumque, quod ob eadem Thororis contraxerit, quam hæc leni-
tate utcumque sublevandam existimet, præsertim cum hæc sine offensa Dei fieri
possent*. Hac occasione Harechus de Thiotta, memor dejectum se judicio
Regis possessione insulæ, certati quondam juris, & a Grankele spoliatus
verberatosque vernas suos, locum injuriæ esse ratus, navem viginti scal-
morum, quam in statione expeditam habuit, prætextu Thrandiam peten-
di, de nocte adversis ventis laborioso remigio ad prædium Grankelis dire-
xit, octogintaque armatis prima luce domo circumfessâ, eos, qui foris e-
rant, occidit, deinde domum cum ipso Grankele, triginta vernis, singulis-
que ædibus, incendit, vindictæque securus domum rediit, moreque solito
incoluit: tanta virium suarum fiducia; ut etiam satisfactionem offerre de-
dignaretur: nec erant in Halogia, qui eam exigent.

CAP. XLII.

REX KNUTUS CUM UNIVERSA CLASSE
IN NORVEGIAM MOVET, UBIQUE PROCERUM
POPULIQUE SUFFRAGIIS REX DECLARATUR, PRÆFECTOS
AMPLIORIBUS PRÆFECTURIS AUGET, EFFUSIS MUNERIBUS
SIBI CONCILIAT, ATQUE ITA IN DANIAM REDIT.



Um hæc in Norvegiâ geruntur, Knutus universa classis vi fretum Limicum ingressus, inde in Norvegiam navigationem appropreat, transmissosq; sinu Foldico, seu Oslöensi, Agdas rectâ petit, convocatosque in curias cives omnes in obsequium suum sacramento adducit, haut quidem invito, acceptisque obsequiis præfectos ordinat. In Eikundarfunda aliquantisper morantem Erlingus Skialgius magnis copiis comitatuq; adit. Ibi sædus antiquum renovatum, permittaq; ei ditio omnis Stadas inter & Rygiarbitum, terminum credo, quò Rogia Agdis committitur. Instituta deinde profectio per reliqua septentrionalia Thrandiam usque, ubique fides ei data, & jurejurando confirmata. Nidarosia octo curiarum Thrandensium concursu, solennibus comitiis totius Norvegiæ Rex renunciatur: ubi Thorer Hundus, eum è Dania secutus, & Harechus de Thiorta recentior perfuga, amplioribus satrapis, quàm prius obtinuerant, præfecti, commerciaque cum Finnis concessa, munera præterea magnifica data. Omnibus satrapis præfecturæ auctæ, largitionesque in singulos effusa, in Regem verò ubique faustæ festæque voces & acclamationes.

Norvegiâ hoc modo in potestatem sine caede & sanguine redactâ, frequentibus incolarum militumque suorum comitiis Haconem Comitem, totius regni vicarium, filiumque Horda-Knutum Daniæ Regem constituit, inque folio apud se collocat, fideique pignora satraparum opulentiorumq; civium filios, fratres, aut proximas necessitudines, accipit. Einar quoq; Thambaskelfir in pristinam dignitatem a Comite Hacone restitutus, præfecturam, quam ante Olafi tempora habuit, recuperat; quem Rex insuper in amicorum numerum receptum amplis muneribus ornat, promittens omnium privatorum, scil: eorum, qui infra Comites essent, totâ Norvegiâ maximum, quamdiu regnum illud in suâ potestate esset, futurum; spe insuper facta, Comite deficiente, vel ipsam, vel filium Endridium in ejus locum successurum, utpote viros generis prærogativâ dignissimos. In tantas spes erectus Einar fidem Regi addixit: atque ita denuò auctoritas ejus & potentia quasi postliminiò rediit.

His omnibus testimonium perhibet carmen insigne, quod *Toadrapa* seu expeditionis oda inscribitur, auctore Thorarino *Loftunga*, viro natione Islando: qui pœta insignis, multorum Principum aulis affvevit, dictus *Loftunga* à laudibus, quasi lingua encomiastica. Hic eo tempore aulicus Knuti huic expeditioni interfuit. Incurrit autem offensam Regis, quòd carmine succinctiori, quod *Stoct* seu *alam*, vocant, eum celebraverat, cum proluxiori, quod *drapa*, seu integra acies, dicitur, ornari vellet. Denunciatur igitur, ni istius generis carmen postredie ad prandium integrum afferret, paratum ei patibulum futurum. Adjecto itaque intercalari, insertisque aliquot versibus, ad præscriptum tempus exhibuit; pretium carminis quinquaginta marcis argenti repensum, quanti haut scio an aliud, excepto quod Saxo de Hiarnio memorat. An hoc tempore Knutus monasterium Holmense, S. Benedicto consecratum, fundaverit, definire nequeo. *Matthæus certe Parisiensis* id ei tribuit, & aliud ejusdem tituli in Angliâ; cujus verba operis hujus Parte IV. Lib. IV. cap. XXXVII. exscribemus. Dum his in Norvegia gerendis Knutus occupatur, ministri, qui ab Olaso in Gauthiam ad reducendas naves missi sunt, per fretum Sundicum occasionem transitus nacti, optimas tantum delegerunt, iisque

hisque reliquarum apparatus, aliaque à Rege relicta, transvehenda ingesserunt: cæteris incensis, Tunsbergam ad Regem redibant; qui ut Knutum ad aqvilonaria transvectum cognovit, ingressus sinum Oslöensem, in lacu Dröfnio (hodie Drættu) usque dum Daniam reperisset, remansit. Knutus autem in reditu, conventus cæpto more celebrans, ubique Rex proclamatur, obsides accepit; trajectoque sinu Foldensi, Sarpzburgi comitiis frequentibus, paribus ut alibi suffragiis, Norvegiæ Rex renunciatur. Atque ita tribus amplissimis nationibus præfuit, id quod insignis poeta Hallvardus Hareksblefius odâ Knuto dedicatâ testatur. Inde in Daniam revectus, accessione Regni Norvegici, sine cæde & sangvine parti, inclaruit. His Anglici Scriptorum testimonium perhibent. Adscribam verba *Simonis Dunelmensis de rebus gestis Regum Anglorum*. Anno, inquit, MXXVII. cum Regi Anglorum & Danorum intimatum fuisset, quod Norregani Regem suum Olafum propter ejus simplicitatem & mansuetudinem, æquitatem & religiositatem, nimis vilipenderent, multum auri & argenti quibusdam illorum misit, multis rogans petitionibus, ut illo spreto & abjecto deditio- nem illi facerent, ac illum super se regnare permitterent. Qui cum ea, quæ misisset, aviditate magnâ suscepissent, ei remandari jusserunt, ad illum suscipiendum se paratos fore, quandocumque vellet venire. Anno MXXVIII. Kanutus Rex Anglorum & Danorum L. navibus magnis Norregam devectus, Olafum Regem de illa expulit, sibi que eum subjugavit. His consentit Radulfus de Dicerio in *Abbredivtiombus Chronicorum* ad eundem annum. *Johannis autem Bromtonis* de his verba hic subnectam. Kanutus Rex, inquit, anno regni sui XII. ab Anglia cum L. puppiis in Norvegiam transfretavit. Qui Ola Rege Norwagensium bello fugatò, & à suis propter ejus simplicitatem vilipenso & abjecto, regnum illud in suam deditio- nem recepit. Sed Kanuto deinde in Angliam reverso, Rex Olavus in Norvegiam rediens, à gente illius patriæ nepharie perimitur: qui modò Sanctus Olavus martyr vocatur. Et sic Kanuto, dum vivit, regnum illud remansit.

APPENDIX

AD HISTORIAM S. OLAFI.

CAP. I.

DE HROIO STULTO, POSTEA SAPIENTE DICTO, EJUS DOMI FORISQUE DIVERSA FOR-
TUNA, QUÆSITOQUE REMEDIO; TRIUM FRATRUM SVE-
CORUM IMPOSTURA: DE IIS CONSILIO THORGNYS
PARTA VICTORIA ET CONSEQUENS FELI-
CITAS DESCRIBITUR.



N fine capituli noni exposui, quomodo supremus Tiundiaë judex Thorgnyr solerti consilio Regi Erico Victorioso adversus Styrbjornum profuerit. Quâ vero ratione peregrinum Danum trium fratrum, Helgii, Thorgilsis, & Thororis dolis oppressum libera- verit, me expositurum promisi. Cum autem narra- tio prolixior visa sit, quàm ut illuc commodè inferri possent

posset, in hunc locum eam reservavimus. Is fuit Hroius, natus in Dania, eò præcipue notabilis, quod oculis colore diversis, cæruleo altero, altero nigro, præditus erat; civibus melioris notæ oriundus, solerti ingenio, specie decorâ, viribus eximiis, fabrilium artium admodum peritus. His quoties operabatur, magnam pecuniam corrasit; sed mercibus navibus transvehendis deditus semper infelix, quicquid arte sua lucrabatur, assiduis naufragiis perdidit; quarum lacunam iterum artis beneficio replere solitus, cum nec sibi ab usu navigandi temperare posset, identidem damnum passus est. Ut verò fortunam ab instituto suo & animi inclinatione averfam dissidentemque animadvertit, nec tamen à destinato vitæ genere se revocari passus, remedium excogitavit, ad fortunam seu mitigandam, seu vel invitam ad scopum suum & destinata trahendam, vel omnino expugnandam; præsentius autem nullum visum est, quàm si suam felicissimi hominis fortunam misceret, cujus sua quoque, veluti fidera à primo mobili rapta, motum sequeretur. Nullos autem Regibus feliciores existimavit, nec eorum fortunam ullius privati hominis comparandam; utpote cui salus publica inhæreat. Svenum igitur Admorsæ Barbæ, qui tunc sceptrum imperii Danici tenebat, accedit, eiqve adversam sortem suam quæritur. Rex, *an is esset, cujus nomen ab infortunio circumferretur?* quærit. Hroius *sublevamen iniquioris sortis sue non istos sales ab eo expectasse respondit; sibi enim persuasum, si in qualemcumque societatem vel minime Regiæ fortunam partis admitteretur, quicquid asperi & adversi in suâ esset, ipsius commercio facile superari.* Rex, pluribus licet dissuadentibus, annuit tamen, merciumque collatione societas instituta est, eò temperamento, ut salvâ sorte Regiâ omne lucrum Hrojo permitteretur. Mutatâ exinde rerum facie, non navem solum incolumem mercesque largo fœnore eodem autumno domum reduxit; sed sequentibus quoque annis adeo prosperis usus est, ut brevi Opulenti cognominè innòtesceret. Et jam fortis prioris oblitus, non amplius credere res suas magis in umbrâ Regiæ fortunæ, quàm fatali rerum vicissitudine invaluisse, societatem cum Rege, damni calamitatisque avertendæ intuitu contractam, jam solidi lucri memoram existimans, specioso titulo rescissurus, Regem, tanquam de sorte ejus sollicitus, si res, suæ aliquando verterint, orat, ut iterum eam recipiat. Is vasit, ut quæstu nautico posthabito consortem fortunarum uxorem opulentam, se conciliatore, quæreret: *expertum quippe toties, exitiosam rebus suis maris vim, & deinde quantum in Regiâ fortunâ instar ægrè se laturum, si orta inde prospera eum in posterum destituant; quippe perispectæ fidei & industria virum.* Pluribus idem suadentibus, cum aures adhibere nollet: *Tuo, inquit, Rex, arbitrio, non meo, societas nostra solvitur;* benignèque dimissus Hroius domum repetit.

Non diuerat, cum navem mercibus onustam, jam sine socio, in lacum Sveciæ Logurem dirigit, inque statione propter camporium amœna collocat: in quos exscendens incidit in ignotum sibi satellitem Regis Eirici Helgium, qui inspectis mercibus, eum in domum segregem, aliis mercibus plenam, introducit, earumque videndi examinandi que copia factâ, universarum cum universâ vecturâ permutationem offert. Hroius ut indemnem se futurum perspexit, etiam tam oportuno emptore & festinâ commutatione haut parum profici, contrahunt inter se; constituto die, quo quisque quæ emerat, aveheret. Postridie Helgius singulas nave efferrî curavit; Hroius vero aliis implicatus negotiis, ultra quam præfinitum erat moratus, parum referre credebat, eône an posteriore die repeteret. Itaque paucis interjectis diebus rediens, merces avecturus, vacuam domum reperit,

reperit, & Helgium haut procul dormientem; qui interrogatus de mer-
cimonis: *nihil, quod illius sit, ibi reliquum* respondit; cum ad presinitum
diem non abstulisset; sed nec sibi integrum ut derelicta occupanti exponeret, id
enim lege vetitum, ex quarum prescripto omnia sibi cesserint, nec earum in
posterum repetendarum copiam fieri; sed nec isto damno constitutam legibus
penam evasurum, quæ rerum suarum custodiam singulis prescripserit; quod
rapacibus furum unguibus emptas jam merces sua negligentia objecerit, de quo
se in foro judiciali cum eo coram Rege experturum, cuius fisco talium multa
debeatur. Hroiis, ne hoc quidem sibi ad questum velificaturum videri; sed
nec mirum, his compendiis ipsum repente ditatum, respondit. Helgius; ve-
rè hoc; nam ad eum usque diem hæc sibi profuisse, confessus est.

Jamque Hroiis ad proximam villam pergebat; tunicam pretiosam
amicus, cui togam cæruleam superinduxit; lautè enim vestiri solebat. A
baltheo culter magni pretii pendebat; quem ponè cervicem in humeros
rejecerat, cum Thorgils Helgio comitatus obviam procedens, utrumque
rapit; testatur, *solere sic quemque sua repetere: hæc enim ego, ait in Anglia*
fabricanda curavi, quibus tu me postea in Gallia spoliasti. Hroiis ad hæc
subridens, nec sic spem lucri affulgere respondit, ulteriusque procedens,
in tertium viatorem Thorerem incidit. Is mole corporis erat magnâ, facie
truci, altero captus oculo: qui Hroiis quinquam esset? quærenti (ita enim
moris erat, ut obviatorum nomina occurrentes invicem quærent: nec ad-
huc in Islandia obsoletum) certè, respondit is, *qui tui oblivisci nequeo, ut*
qui tuæ immanitatis vestigia circumfero; nec est quod dissimules, te in Dania
natum educatumque, sed unoculum, donec in Samsøa me affecutus, magicis
artibus operâ cujusdam Finni, à te conducti & circumducti, erutum capiti meo
alterum oculum lacunæ capitis tui inseri curasti; nec eget res probatione, ipsi
enim oculi tui habitu coloreque discreti attestantur, se in uno capite nasci non
potuisse; meum itaque crastino die judici Regis repetam, ubi ad causam dicen-
dam te sistas, simul etiam ob ereptum fratri meo balthæum olim & cultrum.
Hæc sibi ignota cum Hroiis respondisset, subridens, navem hilari vultu
nulloque commotior accessit, suos, quæ evenerant, celans. Postridie ad forum
profecturus, ad portas oppidi (fortè Upsalorum) contignatione discretas
à cæteris ædibus hominum sermones tales excepit: *Hroiisne Stultus?*
forum bodie accedet? cui alter respondit: *næ ille miser periclitabitur: solet*
enim Rex sententias secundum fratres ferre, nullo justis, injustis, æqui iniqui-
que respectu. Hæc dissimulans ulterius pergit, quoad virginem formâ ve-
nustissimis pari ad rivum tendenti fit obviam: quæ oculos in eum conver-
tens peregrinumque observans, auditò Hroiis nomine, *Hroiisne Stultus?*
inquit. *Equividem, respondit, nomen presenti sorti haut inconveniens, licet*
speciosiori prius affueverim; cognitoque Sigurborgem illam appellari, su-
premi provinciæ Tiundæ judicis Thorgnyris filiam, ut patris sibi auxi-
lium conciliaret; petit. Illa amore ejus derepentè accensa, primum eum
esse, qui suam opem expetivisset: patrem tamen in Danos minus propensum,
respondit. *Sed nec fratribus, ejus adversariis, amicis, qui, quoties inter il-*
lum eosque litem oriri contingat, ei succumbere soleant. Inde se subsequi ju-
bet, subque contignatione consistentem attentè observare, si quæ sibi pro-
futura audiverit; ascendensque ad patrem statim agnita salutatur, deque
cæli constitutione, demde, an Hroiis ille Stultus ad forum hoc eodem die ac-
cessurus videretur? interrogatur. Percrebruit enim per civitatem ludi-
brium. Cum autem suspirantem animadvertit; iterum quærit, an & il-
lum convenerit, adeoque pronam sibi reddiderit, ut etiam opem ei ferre gestiat?
Dic

Dic, quæso, pater, respondit, quid facturus esses, si tam periculose liti implicarere, nemine, qui cause patrocinium susciperet, quantumque ere oblato, exstante? Nihil, respondit pater, hinc periculi extimescerem, dolo enim dolum replicarem, qui & Hroio in Helgium obvius; curvis enim patet, bonorum alienorum irvasorem dolique architectum publicam pacem turbasse, eoque nomine Regi teneri, quem furem pronunciare, bonisque & honoribus multare nojus est: pari modo mendacium mendacio opponi poterit, id quod eum haud ignorare existimo. Nequaquam, respondit, Stultus audiret, si te prudentia æquaret. Quomodo verò actionem, quâ oculus petitur, eluderes? pari, inquit, commento. Mox suggestis quæ ad hoc facerent, filiam dimisit. Illa Hroium accedens, ubi eum omne colloquium observasse animadvertit, svasit ut proficiscenti in forum patri inter comites se quoque adjungeret; nec moraretur, etiam si se verbis asperioribus comitatu arceret; observasse enim se, bene in eum animatum, itaque in sui gratiam cause ejus patrocinaturum. Ad portas deinde urbis provento judici occurrens Hroius nomen edicere jubetur. Ut vero Hroium audivit; Apage hinc, inquit, Hroi Stulte, svasit enim tibi cum meo comitatu. Noli, inquit Hroius, me publicâ viâ prohibere, virum peregrinum, monstratoribus indigentem; præsertim cum nullâ temeritate, sed summâ necessitate, forum petam judicarium. Mox multorum condolentium sententiis sublevatus, sine impedimento, inter ingentem, quæ Thorgnyrem stipabat, comitum catervam, majorem etiam provincialium undique confluentium frequentiam, processit. Cum jam confedisentiam, quærit Thorgnyr, an Helgius & Thorgils adesent? quibus præsentiam profitentibus; Placet itaque, ait, ut liti cum Hrojo stulto ordinem Regi exponatis.

Mox Helgius, Rege honorificè compellato; contractus, inquit, nosster permutatione eorum, quæ domo continebantur, cum vecturâ navis, comprehenditur: domus mihi evacuanda, mercesque exportande erant ad præsentium diem, quò is comparere tenebatur. Quod mearum erat partium probè executus sum, elatis mercibus; cum autem Hroius præstò non esset, mihi providendum erat, ne furibus paterent, ideoque universas avebi curabam, meum in usum, cum ille neglexerit. Tibi vero, Domine, tenetur, quòd earum custodiam neglexit, quò alii se iis contrahendis contaminarent. Judicium penes te erit. Rex dolum quidem se agnoscere respondit, posse tamen ei merces addici, si his conditionibus contractum esset, quæritque abs Hroio, an res ita se habeat? Ille vera eum retulisse respondit: esse tamen quædam penitus introspicenda; omnia enim, quæ domo continerentur, cum contractus processit, sibi pepigisse. Id cum Helgius confessus esset, ad omnia etiam efferenda obligatum Helgium retulit: mures autem, tineas, animalculaque cætera an extulisset? quærit; neganti; non ergo contractum ex ejus parte impletum arguit: quin & ipsum Helgium, qui intra domus parietes, dum contraxissent, steterit, inter contenta reputari; quem, licet virum malum, servum tamen sibi addici posse, mox etiam, si placeat, pretio vendi. Sententiamque Regis super his postulat. Rex cum astutis jam rem esse affirmat. Thorgnyr quoque, laudatâ Hroii perspicaciâ, his obniti Helgium posse negabat, Thorgilsemque causam, de quâ eum in jus vocaverit, exponere jubet. Is Baltheo cultroque magni pretii se spoliâsse questus est. Jussus respondere Hroius; In Dania, inquit, educatus fratrem habui, nomine Sigurdum, me quidem etate paulo inferioriorem, cætera longe superiorem: simul in Galliam commerciorum gratia profecti sumus, cum is in foro rerum venalium nundmans in mercatorem incidit; qui aris, quòd frater habuit, cupidine impotens eum occidit, cademque

occultare satagens, cum fraudem processuram dubitaret, celeri fugâ in ultorem subito advolantem prevenit; subitâ autem consternatione Balibeum, cultrumque, quæ hic Thorgils sibi vindicat, reliquit, percussoris fratris mei, pecuniæque illius furis certissima indicia. Hunc igitur, Domine Rex, fratris mei interfectorem agnosco, iudicioque tuo tantam rem committo. Thorgnyr tales viros, quales isti fratres, vitâ indignos pronuntiavit. Deinde tertius frater, cui nomen Thorer, quæstionem de oculo movens processit, utq; superius relatam est, exposuit; adjecto, videri quidem intricatam ejus decisionem, quæ tamen sponte se exhibeat, inspectis oculis, singulis capitibus convenientibus: orabatque Regem, ut memor ministeriorum, quæ is fratresque sui promptissime ei summis cum periculis sæpius exhibuerint, peregrinorum præ illis rationem habere nollet: causæque ei cognitionem detulit. Nova, inquit Rex, & inaudita accusatio replicationem abs te, Hroi, exigit. Ad quod ille: falsò quidem mihi affingi quod arte Finnicâ oculum ejus geram, juramento, si videtur, stabilire possum; alio tamen argumento falsitatis eum convincere placet, oculum, quem sibi vindicat, capiti meo erui patiar; modo summi expungi patiar, utrique deinde lancibus impositi, ponderum equalitate vel inæqualitate quæstionem decident, unius enim capitis oculi diversum pondus non agnoscunt; quod si in his appensis æquale apparebit, vel si Thorer examen detrectabit, constat eum hæc mentiri, mendacique asserutum, plura quoque mentiri scire. Thorer, utpote unoculus, perpetuas in posterum tenebras veritus, istud examinis genus abnuebat. Quo cognito Thorgnyr; Abnuis, inquit, quia mentiris; antiquum enim vos fratres obtinetis, qui mendacis, fraude, & fallacis univèrsam vitæ vestræ curriculum transigistis, decepto Rege, qui vos meliores viros putabat, fovebatque ut probos; cuius gratiâ abusi sceleribus scelera cumulastis, in hunc usque ultricem diem, decretoriæ sententiæ feracem. Equum itaque est, ut vitæ singulorum, rerumque, quas habetis, univèrsarum arbitrium Hrojo permittatur. Ad hæc Hroi; non itaque sententiam differam. Thorgilsem Thoreremque furcæ; bona eorum immobilia omnia Regi, mobilia mihi; Helgii etiam omnia mobilia immobiliaque mihi addico, exilioque ipsum perpetuo sine reditus spe in posterum, vel si redierit, impunè singulis occidendum pronuncio. Sententiam præceps executio secuta est; nam eodem in foro secundum leges in fures latas Thorgils cum Thorere patibulo suffixi; Helgius in exilium abivit. Stulti inde recens ingestum cognomen Hroi, in Sapientis commutatum; qui deinceps multas Thorgnyri grates exsolvens, quod ejus auxilio adjutus, præter recuperatas mercès, superatumque imminens ab iniquo iudicio periculum, ingentes etiam opes, fortunas nempe fratrum, creverit; filiam ejus uxorem petebat; id quod ille minimè denegandum censebat, cum illius, tum primum sibi visi, amore flagrantem observasset. Exinde ad Svenum Daniæ Regem profectus Hroi, magna in eum munera contulit, confessus, eum esse Principem, cui fortunas suas deberet. Rex quoque gratulatus, instans periculum tam felici eventui finitum. Rediens deinde post obitum soceri in Sveciam, quod reliquum vitæ erat, ibidem magno splendore transegit, inque perpetuum Sveni Daniæ Regis gratiam coluit. Uxor ejus Sigurborg tæminararæ sapientiæ fuisse perhibetur: magnaque per Sveciam illustrisque profapia ab iis promanasse dicuntur. Illius frater hic ipse Thorgnyr, de quo libri

hujus capite X, actum est.

CAP. II.

DE THORGEIRE HAVARIS
FILIO ET THORMODO KOL-
BRUNAR SKALDE.

SECTIO I.

THORGEIRIS GENUS ET GESTA, US-
QUE DUM AD SANCTUM OLAFUM DE-
VENIT, EXPONUNTUR.

Libri hujus Cap. XIV. mentio Thorgeiris fa-
cta est, interq; comites, qui Regem in Gothiam ad
deducendam sibi destinam sponsam Ingigerdem an-
no MXVIII. secuti sunt, eum quoque recensui. Na-
tus est in Islandia, &, ut videtur, provinciâ Akra-
nelensi, sed educatus in prædio Isafiordensi Jokuls-
keldâ, quò pater postea migravit. Nomen ei Havar
Kleppi filius: nec ultra genus: ejus retexitur. Mater Thorgeiris nobili
stemmate orta, Alfi de Dalis filia, avo Eysteino Meinfreto, aviâ ejusdem
uxore Thorhilde, Thorsteini Ruffi filia Thorelfis, Thorgeiris matris soror;
Arii Maris filii uxor. Maris pater Atlus, avus Ulfus Skialgius, proavus
Hognius Hvitius, seu Albus, abavus Otryggus, atavus Oblaudus, tri-
tavus Hiørleifus Mulierofus, notissimus Rex. Sed hiatum hic agnosci-
mus. Thorgerdis ex Ario filii, Thorgeiris consobrini, fuerunt Thorgils
& Illugijs. Ille prædium Reykianesiam incoluit, vir inter patriâ suâ pri-
mores honoratissimus, impiger Thorgeiris defensor, ad quem rebus af-
flictis tutum receptaculum; hic Sancti Olafi fratelles, mercatorque ce-
leber, qui hybernas mansiones inter Regem fratremque dividere solebat.
Genus ejus exposuimus, cætera persequar. Cum Thormodo, Kolbru-
narskalde postea dicto, tunc juvene, juvenis ipse, sed paulo junior, robu-
stior tamen, societatem fraternam junxit, Christianus cum Christiano,
sed ritu ethnico, subitis tribus espitibus in fornicem erectis, finibus fixis,
sed lacunaribus fulcris sustentatis. Hoc juramenti genere ad mutuam vin-
dictam de alterius interfessore exigendam superstes arctissime obligaba-
tur. Hi ingenio similes a teneris sibi violentam mortem præsaſierunt; ita-
que in id consenserunt, ut suo tantum arbitrio viverent, nec ulli cederent.
Mox injuriis vicinis molesti, quos in instituto Trollis familiari ludo, cru-
dis pellibus se invicem flagellantes, exercebant; ab illis igitur ad curio-
nem districtus Isafiordensis accusabantur: is fuit Vermundus Gracilis,
Styris Homicidæ frater: uxor ei Thorbiorg Crassa, Olafi Pavonis filia, mu-
lier prudens & gubernandæ provinciæ perita: quæ absente marito, tum
publicarum, tum privatarum rerum curam dexterè gerebat. Hic Hava-
rem, quòd peregrinus, nec veniâ domiciliâ à vicinis intratâ, eò conces-
serat, inde remigrare jussit, ratus ejus filiiqve absentiam Thormodum tra-
stabiliorum futurum: qui filio nihil se sponsurum respondit, cui mansio-
num leges præscribere neqviret, se mandatis obsecurum pollicitus, in
districtum Borgarfiordum remigravit. Ibi à vicino suo Jodo, viro ini-
quo,

quo, tandem quod commodatum equum finito usu reposceret, innocens occitus est. Thorgeir cognita patris caede, quantumvis adolescens, annorum tantum quindecim, hasta & securi instructus (neque enim gladio usus illo tempore erat in ista insula frequens) longum iter emensus, villam ejus de nocte accedit, pulsatisque foribus, mercenario egredienti, nomenque quaerenti, Vigfusium se appellavit (id verò nomen caedis avidum denotat.) Invitatus ad hospitium superbe respondens, *se a servis invitari nolle, dominumque excire jubet.* Extremi dedecoris erat hospitio viatorem excludere; itaque Jodus, his relatis, ipse galeam tectus, hastam manu gerens, duobus domesticis comitatus ad fores accessit, quaeritque quoniam esset? Is verum nomen professus exigit satisfactionem ob paternam caedem. Jodus *invisitatum sibi caedes rependere respondit, nec tamen iniqua postulari; sed vereri, ne isto exemplo ad idem faciendum alii invitarentur, plures enim impune se occidisse:* id enim haut exiguae gloriae ducebatur, cum ad auctoritatem stabiliendam, metumque aliis incutiendum, plurimum conducere: quod tamen raro felici exitu concludi solebat. Thorgeir, *ut in ejus potestate esset postulata abnovere, ita in sua, quid faciendum, deliberare,* respondit: simulque oportunitate tenebrarum, quae illum a conspectu eorum obvelarunt, eos verò ex adverso ei, utpote assuetudine noctis oculatiori, revelarunt, usus, dum invicem colloquerentur, Jodum hastam summam vi adactam medium transfigit. Inde ad marem eadem nocte profectus, cum quod perpetrasset, indicasset, mox datis comitibus ad consobrinum Thorgilsem Reyxianesiam magnis itineribus deducitur, maritimo interdum ad eum, interdum ad Bessium Thormodi patrem. Inde Thormodo comitatus ad viduam sapientem, nomine Sigurfiodem, adversis ventis uterque detenti, per complures dies divertentes, ejus instinctu, infestis ei duos viros, bonorum alienorum invasores, Ingolsium, cognomine Svidium, praedii Svidiustadarum a se appellati incolam, filiumque ejus Thorbriandum, ad quorum injurias Vermundus muneribus expugnatus sapientis connivebat, occiderunt, villamque diripuerunt; reversi ad viduam collaudati detentique, donec illa Vermundum de his certiore faceret, illico profecta, cum exacta nocte postridie ab eo ad navem deduceretur, jam discessura caedes exponit: Inferior Vermundus curam sibi fururum respondit, ne subditos suos impune occidisse viderentur. Tum illa, *notum tibi, inquit, injuriam factam horum caede interpretaberè, sed magis in tui gratiam praedones, quorum tibi puniendorum cura incumberebat, occisos, ad publicam civium tuorum omnium privatamque singulorum securitatem, quos injuriis, te prope inspectante, officere pro nihilo ducebant: ne verò in contemptum tui factum existimes, in pecunia, non in sceleratorum satisfactionem, sed in tuam bonorem.* Depromptoque protinus argento, eum in tantum mitigavit, ut ultionem se remissurum promitteret: ne verò feveritatis ullum documentum extaret, Bessium alio migrare jussit, qui & protinus Laugarbol Langadali villam se contulit. Butraldium deinde, infestum bonis, metique incusso victum extorquere solitum, virum robustum, Vermundo arcto sanguinis nexu junctum, comitibus quantumvis succinctum, Thorgeir solus occidit. Sustulit deinde alium virum egregium, nomine Thorgilsem, qui praedium Laekiamotum in Vididalo incoluit, ex provocatione, causa tali. Cetus in publica appulsus jure quidem omnibus communis erat, jam verò ab illo occupatus, operisque & impensis magnam ex parte concisus. Thorgeir verò cum Thormodo superveniens, partem illam contentum esse jussit, reliquum sibi permitti postulabat, aut etiam se ad operas in

reliquo exciindendo admitti, eâ lege, ut totius pars dimidia sibi suisque cederet. Thorgils iniquum existimabat, impensas & labores in hanc partem impensos sibi perire, residuæ partis portionem operibus & impendiis computatis ei pro ratâ obtulit, reliquam occupationis operarumque jure sibi competere contestatus. Acerrimum inde duellum exortum, quo superior Thorgeir, præsidio Thorgilfis & Illugii consobrinatorum suorum, comitibus sexaginta, potentium adversariorum, Thorsteini nimirum Kuggil filii & Asmundi Hærulangi, Gretteris patris, cæsi propinquorum, metu, ad navem per multas provincias deducitur, Thormodo quoque comitante; quem inter proficiscendum rogat, *an alios socios illis pares nôrit? illi plures suppetere testanti; raros tamen, regessit: nostrum autem quemnam portionem putas?* Thormodus, *ut hoc nescio, inquit, ita certus sum, banc quæstionem presentem nostram societatem dirempturam.* Thorgeire dictum excusante, nec eô fine, ut inter se concertarent: venisse tamen ei in mentem testatus Thormodus, solvit societatem bonorum, permittit Thorgeiri navi, ipse mobilia alia recepit. Mox Thorgeir equò, quo vehebatur, ex editâ rupe in subiectum mare compulso, vadum vix ac ne vix quidem, recedente æstu, nactus, seqvi eum jussit. Is valere jusô feliciterque agere, domum repetivit. Thorgeir ad consobrinos, qui longius processerant, properans, offendit in via virum, nomine Torfium, cognomento Bøggulem, struem virgultorum bajulantem, quem sæpius frustra inclamans, deique consobrinis sine responso scissitans, quod nee reflante vento vocem perciperet, contemptum interpretatus protinus occidit: inde rivus, ad quem Bøggull concidit, in hunc usq; diem *Bøggulsætr/ seu Bøggulis rivus*, usurpatur. Factum consobrinis detestantibus, pluribus tamen injuriis auxit; nam cum Hundadalum ventum esset, diverterentque ad rusticum factis hospitale, nomine Skufum, filiusque ejus Biarnius equo Thorgeiris, ipso inscio, ad oves inqvirendas vectus esset, nec rediens factum excusaret, nec jussus descenderet, etiam eum hastâ transfixit, mox etiam opilionem ultionem parantem, nomine Skumum. Quò ad consobrinos relato, haud minus quam par erat turbati patris occisi conspectui eum subducendum curarunt; mox satisfactionem arbitrio suo ut exigeret permiserunt: quo cum nihil honoratius offerri possit, qui rem cum magnatibus esse perpendens, exulemque, qui cædem patravit, nec legibus teneri, usus est permittit.

Interea Thorgeir ad villam Hvassafell profectus, in opilionem alterum incidit: qui humiliori baculo innixus, capite incurvato, collum valide fessus extenderet. Ictui aptum judicans, dum alios alloqueretur, securim cervici applicans caput ei abscidit. Quærentibus deinde consobrinis, *qua de causa illum occiderit? nulla id culpa, sed oportunitate ictus illectum fecisse* confessus est. Illi satisfactionibus cædes compensantes, viatico affatim instructum ad navem deducunt, dimittuntque. Nautæ deinde litore solventes Irlandiæ allapsi, visis in litore armatorum manipulis, descendere non audent; Angliâ portum tutum præbuit. Illic Thorgeirem muneribus a proceribus ornatum Thormodus lesio in ejus memoriam factò testatur: in Daniâ vero supra fidem cultum, tandem ad Sanctum Olafum profectum satellitio illius inscriptum: ubi licet à sagaci Rege haut omnino fortunatus judicatus esset, magnam tamen gratiam obtinuit.

SECTIO II.

De reliquis Thorgeiris gestis usque ad ejus mortem.



Ulicus jam Sancti Olafi factus Thorgeir Islandiam repetens, navem in fluvium Styra deduxit, statuitq; in loco, qvi deinceps ab eo Þorgeirshof / seu Thorgeiris rudera, usurpatur, adq; Thorgilsem de Reykholis hyemabat: inde verno tempore merces ad navem longa viâ, multis eqvis, uno tantum comite, adveclabat, qvi difficiles regi per prata

oberrabant. Hvitstadas vir iniquus, nomine Snorrius Hækill, incolebat. Hic ut eqvos ejus irrupto aggere prata depascentes vidit, qvanvis Thorgeirem iis abigendis intentum simul attendit, infensor tamen conviciis & maledictis, tum eum, tum eqvos lacerans, etiam hamatâ hastâ vulnera iis inferebat; qvo irritatus Thorgeir, eqvô defiliens, clypeoque se protegens, hastam in eum dirigit: qvi paulatim retrocedens ad ovile se recipiebat. Interea vernarum duo in auxilium accurrentes, brevioribus securibus Thorgeirem invadunt. Verum is omnibus superior singulos intra ovile compellit: qvôd autem fores humiliores aditu eum excluderent, teclum cepit demoliri, & qvanvis hastam per rimas exferendo Snorrius levioribus eum vulneribus sauciaret, non tamen evasit, qvin dissecto hastilli, securiq; in caput dejectâ, exanimaretur. Vernæ deniqve, du qvanvis se tutantes, cumulus tamen cladi acciderunt, uterqve ejus securi interempti. Inde domum adeqvitas, mandat, ne clandestinæ cædis reus foret, ut dominum cum vernis in ovili qværant. Inde navem petit, solvitq; portu Soleyris; prospero cursu Norvegiam Regemqve Olafum petit, comiterqve excipitur. Jamqve Islandiam accessurus, mandatam accepit, ut aulicum ejus, qvem Thorer quidam de Hrofo, finûs Steingrimsensis accola in Islandia, gravi vulnere læserat, ulcisceretur, exemplumqve in eum statueret, qvô cæteri Islandi ab injuriis in ministros ejus abstererentur.

Eodem anno cubile magnum Reykholis exstruxit, unô tantum architecto, qvi latus aliud ædificavit, adhibitô, cui nomen Veglagus: duravitqve ædificium ad tempora posterioris Magni, Episcopi ditionis Skalholtinæ, qvi anno Christi MCCXVI. consecratus est, annos præterpropter ducentos. Hoc Veglagô assumpto, primâ hyeme in Steingrimsfordum ad penates Thoreris proficiscitur, pulsatisqve serô vesperæ foribus egredienti faminae nomen suum profitetur, dominumq; excire jubet: qvi cognito qvinam esset, vim, si qua inferretur, hastâ propulsurus ad fores procedens, limini eam impingit, advenasqve salutat. Thorgeir nullâ salute reddita qværit, *quam Regi Olafô ob vulneratum aulicum ejus satisfactionem offerat? An & ejus rei actio ipsi competeret?* vicissim qværenti, respondit: *certe ex ipsius mandato. Atqvi, ait Thorer, ipsius vocem in re non agnosco; ut vocem, regessit Thorgeir, non agnoscas, imperii tamen vim forsitan senties: simulqve hastâ incautum transfodit, perfunctusqve mandato Reykholas rediit. Has cædes Thormodus lesso ejus interfuit. Augescente hyeme Reykholis furta haut levia invalescebant, desideratis pretiosioribus è singulorum scriniis, quantumvis firmâ terâ munitis.*

Post festum Jolense inqvistio à fratribus Thorgilse & Illugio imperata est, qvam â se ipsis auspicati, per singulos domesticos transferebant. Omnium loculis, scriniis receptaculisq; apertis, solus architectus Veglagus abnuebat clavem tradere, insuetum se furum instar examinari diclitans; tandem vim veritus, redditâ clave, furti convictus, plura qvam arca condiderat, variis locis terræ infodisse confessus est. In fures statutâ penâ suspendio plecti ipsum

Illugius volebat sed, Thorgeire defendente, indignumq; ratô, architectum domus ejus, suumq; collegam, tam infami morte tolli, sententiã destitit, vim enim adhibiturum, si aliter neqviret, animadvertit, domo tamen exegit, inq; honorem Thorgeiris incolumem dimitti contestatus, non tamen gratiam ejuseum ubiq; pæniss exempturam. Vera vaticinatum exitus monstravit; nam per hyemem ad patrem Thormodi Bellium, cum in gratiam Thorgeiris receptus divertisset, proximo vere eum ex Islandia secutus, cum Orcadibus appulisset, in Scotiam profectus, ob magna furta, fractã tandem gulã, periit. Thorgeir autem hyemem Reykholis exegit; quo tempore Grettir Asmundi filius, Norvegiã simul & Islandiã proscriptus, liberalitate Thorgilsi ibidem sustentabatur, solus robore utrisque Thorgeiri Thormodoqve tantum non æqualis. Non caruit admiratione, quod tam turbida ingenia sine mutuis injuriis convixissent, magnæqve laudi Thorgilsi fuit, quod in ejus honorem ab offensis sibi temperassent, cumqve posteriori ætate in foro publico interrogaretur, *an tam fortes viros Islandia plures haberet, anque esset quicquam, quod eis metum incuteret?* respondit, *Gretterem tenebrarum, Thormodum Dei, Thorgeirem autem, quantum cogeret, nullius rei metu percelli.* Id quod is eodem vere evidenti exemplo monstravit, cum in editam ad sexaginta orgias rupem, sociò Thormodo, ad decerpenda spondylia, parum infra summum verticem descendisset, constitissetqve in herbido cespite, unde locus postea Thorgeirito nomen obtinet, Thormodo cum suo manipulo ascendente, fulcro enim, cui insistebat, corrueunte, arrepto spondyliorum uno, se diutius sustentans socii præsentissimã mortis imagine, non opem inclamare, non vocem emittere, sustinuit, cum tamen evulsã radice nihil eum a ferali casu tueretur, quoad suspecta Thormodo tarditas ad eum inquirendum convertit: *quærenti quid tandem enim moraretur, an non satis conquisiverit? hoc, quo sustentor, eradicato, satis credo,* respondit. Animadverso periculo Thormodus eum extraxit, cum herba pænè unã cum radice eruta esset, miratus extremi periculi contemptum. Proximo vere assumptò secum Veglagô, ut dictum, Orcades petivit, quo tempore Rognvaldus Brusii filius ad compefcendum infestantes insulas piratas, classem suasqve eduxit, quem venditã nave in expeditionem secutus Thorgeir, cum summa sibi pericula semper interritus deposceret, sibi conciliavit. Sed cum Rognvaldus ante annum seculi istius tricesimum sextum ad Orcadum regimen profectus non esset, facile patet hæc non subsistere: pro confictisqve haberem, ni exstaret versus ex Thormodi lessò, qui illum Rognvaldo militasse perhibet. Sic igitur hæc concilio, quod, Brusio imperante, Rognvaldus tunc puer novennis expeditioni præpositus fuerit sub aliorum curã & inspectione, quo à pueris rebus bellicis assvesceret, exemplo Sancti Olafi. Hinc processu temporis opinio invaluisse videtur, Rognvaldum id temporis Comitum insulis præfuisse.

Eodem autumno Thorgeir Sanctum Olafum iterum adit, cum consobrino Illugio proximo vere patriam repetiturus; verum ab eo in navem non recipitur: prævidit enim profectionem illam fatalem ei futuram; hortatur itaqve, *ne rerum suarum prosperè fluentium cursum invertere contenderet, neque enim in patria, ubi multos sibi hostes fecerit, pariter ac in aula Regis acceptum iri; frueretur gratia Regia, cujus possessionem animi virumqve robore, fortuna quoque promovente, comparaverit.* Is autem fatis urgentibus vehementius instans, profecturum in patriam alio navigio, ipso quoque invito, minatus, mox de venia discedendi, Rege adito, responsum accepit

cepit, *acquiesceret presentibus, neque enim conditionem in melius in patria mutaturum.* Ne sic quidem persuaso, ut in sententia obstinatum Rex observabat, suggerit, id quod ab initio praeviderit, *eum non in totum futurum futurum, jam fata proditura: impetraturum profectionis veniam. Se vero postea eum non visurum; cumque proximam aetate se ad eum rediturum respondisset, id quidem propositum ei, non item processurum,* Rex recessit. Dimissus cum Jökule quodam profectus portum Vail ingressus, Reykholas ad confobrimum Thorgilsem redit; illugio ad aqvilonare Islandiae latus longo post tempore, sed eodem autumno, portumque Hraunhofnem delato. Ibi merces expositae, ipseque Reykholas ad fratrem proficiscitur. In annum sequentem Gautus quidam Sleitae filius, Helgiusque, cognomine Selseyta, se ei socios nauticos offerunt, nec Helgium praeterquam pedum pernecitas commendabat, quod timido haut contemnendum praesidium Illugijs iudicabat. Uterque, ut petebant, admissi.

Vere proximo Thorgeir cum Illugio in Norvegiam navigaturus, ejus ad forum universale profecturi rogatu, ad navem ejus expediendam, Hraunhofnem profectus, duobus fratribus est praedio Garpsdalo, Kalso & Steinolfo, juvenibus impigris, sibi in itineris societatem adjunctis. Aderat & Gautius Sleitae filius. Jamque inopia lignorum urgente, singulis diebus lignatum vicibus itum est. Accidit autem, ut iis ad focum suscitandum deficientibus, cum famuli cibos coquerent, ut absente Thorgeire Gautius hastile ejus clypeumque in focum conjiceret, redeunti confessus, ne crudis vescerentur. Is iram dissimulans usam approbavit, cum id Rex Olafus severe vetuerit. Postridie Gautio lignante, cum famuli Thorgeris idem ministerium obirent, is quoque hastile clypeumque Gautii sub lebetem conjecit: quod cum Thorgeir illi redeunti fassus esset, majorem in modum indignatus, injuria se affici questus est: ejus vero exemplo factum excusantem Thorgeirem ferrum impetit, inque pedeliviter faucibus, caeteros ictus securis objectu declinat. Mox intercurrentes utrumque inhibuerunt: Thorgeir frustra se ab iis detineri testatus est, cum nihil adhuc mali in eum moliretur. Singulis deinde ad sua tentoria dilapsis, Thorgeir per noctem egressus, tentorii, ubi Gautus dormiebat, clavibus ad alterum latus evulsis ingreditur, excitatoque eo, cum arma arrepturus esset, caput ejus humerotenus secat, rediens ad suam tabernam, famulis ad strepitum excitationis, finis ejus curandum reliquit; cum derepente navis Gronlandica eundem portum ingressa, anchoris procul litore affixa est. Rectores duos habuit, Thorgrimum Einaris filium, Gronlandiae curionem (praetorem, nec inepse, reddidit Arngrimus) & Thorarinum Offium Thorvaldi filium; quadrantis septentrionalis Islandiae civem, praeferos animi viros, duodequadraginta nautis succinctos. Horum ingenia a suo parum distantia, sponte quidem ad vim injuriasque inferendas prona; hoc vero statu viribus numeroque duplo suis nautis majore, inflatiora perpendens; pacem cum iis faciendam statuit. Eos igitur accedens exponit; *relatum sibi, feroces eos haberi, nec suos nautas mitiores esse: itaque praecavendum, ne se invicem irritantes, mutuis damnis, injuriis, impendiisque atterant; placere ut pacis foedera utriusque componantur.* Quod cum facile convenisset, fide ab utraque parte data securitati consultum videbatur. Igitur Thorgeir merces navi infert, eamque paulo longius a litore removel, singulis suorum apud se detentis, quod suspectam haberet advenarum fidem, quantumvis foedere firmatam.

Interea isti de recenti caede Gautii (quam Thorgeir, dum cum iis pacisceretur, reticuit) fiunt certiores, qui Thorarini amicus propinquusque fuerat.

fuerat. Is igitur Thorgrimus exponit, *istius se ignarum, secus nunquam in pacta consensurum, ejusque auxilium ad ultionem maturandam exposcere.* Is, siue innatâ animi levitate, siue quòd minus sincerè factum fœdus crederet, celatâ cæde, cujus ultio ad propinquum ejus pertinebat, haut sine probro omittenda, petitis facillè annuit. Sed veritus suorum cladem, nec incertus, haut incruentam, si tamen vinceret, victoriam de tanti nominis pugilè se reportaturum, svadente Offio hujus modi dolum excogitat. In campò, ad quem è navi Thorgeiris prospectus colliculo intercipiebatur, linteâ mercesque speciosas ficcandi prætextu exponit, armatosque in insidiis collocat, cum mandatis, ut nautas Thorgeiris, quotquot in terram expatiati, ad inspicienda quæ expofita erant, accurrerent, protinus securos obtruncarent; viribus adversarii hunc in modum imminutis, residuos nullo negotio superari. Fortè è navi Thorgeiris Kalfus & Steinolfus, decem suorum comitati, aquatum litus transcendent: quorum tres ad inspiciendas merces accurrentes sine mora cæduntur. Mox Trollius & Offius Steinolfum Kalfumque invadunt, cæsisque sex eorum comitibus, septimo fugâ elapso, illos in vincula compingunt, cimbamque, quâ Kalfus Steinolfusque vecti erant, conscendunt, suæque jungunt, deinde utramque navi suæ mercatoriæ præfigunt, quam remulco tractam, cominus navi Thorgeiris applicant. Is quippe objectu colliculi prospectu prohibitus, omnium horum ignarus, ut appropinquantes insperatos hostes in cervicibus animadvertit, arma subitò corripit, & quantumvis acriter pugnaret, ascensu tamen plures prohibere nequivit, nihilominus ensẽm utrâque manu rotans multos concidit; donec plurimis suorum cæsis in puppim se recepit, præsidium inde mutuatus, ubi & tunc omnium expectatione longius fortiusque se adversus tantas vires tuitus est. Non convenit inter authores, quot occiderit, antequam concideret. *Codex Flat:* quatuor tantum habet, *liber alter vetustior* quatuordecim, qui tamen carmen ex lesso, quem Thormodus ei fecerat, producit, (quod an alibi extet, nescio) quod sedecim memorat. In eo certè omnes consentiunt, quòd nemo unus adversus tantam multitudinem majori cum hominum admiratione pugnaverit. Duo præsertim memorantur necis ejus authores, Mar Norvegus & Thorer, quorum iste cum manum ejus vulnerasset, lethali vicissim vulnere fauciat. Ille medium cum transfoderet, ab inferente se in gladium Thorgeire perimitur, stante adhuc immoto cum ille occumberet, donec & ipse ictibus Trollii Offiique exanimis concideret; cui Offius deinde caput præcidit avexitque. Occiso hoc modo Thorgeire, hostibus inusitatam animi fortitudinem admirantibus, placuit cordis illius habitum rimari: exsectum pusillum apparuit, non tamen inde concludendum, quod author animosiores eas, quibus corda exigua, quàm quibus magna: putat enim magnis majorem inesse sanguinem, pavoremque a multo sanguine venire, contrarium enim multa exempla monstrant.

SËCT: III.

De Thorarini Offii insolentia & feritate in
mortuum Thorgeirem: ejus spectrum
securaque clades.



Secundùm hanc cædem Kalfus & Steinolfus vinculis exempti dimittantur. Mortuos bonis spoliari id temporis, quantumvis novello christianismo, desvetum. Majorem sibi hac cæde in patriâ honorem affluxurum sperans Thorarinus Offius, bona in societatem collata divisit, mansitque in patriâ, Trollio Gronlandiam repetente. Adeo autem sibi

Offius ob tam strenui viri cædem placebat, ut caput sacco involutum ab ephippio pendulum equitans triumphantis in morem circumferret, exemptumque, quoties in itinere vesceretur, impositum tuberi, ludibrio sociorum (qui duodecim erant) exponeret. Hanc nequitiam dum in districtu Eyafiordensi juxta navalia prandentes iterant, caput ipsum hianti ritu, exertâ lingvâ, apertis oculis sequè moventibus, formidabile apparuit: subitò itaque terrore confternati, securibus terram defodientes, illo eodem in loco humabant, cespitibusque & saxis operiebant. Civés vero Slettenfés cæsorùm corpora humo mandabant, non tamen ad templa, quòd eo tempore remotiora essent.

Proxima æstate Thorgils de Reykholis & filius ejus Arius in foro insulæ universali Thorarinum Offium ob eadem Thorgeiris in jus vocatum lite persequébantur, perviceruntque ut multa arbitrio Thorgilfis, qui ipse actor erat, irrogaretur; ducenta argenti dicta, dimidiaque pars Gudmundo (forte jure loci, ubi bellatum est, vel jurisdictionis) Potenti data. Eadem æstate Offius in publico concilio tractus Eyafiordensis cæsus est. Prodigium deinde Garpsdali visum tale memoratur. Habitabant ibi duo fratres Steinolfus & Kalfus, qui eodem anno (superiori enim post cædem Thorgeiris cum Illugio è patria solverant) è Norvegiâ redibant. Ad eos Eyolfus de Olafsdalo, à Norvegiâ quoque, sed non eadem navi, redux divertit: nam inter illum & fratrem ejus adoptivum Thorgeirem Hofleysam, dum longâ navigatione fessi patriam in conspectu habent, lis de portu capièdo intervenit, Eyolfo proximum, Thorgeire domo propiorè præferente. Plurium sententia, eaque secundum Eyolfum, prævaluit, tanta adoptivorum offensâ, ut correptis armis se invicem impetivissent, ni inhibiti a nautis fuissent. Mox ut navis littori admota est, Thorgeir inde Garpsdalum ad Kalfum & Steinolfum concessit, ibique hyemavit. Nave deinde onere levatâ, Eyolfus Olafsdalum ad matrem profectus hyemem ibi transegit. Thordis ei nomen, quæ Thorgeirem hunc Hofleysam propinquum suum unâ cum filio domi educabat: qui ætate juvenili luctis palæstricâque se exercentes, anus cujusdam, quam & mater propinquitatis jure sustentabat, pensâ sæpius corruperant: quò offensâ verula semel vacinata est, eorum amicitiam, quantumvis arctam, pessimo exitu claudi: iis vero exsibilantibus idem prædicere perseveravit. Verum hoc eodem tempore, quo Eyolfus ad matrem mansit, anus nocte, quæ dominicam Palmarum secuta est, morbo in fata concessit; funus Eyolfus ad proximum templum, quod tum Reykholis erat, vernis comitantibus, detulit. Verum ut primum sepulta est, sæva tempestas frigusque ingens exortum, omnes sinus ita constrinxerat, ut navibus impervii reditu sandalarios ipsumque Eyolfum excluderent. Invitatus itaque a Thorgilse, ut festum Paschatis ad eum perageret, vernas, modò ei videretur, ad diurnas operas domum remitteret, ibidem remansit. Feriâ quinta à festo proxima equò instructus, comitem recusans, solus viâ, quæ per Garpsdalum

feribat, domum pergit: cumque appropinquaret, fratres Kalfus & Steinolfus, qui foris inter se colloquebantur, vident novem viros armatos sanguinolentos adventantes, qui in campum exspatiati, simul ad amnem, qui villam præterlabitur, devenerunt, disparuerunt. Thorgeirem Havarisfilium cum octo illis, qui cum illo in nave cæsi sunt, agnoscebant. Hac visione consternati, cum domum ingressi essent, tenebræ oculis ejus affunduntur nimio horrore. Eodem tempore bubulcus, nomine Aunundus, Eyolfum transequantem ex armaturâ novit, quippe gladio, hasta, galeaque insignem: ingressusque cænaculum, ubi famina Thorgeirque Hofleyfa confidebant, Eyolfum jam transire refert; quo audito, Thorgeir arreptâ protinus hastâ, eum persequitur: id vero Eyolfus non observans ad amnem properat: transiturum Thorgeir inclamat, & ad se expectandum provocat. His concitatus Eyolfus, eqvo confestim descendens, invadit persequentem nuper socium; tantoque animorum ardore concursum est, ut oblii propriæ tutelæ mutuis se vulneribus uterque transfoderent. Interea Steinolfus & Kalfus ad se reversi, cum cænaculum ingrederentur: recordantur Thorgeirem hastatum egressum, ad rivum itaque properantes, utrumque vivum, sed cum morte colluctantes, inveniunt, assidentque donec exspirassent, ad ædem denique sacram sepeliunt. Hunc feralem ammicissimorum antea virorum conflictum præstigiola spectri Thorgeiris sorcorumque visio portendebat.

SECT. IV.

De Thormodo ejusque gestis absente
Thorgeire Thorkeleque Eyolfi, Thorleiko
Bollii, atque Thorere Borki filiis, Regis Olafi
satellitibus.



Postquam Thorgeiri societatem renunciasset Thormodus, ad amorem conversus, virginem nomine Thordisem, cui mater Grima, quæ nobile prædium Augr incoluit, frequentius invisere cepit. Mater erat vidua, nec parva in re, majore tamen rerum abstrusarum scientiæ famâ, id quod illo tempore, quippe Christianismi incunabulis, magis laudari quàm vituperio ducebatur. Hæc famæ filia metuens, monuit eum, ne tam frequenter illuc accederet, non quod indignum filiâ proci judicaret, patere enim ejus nuptias, si expeteret; magis verendum, ne illud infamis conditionem perderet. Ille dignam testatus, cujus monitis pareat, dispendioque famæ filiam liberet, præsertim cum animum ad conjugium nondum appulerit, suo certe judicio talem, ut potior em expetere nequeat, mansit domi quod reliquum erat æstatis autumnique. Ut vero intercedens sinus glacie constringi cepit, domesticæ mansionis tædio, amicæ penates repetere, mansiones necere, mutuis colloquiis se invicem oblectare, itinera deinde frequentare. Inde malè sopita fama sermonibus domesticorum, mox etiam vicinorum, revixit. Hinc exacerbata mater iterum eum interpellat, monetque famæ filia rationem habendam. Is curæ sibi futurum promittens, in capto tamen persistit. Servum igitur mater, nomine Kolbakum, gladiò instruit, ejusque corpus manibus contrectans ferro inviolabile reddidit,

didit, inque Thormodum imprudentem immittit, viamque obsidere jubet, inque reditu aggredi. Amica verò, ne sretâ viâ domum repeteret, mutatum cælum glaciem infidam reddidisse monuit. Is nihil inde periculi metuendum testatus, acrius urgetur: donec se precibus ejus, alioquin raris, sed jam sine offensâ haut respuendis, obsecundaturum pollicebatur: sed mox promissi securus rectâ domum pergit, cum irruens in eum servus, gravi in dextero brachio supra cubitum vulnere eum afficit. Is vicissim servum stricto gladio appetens frustra fuit, cum omnes ictus respueret. Tandem servus; *in potestate mea, inquit, te habeo: hac tamen plagâ contentus liberum dimittam.* Domum reversus, cum, quæ sibi evenerint, exposuisset, pater vulnus obligavit, quippe medendi artifex: satisfactionem tamen dubiam auguratus, cum res esset cum mulierefagâ, Kolbâkus domum rediens Grimæ de vulnere retulit, increpatus vicissim, quòd non satis vulnerâisset. Sequenti die Besius magno comitatu Grimam accessit; verum illa adventus ejus præscia, domesticos omnes suas quemque sedes occupare jubet: medio scamno Kolbakum collocat, ejusque caput manu lambit; deinde egressâ Besium salutat. Ille *constare sibi, suam ei salutationem parvi fieri, sed nec sibi ejus magni, respondit.* Illa novitate talium percussam se simulans, *ecquid novi afferret?* quærit. Id, respondit, *quod probè nosti, nempe vulneratum a servo tuo filium meum Thormodum. Id vero, inquit, mihi imputas? Sanctione inter nos amicitia? verâ tamen referre videris, cum hesterno vespere missus cum telâ servus nondum redierit, intellexi di splicuisse illi colloquia Thormodi cum filiâ meâ. non tamen hinc procesurum putabam; verum hinc penam meruit, me enim maximè læsit, diffamatâ hoc modo filiâ, novâ sermonum materiâ infamiam alendâ præbitâ; nam ab amatoria causâ vitiorum profectam nugaruntur; quò vero dictis fidem habeas, patebit universa domus; si invenire potes, quære.* Ingressus Besius famulos omnes vidit, præter Kolbakum in medio eorum sedentem, sibi in honoratiore sede collocato oppositum. Lustratis deinde singulis ædibus, postquam Kolbakum vulneris reum pegerat, domum rediit. Thormodus deinde longo tempore decumbebat, vulnere curationem ægrè recipiente; atque adeo, ut usu dexteræ in posterum casus; quoad vixit, scæva evaserit, idque sine ulla satisfactioe: nam Grima servum libertate æreque donatum, cum Besius in publico foro exulem eum perageret, à mercatore Norvego, nomine Ingolfo, tantum non invito, magnâ mercede avehi curavit, ventis jam diu adversantibus, quoad illud in se recepit, servusque adfuit; tum verò reditum Besii præveniens, obsequentem ei ventum largita memoratur.

Interjecto tempore Thormodus cum mercenariis patris sui ad deportandum domum Bolungarvikâ piscium induratum copiam profectus, favente vento, sinu Isafjordenfensi transmissio, Arnardalium devenit: Ubi adverso vento detentus, tentorium propè litus figit. Ibi vidua cujusdam viri, nomine Glumi, Katla dicta, habitabat; cui filia adulta Thorbiorg, formâ quidem venusta, non tamen exsuperanti, coma superciliisque nigris, ideoque Kolbrun/ quasi carbonis supercilium, appellata.

Ad eas, dum ventus obstreperet, ingressus hospitaliter excipitur. Cumque versus jocularis interdum jaceret, magis acceptum se reddidit, ita ut a dominâ invitaretur ad longiorem moram; dum domestici negotium peragerent, eum in reditu recepturi. Placuit conditio, bimestreque spatium ibi se oblectabat. Interea odam in honorem Kolbrunæ factam publicè,

conquifitis ex viciniâ auditoribus , recitabat , magno omnium ob elegantiâ carminis plaufu , donatusque à matre annulo digitali auro gravi , adjecto cognomine , quo in posterum Kolbrunnarftað , seu Kolbrunnæ poeta , auditur , invitatusque ad hospitium , quoties illâ viâ tranfeundum effet , amicè dimittitur , domumque cum famulis devectus manfit ad patrem in prædio Laugabole , donec ingravescens hyems finum congelaret . Tum revocatâ in mentem priſtinâ cum Grima Thordifque amicitia , prædium Atiqz cepit inviſere , Grimæ quidem valde exoptatus , filiaè verò Thordifi , veteri amafiæ , minus (ut è ſignis colligebat) gratus , non tamen omninò ingratus , quin averſos in eum oculos sæpius retorqueret . Causam deinde alienatâ à ſe animi quærens , cognovit , *diſpicuiſſe quod immemor ſui Kolbrunnæ carmine celebraverit . Ille carmen quidem , dum Arnardali moratus eſſet , feciſſe ſe ; nec tamen Kolbrunnæ , ſed ei , dedicâſſe : multum enim eam Kolbrunnæ formâ moribusque antecellere . Eo autem fine eo profectum , ut illud coram recinaret .* Mox mutatis nominibus , ubi laudum uberrima materia , eam in Thordifem tranſfert . Quibus illa placata , conceptam animo iram majori amore penſat . Inde crebræ viſitationes , frequensque in ædibus Grimæ Thormodus amafiæ mutuo amore fruitur . Contigit autem ; cum de nocte domi ſomnum caperet , ut viſa per quietem Kolbrunnæ his eum verbis alloqueretur : *dormiſne Thormode ? ille vero vigilare ſe reſpondiſſe ſibi videbatur . Minime , ait Kolbrunnæ ; dormiſ enim : quæ tamen dico , ut vigilans excipies . Alteri femine carmen mihi prius donatum dedicâſti , mutatis in eam ſtrophis , quæ præcipue : neque enim homuncio ſateri auſus es , me tibi celebratam . En præmium inconſtantiaè , levitatis & mendacii , dolor ingens oculorum , minime ceſſaturus , prius quam ut roque te orbaverit : ni publicè fraudem conſitearis , revocatisque verſibus , qui Thordifi nomen præferunt , meum reſtituas , carmenque in eam formam , quâ primum factum eſt , reducas , recenſeasque publicè , mihi que inſcribas .* Ut evigilavit , formam foras exeunſtis Kolbrunnæ , ſed valde iratæ , viſiſſe ſibi videbatur ; tantaque oculorum ægritudine cruciabat , ut vix à lachrymis temperaret , tenuitque quod reliquum erat noctis . Omnibus exſurgentibus , cum adhuc decumberet , accedens eum pater , *fatisne ſanus ? quærit ; ex oculis ſe laborare conſeſſo , certè nec ſanum , quem iſte morbus infeſtaret , reſpondit : cognoſce ſomnio , difficiles amafiæ obtigiſſe aſſeverat ; quarum alia uſa dexteraè , alia oculis protinus orbitura videatur : ſvaſitque ut carmini priſtinam formam induceret ; cæteraque , quæ per ſomnium imperaverat , propere exequendo ſatiſfaceret Kolbrunnæ .* Id ut maturaret , viſ imenſa morbi metusque majoris periculi expreſſerunt . Itaque cantatâ palinodia carmen reſtituit , ſeqve inde Kolbrunnæ poetæ cognomen accepiffe , palam , ut cætera omnia , teſtatus eſt , carmenque denudò dicavit . Hæc ſunt , quæ illi in atatis lubrico evenerunt , dum Thorgeir vel aulam Regiam ſectabatur , vel mercaturam exercebat . Quæ verò poſt mortem ejus geſſit ; & quantis quàm immenſis concatenatisque periculis ærumniſque ſe in vindicanda illius cæde ſuisque injuriis ulciſcendis expoſuerit , quantaque interea mala peregrinus ipſe , ab hominum conſortio divulſus , luſtris latebrisque incluſus , ubique intutus , aſſiduo frigore cruciatus ſuſtinuerit , in noſtra Gronlandia quinque capitibus ſuè expoſuimus .

Plures ex Islandis Regis Olafi ſatellites memorantur : Thorkell Eyviffi filius , qui , ut ex *Biorni Hytdalorum athletæ hiſtoria* planum eſt , à primis imperii ejus anniſeam dignitatem obtinuit , vir opulentus & magnæ exiſti-

mationis; tertius Gudrunæ Osvisi filia, celeberrimæ famina, maritus: quæ Ulfi, Haraldi Strenui Norvegiæ Regis Stallarii, amita, & Arii Polyhistoris ex hoc ipsò Thorkele avia. Hic sæpius in aula Regis magnâ gratiâ sublatu vixerat. Cùm autem novissimè eum accederet, filium suum Gellirem, ipsius Arii patrem, tunc annorum duodecim, secum duxit, donatus à Rege argenti signati selibris viginti, munere certè isto seculo raræ munificentia; donatus & filius ejus festo natalitiorum togâ eximiâ. Fandem hyemem Rex Nidarosiæ transegit, sacramque ædem ligneam exstruere fecit, donavitq; Thorkele materiam ad templum in villa sua exstruendum, quam verno tempore ad navem devehî curavit. Fortè quodam mane Rex paucis comitantibus egressus, vidit Thorkelem statim supra templum, quod jam ædificabatur, omnesque majores trabes & columnas silò metientem; quærit igitur, *an ad eum modum mensuramque templum quoque in prædio suo exstructurus esset?* affirmanti iva sit, *ut singulis majoribus tignis tribicimibusque duas ulnas demeteret: ædem tamen omnium in Islandia maximam futuram.* Indignatus Thorkele; *si nimium, inquit, dedisse videris, recipere donum tuum: nam & mihi facultates suppetunt ad alia in eorum locum comparanda, neque enim imminuam.* Rex moderatus sibi; *vir quidem, inquit, eximius es, Thorkell, sed nec parùm instaris: nobis enim ad æquari supra colonum est. Falleris autem, quod me materiam tibi arvidere putas, si tamen in usum templi cederet, quod neutiquam tantâ vastitate condes, ut fastum tuum capiat.* Interim subit anumum, signa isthæc tibi hanc usui futura, nec, quod proponis, processurum; animadversumque est, displicuisse Regi, quod consilium suum aversatus esset, licet id dissimulaverit: magnâ tamen gratiâ eum dimisit; qui transmissò oceano in sinum Hrutafjordum navem appulit, ibique exposita materiâ domum rediit, adque festum natalitiorum remansit. Tum verò ad transportanda ligna profectus, in reditu tempestate obrutus everrà nave periit. Atque ita præfagium Regis tristi eventu confirmatum est. Sed valde in hoc anno, ut plerumque aliàs, historia, quæ *Laxdela* inscribitur, & inter præcipua Islandorum documenta habetur, hallucinatur; dum hæc ad annum MXXXVI. refert: obitum enim Thorkele in quadriennum ante eadem Sancti Olafi contigisse tradit; Gelliremque ejus filium tunc annorum tredecim; nam ex capite hujus historiae XXVIII. constat, illum inter procerum Islandiæ filios accitu Regis anno MXXXV. ad eum patriâ profectum, annoque sequenti eò cum mandatis deferendis remissum; nam si anno XXVI. Thorkell perit, oportuit eum anno præcedenti apud Regem in Norvegia fuisse, unâ cum filio Gellere, idque undecimo ætatis illius anno, sequenti autem Gellirem remissum, certè legationis negotio iniaturum. Itaque historia illa male digesta, partim etiam figmentis corrupta, in alium ordinem redigenda est. Privignus ejus Thorleikus Bollii, ejus, qui Kiartanium Olafi Pavonis filium occidit, filius, etiam inter satellites Regis Olafi numeratur, de cujus gestis nihil habemus. His accensetur Thorer Börki filius: Börki Crassi, Snorrii Curionis patrui, filium fuisse existimo; de Thorere verò hoc nihil me observasse meminî.

CAP. III.

DE COMITE VALGAUTO AD CHRISTIANUM CULTUM A REGE OLAFO CONVERSO, AD CAPUT XV. HUIUS LIBRI REFERENDA.



Um Rex Aunundus, postulantibus Svecis, classẽ exercitumque omnem à conflictu ad amnem Helgam domum reduxisset, Olafo adhuc stativa in Cålmariã tenente, fortẽ quadam nocte ad custodiam prætorix navis Eigill, Halli de Sida filius, & Torfius (aliis Tofius) Valgauti Gothix comitis filius, adhibiti, captivorum lamenta & ululatus, qui in litore proximo singulis noctibus vincti custodiebantur, indignẽ ferentes, exscendentes in terram singulos vinculis exemerunt. Factum ut gratum salubreque miseris, ita majorem in modum, ut par erat, Regem offendit, ut cæde utriusque protinus vindicaturus videretur. Paulò post Eigill in desperatum morbum incidit, magnã pœnitentiã ductus, Regem sibi quocunqve modo placare statuit, oransque per internuncios veniam, diu exaudiri nequivit. Tandem intercessore Finno Arnino, Regem eousq; perpulit, ut se ægrum non modò inviseret, sed etiam lateri, quod maxime torqvebatur, manus imponeret, precibusque se Deo commendaret. Fugatus continuò morbus sanitatem restituit. Tofio venia negata, ni polliceretur, patrem suum, virum ethnicum, idolorumque industrium cultorem, se ad Regem ducturum. Id quanquam supra vires videretur, fuit enim præfractus Christianorum Christianismique osor & adversarius, à quo filio haut minus periculum, quam Rege, quippe religionis crimine (diu enim peregrinatus mercium commutandarum, externarumque gentium morum addiscendorum causa Christianis sacris inolevit) jam dudum exosò, tamen se annixurum promissit. Inde ascito Eigile in Gothiam ad patrios penates pergit, speque meliùs exceptus, in administrationis societatem à patre in vitatur. Grates agens filius indicat, *Olafi Regis offensam incurrisse se, culpã necem promeritã; nec effugiturum periculum, ni patre presente deprecatore: nec sibi, neque ei honorificum, promisso reditu Regem fraudari, sedemque prostituere; esse Olafum non Regem modò, sed etiam virum planè incomparabilem: sed & incomparabile, quantum sacra, quæ is sectetur, ab institutis paternis etimcorumque distent: orare, ut hoc paternæ caritatis exemplum in se edere dignetur.* Ingratã postulatione exacerbatus pater, ob dissidium sacrorum antea non satis conciliatus, utrumque vinculis condi jussit, cum orni comitatu; *neminem enim tantã se unquam contumeliã aspersisse, ut cultum sacrorum, majoribus suis sibi que ad senectam usque probatum, votis ignot. isque permutaret, exigere auderet, aut ut virum Deus extremè invisum, eo que nomine sibi quoque exosum, diversorum sacrorum præconem, paterni voti que cultus desertorem everforemque, ascenderet; nexum certè sanguinis mutuumque obligationem jam dudum filium solvisse, eo nomine in posterum indignum.* Omnibus in carcerem detrusis, proceres die postera, postquam defedissem iram animadvertebant, Comitem orabant, *parceret filio, cunctaque meliùs consideraret.* Jussit itaque, ut virum illum magnum, qui proximis illi astitit, addu-

adducerent. Adductus Eigill de causa criminis interrogatur: quam cum ordine exposuisset, laudes Tovii, veras quidem illas, sed singulari Svadâ leporeque (erat enim valde eloquens) commemorabat; monstratoque, quam dignum tanto patre filium haberet, tactus paternâ pietate senex, advocato filio; *Sais*; inquit, *constat, quanto Regis istius amore & admiratione teneamini, dum me in potestatem ejus allectare allaboratis; quanto & vestri honoris; quanto & Dei, quem colitis, dum datam ei fidem, invocatumque juramento Deum fallere detrectatis. Persuasum forte vobis, me in potestatem traditum ultra voluntatem non coacturum. Id si minus quam pro vestrâ spe cadit, Deorum tamen mihi semper cultorum indulgentiâ obtinebo. Persuasus igitur viri hujus verbis, necessitatem tuam misertus, dum ad meliorem mentem irâ desidente redeo, comes vobis ero, idque absque magno comitatu, si hoc periculi vestri remedium erit: non tamen ut cultum Deorum deseram usitatum. Faxint Dii, ut oppida, castella, villegi; agri hujus prius fument, quam ut istime impietati mancipem.* Atque his dictis Regem in Norvegiam adiit (Factum hoc videtur postquam Sarpburgum Rex rediit, anno scilicet MXXXVII.) Adducto Comite Tovius iram Regis denuo deprecatus absolvitur. Posteriâ die Rex Comiti Christianorum sacrorum majestatem utilitatemque cum multis nequicquam commendasset, obstinatum in inveterato cultu monet; esse eum in suâ potestate, nolle tamen invitum ad eum cultum cogere; qui quanto magis spontaneus, tanto Deo futurus acceptior; liberum itaque eum se dimittere. Nec ultra detinet. Profectus Comes viâ per saltum ferente, nec procul repentino morte corripitur. Regem itaque arcessit, venientique mutatam sententiam refert: velle se Christianum fieri. Mox adhibitus sacerdos senem convertit; qui ablutus salutari lavacro, animum præfagire asseverat, ultimum hunc sibi morbum futurum: nolle eo loco efferrî, ubi sibi tanta salus illuxerit: quem quoque secum consecrari optet, templò post excessum suum superstructò, dotarique ecclesiam liberaliter, idque pro animæ suæ salutis, juxta dogmatis illius indolem. Neque fefellit conjectura, ibi namque excessit, testamentoque ejus honor habitus, templò ædificatò ditatòque. Filius paternæ ditionis hæres inter Comites Gothiæ numeratur, (Ostrogothiæ an Vestrogothiæ, incertum) vir memorabilis; fors idem, quem *Adamus Brementensis Lib. III. Cap. XII.* Sveno Estrithio Daniæ Regi auxilia subministrasse perhibet, Ducemque Toph appellat.) Eigilem cum uxore Thorlauge & filia Thorgerde tunc octenni Rex prius in aulâ unâ cum Tovio per hyemem pro more sustentavit; visaque virgine, fortunatam futuram prædixisse fertur; sagaciter quidem, facta enim est mater Divi Jonis, diæcesis Hølenensis in Islandia primi episcopi, consecrati anno ætatis sexagesimo quarto, Christi millesimo centesimo sexto, post mortem Divorum collegio adscripti. Magnâ denique Regis gratiâ Eigill in Islandiam rediisse perhibetur.

Tot tantæque migrationes, quæ inter Norvegiam Islandiamque frequenter instituebantur, præterquam quòd commerciorum inter utramque gentem confirmandorum causâ extiterunt, fisco Regio non exiguum iis sanè temporibus attulerunt emolumentum; datis nimirum in singula capita certâ pensione. Tenuerat hic mos jam inde à Pulchricomi temporibus, cum insulæ transmarinæ à Norvegis cæperunt frequentari: sed tempore S. Olafi denuo est restauratus. Ejus autem originem commemorat *Arius Polybistor* in libello, quem de Islandia scripsit: tradit enim, cum è Norvegia ad Islandiam occupandam & incolendam ingens progressu temporis utriusque sexûs hominum confluxus fieret, Regem Haraldum Pulchricomum

mum veritum , ne fortè Norvegia tandem colonis vacuaretur , migrationem in Islandiam interdicto publico prohibuisse : pactione rem deinde compositam , ut migrantium singuli quinque auras , seu uncias , Regi penderent. Hæc tributi illius origo fuit , quod tempore Arii & longè post Landaurar appellabatur , nec tamen illa pensionis regula semper , sed nec usquevaque strictè , observata est , interdum enim magis , interdum minus pendebatur , donec S. Olafus certam mensuram de novo constituit , ut felibram solveret quicumque è Norvegia in Islandiam , aut vice versa ex Islandia in Norvegiam , navigaret , exceptis fæminis , & si quibus Rex protectionis illius gratiam faceret specialem. Id se ex Thorkelis Gelleris filii , patris sui , relatione accepisse idem illi Arius testatur.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ

LIBER TERTIUS,
DE KNUTI MAGNI DANIÆ ET
ANGLIÆ REGIS ET SVENI ALFIFÆ
FILII IMPERIO IN NORVEGIA, UT ET
DE MORTE ET MIRACULIS
S. OLAFI.

CAP. I.

DE FUGA REGIS OLAFI IN SVE-
CIAM ET RUSSIAM, ET IIS, QVÆ IN
ITINERE EVENERUNT.



Ostquam Rex Knutus partem Norvegiæ totâ permutaverat, amplissimisqve regnis adjecerat, constituto administratore Comite Hacone, singularumqve provinciarum rectoribus ordinatis; sedulo curabat, ut vel Olafus vivus non elaberetur, vel ita viribus extenuaretur, ut recuperandi regni spem omnem abjiceret. Is igitur, cognito Knuti in Daniam reditu, Tunsbergam repetit; inde navibus tantum decem & tribus com-
meatu militiqve frustra imperatis, iis tantum, qui sponte accesserunt, aut
insulas & promontoria incoluerunt, in comitatum ascitis. Sinu trajecto,
tardâ navigatione primâ hyeme in portum Lystrîæ Soleyas (hodie Sælør)
devehitur: ubi diutius adversis ventis detentus, per mercatores cognovit,
Erlingum magnam in Jadria manum contraxisse, navigiumqve ejus ma-
gnum expeditum; multos præterea lembos, vectorias majoris notæ, &
actuarias ad invadendum se paratas. Nihilominus portu solvens Eikunda-
fundam proventus est: ubi dum aliquantisper mansit, per speculatores
quid

quid ultro citroque ageretur, cognitum. Die Sancto Thomæ, qui festum Christi natale Anno MXXXVII. præcessit, sacro, vento acrius flante, se-
cundò tamen, summo diluculo Rex portu classem educit, pluvio cælo &
procelloso. Mox missi, qui id terrestri itinere Erlingum notificarent; nec
mora, convocat cohortes armatas, navibusque imponit, Regem persequi-
tur; qui ad interiora Fiordorum cursum destinans, militem & pecuniam
inde colligere decrevit, citòque Jadriam emensus, Erlingum, dum se ac-
cingeret, præterit; qui eo magis eum persequi contendit; quem ut ap-
propinquantem Rex animadvertit, haut dubius effugi non posse, quod
levibus navigiis, nullâ præter hominum vecturâ gravatis, utebatur, suis
ex adverso, quæ per universam ætatem, autumnum & hyemem, excu-
bârunt, receptu aquarum, limoque adhærente gravibus, accedente in-
super tanto sui opprimendi ardore, ut contractis velis, reliquam ipse clas-
sem expectaret, quo junctarum navium impetu facilius se obrueret, tali
commento usus est; mandatum ab unâ nave ad alium clamore deferri cu-
ravit, ut sensim carbasa substringerent. Quo observato, Erlingus ratus
acriori vento provehi, Regemque elabi, prætorix vela, quantum pote-
rat, expandit, reliquarumque rectorum exemplum sequi jubet. Cumque
prætorix celeritate omnes alias præstaret, ipseque cursum, quantum po-
terat, intenderet, longo reliquas intervallo reliquit. Interea Olafus intra
promontorium Bøfû (hodie Buxten) intra insulas Tungumenses, ut ha-
bet *Fagurskinna*, Tungam habet *Theodricus Monachus* delatus vela de-
mitti jubet, navesque in angustias intra Klepnesiam collocari, pa-
ratas Erlingum præstolari. (erant enim singuli ab integrâ armaturâ in-
structi) Et jam intercedens terra mutuam aspectum interceptit, cum pro-
vectus in fauces Erlingus sensit se armatâ indagine regiarum cinctum un-
diqve impeti. Demisso itaque velo arma protinus expedit, acerrimè ab
omni parte eminus cominusque invadentibus resistit, nec id diu antequam
funera stragesque in eum vertunt. Ipse celsâ in puppi galeâ clypeoque te-
ctus gladio rem gerebat. Rarescentibus deinde propugnatoribus locus
ascensui patet: tum vero singuli in suis quisque loculis cæduntur; neque
enim vitæ usum petebant, nec, si petivissent, impetrassent, nec erat effu-
gii locus obsessis undiqve a Regiâ classe. Usque ad Erlingum omnes ad
internecionem cæsi. Is solus in celsiore loco, quàm ut gladiis cominus pe-
ti posset, stans erectus, telis & hastis confertim obruitur, quæ tamen sin-
gula gladio decedit. Post hominum memoriam neminem se unum acrius
adversus tantam impugnantium vim & tam diu defendisse constat: neque
enim pacis unquam mentionem fecit, aut fugæ consilia circumspexit. Ipse
quoque Rex admiratus fortitudinem, proximum loculum accedens; *Ad-
versus*, inquit, *hodie stas, Erlinge. Sic est*, excepit: *adverse enim aequi-
le se impetent*; tum Regi, *an se dedere vellet?* quærenti assensit, detractaque
galeâ, clypeum gladiumque deposuit, Regemque accessit. Is autem ani-
mi isto calore, qui eum pessunderit, cuspide securis, quam tenebat, ge-
næ ejus impacto, *notam proditori impingendam* pronuncians, clementiam
adhibere, nisi adjectâ simul generosis animis morte graviore ignominia,
nequivit; eo præsertim tempore, quò status ejus convulsus, si ullius ci-
vium, certe Erlingi fide & auxilio, ni erubescendâ veniâ eum devincere
sibi voluisset, vel restitui vel sustineri potuisset, idque ipsius Regis testi-
monio, ut mox dicam.

Eodem momento Aslakus Fitiaskallius, Erlingi propinquus, accur-
rens, securi capiti ejus cerebro tenus impactâ vitâ eum privavit. Tum
Rex

Rex offensus: *I*, inquit, *in malam rem, ictu infelicissimo, quò Norvegiam manibus meis excussisti. Malè, respondit Aslakus, si tibi hoc ictu nocui; quo Norvegiam tibi reddere decreveram. Certe te offenso nihil mihi spei reliquum, tot enim magnatum iram hac cede in me provocavi, ut gratià tutelæque tua omnino indigeam.* Rex bono animo esse iussit; utque statim omiffis spoliis iter carperent, edixit. Omnibus paratis, classis cætera cum armatis agricolis advenit: qui re inopinâ, amiffò duce, attoniti, quamvis viribus superiores, cum nullus filiorum Erlingi præstò esset, animum dejecerant; corpus tantum exanime, tum ejus, tum reliquorum, & quæcunqve secum avexerant, domum retulerunt, maximo omnium luctu; omnium enim Norvegorum, qui unquam fuerunt, nec altiore dignitatis gradu præstant, præstantissimus opulentissimusque semper habitus est; nec scio, an immoderatus erga Regem factus magis eum quam pertinaciam servasse, ipsam perdidit, dum tanto viro, Regiis nuptiis celebri, Ingibiorgis Comitissæ Rognvaldi uxoris, sui tam studiosæ sororis, marito datas a superioribus Principibus feudi partes adimit, aliisque longè minoris dignitatis confert, unde rebus secundis minus ornamentum, adversis nullum fere auxilium. Certe quanti ei interfuisset Erlingum devictum servasse, ipsius confessio exprimit, dum Norvegiam illâ cæde excussam perhibet. Novit excussam defectione ad Knutum, non tamen ita excussam, quin recuperari possit: Erlingi certè cæde spem quoque excussam indoluit, mox etiam sensit. Nec tamen ejus temeritatem, perfidiam & proditionem excusandam censeo, ut qui nullo jure, nec juris quidem specie, prius victus, mox deditus, fide Regi in obsequium jurejurando datâ, deinde prostitutâ, crimine perduellionis prius, inde apertâ defectione, tandem & hostili persecutione, spem omnem veniæ sibi præclufit. Ejus gesta *Sigvatus poeta*, quippe intimâ amicitia devinctus, donisque obligatus, post fata carmine Flockorum generis celebravit: cujus aliquot particulæ existant.

His peractis Olafus cæptum iter persequitur. Exstat triumphalis verfus, quem post conflictum ipse fecerat. Interfuerunt itineri, & per consequentiam certamini, omnes Arnii filii, ergo etiam gener Erlingi Thorbergus: id quod minus dubitandum, cum divisæ in factiones necessitudines, alii Regis Olafi, alii Knuti partes sequerentur; Thorbergus quoque Regi in ultimo bello militaverat, & quidem adversus fratrem & affines. Jam verò Erlingi filiorum nemo domi, alii apud Comitem Haconem in Thrandiâ, alii in Fiordis, Rogiæ districtu, in colligendis ad pugnam contra Olafum provinciæ istius civibus occupati: qui quam primum de paternâ cæde certiores facti sunt, Agdis, Rogiâ, & Hordiâ ingentes copias in aqvilonem ad persequendum eum deduxerunt. Is autem recta viâ procedens, ubique famam tumultuantium civium cognoscit. Stadis præteritis, Hereyis classem admovit. Ibi percepto, concitam Haconi per Thrandiam ingentem multitudinem, ducum consilia exquiri. Kalfus vehementer ivasit, Thrandiam intrandam, manusque cum Hacone, quantumvis viribus superiore, conferendas. Id quod multi suffragiis probârunt, sive id fraude Kalfi, nova consilia agitantis, sive animi fortitudine & fiducia (utroque enim pollebat) factum; aliis tamen dissuadentibus res arbitrio Regis commissa est. Inde Steinavogum itum, noxque ibi peracta. Aslakus autem Fitiakallius in Borgundam navem duxit, exactaque nocte rediturus, à Vigleiko Arnii filio, eò fortè devecto, in ultionem Erlingi irruptione factâ occiditur.

Frekeyarsundâ satellites Regii, qui domi per æstatem remanserunt,

adventantes nunciârunt, Comitem Haconem cum multis suis satrapis, magnaque manu, eodem vespere eò venisse; consilio opprimendi eum, si possent. Misit ergo, qui è monte singula specularentur: qui subito reversi, renunciant, Biarneyâ multas naves viâs austrum petere; mox signo dato, remotis navium tentoriis, remis incumbunt. Cumque portu exirent, viginti quinque naves, Thiotandam aqvilonem versus conspectâ terrorem incusserunt; intra Nirviam Hunsverq; navigatio instituta. Cum è regione Borgundæ proficiscerentur, navis, quam Aslakus possederat, obviam facta, cædem ejus in ultionem Erlingi nunciavit. Ægrè quidem id Rex tulit, subitâ tamen necessitate coactus, moram itineri injicere nequibat: Vegfundæ itaque Scotisque interiora permensus â magnâ comitatu parte destituitur. In his Kalfus Arninus multiq; satraparum naviumque rectorum, novas spes secuti, Comitem Haconem adeunt. Ipse captum iter persequens, non prius destitit, quam Todrafiordum ingressus classem Valldalo admovit, ibique relictas quinque naves in stativa deduci curavit, armamentaque servari, tentoriisque in arenâ fixis, a principe valis illius, nomine Brusio, qui ibi habitabat, cum multis civibus eò confluentibus salutatur; quos hilari vultu excepit, *qvæsitvique, an ulla illinc via Lesias usque ferat? Fragosam solitudinem, Sefsurd dictam, equis hominibusque inviam, intercedere cognoscit.* Is tentandum ratus, successum vero Deo committendum, jubet *ut in sequentem diem omnes cum equis adessent, accuratèque explorent, an ulla se via per invia faciendi exhibeat.*

Primo diluculo equi adducti, quibus vestes impedimenta que imposita, cæteris omnibus, ipso quoque Rege, ambulantes. In acclivitate, *qvæ Kringle Drosbrecta / Codici Flat. Niosubrecta / Jofrafinnæ & Thomaskinnæ Niosbrecta / dicitur,* aliquantisper quievit, despectoque sinus *qvam arduum,* inquit, *iter mei mihi procurarunt satrape, antea amici, secretorumque arbitri, nunc mutata fide transfugæ?* Duabus crucibus, cum author hæc literis prodidit, sedem ejus notatam retulit. Inde consensu equo ad prædictam solitudinem pergit; quò cum ventum esset, ad æstiva quædam tentorium per noctem fixit. Postridie mane jussi viam plaustris penetrabilem sternere; omnes edicto parent: ipse in tentorio remanet. Vesperi re infectâ redeuntès aulici agricolæque, frustra ibi viam quæri renunciant; nihilominus eos detinet. Per totam deinde noctem pernox, cum calidis precibus Deum de successu sollicitasset, primo mane ad desperatum opus tantum non in vitos remittit; quibus dimissis, coqvus duorumque bovium corpora residua indicat, quadringentis militibus centumque agricolis prandium jejunum. Is omnes lebetes appendi, singulis frustum imponi jussit, omnibusque signo crucis notatis ad Sefsurdem tendit, omnesque nimio labore sessos sine ullo successu cæptis destituros deprehendit. Depositâ igitur togâ, ipse manus admovens, tantum precibus effecisse perhibetur, ut immota prius, centumque hominibus intractabilia saxa, viginti deinde se quasi morigera præbuerint, anteq; meridiem universâ via complanata sit, onustis equis hominibusque, non secus ac in plana, pervia. Inde Rex ad antrum, ubi cibaria coquebantur, rediens, in propinquo laticæ manus lavisse fertur. Postea ægrotanti pecori per univèrsam vallem potus iste præsens remedium exhibetur; antrumq; ab eo denominatum in posterum hodieque *Olasî antrum* usurpatum. Ad prandium deinde itum est, cum quærit, *æstivane essent in valle, quæ supra Sefsurdam jacet? Brusius esse quidem, quæ Græninge appellantur, sed larvis spectri que adeò infesta, ut nemini ibi pernoctare liceat.* Ibi igitur tentoria

toria figi jubet; cum adveniens lixa, inusitatam cibariorum ubertatem affluxisse refert, nec unde proveniret, scire. Rex donum divinitus datum agnoscens, ipse gratias agens, rusticis omnibus inde integras farcinas abeuntibus dispertit. Circa vero tentorium, mediâ nocte, audita spectri vox, querentis, *excedendum sibi dulci baculus domicilio; uri namque precibus Olasi, nec ulterius reditum eò patere.* Postridie manè in montem iter promotum. Sub discessum Brusio imperat, *ut in novissimo tentorii loco villam ædificet; futurum in posterum, ne satis ibi frigus unquam noceat, urat licet quæ in circuitu sunt.* Inde transito monte Einbuium deventum, noxque ibi exacta.

Quindecim annos id temporis Norvegiæ scepra tenuisse dicitur, computatis unâ hyeme, quam simul cum Sveno rexerat, & hæc, de qua egimus; præterierat enim Christi natale festum Anno MXXIX. cum relictiis navibus exulatum ibat. Computatio isthæc periodi regni ejus *Ario Polyhistori* primò instituta, viro veridico & memori, quique iis temporibus vixit, quibus senes illi, qui hæc per ætatem meminisse poterant, ipsi prodiderant; id quod ipse suis scriptis testatus perhibetur, editis eorum nominibus, unde isthæc hausit. Communiter autem referunt, quindecim annos regnâsse, cum cæsus esset; qui vero ita putant, Sveni imperio illam hyemem annumerant, quam novissimam in patriâ exegit, nam Olafus exinde quindecim annos vixerat. Hæc ad verbum ex omnibus exemplaribus descripti. Sola *Fagurskinna* hæc post elapsos a bello Nefiano decem & tres annos contigisse memorat, numero pleno, cum quatuordecim ante festum Palmarum non essent completi, ultimum in summam non includit. Nos numeros secundum Islandorum accuratissimas traditiones apposuimus.

Nocte in Lesis exactâ, ulterius progressus primò in Gudbrandzdalos, inde Heidmarchiam, devenit. Ibi singulorum satellitum variâ fides studiaque in eum enituerunt, aliis deferentibus, hostibusque se adjunctibus, aliis adversæ fortunæ societatem præferentibus. Thorericus quoque supplicium multorum animos ab eo alienabat. Fuere & multi bonâ veniâ dimissi, quos liberorum aut necessariorum numerus domi prægravabat, metusque hostilis in eos sævitæ, quorum parentes exularent; in his Biornus Stalarius. Hos Rex discedens, Biornum tamen peculiariter, monuit, *si quæ mutatio incideret, ejus notiâ sibi deferrent; animum enim præ sagire, imperium Haconi in Norvegia hauri diuturnum futurum: nec id mirum, cum sibi prius succubuerit. Illud forte minus credibile, quod tamen animo suboleat, Knutum illum Potentem intra paucos annos moriturum. præpotensque ejus imperium unâ collapsurum, nec sobolem ejus in posterum emeruram.* Confirmaturus deinde amicos, certam reditus sui spem fecit, & si vita suppeteret, se regnum repetiturum; *conjectare enim, omnes Norvegiæ cives obsequentes sibi futuros, quantumvis in præsens rebelles.* His dimissis, ipse ad nemus Eidenfense iter flexit. Erant in comitatu Regina cum communi filia Ulfhilde, Magnus Regis filius, Rognvaldus Comitum Orcadensis Brusii filius; satrapæ, filii Arnii Finus, Thorbergus, & Arnus, pluresque alii delecti viri. Nemore superato in Vermiam proventus, inde Bæsthu prætervectus, per proximum saltum ferente viâ in Nerichiam pervenit, divertitque tempore verno ad virum nobilem & opulentum Sigtryggum, cui filius Ivar, qui postmodum vir eximius evasit. *Fagurskinna* ejus filios tradit Sunium & Comitem Karlem, seu Carolum. Eadem ætate, relicto in Svecia Reginâ filiâque, ipse navibus comparatis, assumpto filio Magno, in Russiam ad Regem Jarisleifum Reginamque Ingigerdem, veterem spon-

ſponſam, nunc uxoris ſorem, conceſſit, ſummaque benevolentia exceptus, territorium ad ſuſtentationem vitæ aulæque ſufficiens confequitur.

CAP. 11.

COMES HACON NAVES REGIS OLAFI
INTERCIPIT: JOKULIS IN OLAFUM LUSUS ET SUP-
PLICIUM: KALFI DEFECTIO, ET COMITIS HACONIS INTE-
RITUS: BIORNI STALLARII DEFECTIO, POENI-
TENTIA, ET PROPECTIO IN
RUSSIAM.



Am eâ, quæ in Norvegia geſta ſunt, poſt-
quam Olafus inde egreſſus eſt, exponam. Antea
relatum eſt, ut Comes Hacon in Mæriam adverſus
eum claſſem copiasque eduxerit. Jam vero, cognito
eum in Fjordos iter flexiſſe, ipſe quoque inſequitur,
donec Kalfum Arninum alioſque, qui Regem deſe-
ruerant, obviam habuit, comiterque exceptit. In-
de Todrafiordum Valldalumque profeſtus, naves Regias occupat: expe-
ditis gubernatores aſſignati. Viſundus, quò is vehi ſolebat, viro Iſlando
Jokuli Bardi filio de Vatzdalo obtigit; qui inſolentior in Olafum, carmen,
quod etiamnum ſuperat, jecit, qui longo poſt tempore in Gothia à mili-
tibus ejus comprehenſus ad eum ducitur, juſſuque ejus decollandus, ca-
pillo virgæ implicato, confidensque in colliculo, cum gladii allabentis
ſono percepto ſe erigeret, iſtum capite, haut ſine gravi vulnere, exceptit,
quod Rex lethiferum obſervans, ab iterando percufforem inhibuit. Mori-
turus autem carmen cecinit, quo & iram in ſe Regis fatumque ſuum de-
plorat: quod integrum exhibuit & explicavit *Thomas Bartholinus Anti-
qvitatum Danicarum Lib. I. Cap. V. pag. 57.* Kalfus autem Comitem Ha-
conem in Thrandiam ſecutus, cum in partes ejus ſollicitaretur, domum
prius repetendam excuſavit. Ibi ab uxore, veteribus recentibusque cala-
mitatibus exulceratâ, jamque vindictæ ſtimulis agitâtâ, noctes diesque
ad mutandam fidem dominosque impellitur; ad animum revocare juſſus,
quantis ab Olafſo ærumnis affecta fuerit: *mariti primum Aulveris, deinde duo-
rum filiorum, Thoreris Griotgardique, cumulatis cædibus; quibus non pro me-
ritis aut ſpe interſuerit.* Ille Thoreris cædem ſe majorem in modum egrè tu-
liſſe, interceſſiſſe, tandem etiam pecuniariam expiationem obtuliſſe. Griot-
gardis morte fratrem ſuum Arubiornum quoque concidiſſe, reſpondit. Illa
bene quidem, quod damnum quoque ipſe ab Olafſo ſenſiſſet; vindictam fratris
ei incumbere, etiam ſi ſuis injuriis non tangatur: *perſpectum ſupplicio Thore-
ris, quem, præter quod privignus fuerit, ipſe quoque educaverit, quanti Rex
deprecationem ejus fecerit.* His ſimilibusque querelis cum noctes diesque
aures ejus fatigaret, ſæpius quamvis aſperis verbis repulſa, tandem pervi-
cit, ut Comiti ſe ſociaturum polliceretur, ſi amplioſorem præſecturam reditus-
que auctiores concederet. Quo cognito, per nuncios ſtatim certioſorem fa-
cit, quò maritum perpulerit. Mox Comes eum Nidarofiam per nuncios
evocat, venientem benignè excipit, receptumque in ſatellitium præſe-
ctum interioris Thrandiæ conſtituit, domumque dimittit.

Proximo deinde vere Kalfus in Angliam ad Regem Knutum trans-
fretat; quovo tempore Rex Haraldum Thorkelis Proceri filium Comitem
in

in Dania creaverat, magnâ humanitate curâque exceptus; colloquio Regis adhibetur; utque ducem se factionis adversus Olafum gerat, si fortè regnum repetat, rogatur: præmium tanti meriti Comitibus dignitas, vicariumque totius Norvegiæ regimen ostenditur: polliceturque Rex, *revocaturum ad se cognatum suum comitem Haconem, majori ejus commodo; non enim videri bastam adversus Olafum, si conveniant, conjecturum.* Spetantæ dignitatis potestatisque inescatus Kalfus, conditionem arripuit, magnificisque muneribus sub discessum donatus domum rediit. Eadem ætate Comes Hacon in Angliam ad Regem navigat, sponfam suam in Norvegiam transportaturus, quæ ad nuptias ibidem celebrandas studiose convocata unâ vehens, serò autumni mari se comisit: naufragium deinde passus, cum singulis vectoribus, universonque apparatu, periit; nullò præter desiderium nusquam comparentium nunciò.

Memorant quidam, visam ad Katanesiam Scotiæ promontorium serò diei, vento acrius flante, navem in sinum Picticum impulsam. Vortice absorptam statuunt. *Simon Dunelmensis de gestis Regum Anglorum* hæc ad annum Christi MXXIX. refert. *Post festivitatem, inquit, Sancti Martini, Danicum Comitem Hacun (familiaribus illis nationibus Norvegi Danorum nomine intelliguntur) qui nobilem matronam Gunnbildam, sororis Knuti & Vyregorui Regis Vinidorum filiam, in matrimonio habuit: quasi legationis causâ à Knuto in exilium missum, quod timuerit ab illo vel vitâ prrvari, vel regno expelli.* Quod *Dunelmensi*, ut horum magnam partem ignaro, condonandum, ut et lapsus in anno mortis ejus, quem tricesimum facit, cum tamen superiori anno, qui est vicesimus nonus, post festum Martini Angliâ solvissè perhibeat. Hanc Haconis sponfam postea nupsisse Haraldo Thorkelis Proceri filio, Horda-Knuto post cædem Ulfi Comitibus curatorî à patre dato, conjicio ex nominibus, quæ filiis suis imposuerat, Hemingi scilicet & Thorkilli, avi nimirum & propatruî, Thorkelis Proceri & fratris ejus Hemingi; id quod ex *Simone Dunelmensi*, qui hæc de ea ad annum MXLIV. scripsit, constat. *Eodem anno nobilis matrona Gunnbildam, Regis Vortgerni & sororis Kanuti Regis filia, & Comitum Hacun & post Haraldî mortem viduata, cum duobus filiis Hemmingo & Turkillo expellitur Angliâ, quæ Flandriam devecia in loco, qui Brige dicitur, aliquandiu resedit, & sic Danmarcbiam adiit.*

Eodem autumno in Norvegiam fama mortis ejus delata, desiderio ejus, imperioque duce destituto plus satis confirmabatur: nec certi deinde de loco, ubi perierit, constitit. Idem author quibusdam traditum in Orcada insula occisum adjicit, quod fidem non meretur. *Knytlingorum historia cap. LXXV.* tradit Comitem Haconem reliquisse filiam, nomine Bothildem, quæ postea nupsit viro celebri Ulfo, civine an incolæ Dano, haur distinctè exprimitur; in Dania domicilium habuisse certum est: qui bellator insignis occidentalem Gallæciam multis præliis infestavit, vastavit & devicit; unde ei Gallæcii cognomen obvenit. Hujus filius Thorgautus, vir Danus, Sveni Efridii satellites purpuratus, formâ adeo speciosâ, ut Haraldus Strenuus, Norvegiæ Rex, eum Fagrskinnam, id est venustam cutem, appellaverit: hujus filia Bothildis, ex qua Eiricus Bonus Daniæ Rex Knurum Lavardum Obotritarum Regem, ducem Slevicæ, Valdemari primi Daniæ Regis patrem, progeneravit. His consentit Saxo Lib. XII Historiæ Danicæ in Olafò Famelico, qui eam Ulfoni Gallitiano ex filio Thruguto neptem obvenisse perhibet. Hæc Bothildis dicitur fuisse uterina soror Henrici IV. Imperatoris. Et hujus filius Henricus V. Impera-

perator & Knutus Lavardus, fratres amitini : quod ideo minus consistit, quòd non liqveat, Agnetam Vilhelmi Piectavorum Comitissæ filiam Henrici Quarti uxorem & Quarti matrem Thorgauto prius nupsisse. Itaque nexum illum Sangvinis cum Knuto Lavardo aliundè repetendum existimo.

Antequam Comes Hacon Norvegiã excederet, Biornum Stallarium, postquam ab Olaso dimissus domum redierat, quòd esset vir celebris, rebusque suis idoneus, per nuncios ad defectionem sollicitabat. Quibus benignè exceptis, quidque afferrent, expromere rogatis; qui primus eorum salutem Regis Kuuti, Comitissæque Haconis procerumque præfatus, famam ejus ad aures Regis relatam denunciat: *secutum quippe Olasum Crasum summo studio, nihil in se hostile in ejus gratiam intermisisse, illo duce regnum suum Daniã superiori æstate invasisse, maximis damnis affecisse, subditos suos spoliãsse, aliorum domos incendiãsse, diripuisse, alios occidisse: tantã autem & tam altã indole præditum Regem, ut cum eum, quantumvis à profugo Olaso desertum, facile in potestatem, quippe auxiliis destitutum, redigere possit, majorem tamen virtutum fortitudinisque ejus respectum habiturum, quam præteritã hostilitatis; patere itaque ei gratiam Regis; imo ultra Offensum debuisse prævenire, vel numeribus & obsequiis emercari; neque enim aliud thesaurum ejus gratiæ comparandum, quam univèrsus septentrio occidensque expetat.* Biornus domi se in posterum, abdicato Principum ministerio, mansurum cum respondisset; non ita, inquit nuncius: *tu enim tuique similes Regis satellitio idonei esis, neque enim ulterius te detinebo: aut enim cum socio vestro Olaso exulabis, prædiis possessionibusque procul, aut, quod magis conducit, in gratiam Regis Comitissæque receptus, satellitum ejus numero, fide data te, accepto stipendio, inscribi patiere.* Mox magna pecuniã vasto marsupio effusã, quanti heret, ostendit. Biornus, cætera ingens, adversus pecuniã infirmior, cujus comparandæ avidus, erogandæque parcus erat, conticuit; quo animadverso nuncius duas armillas aureas magni ponderis depromens, stipendium, obligatã sacramento fide, ut acciperet, hortatus, adjecit; *exiguum es præsens præ dono, quod a Regiã largitate expectandum esset, si enim inviseret.* Magnitudine æris, majore quoque in munificentiã Regis Knuti spe promissis auctã, incertãque in posterum Olasi ad recuperandum regnum fortunã, penè quoque in præsens desperatã, certique sui exilii agrorumque gentilitiorum jacturã expugnatus, fidem Regi Comitissæque juravit. Jam vero, cognitò Comitissæ interitu, derepentè mutatus, excessu Comitissæ sacramento liberatus sibi visus, occasionem Olaso utilem, dum regnum principis vacuum fluctuaret, haut negligendam ratus, profectiõnem sine morã instituit, assumptoque modico comitatu, magnis itineribus, equis navibusque alternis, prout res postulabat, vicibus, noctes diesque in Rusiam profectus, sub natale Christi festum ad Olasum pervenit, magnã Regis ministrorumque lætitiã exceptus. Omnes status patriæ cognoscendi avidi, ut obiisse Comitem, principem destitutum regnum, si occasione insisterent, facile repeti posse, sibi imaginabantur; quippe desiderio patriæ, uxorum amicorumque & possessionum obcæcati, exiliumque pertæsi. Multa inde quæsitã cum exposuisset, Rex, *qua constantia amici fidem colerent?* interrogat. *Diversimodè,* respondit. Mox exsurgens Regem accedit, genibusque ejus accidens, tacto supplicum more pede, se in Dei ejusque potestate futurum præfatus. *Ego,* inquit, *accepta a Knuto pecuniã fidem eis juravi; penitet facti, ideoque tibi in posterum, quod ad vixerimus, adharere gestio.* Surge, inquit Rex, *Biorne, mihi quidem re-*
concl-

conciliatus eris. Dei pacem exora. Neque enim me latet, paucos jam intra Norvegiæ limites constantes futuros post tanti viri defectionem: sed & illud planum, quantis inimicorum injuriis me procul amici mei vexarunt. Memoratis deinde adversæ factionis ducibus, regresu eum prohibitoris, Erlingi filiorum eorumque nomina edebat. Adjecti Einar Thambaskelfir, Kalfus Arninus, Thorer Hundus, Harechus de Thiotta: quorum duo postremi metu pænarum ob perpetrata crimina, primi ardore vindictæ, quippe patris cæde irritati, medii promissorum magnitudine ad immodicas spes evecti, hostibus ejus accesserint. Fabulatur Codex Flat: duodecim ministros Knuti Regis sub præsidio Kalfi, post pugnam ad fluvium Helgam cum ingenti ære ad proceres Norvegicos missos, tandem etiam ad Biornum pervenisse, annulisque aureis duodecim fidem ejus licitatos, ipsum vero facta spe transactionis omnes patibulo suffixisse, annulosque ad Olafum retulisse, Regem verò, injuncta pænitiâ, Episcopo Sigurdo eum absolvendum comisisse, annulosque ei donasse; quæ nullam verisimilitudinem habent.

CAP. III.

REGIS OLAFI SOMNIUM, EX RUS-
SIA PROPECTIO, ET CIVIUM NORVEGORUM
GESTA: THORERIS HUNDI COMMERCIA ET VENE-
FICIORUM APPARATUS: EINARIS THAMBASKELFE-
RIS PROPECTIO AD REGEM ET SPES IRRITÆ;
PROCERUM DELECTUS ET ADDUCTA
A PROPINQVIS REGIS AUXI-
LIA EXPONUNTUR.



Amque multis curis distentus Rex, quid possit eligere, hæsitabat. Oblata erat ei à Rege Jarisleifo uxoreque Ingigerde opima Muscoviæ provincia Vulgaria, aliis Valgaria (Bulgaria) id temporis ethnica, materiâ de re Christiana demerendi uberrimâ; quam, dissvadentibus consiliariis, domesticam fortunam iterum tentandam ducentibus, recusavit. Subivit quoque animum Hierosolymam aut sacras alias urbes petere, & abdicato Regio titulo fastigioque aliquem Monachorum ordinem sectari, maxime tamen ad regnum repetendum inclinans obstacula considerabat, simul etiam, quàm prona sibi omnia decem primis imperii sui annis, reliquis inde adversa & impedita, obvenerint; periculosum itaque fortunam irritare: nec rationi congruum, victoriam sibi exiguis copiis de tantâ hostium inimicorumque turbâ in invisa patriâ polliceri. His anxius Deo res suas sollicitè commendabat, eam sibi sortem deposcens, quam ipse providerit. Accidit autem quadam nocte, cum hæc animo volutaret, ut levis eum somnus seu vigil dormitio amplecteretur, (omnia enim lumina intra domum coram conspicari videbatur) cum virum specie insignem, veste egregiâ, ad lectum stantem animadvertit (quem Olafum Tryggvinum interpretatus est) hæc se verbis alloquentem: *Consilii in re certa dubium miror. Regiam dignitatem nomenque abdicabis, de celo datum decus? an hic sedem figas Regum externorum ignotorumque beneficio? quin patriam repetis, regnum hereditate parium, bucusque viribus divinitus datis fortiter defensum & magnâ cum*

laude administratum? an subditos metues? Hostes superare & bello cum copiis cadere praeter Regium. An de jure ad regnum dubitas, teque ipsum veri notitiâ fraudaris? Tantum adest, ut id conatibus tuis in vindicandâ patria obset, ut etiam Deum habiturus sis testem, tua, non aliena, reposci. Evigilans discedentis speciem propius contueri sibi visus: exinde animum in eo proposito obfirmavit, id enim antea animo læpius inhærebat, satellitio quoque univêrsò acceptissimum: actæque à singulis, cum id sibi conclusum pronunciaret, sumâ alacritate gratiæ, probataque opinio, quæ difficultatem recuperandi regni elevabat. Defectus Ducis, pristinaeque Majestatis veneratio, præsentis conspectu recursura, rebellium animos ad saniora consilia flexura credebatur.

Interea rerum Divinarum sedula contemplatio non est intermissa, animi enim à terrenis abstracti indicia passim observata, divinæ quoque præsentia testimoniis apparuisse visa; nam cum summæ dignationis viduæ filius, enato in gutture ulcere, seu struma, ad desperationem usque laboraret, consulta à matre sibi familiari Reginâ Ingigerde, eam ad Regem Olafum, quem optimum medicum affirmabat, missam, suis eum verbis, si aliter non procederet, orare jussit, orare jussit, ut manus adhibere non gravaretur. Aditus imperitiam artis medicæ excusans, ad interpretes illius eam relegebatur. Verum, auditis Reginæ verbis, manus admovit, diutiusque contractans, non prius dimisit, quam puer os commoveret; mox ingestam panis particulam, quam volæ suæ crucis formâ decussatim imposuit, cum puer deglutivisset, dolor omnis evanuit, paucorum dierum spatio sanitas rediit. Manuum primò multis familiari genio id tributum; verum postquam miraculis confirmata sanctitas ejus illuxit, hoc etiam cælesti vi imputatum. Quantâ autem curâ leges Divinas observaverit, vel exinde patet, quod die fortè Dominicâ in sede Regiâ residens, altioribus cogitationibus immerfus, bacilli, quem manu tenebat, cultello schidias demeteret, monereturque ab adstante pocillatore, qui eum celebris diei oblitum observabat, feriam secundam hebdomadis in craftinum diem incidere, conjectis in eum oculis in mentem revocabat festam diem violatam. Candelam ergo accensam poscit, collectaque singula fragmenta volæ imposita succendit, urique passus dum arderent, supplicium pœnamque transgressi, quantumvis per ignorantiam, mandati Divini, ipse de se, cum primum peccasse rescivit, severè exegit; quo facto crudelitatis opinionem, cujus, dum apostasiæ crimen severius punivit, infimulabatur, diluisse visus est; id quod Saxo familiari sibi sermonis copiâ, *rerum Danicarum Lib. X.* latius explicat.

Jamque Olafus Norvegiam repetere certus, Regi Jarisleifo Reginaeque consilium exponit. Cumque plenum periculi, nec satis circumspectum visum esset, tantillâ manu validas hostium vires infestosque cives lacefferet; ut ad se remaneret hortati, quantum exposceret regni, offerunt. Ille vero necessitatem, Divino consilio prævisam, agnitam sibi regerens, exhibitam nuper per quietem visionem exponit. Tum verò fixum animo ejus animadvertentes redeundi propositum, ulterius non dehortabantur; jubent igitur, ut quæ ad viaticum requirantur, liberè deposcat. Præbiti omnibus (erant autem ducenti) equi apparatusque; Regalia insuper munera Regi; retentusque filius ejus Magnus. Instituta post festum Jolense profectio per congelatas aquas mare usque; verno deinde solis æstu remotis à glacie impedimentis in Gothiam navigatum. Ibi certa obitus Haconis fama animos hauc parum in spem recuperandi regni erexit. Inde navali
iti-

itinere Sveciam petens, lacum Melerum ingressus ad superiora Arosiam usque devenit. Excitus inde Rex Sveciæ Aunundus ad delectum conventui locum obviam ei processit. Accessit & Regina Astridis cum suo comitatu: singuli mutuâ lætitiâ & festivo gaudio.

Hæc dum exultante Olaso geruntur, satrapæ Norvegiæ sibi non defuerunt, & Thorer quidem Canis his duabus hyemibus, Finnarchiam præfectus lustraverat, utraqve in montanis diutius moratus, commerciis cum Finnis ingens lucrum fecit. Duodecim interea penulas confici curavit, tantis incantationum præstigiis imbutas, ut omne ferrum ictusque lorica annulatâ magis refutarent. Posteriore vere navem longam domesticis suis villicisque comitatus expedit, provinciisque proximis delectum imperat. Idem Harechus de Thiotta facit, multique procerum aliorum, quorum nomina non memorantur: hi enim potissimi habiti sunt. His copiis instructi, inq; austrum profecti, ad prohibendum reditu regnoque Olasum expeditionem adornari palam professi sunt. Einar autem Thanbaskelfir, cui in exteriora Thrandiæ imperii plurimum, cognitâ Comitibus Haconis morte, memor promissorum Regis Knuti de successione in vicarium Norvegiæ imperium, (nam possessiones ejus, mobilia imobiliaque, hæreditatis jure sibi, uxoris suæ, quæ amita Comitibus, ratione, filioque Endridio competere existimabat: quod tamen minus probatur, cum filiam hæreditati reliquerit) ad eum in Angliam magno comitatu spe plenus profectus, quæ promiserit, suggerit. Rex comiter accepto respondet: *causam non amplius integram, quippe evocatum nunciis Daniâ filium suum Sconum, ad imperii Norvegiæ administrationem integram tamen Einari pristinam gratiam futuram, dignitatem ei, quantum fors ejus capiat, constituram. Satrapam fore, reditibus auctiorem, tantoque cæteris honoratiorem, quanto singulos fortunæ rerumque gerendarum usu præstet.* His auditis Einar, minus consultum ratus, Olaso, quem in reditu esse cognovit, se hostem dubio eventu profiteri in gratiam Knuti, qui jam promissa refecerat: tardandum potius, donec fortuna belli omnem controversiam sine suo vel vitæ periculo, vel partium offensâ, dirimeret: lentoque apparatu tempus trahens, post confectum in Stiklastadensem domum pervenit.

Proceres interea Norvegiæ per exploratores, quos in Daniâ Sveciæq; subornarant, quantâ celeritate profectio institui poterat, de adventu Olasii in Sveciam certiores, universis regni provinciis milites intensissimo delectu exciunt. Agdarum, Rogiæ, Hordæque præfecti, pars in orientem, pars septentrionem profecti, quâ parte accederet, armis prohibentur. In orientem Erlingi filii de Solio, quique inde ad austrum orientemque colunt. Septentrionem Aslakus de Finneya, insula prope Stafangriam, Erlendus de Gerdio, omnesque inde ad aquilonem præfecti, concesserunt. Atque hi omnes, quorum nomina prodita, Knuto se ad resistendum Olaso, eumque, si possent, occidendum, obstrinxerunt. Verum propinqui ejus amicique, ut primum famam reditus ejus in Sveciam audierunt, cum copiis auxiliaribus, quantas colligere poterant, in occursum tendebant. Inter Duces præcipuus frater ejus uterinus Haraldus, annorum quindecim, staturâ pro ætatis ratione magnâ, multique viri clari de Uplandis, sexcentos armatos per nemus Eidenfê in Vermiam, inde per Marchas in Sveciam deduxerunt; quocunque processerunt, itinera ejus requirentes.

CAP. IV.

DE REGIS OLAFI AD BELLUM APPARATU ET IN NORVEGIAM REDITU, IISQVE, QUÆ IN ITINERE ACCIDERUNT.



Oto verni temporis tractu in Sveciam speculatores aliiqve intermeantes, multi quoq; ex Norvegia profecti, certam de seditione ejusqve virium incrementis nuncium afferentes, majorem in modum profectionem disfavdebant: nec tamen perpulerunt, ut quod semel decreverat, retractaret. Quærit itaqve à Rege Anundo, quanta ab eo auxilia ad repetitionem regni expectanda essent? Is Svecos hauri quaquam ad illam expeditionem proclives respondit; notum enim, promptam bello gentem, patriam certè ab externorum impetu fortissimè propugnaturus; auxilio itaqve de suis satellitibus quadringentos egregios bello viros instructissimosqve se daturum; permissurum præterea, ut per universum regnum suum, quot sequi velint, comparet. Placuit conditio: deinde iter adornavit, relicta in Svecia uxore, filiâqve Ulfhilde, acceptâqve cohorte prætorîâ quadringentorum militum, illorum ductu (vias enim melius callebant) per Marchas in Jarnberialandiam pervenit. Ibi in eos, qui è Norvegia auxiliares copias adduxerunt, fratremqve Haraldum, incidit, mutuo gaudio sibi congratulantes: constabatqve exercitus ducentis supra mille, sex vicenariis in quamlibet centuriam putatis. Totidem Dagus Hringi filius, agnatus Regis, eodem vere ab eo sollicitatus, attulit. Pater ei Hringus Heidmarchiæ Rex; quem Olafus prius exilio perduellionis reum multaverat, qui deinde in Sveciam profugus præfecturam ibi consecutus est; jam vero ditionis paternæ, aliquantum etiam amplioris, spe factâ, si Olafus regno restitueretur, illectus, patriæqve desiderio, Olafu se cum tantis copiis adjunxit, vir vehemens, rebus gerendis quàm deliberandis aptior, minusqve prudens. Missi & per provincias nuncii, qui proclamarent, si qui hostium Regis opes in prædam vertere cuperent, Regem ducem in Norvegiam sequerentur: conflueruntqve passim montani, interdum & prædones, dum per Marchas, seu montana rura, interdum & solitudines inter stagna lacusqve spatiosos exercitum, navigiis per terristria portatis, duceret. Servant adhuc passim loca, ubi nocturnæ stationes, deinceps nomen, Olafsbudir/ seu Olafi castra, in posterum appellata. In Jantiam tandem perventum: inde aqvilonem versus iter montem usqve Kiolum passim directum, copiis per rura dispersis, dum nullus ab hoste metus esset. Trifariam, quoties se ab invicem separarent, dividebantur. Regem Norvegi, Dagum suæ copię seqvebantur: seorsim Sveci procedebant.

Duo erant prædones cæteris formosiores, Gaukathorir & Afrastius, fratres sui similium triginta duces, robore corporis & audaciâ alios longo post se intervallo relinquentes, qui ad famam prætereuntis exercitus excitationes, amplum sibi ducebant Regem regnum repetentem sequi, subque signis, cujus antea inexperti, militare; incessitqve magna cupido; nunquam prius conspectæ sibi aciei videndæ, placuitqve consilium sociis universis. Adito itaqve Rege, singuli armaturâ integrâ instructi, locietatem belli offerunt, se provinciæ illius indigenas profitentes. Ille aptos bello

bello viros, optatosque sibi comites pronuncians, *Christiani essent, an pagani?* quærit. Gaukathorir, *neutrum horum*, respondit, *fiduciâ virum suorum victoriarumque in hunc diem perpetuo successu invictos, aliâ fide non indigere.* Rege dolendum regerente, *viros tam alacres notitiâ creatoris sui destitui;* Gaukathorir quærit, *an ullus in exercitu ejus Christianorum uno die plus illis creverit?* Rex, omisso inutili colloquio, jubet ut *sacro lavacro se ablui patiantur, fidemque Christianam amplectantur, se deinde sequantur; honores eis exinde paratos haut exiguos; id si nollent, ad suam professionem redeant.* Afrafastius se Christianum futurum negans, cum suis complicibus discedebat. Tum verò Gaukathorir ignominiam interpretatus, ut indignum rejici, neque id sibi antea evenisse testatus, nec hoc statu se abiturum asseverat. Montanorum itaque cohortibus se ingerentes in exercitu remanserunt.

Regi deinde montem cum exercitu transeunti, multis præcedentibus, multis etiam ponè sequentibus, visio ingens obtigit, cum primò è declivitate Norvegiam spectaret, subiretque recordatio, quoties illa in regione prosperis lætus animum exhilarasset, protinus universa Thrandia oculis ejus se spectandam exhibuit; mox universa Norvegia: tenuitque quoad universum orbem, omnesque ejus partes, oculis usurpare sibi visus est, agnitas, quas prius viderat, omnibus deinceps quorum famam excepit, tandem etiam singulis habitati, inhabitatiqve partibus, quarum mentionem relationè nunquam perceperat. His intentus cum præter morem diutius filuisset (solebat enim hilarem se præbere, sermoneque multâ varietate facundiâque referto suos exhilarare) Episcopus adeqvitas, tanti silentii causam exquisivit: quam cum ipso referente cognovit, immisam cælitus, sinu mentis mirabiliter laxatò, interpretatus est.

Cum superato monte in villam Veradali Sulam pervenisset, vetiti à Rege, ne segetes camposve virides patrisfamilias contererent; qui Regi proximi magnâ quidem curâ paruerunt; qui vero ponè sequebantur, mandati ignari, iis contritis haut exiguum damnum intulerunt. Nomen agricolæ Thorgeir Fleckus; is hospitaliter Regem excipit, offertque in usum ejus quicquid suppeteret. *Quæsitus, quid novi, & an exercitum adversus Regem concitum noverit?* Concitum quidem ingentem satrapis omnibus, etiam ex Halogiâ, an adversus eum, sibi haut constare respondit; monstrato Regi agri cujusdam damno, ut universum contritum animadvertit, cum circumeqvitasset: *Restituet, inquit, Deus tibi istud damnum, namque intra octiduum reficietur;* tulitque ager per autumnum frumentum uberimum. Ibi nocte exactâ Thorgeirem sequi se jubet: is autem filios suos duos adultos etiam obtulit, sed recusante Rege: cum illi ardore juvenili omnino sequi quoque vellent, atque eapropter ex fatellitum sententiâ vinculis cœercendi essent, Rex eos admisit, redituros affirmans; id quod Divino quodam præfagio conjecit. Ad prædium deinde Stafum iter promotum, ubi certus rumor colligi copias bellumque instare retulit. Lustratus itaque in paludibus Stafensibus exercitus nongentos ethnicos prodidit, quos sacra Christiana suscipere mandavit; *neque enim isto milite se belli fortunam tentaturum: Deo enim, non multitudini, confidendum; cujus nutu victoria staret; neque enim Christianos pagani sine impietate misceri posse.* Quibus auditis, pagani inter se consultabant; quadringenti in Christi Regisque castra suscepto baptismo concesserunt; quingenti, pars major, utrisque detertis, paterno avitoque cultui adhærentes suam patriam repetebant. Iterum igitur Gaukathorir & Afrafastius Regem accedentes, operam suam

obtulerunt. Rex, an baptizati essent? quærit; negantibus sacra Christiana imperat; sin minus; militiâ interdicat. Abente itaque iterum consulant. Afrastius alteri partium se accessurum profiteatur, nihil autem referre, cui. At Gaukathorir; Si, inquit, uni horum, certe Regi militabo; magis enim auxilio indiget: pari modo; si fidem meam alicui idolo addicam, quæ minus albo isti Christo, quam aliorum uni? lubet itaque Regi, quandoquidem tanti referre videtur, hæc in parte morigerari. Obtentisque reliquorum suffragiis denuo Regem adeunt, Iustrialem aquam deposcunt; omnes a sacerdotibus sacro fonte abluti, confirmationisque sacramento ab Episcopo Christo uniti, inque cohortem Regiam admissi, sub ejus vexillo deinceps militabant.

CAP. V.

REX EXERCITUM RECENSET ET ORDINAT: FINNI CONSILIUM DE URENDIS VILLIS, ET REGIS DISSVASIO; THORMODUS COPIAS CARMINE EXCITAT, EJUS AD REGEM PRECES, ET FABULOSUM RESPONSUM, RUTI DE VIGILIA CÆDES.



T jam novis de instanti bello nunciis firmaturum Regem ad recensendum exercitum ordinandamque aciem convertit. Summa peditum tribus milibus constabat; equitum enim usus Norvegis incognitus: nec contemnenda manus visa, quæ haut exiguum locum stationi requirebat. Mediam aciem ipse aulicis emissariisque, & iis, qui ex Uplandis & Thrandiâ affluerunt, stipatus, sibi delegit, vexillumque præferri jussit; ad dexteram Dagum cum suis copiis proprioque vexillo; ad sinistram præsidium, quod Sveciæ Rex tradidit, cum aliis ejusdem gentis turmis, sub vexillo collocabat. Dividi in cohortes amicos propinquosque, quo se invicem mutuâ sollicitudine fortius tuerentur, mandavit; cassides clypeosque pallido colore Crucis signo notari, tesseraque, si confligerent, his verbis data. *Prorsum, prorsum, Christi, Crucis, Regis militis!* Inasque singulos stationes signaque observare jussit; raram quidem aciem futuram, sed extendendam in cornua, ne circumfundi pluribus posset, monuit; acieque instructâ singulos in posterum cum universâ armaturâ noctes diesque ad excipiendum hostem sub signis paratos excubare jussit. Ipse fortissimos promptissimosque præsidio corporis sui, qui structis ante se ictus conferti, testudine factâ starent, delegit, inque horum cohortes pœtas suas aggregari præcepit. *Ipsi, inquit, quæ hic gerentur, videbitis, ut non audite, sed visa, referre, deinde carmine celebrare possitis!* Erant autem tres, Thormodus Kolbrunnastald seu Kolbrunnæ encomiastes; alter Gissur Gullbrût fossiti / a formæ decore sic appellatus, alumnus Hofgarda Refi; tertius Thorfinnus Munniur seu Bronchus. Thormodus autem Gissurem affatus; *ne stemus, inquit, tam confertim, sodes, ne Sigvatus à deveniens loco excludatur, proximus Regi à latere constiturus: nec Regi aliud placebit. Quo audito Rex; non est, inquit, quod eum sigilletis, quod presens non ad sit: sepe enim mihi strenuam operam navavit; jam vero orat pro nobis, quo jam valde quoque indigemus.* Tum Thormodus: *Esse, precibus forte indigeas: raram tamen circa signa præsidium foret, si omnes tui milites in itinere Romanam*

nam versus distinerentur: fateor inuisse nos, quod nemini prae illo tui alloquendi copia fiebat. Mox poetis placuit versus quosdam hortatorios ad instantem modo pugnam fortiter gerendam facere, militumque animos excuere. Exstant tres pro poetarum numero, quos omnes Thomas Bartholinus Antiq. Danicarum Lib. I. Cap. X. exhibuit, & felicissime explicuit.

Et jam redierant, quos in viciniam ad indicendam agricolis militiam misit, retuleruntque, *vacuas plurimas idoneis ad arma viris domos, hostibus enim se adiunxisse, alios excusasse, se arma propinquis inferre nolle, sed nec Regi; neutri partium accessuros: paucos sane voluntarios adductos. Consultum itaque tribunos Rex, quid potissimum consilii capiendum? Finnis provinciam universam populandum svasit, opes diripiendas, rura omnia tam anxie, ut ne unum superesset, cremanda; tum in ultionem perfidia, tum ad avertendos ex acie ad proprios lares parentes, uxores, liberos, & propinquos agricolas, magis de horum sorte, viso villarum fumo, quam de belli exitu sollicitos, sortis sua genio, proximum quodque periculum extimescentes, eorumque in futurum propendent securos: tum demum rarefacentium eorum aciem invadendam. Plurimorum suffragiis consilium Finni probatum. Prædæ quidem dulcedine alii, omnes autem ulciscendæ civium perfidiæ eò tendebant, quos tandem pœnam promeruisse singuli pronuntiabant. Thorodus quoque Kolbrunæ poeta, vir memorabilis, fatelles Regius & poeta, sponte concitatos vehementius rhythmo incitabat.*

Rex, viso singulorum ardore, aures sibi præberi postulans: *Fateor, inquit, promeruisse hanc punitionem cives, nec illis ignotum, exactas à me antea tales, aliasque hant leviores, pœnas; verum cum causam Dei, prostitutam datam ei fidem, transiitumque ad idola & paganismum exequeretur. Jam vero causa hæc me attinet, probis quidem generosisque animis execrabilis, multo tamen levior, quippe defectio a Rege. Placet itaque ad hæc paulisper commovere pacificationemque cum iis prius tentare; bene, si processerit, sin minus, bellum adest; ubi aut cadendum aut vincendum; si prius, ad salutem animarum facit, prædones non decessisse, rapinasque peccati testes nobiscum non devexisse: si posterius, ipso jure omnium hostilium honorum heredes sumus; alios enim bellum absument, alios fuga abripit, utriusque partis bona prædæque in publicum commissa. Magis itaque ex usu erit, agros opimos domusque opulentas in possessionem accipere, quam quæ vastata & desolata, prædæ exigui aut nullius usus, onere tantum gravem & incommodam; quod autem incendio perit, omnibus perit; solet & perire magna pars eorum, quæ in raptus cesserat. Sparsum itaque hinc per provinciam agmen ducamus, omnes bello idoneos asciscamus: armentorum & pecudum quantum necessitas in alimentum poscit; aliis afflictionibus abstinebimus, speculatorum cadibus, si comprehendantur, exceptis. Dagus cum suis cohortibus via, quæ ad æquilonem secundum vallem ducit, ego publicâ progrediar: sub vesperam convenientes simul omnes pernoctabimus. Hoc etiam, sicut præceptum erat, observatum est, noxque omnibus sub clypeis exacta.*

Codex Flat compilator in fabulis miraculisque colligendis nimius, eo ipso die equum, cui Rex insidebat, distracto crure, inutilem factum memorat, cumque singuli suos certatim offerrent, neminem admisisse, testatum, aut se pedibus incessurum, aut eodem vectore usurum; obligato deinde pede in amœna pabula, dum cibo se refecissent, immisum, finito prandio integrum recepisse. Eodemque die sitienti sibi allatam æquam, sed ab Episcopo benedictionis formulâ prius consecratam, repulisse, negantem

gantem cerevisiam se poposcisse, iterumque relatam pariter averfatam, cum multum saperet, tertio tandem obtestatum cum cerevisiam hydromelleque illo die, quippe jejunio destinato, recusaverit, hautquaquam vino se indulturum. Tum vero Episcopum, agnito miraculo, dono divinitus dato frui eum imperasse, atque ita salubri se haustu recreasse.

Primâ luce iterata per vallem profectio magnum rusticorum numerum allexit, quorum plurimi se sponte aggregabant. Omnes constanti relatione rebelles ad pugnam instructos asseverabant. Rex multis argenti selibris agricolæ cuidam traditis; *hoc*, inquit, *argentum reservabis, finitoque bello pro hostium nostrorum, qui præliis occumbunt, animarum salute tripartitò, ad propitiandum Deum, erogabis; pars templis, pars sacerdotibus, pars quoque pauperibus cedet.* Quærenti rustico, *an etiam pro salute militum ejus occumbentium? Minimè*, inquit: *simul enim salvabimur.* Eorum ratio habenda, *qui nostris armis prostrati hac luce privantur.* Eadem vero nocte, quam sub clypeis transectam memoravi, curis & sollicitudine æger, supplicationibus ad Deum intentus, tandem vigiliis fessus paulisper dormivit; primo diluculo evigilans, militem excitare immaturum videns, Thormodum carmen recitare jubet; *curni Sigvatus*, respondit, *exbilarabit, rependetque gladium? gesticuletur ille Roma: ego hodie periculorum objectu virum me præstabo: claraque & extentâ voce, velut Herculeum Pæana, odam antiqvam Biatkamal cecinit, adeo ut per universonum exercitum personaret; cujus quidem duos versus Snorrius annotavit, reliqvas particulas Thomas Bartholinus Antiquitatum Danicarum Lib. I. cap. X. ex Edda collegit & fideliter exposuit: cætera interiisse credo. Saxonem integrum habuisse, artificiosa illjus in carmen digesta paraphrastica versio testatur, cum in principio odæ caput egregie reddiderit. Hoc cantu excitati milites, valdeque delectati, finienti gratias egerunt, apertum tempori carmen ad injiciendum præliandi ardorem laudantes, *Súskafla hvot! sev aulicorum incitamentum*, nuncupârunt. Rex quoq; collaudato, armillam auream selibrâ pendentem donabat. *Rex quidem*, ait, *nobis bonus, dubium quàm diuturnus: ne tamen nos vel vivos vel mortuos separari patiaris, oro.* Rex, quantum in se, respondit, *neminem eorum se deserturum, modò ab illis non derelinquatur.* Thormodus, quacunq; tandem fortunâ, certè se eum deserturum negabat, quoad ejus copia fieret, quicquid famâ, de Sigvato, gladio gullimbialtio (sic ab aureo capulo gladius à Rege donatus appellabatur) ornato ferret; versuque votum firmavit, qui quoq; superat. *Codex Flati: interspersis fabulis indulgens petivisse ait Thormodum eodem vespere hospitii societatem cum Rege, eum quoque promississe, si ambo incolumes bello excederent, Thormodum verò regessisse, non tanti id referre, commune mortuis quoque hospitium postulari: neque enim se Regi supervicturum, cujus satellitum fideliter secutus omni sorti prætulit; Regem autem respondisse, ut hoc pro certo sciret, sibi superesse nolle, nescire tamen, an pariter ad mortem se preparaverint; quævisisq; quor annos ageret, quotque homines occiderit? parum supra triginti quinque vixisse, quatuordecim occidisse professo, ætatem quidem minutulam judicasse: promississe autem, post septiduum requiem habiturum; neque enim cedes singulas minori quàm duodecim horarum spatio posse expiari.* Id genus nugas, à Monachis ad stabilendam potestatem Olaso, etiam in purgatorium, confictas, Snorrius vir solers omninò præteriit. Diversis deinde itineribus ductus per interiora vallis exercitus, Rege publica viâ, Dago aliâ progrediente, cum Rex prior ad villam Stiklastadas pervenisset, copias hostium in turmas & cohort-*

cohortes sparsas undiqve affluentes conspicatus est. In his erat Rutus de Vigiâ. cum triginta militibus speculatum missus, ignorantia itineris Regii per errorem propius advectus. Quô viso Rex, alludens ad nomen, usumque Islandis familiarem, quo inolevit, ut singulis autumnis. dum pecora mactantur, patresfamilias mercenariis servis arietem de grege donent, Thormodo aliisque Islandis Rutum (denotat autem arietem) muneri loco offert; qui alacris cum emissariis in eum irruit, singulosque trucidat. Filius Ruti fuit Lodinus, pater Sigurdi Ullstrengi, qui Nidarholmi cænobium fundavit; de quo plura in Magno Nudipede.

CAP. VI.

REX EXERCITUM STIKLASTADAS
 DUCIT, EJUS AD MILITES ORATIO, HABITUS,
 SOMNIUM, LAPUS LINGVÆ, ARNLIOTI GELLI-
 MÆ MIRA STATURA ET CONVERSIO.



Amqve Stiklastadis, fatali Regi villâ, agmina constiterunt, cum singulis equis descendere iussis acies instruebatur, Dago cum suis cohortibus eò nondum progresso, in ejus locum Uplandi substituti, vexillumque prælatum: Haraldum autem fratrem, quòd ætate tenerior esset, prælio interesse noluit. Ille se quidem interfuturum testatus, hostibusque quantum posset annu ulaturum, nec enim voluntatem defuturam: sin vires ad dirigendum gladium deficerent, manum capulo alligandam, placere popularium suorum eoborti misereri. Exstatqve versus, quem eodem tempore ejusdem sensus edidit. Stiklastadis habitabat vir nomine Thorgils Halmii filius, Grimi Boni pater. Is Regi suam in bello operam obtulit, id quod ille recusabat, utiliore navaturum præfatus, si suorum post conflictum sanctorum auxilium sublevamenque, mortuorumque sepulturam, in se reciperet; petivit quoque ut corpori suo, se fortè occumberet, curam adberet, ni ab hostibus prohiberetur: id quod ille quoque pollicitus est. Instructâ deinde acie milites acriter primò in hostem invehit jubet; fortes sibi viros, nec penitendâ paucitate; superiores quidem numero hostes, nec ideo de victoria certiores; illinc plures stare, hinc plures dimicaturus: se firmiter proposuisse, illo conflictu aut vincere aut mori, quod reliquum fugam detestari. Orare Deum, id quod sibi maximè conducit, decernere. Magnum in justitiâ causæ momentum, quâ destituantur adversarii: hinc fiduciam suis, spemque, se vincant, tranquilla singulis in posterum possessionis, sibi regni, militibus agrorum, omniumque bonorum, quæ hostis habeat; si occumberent, longe majoris felicitatis, quam quis animo concipere posset. Si fortiter prælium caperent, impulsuros primò impetu proximos, inde terrorem ad ceteros translaturus, quorum multitudo ipsos deinde obruat; momento enim belli fortunam verti: quod si lentius agant, adque defatigationem pugnent, hostium res superiores futuras: cum iis, qui numero abundant, per intervalla vicesq; quiescere, resumptisque viribus, fessos semper aggredi, acriusque premere liceat. His auditis, mutuis adhortationibus se incitabant. Thordus Folinus vexillum Regi prætulit, Sigvato id carmine testante. Ipse Rex auratam galeam, clypeum niveum cruce signatum, aliâ manu gasum, seu hastam (quæ

tempore scriptoris ad aram templi Nidarosensis Christo consecrati stabat,) gladio rari acuminis, hæcittit dicto, capulò filis aureis obducto, accinctus, lorica ferream, annulorum ferie inter se connexam gestabat. Jamqve aciem instruxerat, rusticis maximam partem imparatis: itaqve suis confidere, quiescendoqve se relaxare jusis, ipse quoqve confidens, caput ad genua Finni reclinans, horulam somno demulcetur.

Hostibus paratis, signisque erectis appropinquantibus, Finnus instanti periculo monitus dormientem excitat. Rex interpellantem somnium increpans, à Finno redarguitur, quod necessitas excipiendi hostilem impetum omni somnio anteferenda videretur; jam enim directam in se aciem facile perspici. Rex, non tam prope adhuc accessisse respondit, quin præstiterit dormivisse. Quid ergo, ait Finnus, somnasti, quod tanti facis, ut ipse evigilasse maluisses? Scalam, inquit Rex, vidi à terra in calum usque pertingentem, meque per gradus ascendentem, supremamque tenuisse. Nequaquam, ait Finnus, istud somnium tibi pariter ac tibi arridet; si quid enim præter dormientium ludibria, certè instantem tibi mortem portendit. Eodem loco Rex ex erice baccas collegit, volæqve infudit, visisque ruficorum vexillis; quàm debiles bacce! dixit: intellexit autem hostium copias; Rognvaldumqve, qui primus errorem lingvæ notavit, Regique indixit, monuit, cum ei tale quid accideret, hant exinde longam vitam sperandam. Nec caruit eventu præfagium, ut in historia rerum Orcadensium lib. I. cap. XIV. demonstravi.

Inter complures, qui Stiklastadas affluerunt, vir rarâ statura Regem accessit, quem humero tenuis, qui procerrimi, attingebant, formâ valde conspicuus, capillo eximio, armaturâ insigni, galeâ exquisitâ, lorica annulis contextâ, clypeo rubro, gladio affabrè ornato accinctus, hastam ingentem auratam, manubrio manipuli crassitudine, gerebat. Hic, salutato Rege, poscit, ne auxilium suum aspernaretur. Rex quæsito nomine, genere nationeqve, Arnliotum Gellinam, ex Jamtia & Helsingia oriundum, qui legatis ejus ad tributa requirenda missis suppetias tulisset, missaqve lance argenteâ aditus ad eum veniam sibi præstruxerit, cum accepisset; Christianus an esset, quæsit. Is hucusque virium fiducia se, idque rudo, freium, in posterum ipsi Regi eam addicturum, respondit. Tum Rex: si, inquit, mibi fides, credas quod tibi præcipiam; nimirum in Jesum Christum, qui calum & terram creavit, hominesque omnes; ad quem etiam post mortem omnes, qui boni verèque credentes, migrabunt. Ille inaudivisse se Albi illius Christi famam, naturam tamen illius, ut et potentiam, sibi ignotam; jam verò omnia ea, quæ Rex injungeret, crediturum, respondit; moxqve sacra undâ ablutus, tantum in articulis fidei, quantum extrema necessitas temporisque angustia requirebant, Rege docente, percepit, inqve aciei fronte collocatus est.

CAP. VII.

CIVIUM APPARATUS CONTRA REGEM,
EPISCOPI AD POPULUM ORATIO, KALFUS ARNINUS
TOTIUS EXERCITUS DUX DELIGITUR, ACIES ORDINATUR,
THORSTEINUS NAUPEGUS THORERI GANI SE ASSOCIAT,
KALFUS INFESTISSIMOS REGI IN UNUM CONGLO-
BAT, INQVE EUM SUBORNAT, COPIASQVE AD
LOCUM PUGNÆ DEDUCIT: REGIS
CUM KALFO COLLOQUIUM.



Am ad agricolas stilum convertam ; eos enim , cum primum famam de profectioe Regis ex Russia preceperant , numerosum exercitum collegisse retuli . Ubi verò transito monte in Veradalum delatum fama vulgavit , per interiorem Thrandiam liberis iuxta ac servis congregatis , illuc & ipsi tendebant , exercitu , quantum in Norvegia nemo id temporis uno in loco viderat , disparium hominum confluxu , concito ; ubi mercenariorum rusticorumque turba præponderabat , Thrandiâ excita , Regi quàm maximè infesta .

Sigurdus erat Episcopus , (Trugillum Johannes Magnus appellat) Comiti Haconi à Knuto , cum Norvegiam primum à perfidis civibus ære mercatus esset , relictus , genere Danus , longo convictu Knuto addictus , res ejus , quantum poterat , promovere studebat , Olaso valde infensus , vir ingenio inquieto , eloquio promptus : qui multa in eum sæpiusque ad vulgus concionatus , ad resistendum revenienti omnes variis orationibus accendit . Quodam autem domestico conventu , fatis frequenti , una his verbis excepta est . *Magna quidem , inquit , hominum frequentia hic unum in locum confluit , nec ex indigenis majoris spem regio hæc passim deserta colonorum paucitate polliceri videtur . Prudenter his uti necessitas postulat , si Olafus ille vos oppugnare non desiterit , vir à teneris cadibus lenociniisque asvetus , quibus varias regiones lacescivit , novissimè vim omnem in patriam transtulit , orsusque hostilia in viros optimos , Regem Knutum , cui omnes , qui sciunt , obtemperare tenentur , ejus provincias hereditarias invasit . Idem quoque in Regem Svecie , Olafum ausus , simul eum imperio suo , subjectis provinciis in Regem Suedie , deiecit , deturbatis insuper patrimonialibus possessionibus Comitibus Hacone atque Svæno . Jamque potius imperio , omnem crudelitatem severitatemque in illos convertit , qui eum ad tantum fastigium promoverunt , agnatos suos , Uplandorum Reges , quos patrimonii suis orbarit , aliis super exitium crudeliter laceratis mutilatisque . Id certè illis bant immeritò evenit , quippe perjuris in Regem suum Knutum atque fadifragis , dum Olafum in scelerato proposito promoverent , ejus exinde amicitie vestigia fructusque idoneos , corpora lacerata , desiderium amissarum ditionum , acerbam pristinae felicitatis memoriam , lueratis , eò promoti , ut esset qui se subverteret , vivis præmaturus heres , ditionumque , quibus exciderant , injuriosus moderator . Sed nec contentus præcipuos Principes regno exegisse , in satrapas deinde seviendi materiam arripuit , primarios occisis , reliquos exitium fugaque manibus ejus eripuit . Manipulis prædonum deinde per provincias grassatus , alias exussit , alias diripuit . Ecquis , queso , magnatum , qui præsto sunt , ab injuriis ejus munem se poterit gloriari , cui non vindicta materiam reliquerit ? Jam verò externarum gentium desperatissimum quemque projectissima audacia nebulonem in vos armavit . Constat exercitus montanorum à civili societate alienorum , parsque maxima prædonum , latronum , generis humani portentorum , collegiis : his scelestis ad scelestia consilia auctoribus instigatoribusque , mitiorem eum victorem vobis futurum sperabitis , quàm erat , cum atrociam cuncti dissuadebant ? Revocate igitur in memoriam hortamenta maximi Regis Knuti , quæ pro libertate vestra conservanda discedens reliquit ; suscipite enim , ut manipulos prædonum istorum fortiter repelleretis . Occurrite igitur , lupisque & aquilis in escam mactatos inssepultos relinquate ; nisi malitis cadavera eorum speluncis casisque ingerere . Caveant singuli universique , ne eorum quemquam ad sacram adem sepeliant , latrones enim sunt & facinorosi .* Hæc magno omnium

um applausu excepta sunt & approbata. Traducitur quidem Episcopus hic ob aculeatam nimis in Regem Olafum, sævamque & mordacem dicendi libertatem; quæ tamen commemorabat, magnam veritatis speciem habebant, apta inprimis plebi, sponte sua exacerbata, ulterius concitanda.

Non minor satrapas cura ad ordinandam aciem ducemque toti exercitui, tum etiam tribunos deligendos, convertit, Kalso Arnino Harechum de Thiotta venditanti, quod Regiâ stirpe Haraldo Pulchricomo oriundus ab Olafu ob eadem Grankelis cædi vel supplicio, vel gravibus aliis pænis, si in regnum restitueretur, destinatus, vir aliàs promptus, honorum appetens, & præliis assuetus, necessitate salutis suæ tuenda ad principatum, quem solus omnium optimè gerere posset, impelleretur. Is verò excusabat gravem senio ætatem, viresque corporis debiles, inprimis intercedentem inter se & Regem sanguinis nexum, quamvis Regi invisum, talem tamen, qui majorem in eum hostilitatem declarare, quam publica causa alios induxerit, horreat, quippe nefas in natura leges; Thororem verò Canem ducem se longè oportunius gesturum, utpote multis propinquorum cædibus læsum provocatumque, exilio & bonorum publicatione irritatum: Regi quoque Knuto ex promisso ad arma adversus eum corripienda, propinquis ad antiochiam occasione Selicidæ necem vindicandam obstructum, cui exsolvendo hanc aliam occasionem presentiore futuram. Ad hæc Thoror: Pars exercitus hujus maxima Thrandi sunt, superbiiores quam ut mihi aut Halogensium ulli obedire dignentur; id causæ satis, cur signa adversus Regem dirigere nequeam; privatas autem in me Regis offensas non est quod refricetis; manet aliâ mente repostum illatum ab eo propinquorum quatuor, genere & dignitate nobilissimorum virorum, cædibus damnum; Aulveris nimirum, filiorumque; ejus Thororis & Griotgardi, tum etiam nepotis mei Selicidæ: singulorum ultionem mihi exigendam probe novi, inque eum finem domesticorum promptissimos undecim delegi, ad eum medio prælio irvadendum, & si fors serat, etiam occidendum.

Horum excusationes Kalso his verbis excepit. Postquam, inquit, decretum est, Olafum regno armis prohibere, inque eum finem tantus exercitus toto regno collectus mandatum ducum exspectat, ante classicum Olafum victorem faciemus, si singuli pericula, ducisve munus nomenque, detrectent. Numero quidem militum nobis inferior, imperatoris artibus longè superior, sed deli insuper & strenuo satellitio præstat, hanc neglecturus occasionem, si fortitudinem in nobis ductoribus, cum vel in aciem procedimus, vel ordines ducimus, observaverit; statim enim feroces in nos irvebentur, & ex ignavia nostrâ, aut præcepta ignaviæ opinione, alacriores incessent; nostri verò milites animos despondebunt, deinde dilabentur, victoriamque ante pugnam hosti concedent. Sedulo igitur providendum; ut ipsi pugnam strenuè capeissent exemplum a nobis pugnatoribus capiendum tradamus, animosque eorum accendamus; secus præstat belli consilia retractare, clementiamque Olafi implorare, intractabilis ad minores offensas, quanquam mihi venia hanc desperanda, amicorum in exercitu ejus intercessionibus hanc impetratu difficilis. Placet itaque ut Thorori Harechoque idem quod mihi vexillum præferatur, nostroque communi ductu acies in hostem tanta alacritate dirigatur, ne pars ulla metus in nobis signa deprehendat, unde nostris animus addatur, terror ad hostem transeat. Placuit oratio Kalso, tantaque fiducia excepta est, ut protinus ab omnibus dux constitutus aciem ipse in turmas & cohortes digereret. Sub ejus vexillo domestici vernæque collocati, Harechus insuper de Thiot-
tâ

tâ cum suo comitatu, Thorir autem Canis in fronte aciei ante signa cum delecto agricolarum robore constitutus est, quem ab utroque latere robustissimi, armisque optime instructi, propugnabant, acieique pars illa in longum porrecta etiam densa fuit, Thrandis Halogensibusque constans. Dexterum cornu valida militum manus tuebatur, sinistrum Rogiæ, Hordizæ, Sogniæ Fiordorumque incolæ: quibus vexillum tertium.

Erat nauegus quidam, nomine Thorsteinus, vir animi in quieti obstinatus & vehemens, robore ingenti, duellis cædibusque plurimum assevetus, professione faber, instituto quoque mercator. Regi ob magnam navem recens ædificatam, quâ in injuriæ cædisque non compensatæ satisfactionem eum multaverat, in primis infensus, ante aciem procedens; Thorerem affatus: *Hic, inquit, in cohorte tuâ, Thorer, locum capiam; decrevi enim, si Olafus mihi obviam fiet, omnium primus infesto gladio eum petere, ereptæque navis inter mercatorias optime, quâ me spoliabat, jacturam rependere.* Mox in aciem receptus est. Acie deinde instructâ, satrapæ milites stationes servare in signa intentos, nec propius nec remotius ab iis discedere, quàm constitutum esset, ordine ad locum pugnæ (longè enim distabant) procedere, cavereque, ne quis interea se subduceret, jussissent. Inde Kalfus omnes, qui gravius ab Olaso læsi, irrogatas sibi vel necessariis suis pœnas ulcisci cupiebant, cohortibus, quas ipse duxit, oppositos vehementer hortabatur, *ut injuriarum pariter ac occasionis, quâ proclivorem nullam nacturi essent, memores ultionem pro se quisque gnæviter exigèrent, seque a servitute, qua hactenus oppressi essent, fortiter vindicare certarent; ignaviæ famam non effugituros, qui animos remisissent: cogitarent cum immeritis rem non esse, qui nec ipsis parjuri essent, si fortuna se in eorum potestatem traderet.* His accensi per omnem exercitum incondito clamore se invicem incitabant. Ductu deinde Kalfi Harechique, nec in fronte aciei signis proximi Stiklastadas ad Regem procedebant; nec statim ad manus ventum, agricolis expectantibus, donec universæ copiæ, quæ sparsim procedebant, convenirent, Thorerque, qui ultimum agmen duxit, inspector, ne quis intermediorum, orto clamore, cum se invicem acies conspicerent, effugia quæreret, adesset. Tessera rusticorum: *Prorsum agricole! Regem autem, quominus prælium ordiretur, Dagus cum copiis segniis procedens, donec adventare observatus est, morabatur. Septem millia ducentique civium exercitum constituisse memorantur, decuriis decem in singulas centurias putatis, afferturque Sigvati poetae veritas in testimonium; unde tamen certum numerum colligere nequeo. Et jam in mutuam conspectum ventum est, cum Rex Kalfum affatus; quid ibi, inquit, Kalfè? nonne novissimo discessu amicè nos invicem salutabamus? nec tibi fas tela in nos ingerere, quom quatuor fratres tui nobis militent. Multa, respondit Kalfus, præter fas jam sunt, novissimo enim discessu tuo nos ita deseruisti, ut necessitate compelleremur pacisci cum iis, qui remanebant: itaque locum, quem quis tenet, eundem & defendet: paciscerer tamen tecum, si mei arbitrii essem. Tum Finnus; affabilitas Kalfi certa mali & malignitatis nota. Tum Rex; tu forte, Kalfè, ad pacem propendis, haut tamen civis pacificè se gerunt. Ad ea Thorgeir de Kvistfadiis respondit; pacem, quidem, qualem multis dedistis, obtinebitis vestro malo. Non est, regressit Rex, quòd tu ad configendum cum nobis tantoperè anheles: neque enim victoriam hodie de nobis reportabis; te enim ex humi sublevavi.*

CAP. VIII

DE BELLO STIKLASTADENSI, REGIS OLAFI CÆDE, ET PUGNÆ EVENTU.



Hæc colloquentes cum sua cohorte ante signa procedens, tesserâq; quæ convenit, milites inclamans; *prorsum agricole!* interrupt: qui edito militari clamore, jaculis hastisque Regios incelebant, qui reddito clamore se invicem, ut præceptum, adhortantes; *prorsum, inquam, Christi, crucis, Regis milites!* Quò auditò rustici, qui in alio cornu, & ipsi se hac ipsa formulâ incitantes, confusis ordinibus in intestinum bellum ruebant, multâ cæde se mutuò sternentes, donec intellectu errore in ordines redierunt. Ante pugnam magna diei clementia serenabat; ut verò bellum cæpit, in rubrum cælum solque tingi visus; priusque quàm finiretur, in atram noctem amisso fulgore desivit. Rex ex colle, quem occuparat, impetu facto, tam acriter in hostes invehctus est, ut universa acies nutaret, tantumque impelleretur, ut eorum, qui in hostili acie primi stabant, frons aciei Regiæ vestigiis insisteret, parsque magna fugam respiceret. Sâtrâpæ verò eorumque domestici, vernæque fortiter pugnantes, inclinantem aciem restituebant. Mox acrius invehcti, cum undique confluerent, cominus gladiis, his proximi hastis, remotiores eminus jaculis, lapidibus, missilibus & amentatis, rem gerebant, pugnaque ab utraq; parte cruenta mutuâ strage incruduit. Primâ coitione Arnliotus Gellina, Gankathorir & Afrastius, cum universis sociis occubuerunt, haut tamen multi, singulis unum, duos, aut plures, hostium, antequam caderent, occidentibus. Cum verò antesignanorum cohors extenuaretur, Rex Thordum signum inferre iussit, ipse cum promptissimis militum armisque instructissimis, quos ad custodiam sui corporis delegerat, sequebatur: ad cuius è præfidiaria testudine procedentis vultum consternati rustici animo demiserunt. Ipse inter promptissimos pugnans, cominus cædendo multam stragem fecit, Thorgeiremque sâtrapam de Kvistfædis per transversam faciem feriens, parte galeæ, quæ nasum tegebat, penetrata, infra oculos transversum caput tantum non transverberavit. Quo mortuo concidente: *verus tibi, ajebat, Thorgeir, vates exstii, nostro certamine te haut superiorem futurum.* Eodem momento Thordus vexilli hastam tanto nisu solo impegit, ut fixa immotaque staret: ipse accepto lethali vulnere procidens sub vexillo expiravit. Conciderunt etiam poetæ Thorfinnus Bronchus & Gissur Gullbrat-alumnus; qui duobus simul impetitus, alterum occidit, alterum vulneravit, Hofgardaresi versu superstite teste.

Tum primum sereno cælo Sol conspectui se subduxisse dicitur. Eclipsin quidem nullam ephemeridum conditores in hunc annum proximove referunt: nec peritissimus Mathematicus Regius, *Nobilisf. Olaus Rømmerus*, existisse asseverat, qui in mei gratiam hæc exqvifivit; eorum tamen temporum pœta, familiaris Olafi Sigvatus, versu superstite ejus haut obscure meminit, describitque quòd sine nubibus Sol disparuerit. Par aliud *Herodotus* memorat, cum Xerxes Sardibus moveret, ad annum mundi MMMCDLXX. *Calvisio* supputante.

Eqvidem multa, quæ simul acciderunt, cum simul exponi nequeant, successe-

successivam relationem requirunt. Ab alio latere Kalfi patruelus ejus Kal-
 fus & Olafus Arnfinni Arnini filii, viri strenui, robore eximio, stabant; ab
 alio Thorer Canis processit. Eum Rex per humeros transversos valido i-
 ctu, sed sine noxa, cum percussisset (neque enim gladius præter halitum
 quendam fumo similem penulis è caprearum pellibus factis excusit) ali-
 quantisper mutuis ictibus se invicem impetebant: hebetatus autem gladius
 Regis in penulas partesque corporis iis tectas, cum nihil profecisset, manum
 tamen (neque enim eò pertigerunt) vulneravit, Sigvati duobus versibus
 id testantibus. Biornum igitur Stallarium affatus Rex: *pulsâ*, inquit, *ca-*
nam, in quem gladius hebet. Is inversâ, quam tenuit, securi, malleo ingen-
 ti ictu scapulis pulsatis, nutare coegit. Eodem momento Rex in Kalfi a-
 gnatos in vectus Olafum lethali vulnere affecit. Thorer vero colligens se
 Biornum medium transdidit, exultansque: *Ita*, inquit, *urjos venamur.*
 Interea Thorsteinus naupegus Regem supra sinistrum genu feriebat, confe-
 stumque à Finno occiditur. Isto vulnere accepto, Rex ad saxum se reclin-
 ans, abjecto gladio, cælestem opem invocavit. Thorer autem subitus lo-
 ricam ventrem ei perfodit. Mox Kalfus sinistrum colli latus percussit.
 Triâ ista vulnera in corpore ejus conspecta vivis eum exemerunt; dubitant
 tamen, an Kalfus vulnus ei intulerit. Rege mortuo maxima pars cohortis,
 quæ testudine egressa eum sequebatur, concidit. Kalfi strenuitatem
 Biarnius Gullbrariskald, Biorni Stallarii Sigvatus, singuli singulis versibus
 celebrabant, qui in MSS. leguntur. Dagus autem Hringi filius prælium
 sustinuit, primaque impressione aciem rusticorum impulit, multosque in
 fugam vertit. Pars magna cæsi: in his satrapæ Aslakus de Finneya & Er-
 lendus de Gerdio, eorumque signa dejecta, fervebatque acerrimè pugna,
 quæ Dagi procella exinde usurpatur. In eum igitur Kalfus, Harechus de
 Thiotta, & Thorer Canis, vim omnem convertunt, tantaque alacritate in-
 vadunt, ut resisti amplius nequiret. Versus itaque cum omnibus copiis in
 fugam, per vallem quandam iter suscepit, multâ suorum strage; pars ma-
 gna in diversa dissipati effugia quærebant: alii vulneribus, alii ultimâ de-
 fatigatione gravati, ad resistendum omninò inutiles facti sunt: nec cives eos
 diu persequebantur, ducibus ad locum belli festinantibus, multis enim ami-
 ci propinqueque, Regiarum quamvis partium, curâ, quos inter cadave-
 rum strages investigare decreverant. Nec Thorer quidem, quantumvis
 in Regem vivum infestus, ultra tamen mortem sæviebat; quin tactus hu-
 manitate, tantique fastigii reverentiâ, demortui corpus decenter compo-
 situm vesti texit, deterfoque sanguine, faciem, tanquam dormientis, ru-
 bentem, quam vivi longè clariorem conspexit; cum manans è vulnere Re-
 gis in vuln^o ejus, quod manu exceperat sanguis adeo præsentem medicinam
 attulit, ut obligatione opus non esset: id quidem ipse, cum sanctitas Regis
 publicaretur, testatus est. omniumque hostium nobiliorum primus eam
 propugnare occæpit. Kalfus autem Arninus ad inqvirendos inter cada-
 vera fratres suos conversus, Thorbergum Finnumque, nullo lethali vul-
 nere faucios, lassitudine levioribusque plagis confectos deprehendit; in
 quem Finus gladium conjiciens, trajecturus, si consequeretur, multa ex-
 ecratus, proditorem eum Domini fædisfragumque appellavit. Sed nihil
 intemperantiâ lingvæ, non tam propriæ fortunæ miserîâ, quam desiderio
 Regis exasperati fratris, motus, efferrî utrumque curavit, plagasque & vul-
 nera, an sanabilia, inspici, ipse denique ad naves deduxit; cujus digressu
 universâ rusticorum, quibus in propinquo domicilia, turba defluxit, præ-
 ter eos, qui propinquorum vulneratorum aut mortuorum curam gesserunt:

hi sepulchris, illi ædibus prædii Stiklastadensis, quidam etiam tentorii illati, tabernas ædesque singulas replebant. In primis admirationi fuit, tantum hominum confuxum, confecto bello, tam citò potuisse dilabi. Sed cum præcipua multitudo vicinis provinciis excita esset, propior iis ad proprios penates reditus patuit. Id verò cum intutum sibi Veradali coloni, ob reliquias exercitûs, quæ fugientem Dagum, iterq; per villas suas habentem, sequebantur, crederent, metusque esset, ne iis incensis direptisque, quicquid hominum, ne parvulis quidem exceptis, reliquum esset, trucidarent (neque enim ab iis, si vicissent, aliud expectabant) Harechum Thoreremque adierunt, imminens periculum questu, operumq; ad id avertendum efflagitantes, securos quippe dies aliquot reficiendorum corporum causâ ibi exacturos videri, postea populatione finitâ discessuros, duces ut curam adverterent (neque enim metus vanus videbatur) promoverunt. Missus Thorer Canis cum sexcentis armatis, præter ipsos provinciam, cui metuebatur, incolas eodemque die magnâ celeritate profectus, de nocte Sulam, proximam monti villam, pervenit. Ibi cognitum, Dagum cum multis aliis Regiis agminibus proximo vespere devenisse; mox cum cænâssent, monte conscenso, fugâ domum repetiturum, quibus ulterius per montem persequendis abstenturum se Thorer professus, copias per valles iterum deducens, paucos Regionum obvios habuit; quot autem affectus est, occidit; plures vero, quibus per vulnera licuit, intra sylvas & saltuum latebras se abscondebant; quosdam etiam colonorum misericordia hostili furori subduxit. Sequenti die Thorer naves repetebat.

Thormodus Kolbrunæ poeta sub vexillo Regis militaverat, exilii in Russiam antea comes, vir perspectæ fidei. Is cum ad pugnam accinctus procederet, tunicæ partes anteriores a ventre ad pedes defluentes, cum baltheo subnexuisset, posticis terram prope verrentibus, interrogatus ab aulico quodam, *quo fine iste habitus? rectâ, respondit, prorsum, non retrogredi, hodie decrevi.* Gladio à Rege donato accinctus securim manu gestans, cum nec protegendo corpori scutum nec clypeum adhiberet, à Rege interrogatus, *quid id fieret? crederetne civibus præliandi audaciam desitutam? arma isthec,* respondit, *& inferendis & cavendis ictibus suffectura.* Utrâque manu securim, quoad Rex superfuit, rotâsse, quæ demum manubrio excidente, gladium fortissimè strinxisset, dum Dagus procellam excitaret, *Codici Flap: memoratur.* Traditur quoque consilium Dago dedisse ad effugiendum, multiplicatis per castra sub noctem ignibus, ad eludendos rusticos, abitu se prohibituos, invitatumque a Dago in Sveciam abnuisse plurimum Regum ministerium; tandem telo fortè quodam, cum Regi supervivere nollet, mortemque impensius exoptaret, lethaliter fauciatum; quæ quidem refelluntur, cum Dagus noctem in loco prælii non exegisset post conflictum, sed eâdem vespere in montem profectus periculum à persequentibus hostibus effugerit.

Chronica referunt, dum prælium maximè ferveret, ingentem stragem Regionum factam, promptissimum quemque humi stratum, plurimos quoque eorum, qui pugnam sustinebant, vulneratos; in his Thormodum graviter faucium, more aliorum, qui vel fugerunt, vel, unde periculum maximum, declinârunt, se quoque subduxisse. Ubi vero Dago procella post cæsum Regem intonuit, aggregâsse se ei cunctos armis ferendis habiles: Thormodum vero vulneribus & lassitudine omninò confectum pugnam non capevissent, fociis tamen, quoad poterat, adstitisse; ibi missi telo vulneratum manubrium fregisse, adque ædes se recepisse, horreumq;

reumque vastissimum ingressum, nudatum gladium manu tenentem, egredientem quendam obviam habuisse, qui lamenta ululatumque fauciorum indignatus magnam dedecus impropaverit, quod viri robusti vulnera patienter non ferrent; cuius nomine quæsito, cum Kimbium se nominasset, ulterius Thormodum, cuius partes secutus fuerit? quævisse: quo respondente, agricolas, id quod magis conduceret; iterum, an saucius esset? quærenti, *parum*, respondisse, quævisseque, cui parti Thormodus militasset. Meliori cum respondisset, Kimbium, observata armillâ, quam gerebat, aureâ, eum his verbis affatum. *En, inquit, Regiorum unus. Cedo mihi armillam, quod te abscondam, rusticorumque furori, qui te protinus, modo occurras, occident, eripiam. Si poteris, respondit, cape: majorem enim jacuram feci.* Kimbium recepturum cum manum extendisset, amputante protinus Thormodo amisit. Mutilus egressus vulnus haut fortius aliis tulisse perhibetur. Thormodus deinceps confidens sermones hominum audiebat. De iis plurimi instituebantur, qui fortissimè illo die pugnassent. multi illam laudem Regi deferebant, alii aliis. Versu igitur repente fuso illam gloriam Regi tribuit. Inde in solitariam domum digressus, frequenti vulneratorum confluxu infessam, quibus mulier medicas manus adhibens vulnera obligavit, aquâque ad ignem calefactâ purgavit. Is interea in foribus confidens, ultro citroque meantibus conspectus, uni verò fœminæ præ ceteris observatus, *cur adeo palleret, nec medicinam requireret?* interrogatus, versu respondisse perhibetur, qui quidem hic in ordine versuum, quos post conflictum fuderat, secundo loco ponitur; verum ejus ultimum, nec tamen plenum, ultimo quippe verbo, eoque confuso, destitutum, *Codex Flar:* memorat, cum morte præceptus exanimis concideret; Haraldum autem Strenuum desideratum verbum supplevisse. Chronica historiam deinde hoc modo texunt: Surgens deinde Thormodus focum accessit, assistensque paulisper, a muliere, quæ medebatur faucis, ligna imponenda foco afferre jubetur; quibus allatis, propius inspectus, iterum, *cur palleret?* interrogatur; oblatoque lacte respondit, *non se eo indigere, cum adeo repletus sit, tanquam occigalacte se ingurgitaverit, parum tamen faucis.* Furvi coloris speciem intentius admiranti fœminæ rhythmo exposuit, *non esse quod virido colore destitutum admiraretur; intersuisse enim prælio, adactumque vicinum cordi ferrum probè agnoscere.* Jussus vestes nudare paruit. In latere vulnus ferrumque immersum conspicata, quam altè impressum examinatura, in olla ferrea porrum odoriferasque alias herbas pistas mistasque coquebat, quas vulneratis edendas porrexit, naribusque vulneri admotis, num in interiora tela penetraverint, odore relato percipiebat. His Thormodus acceptis, manducare jussum cum renueret; neque enim se fœni morbo (*Chronica* pultis morbo habent) laborare (tæni morbus equis fermentato fœnò; pultis, pulte nimium repletis, usu venire solet) forcipem ferro mulier admovit: quod cum fixum immotumque esset, nec tantum prominens, tumente vulnere, ut apprehendi posset, cultro carnem eam secare jussit, donec posset prehendi, sibi que forcipem ad evellendum tradere: quo factò, armillam brachio detractam mulieri tradidit, proque arbitrio disponere jussit, boni viri munus prædicans, quippe manè illius diei sibi à Rege Olafò datum; arreptâque forcipe telum protinus evulsit. Id hamatum fibris cordis rubris albisque circumvolutum ut conspexit; *egregie, inquit, Rex nos hac hyeme pavit; id enim albentis pinguedine cordis fibræ monstrant.* quo dicto exanimis concidit. *Codex Flar:* versum antea citatum ultimo verbo mutilatum fecisse perhi-

perhibet, stantemque ad struem ligneam exspirâsse, nec prius quam mortuum concidisse refert.

Hunc exitum habuit Thormodus, vir ab animi insigni, corporis etiam non mediocri robore laudatus; maximè tamen fide in Regem, quem exulantem in Russiam comitatus, repetentem patriam secutus, eidem supervivere non sustinuit, nec minus ab animi constantiâ, fideque erga socium fratremque adoptivum Thorgeirem Havaris filium, popularem suum, in eodem quo ipse, occidentali nimirum, quadrante Islandiæ natum, virum projectissimæ audaciæ, omnis metû expertem, quamvis ferociorem quam humana natura patitur, quippe cædibus innocentium se oblectantem; quem in Islandia à prætore Gronlandiæ Thorgrimo Trollio cæsum in Gronlandia severè ultus est.

Hoc prælio faucius quoque Rognvaldus Brusii filius inter fugientes evasit, assumpto secum fratre Regis Haraldo, secundum *codicem Flat*: octodecim, *Chronica* vero rectius quindecim, annorum adolescente, & ipso graviter vulnerato; quem apud rusticum pauperem sanandum reliquit, ignarum quinam esset. Ipse transito monte Kiölo in Jamtiam, inde in Sveciam ad Regem Aunundum, profectus inibi commorabatur. Haraldus nomine genereque dissimulato ut primùm sanatus est, uno tantum itineris comite, rustici filiô, viâ abditâ per solitudines & inculta in Jamtiam pervenit. Inde occultis itineribus Helsingiæ deserta permensus in palude quadam, dimisso comite, versum fecit, quo se præsentis status miseriam meliore fortunâ quandoque permutaturum solatus est. In Sveciam delatus unâ cum Rognvaldo, reliquias exercitus, qui S. Olafum secutus erat, in Russiam urbemque Regiam Holmgardum deportavit, intima caritate à Rege Jarisleifo in gratiam S. Olafi excepti; limitum regni custodes unâ cum Eylifo, Aldeigiuburgi Comitibus Rognvaldi è sore regis Olafi Trygvini filio, constituebantur.

CAP. IX.

PRINCIPIUM ET DURATIO BELLI,
ADHIBITA CORPORI REGIO CURA ET
PRIMUM MIRACULUM, EJUS
ELOGIUM.



Bellum IV. Cal: Augusti, seu XXIX. Julii, feriâ quartâ gestum esse, vel festum Olafi solenniter celebratum abundè probat; idque anno Christi tricesimo supra millesimum: neque enim quarta hebdomadis feria in illum mensis diem anno, quem *Pontanus* adducit, XXVIII. ejusdem seculi, vel eorum, qui eum proximè præcedunt, quadrat. *Simon Dunelmensis*, & *Radulphus de Diceto*, ut & *Arildus Hvitsfeldius*, obitum ejus in annum MXXX. referunt. *Adamus Bremensis* ejusque sequaces duodecim annos regno ejus assignant; sed à gestis ejus, quæ in singulos annos scriptores nostri digesserunt, reselluntur: quamvis Anglorum scriptorum calculo se magis tueantur; quorum ego sententiæ accederem, ni obstaret *Sigvati poetae*, Regi omni tempore familiaris, qui his temporibus vixit, carmine proditum testimonium, quod quindecim annos ab imperii ejus initio ad finem vitæ computat: quod adscribere lubet.

Olaf

Olast red it Ostra
andprutt hosut landi/
fulla vetr adr fellu
xv. a Þvi lane.

o: *Rexit Olafus Regnum superius,
Generosum caput,
integras hyemes (antequam occumberet)
quindecim, in illo territorio. &c.*

Ab exacto regnò Comite Svenò computationem instituisse, non autem ab Hacone, qui superiore autumno regno excidit, scriptores perhibent. *Arius Polybistor* annos ætatis triginta quinque numerat. *Quindecim annos Einar Skulinus* in carmine enomialtico, quod *Geiðli* seu *radius*, inscribitur, confirmat.

Conflictûs momenta versionis Danicæ interpres non accuratè computasse videtur. *Chronica MSS.* propè medium diem, id est, circa horam duodecimam, copias utriusque invicem convehisse, circa autem horam sesquipomeridianam bellum cæptum, ante horam tertiam Regem occubuisse: ab hora autem sesquipomeridiana ad tertiam tenebras durasse. A mortuis spoliandis abstentum, idque repentino timore, quo multi, qui se Regis hostes professi erant, percussi dicuntur; parum tamen de crudelitate remissum: pronuciabant enim omnes sepulturæ honore indignos, quippe praedones & exules; ideoque inter honestos condi veterunt: id quod ditiores, quorum necessarii cæsi sunt, insuper habuerunt, eos enim ad aedes sacras retulerunt. Sed & Thorgils Halmæ filius, promissæ Regi curæ haut immemor, cum filio Grimo, sero vespere inter tenebras corpus ejus in exiguam quandam casam solitariam, villaque diremptam, illatum, vestique nudatum, accensâ luce aquâ abluebat, linteisque involutum, in pavimento sub lignorum strue occultabat, ne ingredientibus obvium foret; absolutoque pietatis officio domum redibat. Evenit autem, ut inter mendicantium turbam, quæ utrumque exercitum seqvebatur, & finito bello receptacula per noctem quærebat, cæcus quidam pauper à direttore, qui eum ductare solebat, eò introductus, dum manibus locum quieti commodum explorabat, humectatâ manu elevando pileo admotâ, oculos liqore digitis adhærente aspergeret, ortoque statim pruritu fricaret; exiens deinde manus proprias, deinde proxima quæque, quantum per tenebras licebat, oculis colligens, prædium deinde accederet, ingressusque domum receptum luminum usum omnibus palam faceret. Multi, qui præsentem erant, noverunt quod cæcus vicatim stipem petiverit; itaque insolentem casum admirati, ubinam illa casa esset exquisiverunt. Hinc haut mediocris metus Thorgilsem & Grimum incessit, ne, dum tanti miraculi causam explorarent, hostes quoque Regii corpore ejus potirentur, injuriisque & ludibrio afficerent; certi itaque, sanctitati Regis eum honorem à Deo habitum, actutum eò clam omnibus se conferentes efferunt, campoque abscondunt.

Feriâ quinta Thoror Canis ex Veradalo Stiklastadas cum magno comitatu rediit, ubi rusticorum magnus numerus; namque inter mortuorum strages propinquorum cadavera, vel vulneribus affecta corpora, investigabant, quorum magna pars post prælium expiravit. Ipse corpus Regis cum frustra quæsisisset, Thorgilsem de eo interrogat; qui se prælio interfuisse negans, *verisimile tamen videri respondit, si bello occubuerit, aliquem hostium corpus ejus inter vepres virgultaque abdidisse; jam verò de morte ejus dubiam famam circumferri, aliis hac eadem nocte eum circa Stasum cum parte militum visum perhibentibus.* Id quamvis Thorori satis constaret falsum esse, non tamen evicit, quin multi reditûs ejus, & impendentis

dentis sibi ab eo periculi metu, jamque ad repetendum regnum vires & auxilia principum undique collecturum crederent. Thorere domum repente, cæteri deinde dilapsi faucios suorum, qui contactus patientes erant, inde avexerunt. Thorgils autem & Grimus de cadavere Regis valde solliciti erant, ne inventum denique hostium ludibrio exponeretur; cognoverunt enim eos constituisse illud vel aquis immergere, vel igne consumi. Auxit metum insolita lux, ipsis quoque observata; quæ locum, ubi concidebat, prius quam inde auferretur, deinde eum, quem jam delegebant, irradiavit, ne inimicis ansam ad eum intentius scrutandum forte præbens, illud quoque proderet; loculo igitur quam poterant accuratissime facto illud imposuerunt. Fecerunt & alium, quem lapidibus stipulisque pondere cadaver exæquante repletum, magnâ curâ clauserunt, utrumque lembo impositum, cum primum Stiklastadis advenæ recesserunt, assumptis quinque aut sex proximæ necessitudinis, fidei perspectæ viris, Nidarosiam deportârunt, apertè eum, in quem lapides ingesti erant, reliquum occultârunt. Mox nuntiis Episcopum certiorum faciunt, inventum se Regis cadaver adferre; mittit ille, qui ad pontem excipiant: exceptus quilapidibus onustus, inque sinum lembo delatus jussu ejus demergitur; de nocte verò Thorgils inter tenebras adverso flumine remigans, donec urbem superâisset, ad locum, qui *Saurhlið*, seu *sordida porta*, appellatur, navem admovet, inque domunculam ab aliis separatam funus infert. Interea Thorgils urbem ingressus, adit eos, quos Regi amicissimos fuisse novit, postulatque, ut corpus Regium accipiant; id verò cum singuli metu præditi abnuerent, ipse ad superiora per fluvium reportat, ibique in arena condit, sedulo providens, ne ulla recentis operis vestigia paterent, absolutoque tanto pietatis ministerio domum repetit.

Hunc exitum habuit Olafus, vir morum sanctitate eximius. Summo mane surgere, lavari; precibus matutinis, deinde antemeridianis, interesse consuevit, mox controversias audire, componere, aut alia necessaria obire solebat: verbis interdum parcus, sed æris divitiarumque appetens, quas pari liberalitate erogabat, cumque morum elegantia pietateque omni tempore admirabilis esset, magis tamen in his exercitiis profecit, postquam fortunæ injurias, inimicorum incrementa, viriumque suarum decrementa sentiebat; curas enim & cogitationes eò facilius ad Divina convertit, quòd alijs impedimentis, quæ imperantes detinere solent, non implicaretur. Cum enim imperaret, iis, quæ maxime necessaria videbantur, operam dedit, civium nimirum securitati, ne peregrinorum violentiis succumberent, mox etiam animarum saluti, institutione Christianâ, morumque decore, juris inculcatione, dum leges ad justitiæ normam aptabat, pænarumque metu stabilivit. Consvenerunt enim satraparum opulentiorumque civium filii, piraticis expeditionibus, tum externas nationes, tum etiam indigenas, lacescere, opibusque spoliare: id ne intra limites regni fieret, severe cavet, inque delinquentes absque sortis conditionisque respectu, spretâ pecuniariâ satisfactione aut potentiorum intercessione, animadvertit; id verò nimis sævum crudeleque visum, licentiam Regiam, non jus, interpretabantur; & qui propinquorum, justo judicio plexorum, jacturam fecerunt, odia in eum conceperunt. Quod verò *Adamus Bremenensis* inter seditionis causas refert, uxorum principum, propter maleficia ab eo sublatarum, ultionem, alibi non legitur. Certè intractabilis in eo rigor faciliè ostendit, maluisse regni jacturam facere, quam justitiæ vim fieri, cum aieni ssumum tempus, rebus, quæ moliebatur, undique adversum, ipsum minime

minimè fugere potuerit. Tunc enim Knutus ille Magnus tanta in Angliâ incrementa fecerat, ut si vel maximè omnium suorum civium animos quam optimè sibi conciliâset; vix tamen ei unitis viribus resistere potuisset; jam verò, alienatis à se eorum animis, vires regni ad defensionem necessarias, ipsi ad se oppugnandum conferri, non potuit non animadvertere, & cum potentiam suam, Comite Sveno devicto, non ita stabiliverit, ut potentioribus civibus pro libitu imperare possit, cum aut essent exarmandi, aut conciliandi, utroque omissio tantum irritavit; in hoc ab Olaso Tryggvino diversus, qui iis ad negotia sua promovenda felicissimè usus, affectum eorum & amorem amplissimis præmiis sibi obligavit; Erlingi enim propinquorum operâ totam Hördiam ad obsequium reduxit, ipsoque autoritate & opibus ad summam provecto potentiam sibi stabilivit; cum hic contra, postquam vitrici consilio neglecto omisit occasionem ad eum aliosque post Nefianum conflictum debellandos, tantas ei vires permisit, ut ei sæpius oblectari non dubitaret, nec ablatis deinde provinciis & imminutâ potestate ita debilitavit, ut in obsequium redigeret. Nam quanti eum postea Erlingus fecerit, Augvaldnesiæ apparuit, à quo principio omnis malorum series postea processit, quæ Erlingi, tandem etiam Regis, exitiò claudabatur. Notantur & in Olaso quædam viro bono, nedum Sancto, indigna; cædes nimirum Eylifi Ranarichia præfecti, fidem ejus secuti, si non eo subornante, certè non nolente, nec inscio, perpetrata; conatus etiam in Islandis blanditiis, deinde minis, ad obsequium redigendis. Nec scio, an laudem mereatur Comitum Orcadensium, arbitrum controversiæ eum de legentium, fiducia in rem versa; nec an ab similibus à plebis Romana, de controverso inter Ardeates & Aricinos agrorum jure. Sed nec reprehensionem effugiebat, nobilissimæ Reginæ, sui que amantissimæ, superinducta pellex, quantumvis in spem prolis regni que usum, quæ tamen justæ conjugis patientiam oneraret: nec aliarum faminarum amores *Codex Flat.* cum juvenis Rex esset, filet: afflictata tamen forte concussus, quæ deliquerat, sedulo correxisset, magnaque pietate, & quantâ in hominem cadit sanctitate rependisse videtur. *Saxonis* de eo testimonium tale *Lib. X.* legi potest. *Ab eodem*; inquit, *pauperibus protectio, pupillis tutela, Sacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentia, lacessitis subsidia præbebantur. Præter ea ex gremio ejus, velut quodam munificentie fonte, complura alia virtutum spectacula manaverant. Hæc hæcenus; quia publico cultui consecrata pietas privata laudis egena non est.*

Staturâ fuit corporis mediocri & compactâ, robore magno, capillo amittitino, facie latâ in rubrum tinctâ, oculis pulcherrimis, claris & alacribus, & in ira ad obtuentium stuporem ardentibus. Multa exercitia callebat, arcum tendere, hastas vibrare, natâre novit: etiam si quid in fabrilibus erratum est, sive ipse, sive alii fabricarent, facile animadvertit; voce clarâ, audax, contentiosus, & qui in exercitiis omnibus sibi primas juvenis vindicaret: propinquis acceptus cito ad maturitatem tum corporis tum animi virium in adolescentia pervenit.

CAP. X.

ADAMI BREMENSIS TESTIMONIA,
DE S. OLASO ET ELOGIUM RECENSENTUR,
EPISCOPI AB EO ALLATI CUM NOSTRORUM
TRADITIONIBUS CONFERUNTUR; ARILDUS
HVITFELDIUS NOTATUR.



Describam hic *Adami Bremensis* de Sancto Olafso testimonia; & primum ex *Lib. II. Cap. XL.* ubi sequentia exstant. Inter *Knut & Olaph Regem* Nordmannorum continuum fuit bellum, nec cessavit omnibus diebus vita eorum, Danis pro imperio certantibus; Nordmannis verò pro libertate pugnantibus. In quâ re iustior erat causa Regis Olaph, cui bellum necessarium fuit, quàm voluntarium. Si quando autem tempus à bellorum motibus quietum erat, idem Olaph j iudicio & iustitiâ regnum gubernavit. Inter cetera enim virtutum opera magnam Dei zelum habuit, ita ut maleficus de terra disperderet, quibus cum tota barbaries exundet, præcipuè Norvegia talibus monstribus plena est. Nam Divini & Augures, Magi & incantatores, ceterique satellites Anti-Christi ibi habitant, quorum prestigis & incantationibus infelices animæ ludibrio à Dæmonibus habentur. Hos omnes & hujusmodi beatissimus Olaph persequi decrevit, ut, sublatis scandalis, firmitus in regno suo religio Christiana elucesceret. Habuit etiam secum Episcopos & Presbyteros multos ab Anglia, quorum monitu & doctrinâ cor suum Deo preparavit, subiectumque populum ad regendum commisit. Ex quibus clari doctrinâ & virtutibus erant Sigafriid, Grimkil, Rodulf & Bernard. Hi jussu Regis ad Svediam & Gothiam & ad ceteras insulas, quæ trans Nordmanniam sunt, accedentes, barbaris verbum Dei & regnum Jesu Christi evangelizabant. Misit etiam Rex nuntios ad Archiepiscopum nostrum cum muneribus, petens suppliciter, ut Episcopos eius benigne reciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Nordmannorum populum in Christianitate confortarent.

ET cap. XLIII. ejusdem libri sequentia addit. Olaph igitur Nordmannorum Rex clarissimus contra Knut Regem Danorum, qui regnum suum impugnavit, perpetuo decertabat prælio, tandemque seditione Principum suorum, quorum uxores propter maleficia à regno sustulit, Nordvegia depulsus est. Et regnavit Knut in Nordmannia simul & Dania, quod nulli Regum prius contingere potuit in Dania. Olaph verò Rex beatissimus, totam spem fiduciamque suam in Domino ponens, denuò ad comprimendos idololatras bellum instauravit. Itaque ab Olaph Sveonum Rege, cujus habebat filiam, & populis insularum infinitam armorum congregans multitudinem, patrium regnum vi recepit & armis. Unde Rex Christianissimus fortitudine in hostes, & iustitiâ in suos celebris, ad hoc se in regnum à Deo credidit restitutum, ut jam extunc nemini parere debuisset, qui vel Magus permanere vellet, aut Christianus fieri detrectaret. Et cum magnâ ex parte votum suum implèssset, pauci, qui ex Magis remanserant, in ultionem eorum, quos Rex damnavit, ipsum etiam obruncare non dubitarunt. Alii verò dicunt eum in bello peremptum, quidam autem in medio populi circo ad ludibrium Magis expositum. Sed & alii sciunt illum ob gratiam Knut Regis latenter occisum, quod & verum esse non dissidimus, eò quòd regnum ejus invaserit. Igitur Olaph Rex & Martyr tali sine consummatas est, corpusque ejus in civitate magna regni sui, quæ Thronempius dicitur, cum decenti honore tumulatum est, ubi usque hodie pluribus miraculis & sanitatibus, quæ per eum fiunt, Dominus ostendere dignatus est, quanti meriti sit in celis, quæ sic glorificatur in terris. Regnavit autem annis XII., cujus passionis festività agitur IV. Kal. Augusti, omnibus septentrionalis oceanus populis Sveonum, Gothorum, Samborum, Danorum, atque Slavorum aeternò cultu memorabilis. Eius temporis Episcopos in Norvegia Chronica Norvegica, codex Flat: & Thomas-Skinna, præter Grimkelem & Sigurdum nullum agnoscunt, qui

qui hic *Adamo Brem*: Sigafrius est, diversus ab illo Sigurdo, qui Svenum Alfise filium secutus est. Rodolfum autem liber, qui *Sungvata*, id est, *famelica incubratio*, inscribitur, in Islandia evangelium prædicasse tradit, nomine proprio Ulfum dictum, sed quod ex urbe Angliæ (rectius Nordmanniæ) Ruda (Rothomago) venerit, Rudolfum appellatum. Rothomagum enim nostri scriptores Rudam semper appellant, & Comites Rothomagenses *Rudujarla*. Sic *Vithicindus Monachus in fine lib II. initio III. gestorum Saxonum Rothun* eam nominat. Plures etiam Adamus lib. IV. cap. XLIV. ut & XCIX. memorat; Meinardum nempe, Osmundum, Bernhardum & Asgotum, interque Norvegenes Episcopos recenset; quos Archiepiscopi Adalberti Magni tempore vixisse memorat, non tamen omnes ab eo ordinatos. Is autem Anno MXLIII. ad sedem Archiepiscopalem pervenit. Bernhardum eundem esse credo, quem *lib. originum Islandiæ pag. 182. Biarnvardum Bofvifa*, seu *literatum*, appellat, consilioque S. Olafi, apud quem prius manserit, in Islandiam profectum. Consentit *Sungvata. Arius Polyhistor Schedarum pag. 9.* Biarnhardum appellat, nisi forte ejusdem nominis posteriorem *Bremensis* intelligit, de quo in subsequentibus Regibus aliquid dicendum. Fieri quoque poterat, ut Asgautus S. Olafi tempore existerit, si forte is est, quem *Undalinus* primum inter Episcopos Osloyenses exhibet. Folkwardum quoque Aldenburgensem Episcopum, quem tempore persecutionis Slavicæ, Anno sc. Christi MXIII. captæ, in Norvegiam abiisse, ibique multos Domino lucratum fuisse, *Helmodus* & *Chronicorum Slavicorum* incertus author tradunt, ad prima hujus Regis tempora referendum puto. Quod verò tradit, Olafum post exilium patrium regnum armis recepisse, & quæ deinde gesta commemorat, quam non consistant, hæc nostra legenti facile apparet. Ad prima quoque ejus tempora Gunichildus & Bernhardus Angli pertinent. Eum enim ex Anglia secuti, eum primum, Vastavio teste, populumque ei subjectum monitu & doctrinâ salutari Deo disposuerunt, erant enim virtutibus & doctrinâ clarissimi. Deinde benigne ab Unvano Archiepiscopo Bremensi regiâ commendatione suscepti & in Apostolico munere confirmati, jussu ejusdem Regis ad Sveciam, Gothiam, & ad cæteras insulas, quæ trans Norvegiam sunt, accedentes, concionibus suis in paganorum animis magnos motus excitârunt, ac regnum Jesu Christi in illis regionibus studiose propagârunt. Memorat *Arildus Hvotfeldus in historia Christiani I. pag. m. 861.* Sanctum Olafum, cum Christianam religionem in Norvegiar. induceret, propriis impensis unam Ecclesiam Metropolitanam & tredecim suffraganeas fundasse atque dotasse. Inde è Pontifice Romano & Conciliis, quæ id temporis babebantur, privilegium Regibus datum, ut quoties Archiepiscopus aut Episcopus ejusmodi diæcesi aut Ecclesiæ præficeretur, ut consensu Regis, ut fundatoris & patroni, præmuniretur: neque id solum, eò quod pleræque Ecclesiæ Norvegiæ non tantum sint fevda Regia, sed quod Archiepiscopus, perpetuo privilegio, supremus regni consiliarius sit, & Rege absente etiam Proregis officio fungatur, hostibusque regni, quando res ita poscit, cum armis concurrere, omniaque regni munia domi militiæque obire teneatur. Hinc magni referre, ut vir idoneus, cui publica salus incumbit, tanto muneri adhibeatur. Verum penitus inspicienti facile constabit, hæc privilegia ad Sancti Olafi tempora non posse ferri; nullus enim Archiepiscopus illo seculo constitutus est, sed nec Episcopi, teste Adamo Bremensi, vel in Dania vel Norvegiæ ejus quidem tempore certo limite designati: sed unusquisque Episcoporum à Rege vel populo assumpti

communiter edificabant Ecclesiam, & circumeuntes regionem, quot poterant, ad Christianismum traxerunt, eosque gubernabant sine invidia, quamdiu vixerunt. Sed nec tredecim suffraganeas Norvegia unquam agnovit.

CAP. XI.

SVENUS KNUTI REGIS EX ALFIFA FILIUS NORVEGIÆ REGIO TITULO PRÆPONITUR, EIUS INAUDITA GRAVAMINA, FAMA SANCTITATIS OLAFI INCREBESCIT, EIUS SEPULCHRUM APERITUR, SANCTITAS MIRACULIS ADSTRUITUR, A REGE ET POPULO CONFIRMATUR.



Omite Hacone lugubri exitu vivis erepto, Svenus Regis Knuti ex Alfifa Comitissæ Alfrini filiâ extra conjugium procreatus filius, celebri Vandaliæ urbi Jomsburgo à patre præfectus, per nuncios in Daniam proficisci, indeque rectore vacuam Norvegiam, eamque Regiâ potestate tituloque, administrare jubetur. Eò igitur unâ cum matre, à Thorke-
lis Proceri filio Comite Haraldo, cum ingente exercitu, magnoque Procerum Danorum comitatu, deductus, teste *Thorarini Loftunge rhythmo*, qui *Stelogné* quidam inscribitur, in singulis conventibus publicis Rex proclamatur; tum primum in Vicham delatus, cum conflictu Stiklastadensi Rex Olafus cæsus est. Inde captum iter persequens, eodem autumnò in Thrandiam pervenit, festâ faustâque omnium acclamatione ibi quoque Rex renunciatus. Mox complures novæ leges, quales Danis in usu, quædam etiam multò rigidiores, cum peregrino Rege invecatæ. Nemini regno sine Regis venia, sub publicationis honorum pænâ, excedere permissum. Homicidia pariter, & bonis insuper soli, multata. Hæreditas exuli proximitatis jure competens fisco Regio addicta. Natali Christi festo singuli coloni in singulos focos mensuram (mœlt) polentæ, trimi bovis femur (*visnar toddi* seu amicum manusculum, appellatû) Spanna/ seu viginti quatuor marcæ butyri, singulæ item matresfamilias manipulum lini crudi (*ryctiarfo* appellant) Regi pendere tenebantur, omniaque Regiarum villarum ædificia, quæ Rex mandârat, extruere. Septimus quisque, quovis unâ putato, expeditionibus navalibus delectus, cæterorum impensis, etiam locus ei in navi deputatus æquâ proportione instruendus. Singulis piscatorum, undecunqve piscatum irent, telonium, quinque pisces, injunctum. Singularem navium, regno enavigantium, locus medius Regiis mercibus vehendis dicatus. Portorium singulis Islandiam navigaturis, sive gentis illius indigenis, sive peregrinis, imperatum. Unius Dani testimonium decem Norvegis prælatum. His promulgatis irritati cives, præsertim qui Regi Olafò non obstiterant; *huc vos, exprobrabant, interioris Thrandiæ cives, gratia promissaque Krytlingorum perduxerunt; capitè præmia factis condigna, dejecti regnò vitâque spoliati Regis vestri. Pax vobis perpetua, juraque auctiora promissa sunt. Subiit servitus gentisque infamia: scelus proditiionis que infame crimen, proprius vester fetus, remanet.*

Vera videbantur, quæ objiciebant. Jamque ipsos Olafî hostes, quò perventum esset, serò nimis perpendentes, facti pænitere cæpit; nemo tam

men erat, qui rebellare auderet, tum quod duce idoneo destituti, tum vero maxime, quod procerum filios propinquosque Rex Knutus obfides tenebat; passim tamen Svenus sermonibus traduci, sed maxime Alfisa, in quam omnium, quæ minus probabantur, causæ conjectæ; versa quoque in contrarium multorum de Olaso judicia; secuta sanctitatis ejus miraculorumque fama: inde crebra dubiis rebus vota, successuumque inde promanantium felices rumores, exauditorumque invicta testimonia, aliis sanitatem, aliis periculum inter proficiscendum incidens, aliis levamen adversorum post nuncupata illi vota acceptum profitentibus. Accessit Einaris Thambaskelferis autoritas, qui, quamvis territorium Comitatu paulo minus beneficiò Knuti, dum in Thrandia esset, accepisset, idemque in præsens teneret, tamen indignè ferens, vanis se promissis elusum, sæpeque totius Norvegiæ Comitatus titulo vicem Regis administrandæ lactatum, alienato à Sveno Danisque animò mutationem tacite moliebatur; ad quam nihil magis facere visum, quam Olasi desiderium, civium, novis oneribus contumeliisque exacerbatorum, animis probè instillatum; faciles itaque aures sanctitatis ejus præconibus, seu quod vera dici crederet, seu quod iis, quæ agitabat, conducentia, præbuit; primusque procerum omnium sanctitatem ejus propugnare cepit, eò majori fiducia, quod iis, qui arma adversus eum sumpserunt, se non aggregavit; de quo non semel gloriatus est. Hinc extra populi jam pœnitentis odium facile plurimorum animos spesque in se convertit. Tanto autem aucto in sequentem æstatem sanctitatis Olasi opinio fama que crevit, ut non modò vulgus, eosque, qui se vel ei amicos, vel medios, gesserant, ad eam asserendam raperet, sed etiam, qui hostilia professi omnibus, viribus ei adversabantur, qui culpam in innocentores perduellionis cædisque conjectantes, Episcopum Sigurdum horum principem pronunciant; tantaque omnium in eum odia irasque concitant, ut periculo haut vano se subducturus Angliam Regemque Knutum subito repeteret.

Mox Thrandi Episcopum Grimkelem Uplandis, ubi postquam eum Rex Olafus in Russiam profecturus in Norvegiam remisit, in eum usque diem remanserat, nuntiis exciunt; qui petitis non obsistendum ratus, maxime quod ea, quæ de sanctitate Regis omnium ore circumferebantur, vera crederet, haut in vitus accessit: prius tamen ad Einarem Thambaskelferem profectus prolixâ humanitate excipitur: cumque multis de variis, quæ inciderant, mutuâ benevolentia disseruissent, amice dimissus Nidarosiam magnò omnium applausu rediit.

Hinc sedulâ inquisitione fama miraculorum ejusque verisimilitudo explorata, ut testimoniorum evidentia fulciri apparuit, nunciis Stiklastadas missis, Thorgilsem Grimumque Nidarosiam ad se vocat, edoctusque ab iis, quantum ipsis cognitum, locumque, ubi Regem condiderunt, Einarem quoque arcessendum curat: qui simul Regem matremque accedentes veniam extrahendi corporis Regii orant impetrantque, Rege cuncta arbitrio Episcopi permittentè. Magnus tum populi in urbe concursus freuensque Episcopum Einaremque stipans comitatus ad locum sepulchri processit: apertaque humo, capulum quasi semet ipsum exerturum parum infra superficiem inventum. Consensu inde multitudinis ad ædem S. Clementis jussu Episcopi conditur. Sublatum deinde post menses duodecim diesque quinque à cæde Regis, tunc quoque propius superficiem se transtulisse deprehensum, politumque tanquam recens fabricatum. Præfule, dum aperiretur, præsentè, odor exhalatioque sævavis circumstantes mi-

rificæ affectis; facies ab eò nudata, nihil à viva mutata, dormientem roseis genis representabat. Id verò miraculum omnibus visum (quod tamen minimè mirum) quod capilli unguisqve, ac si in eum usqve diem vixisset, crevisset: ad quòd spectatum ipse Rex materqve & procerum singuli accesserunt. Verùm Alfisa *corpora hominum arenis infossa tarde putrescere arguens, aliter se habiturum, si terra pulverulenta conditum fuisset*, prædicabat. Episcopus capillo myrtaceqve, quem seculi more longum Rex aluerat, forficibus præfectis, ad Regem Alfisamqve conversus; jam, ait, *ad eandem mensuram redegi, quam assecuti sunt, cum moreretur: partes autem præfectæ, quas teneo, postmodum creverunt*; quod quomodo coherereat, non assequor, si in Uplandis Episcopus remansit, ex quo Rex Russiam petivit, nec interea ad eum rediit: quin imò apparet, Episcopum in reditu Regis cum aliis Uplandis fratreqve Haraldo in Sveciam ad eum profectum; ni fortè Episcopi Sigurdi testimonium hic per errorem Grimkeli tribuatur. Is enim interfuit, cum Rex montem transmittens mirificâ illâ visione frueretur, secutumqve Stiklastadas hinc colligitur.

Alfisa, gnara quàm opinio sanctitatis Regis sibi esset periculosa, præfectas capillorum particulas igne explorari iussit, *sanctum habituram, si vini ejus respuerent; neqve enim novum aut ad miraculum quicquam, si terra, longo quavis tempore, infossi crines non corrumpantur, quippe observatum sæpius, etiam in eis, qui sepulchro diutius detenti fuissent, quàm vir iste*. Thuribulo igitur, igne thureqve consecratis impleto, injecta segmenta, exesothure incorrupta in omnium conspectu Regi proceribusqve omnibus Antistes exhibuit. Alfisæ igni non consecrato idem experiri postulanti Einar silentium injunxit, multisqve eam & acerbis verbis oburgavit. Facta tunc miraculo fides, Olafusqve ab ipso Rege publico iudicio sanctus pronuntiatus, corpusqve ejus ædi S. Clementis illatum, supra altare exaltatum, locus bysso obductus, perizomate holoserico: mox multifaria miracula in testimonium sanctitatis edita.

Memorant in loco, ubi primum cadaver sepultum, perennis aquæ fontem exstitisse, morbis expellendis salubrem; sanatorum frequentia magnâ deinceps curâ observatum. Ibi ædicula sacra, capellam vocant, primò exstructa, altareqve, ubi monumentum Regis statutum, quo loco tempore Scriptoris nostri templum Christo sacrum stetit. Memorat autem Episcopum Eysteinum (*Theodrico Monacho Augustinum*) cum magnificam illam ædem, quæ ejus tempore integra, fundaret, altiorem aram supra locum, ubi monumentum Regis erat, constituisse; ibi quoqve altare in veteri æde, Christo dicatâ, stetit. Tradit insuper famâ vulgatum, sanum Olafi ibi suo tempore constituisse, ubi domus illa solitaria, in quam illatum corpus unicam noctem remansit, portam quoqve Olafi appellatam, ubi reliquiarum ejus de nave exportatæ, suo quidem tempore in medio urbis. Capilli unguiumqve præsecandorum curam, utrumqve enim, tanquam vivo crevisse, Episcopum gessisse. His testimonium perhibent carmina duorum pœtarum, qui hæc ipsa coram inspexerunt, vetustate suâ auctoritatem omni exceptione majorem sibi vindicantia: primum familiaris ejus *Sigvarti*, qui capillos crevisse affirmat; secundum *Thorarini Loftange*, eò invitæ fidei, quòd odæ, quæ *Gleslogu* dicitur, honori *Sveni Alfisæ* filii dicatæ, hæc inferuerit, ubi præter crinium unguiumqve incrementum ipse, qui præsens apud *Svenum*, campanas sponte sonare, spontè candelas supra altare accendi, gregem (ut interpretatur author) immensum claudorum cæcorumqve, aut aliter ægrotantium, jam tum receptâ valetudine integram

inde

inde discessisse perhibet. Præcipua tamen miracula, ut & ea, quæ deinceps edita literis consignata sunt, adscribam.

CAP. XII.

DE MIRACULIS SANCTI OLAFI, EX
BREVIARIO NIDAROSIENSI ET CO-
DICE FLATEYENSI



Pere pretium est (inquit) de multis miraculis quæ ad commendanda merita gloriosi martyris Olavi Dominus operari dignatus est, pauca perstringere, quatenus in laudem & reverentiam drome pietatis audientium excitentur animi, & quantam gratiam & gloriam Dominus Sancto suo dederit, fidelibus innotescat.

Erat in Hibernia dux quidam, Guttormius nomine, natione Noricus, nepos beati martyris, vir genere preclarus & armis potens: hic cum Rege Margado federatus, & quadam familiari societate conjuratus erat, Contigit autem ut ambo in expeditionem cum innumerosa classe profecti, & inde multis opibus & navibus copiosis locupletati reverterentur. Quadam ergo die, cum spolia inter se divisuri convenissent, videns Rex presatus predam innumerabilem, amore cupidatis excecatus est, & mutue societatis & alterni sacramenti contemptor, proponit duci, ut eligat unum quod vellet e duobus: aut michi, inquit, omnia relinque cum navibus spolia, aut à me bellum tibi illatum sustinebis. Inter has positus dux Guttormius angustias, quo se verteret nesciebat, relinquere predam cum navibus turpe sibi & indecorum nimis videbatur; bellum autem suscipere periculosum admodum erat: erat enim inter exercitus grandis distantia, nam Rex predictus quindecim naves habuisse dicitur, dux vero quinque tantum. Dux igitur anxius biduanas petiit inducias, si forte tyrannum à nequitia excogitata possit deflectere, nam eodem die erat vigilia beati martyris Olavi: Postquam vero animum barbari nullis potuit precibus emollire, elegit honestè potius mori, quàm cum dedecore tanto & infamia sui generis spolia sua cum navibus relinquere tyranno, quia tamen humanum deerat, divinum implorat auxilium, & beatum martyrem Olavum ut sibi succurrat, devotè precatur, & crucem argenteam promissit se facturum in ecclesia martyris. Quid multa? ordinato exercitu inimicis occurrit agminibus, & fortissimè dimicans, ope Christi & gloriosissimi martyris interventu, totam barbarorum multitudinem prosternit. Inopinata ergo positus victoriâ, crucem fecit argenteam mire magnitudinis, longe humani corporis modum excedentem, & posuit eam in ecclesia beati martyris, ad corpus ejus in divini triumphi & inopinate victorie, quam per merita ejus obtinuerat, monumentum.

Pueri cujusdam falso impetiti crimine, ut sepe fert justus crimen, inique lingua abscissa est; hic fama miraculorum, quæ per Sancti Olavi merita fieri frequenter audierat, excitatus ad memoriam martyris venit, sanctum multis efflagitat lachrymis, altis exorat gemitibus, ut loquendi officium, quod iniuste perdididerat, suo sibi restituat interventu: factum est, ut qui ad sepulchrum Sancti merens & elingvis venerat, libere loquens ad sua cum gaudio remeavit.

Alter quidam Aslavius captus abscissa lingua forte elapsus est. Hic ad memoriam martyris veniens, & ut lingvæ sue pristina redderetur sanitas, cum

intima cordis contritione postulans usum loquendi, quem amiserat, recepit, seque in eadem perenni obsequio martyris mancipavit.

Mulier quaedam adeo deformiter contracta, ut pedes ejus clunibus adbererent, ad sepulchrum martyris allata est, ubi cum in lacrymis & obsecratione privigili perseverasset diutius, integre sospitati reddita, extensis nervis, erectis tibiis, confortatis pedibus & singulis membris officio suo & forme redditis, ad propria repedavit.

Erant duo viri fratres, & hi genere preclari abundantes, in seculo optinuerunt divitias. Illis erat soror secundum carnis superficiem pulchra, sed, ut quodam sacerdote Anglico, qui in domo fratrum ejusdem mulieris manebat, devotam habens familiaritatem, honesto zelo multa ei contulerat beneficia. Accidit autem, ut de muliere illa sinistra suspicio oriretur; sed quia sermo malus mentem audientium facilius solet insicere, propter assidua colloquia insonanti sacerdoti culpa indicitur, fratres autem ejus ad magnam familiaritatem, qua sacerdoti conjuncta fuerat, quasi de re certi, supra modum indignati sunt, & furore nimio succensi, dolorem suum dissimulando suppresserunt. Quadam verò die sacerdotem nichil mali suspicantem evocant, & assumpto quodam cliente suo, iniquitatis, quam conceperant, conscio, quasi cujusdam rei gerende secum abducunt: cumque remotè & longe à domo sua in loca secretiora devenissent, arripientes presbyterum, nichil tale formidantem, frangunt ei tibiis, abscondunt linguam a capite, oculos erunt, denique cum ille dolore anxius lingue residuum movens balbutire videtur, invadentes eum, partem lingue, quam reliquerant forcipibus extrahentes iterum abscondunt, & eodem semivivo relicto, in domo cujusdam paupercule mulieris ab ipsa susceptus deferunt. Porro ille tantam expertus crudelitatem hominum de Divina clementia non diffidit, ore tacens devoto corde efficacius loquitur, quo infirmior, eo fortior & potens, ad gloriosum martyrem Olavum, de cujus meritis tam magis audierat, totis conversus precordiis, illum sibi in tanta necessitate non desse. Quo miserior, eo miserabilior, quo magis anxius, eo obnixius eum deposcit. Sic in oratione & gemitu & contritione cordis persistens, opem martyris implorare non cessat, miser miseratione dignus: postero tandem die soporis quiete resolvitur, & ecce apparuit ei Sanctus martyr, dicens se esse Olavum, quem tam devotè & obnixè invocaverat, deinde oculos ejus & tibiis & queque loca faucia blandâ manu pertractans, tandem ut ad linguam ejus manum suam misit, radices tanto extraxit conamine, ut nimio dolore coactus, clamorem maximum sacerdos emitteret. Nunc post salutarem tactum martyris tam graviter lesa tanta Divina pietatis ubertas affuit, ut nichil omnino passus videretur: lingua reddita, tibie sanate, oculi restituti, & loca, si que fuerant vulnerata vel lesa, integerrimam recepere sospitatem. In argumentum tamen, quod oculi fuerint eruti, remansit in palpebris cicatrix candida.

Contingit sancto adhuc vivente in carne, quod quodam die dominica gloriosus Rex Olavus, virgulam forte, ubi residebat, inventam cultello, quem manu tenebat, dolaret, immemor quod dominica dies esset: observabant enim in Norvegia cum magna diligentia dies festos, nec ullus aliquid operis magni vel parvi facere presumebat. Unus igitur ex eis, qui assistebant Regi, videns quod Rex die dominica dolaret, nec tamen apertè ausus est dicere, quod dominica dies esset, hac illum voce commonuit: Domine, inquit, Rex, cras erit secunda feria. Qua commonitione Rex ad se conversus, & quia virgam dolaverat dominica die, vehementius dolens, omnes dolaturas virgæ colligit, & collecta super manum suam igne adhibito combussit; quibus combustis, manus illius illesa apparuit.

Anno, quo beati martyris Olavi ecclesia novo principatus & pallii vestitur honore, inter crebras populorum confluentias assumit ex longinquo tres debiles, variâ corporum egritudine laborantes, qui pariter ad ecclesiam beati martyris venientes, sperabant se, ea die gratiam sospitatis potissimum impetrare, quâ idem martyr carnis jura pro Christo solvens gaudium suscepit eternaliter permansurum. Erat namque inter eos quidam cecus, qui in ipsa martyris vigilia visionis leticia meruit consolari: die verò sequenti, cum processionis officia solemniter agerentur, mutus quidam locutionis gratiam recepit, & diu detente lingue officium in laudem Salvatoris gaudens laxavit. Mulier quedam à Svevorum finibus longe profecta ad limina Sancti martyris orationum causa decrevit proficisci: que licet in itinere, tam causâ cecitatis, quàm laboris, multâ pateretur incommoda, fide tamen robusta, & spe confortata, iter completum aggressum: que cum natali illius die gloriosam ingrederetur basilicam, & sacrosancta missarum celebrarentur officia, visionis optate leticiam, quam ab animo jam tredecim amiserat, meruit recipere.

In civitate quadam Russia, que Holmgarder appellatur, contingit tale incendium subito devenisse, ut totius urbis vastatio videretur imminere: cujus habitatores nimirum timore resoluti, ad quandam sacerdotem Latinum, nomine Stephanum, qui in ecclesia beati Olavi ibidem ministrabat, catervatim confuunt, ut in tanta necessitate experiantur beati martyris & certis probent iudiciis, que de ipso fama referente didicerant. Sacerdos autem haut segnis eorum favet voluntati, imaginem ejus arripit brachiis suis, ignibus oppoñit: sed nec ignis ulterius transgreditur, & pars relicta civitatis ab incendio liberatur.

Varius quidam in Russia servum emerat, bone indolis juvenem, sed mutum, qui cum nichil de de se ipso profiteri posset, cujus gentis esset, ignorabatur: ars tamen, qua erat instructus, inter Varingos eum converlatum fuisse prodibat; nam arma, quibus illi utuntur, fabricare noverat. Hic cum tandem ex venditione dominia diversa probasset, ad mercatorem quandam postmodum devenit, qui ei pietatis intuitu jugum laxavit servile. Hic optata libertate potitus in civitatem devenit, que Holmgarder appellatur, in domo cujusdam religiose matrone hospitalitatis gratiâ suscipitur, mansit per dies aliquot. Mulier autem in beati martyris Olavi honore existens sedula, ad omnes horas in ejus ecclesia orationibus procumbebat. Nocturni igitur temporis horâ visus est à se videri beatus martyr Olavus, precipiens sibi, ut presatum secum puerum ad ecclesiam deducat; quod statim ad matutinales horas properans exequitur: cumque in ecclesiam simul venirent, puer haut diu moratus, sopore resolvitur, & qui mulieri prius apparens curandum ad ecclesiam adduci precepit, vultu & habitu probatur. postmodum idem divina favente gratia curationem puero apparens contulisse.

Contigit etiam in loco, qui Stiklastad dicitur, eo anno, qui beati martyris Olavi basilica novo principatus & pallii vestiretur honore, quod mulier quedam visum recepit, cujus pupilla ab alio infante in pueritia cultelli punctu violata est, & ex illius dolore uterque oculus ad cecitatem gravatus est. Sed martyris interventu, deteresa cecitate, pristinum lumen se recepisse gaudet.

Apud Regiam urbem Constantinopolim celebris est S: Olavi Regis & martyris memoria, & in civitate eadem in honorem ejus ecclesia fabricata est. Accidit quadam tempestate, ut presate urbis imperator, exercitu collecto, adversus quandam paganorum Regem preliaturus procederet, ordinata utrimq; acie, & studio militari dispositâ, bellum inivit. Invadunt Christianos acerrime barbari, & in primo congressu victores existunt: occumbit pars maxima Grecorum, & Christiani exercitus robur elangvet. Restabat acies non grandis,

dis, que nihil aliud prestolabatur quàm mortem. Desolatus imperator & fere corde dissolutus, ad divinum se convertit auxilium, & beati martyris Olavi opem profusus pariter implorat lachrymis, quem pro justitia pugnans impetenter adesse fama referente didicerant, vorant se sub nomine martyris, & in honorem Sancte Marie virginis, in urbe Regia fabricaturos ecclesiam, si ejus interventu victores remearent.

O preclarum & insigne miraculum! Apparet martyr quibusdam de exercitu, & Christianam aciem signifer insignis precedit. Horror invadit hostilem exercitum, & metu divino percussus, omnes vertuntur in fugam immanes barbari, quibus paulo ante multus & fortis resistere non valebat exercitus: auxilio martyris munita persequitur acies non grandis. Fit paganorum strages innumera, & multis onusti spoliis victores Christiani revertuntur.

Imperator igitur Constantinopolim regressus, voti, quo se apud Deum & beatum martyrem obligaverat, non immemor, in honorem Sancte Marie virginis ecclesiam construxit: ad cujus opus fabricæ tam devota fuit & prompta populi victoris oblatio, quatenus perfecta ecclesia ingenti & peractis omnibus, que ad ejus ornatum erant necessaria, adhuc de pecunia oblata multum superesset. Et quàm in his & aliis multis beneficiorum insigniis omnium animis in beati martyris obsequio devotus extiterit, multarum pretiosarum & inestimatarum rerum splendore, hæc, in qua ipse requiescit, restatur ecclesia.

Contigit quodam tempore civitatem, in qua Sanctus martyr requiescit, vehementer accendi: unde ad muniendam ipsam ecclesiam corpus martyris pro miro ignibus opponunt: accessit autem quidam satis temerarius & scurrilem martyris cepit verberare, minas inferendo, quod totum simul incendio relinquendum esset, nisi solum monstraret beneficium, & ecclesiam cum dominibus adhuc illesis suis orationibus custodiret. Ecclesia autem intacta permansit: sed vir ille nocte sequenti gravi oculorum dolore correptus, tandem in ecclesia Sancti martyris precibus salutem recepit.

Rusticus quidam, vir simplex & innocens, a quibusdam potentibus provincie illius, in qua manebat, non justitiâ, sed odii causâ, falso latrocinii crimine impetitur, & postposita discussione negans trahitur; & inimicorum præjudicio suspendio addicitur; cumque anxius & miserabilis in gente perversa, nullum, cum oraret, justitiæ locum videret, de humano prorsus desperat auxilio, unde ad Dei misericordiam toto se vertebat pectore, & beatum martyrem Olavum obnixius deprecatur, ut innocenti sibi apud Deum precibus pro justitiâ subveniat, qui nocentes multoties misericorditer à debita pena suis precibus liberat. Quid plura? Ex adipe prodiit iniquitas eorum, & absque mora transit in effectum, suspendium insonem suspendio digni. Verum legis scrutator S. Olavus miseretur miserabili, affuit clamanti pro innocentia justitiam postulanti. Continuo itaque, ut à terra levatus est, quasi in visione visus est sibi Sanctus martyr Olavus pedibus suis asserem supposituisse, cui inmixtus per novem ferme horas illesus permansit; donec uxor sua & filii a quodam nobili reverterentur, impetrata licentia, ut corpus deponeret, & sepulture commendarent. Cumque, ut eum sustollerent, filius ejus ascendit arborem, cui suspensus adhebat, que ex quodam promontorio alte fixa manebat, cujus summitatem cum predictus juvenis serpendo attingeret, vibrato ictu ligamen, quo sustentabatur, precipitavit. Quod dum fieret, corpus miserabile in tale precipitium tendit, ut magis membratim crederetur comminui, quàm etiam viventis salus posse sperari. Sed nec casus asperitas, nec eminentia scopuli poterat inferre gravamen, cui pro justitiâ martyris meritum prestavit juvamen. Qui statim quasi resolutus sopore

Jopore reledit, visionem velut somnium recolens: cum autem, discedente algore, vigor membr̄is accresceret, & resumpto spiritu paulatim convalesceret, & ad Sancti martyris limina propere tendit, & rem penes se gestam, & multorum testimonio approbatam, ad laudem Dei ex ordine ejus loci Archiepiscopo & fratribus exposuit.

Hucusque *Breviarium Nedarosense. Codex autem Flateyensis*, his tantquam ex professo enumeratis, plura adjicit, tum ea, quæ vivus, tum mortuus edidisse perhibetur. Nos, quæ vivo evenerunt, præmittamus, omisis iis, ut plane fabulosis, quorum mentionem fecimus *Partis hujus Lib. I. Cap. XIX. quæ ejusdem codicis columnis 26 & 28. legi possunt; ut & aliis, in Historia Magni Boni numerandis, pluribusque Sparfim relatis.*

Sigurdum Akii filium, Vagni nepotem, virum nobilissimum, in Vinlandia cum lamia quadam Trollorum generis, proxeneta suum persequente, congressum manum ei præcidisse, mox diris ejus ad horrorem humani sanguinis devotum, rebus postea gerendis minus idoneum fuisse. Id vero ut summum seculi dedecus cum sedulo oculuisset, Alfiam Knuti Regis concubinam ollescisse, Regique suggestisse; quem, comperto vera eam attulisse, magna cum ignominia eum à se abegisse, eum vero ad Sanctum Olafum concessisse, eiqve conditionem suam exposuisse. Olafum autem signo crucis volæ suæ inciso, cum elifum inde sanguinem ei ostendisset, eum in integrum restituisse. Revocatum inde à Rege Knuto ejus ministerium recusasse, & apud Olafum remansisse.

Alterum miraculum in Eigile Halli de Sida filio perpetratum videri poterit, cum impositis ægrotantis lateri manibus valetudinem ei restituit, ut antea dictum est.

Post mortem verò hæc recensentur.

Eysteini Ingiique Regum Norvegorum temporibus, qui patri Haraldō Gillio anno MXXXVI occiso, cum fratre tertio Sigurdo Broncho, (non tamen omnes simul) in regnum successerunt, quidam, nomine Halldor, in Vandalos incidens, lingua per partem gulæ proximam perfossa extractâ, aqve imis radicibus excitâ, privatus, voto Olafō nuncupato, elingvis in posterum sermonis usum, ut antea, recepit, ei deinde, quoad vixit, in æde sacra ministerium præstitit. Meminit hujus miraculi Snorrius Sturlæus in his Regibus. Contigit autem duabus hebdomodis ante posterius sancti Olafi festum, quod in III Cal. Augusti, seu XXIX Julii incidit quò; die Nicolaus Breckspærre natione Anglus S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis, qui postea Pontifex maximus factus Hadriani Quarti nomen assumpsit, missus à Papa Evgenio Norvegiæ litori appulit; ubi constituta Archipræfulis sede Stafangriæ Episcopum Jonem, seu Iohannem, primum metropolitani creavit, anno MCVII.

Mulierem præterea Nidarosiæ habitantem, quæ epilepsia singulis mensibus laborans, novum, eumque juvenem, maritum morbum celabat, postquam eum una cum B. virgine invocavit, adque pervigiliam candelam obtulisset, jejuniæque a sacerdote injuncta, rectè peregisset, ab ista peste liberâsse traditur.

Rupem quoque in Thelamarchia, cum cives de ædificanda ei lapidea æde consultassent, nec saxa decenti mollicie extarent, cum primum latomus lapidicinam explorasset, sponte ruptam laudatus codex memorat. Inde templum levi negotio exstructum.

Puerum etiam in provincia Nidarosiæ proxima per biduum errore abreptum, post nuncupata sibi vota eo in loco, ubi diu frustra quæsitus est, aperuisse.

Virum quoque, qui se malo dæmoni mancipaverat, cum ad templum sibi dicatum ceremoniis interfuisset, ad veram pænitentiam convertisse. Atque hæc sunt, quæ *codex Flat*: multis memorat, in compendium relata.

Fuerunt etiam, qui desiderium ejus ferre non possent. Besius enim Torfi poëta filius, Româ, quò religiosum cum Sigvato iter susceperat, profectus, cognito Regis fato, graviore mæore, quòd lachrymas fundere nequiret, correptus in urbem rediens exspiravit, adque ædem S. Petri sepultus est. Exprobratæ Sigvato lachrymæ dolorem quidem levârunt, tædium licet, quoad viveret: nunquam dempserunt, de quo plura suo loco dicenda.

CAP. XIII.

DANORUM PER ANGLIAM INSO-
LENTIA SCRIPTORIBUS ANGLICIS NOTATA,
DEFLECTIONIS CONSILIA INTER NORVEGOS, EJUS-
QUE PRINCIPES. BELLUM CUM TRYGGVIO O-
LAFI TRYGGVINI FILIO ET EJUS
EVENTUS.



D annum MXXX. *Gwilhelmus Malmesburien-
sis* nostris scriptoribus incognitam *Sveni Alfisæ filii*,
Norvegorumque, quibus imperabat, expeditionem in
Scotiam refert: cum Regio imperio à *Knuto præfectus*,
paternæ laudis æmulus, cum magna classe e Norvegio
in *Fisam* Scotorum trajecit; ad rumorem adventus ejus
hinc *Machetus*, hinc *Duncanus*, velut è somno excitati
hosti obviam eunt: primum prælium prope *Culrosiam* pugnatum est, tanta per-
tinacia, ut *Danis* ad sequendum fugientes animus deesset, *Scotis* ad fugam viro
vires suppeterent, itaque *Svenus*, modo insisteretur, totam Scotiam brevi sue
ditionis fore non vanè auguratus, *Beribam* cum omnibus copiis ad obsidendum
Duncanum contendit, classe circummissa, ut per *Taunannem* eodem appelleret:
quod *Duncanus* videns, omni jam opè quasi destitutus, ut arte se expediret,
dimitti nuncios, alium ad *Machetum*, ut subsisteret, alium ad *Svenonem*, qui de
deditione ageret. *Scotus* petebat, ut urbe dedita, sibi cum suis incolumi abire li-
ceret. *Svenus* existimans eam petitionem ab ultima desperatione profectam,
nihil nisi omnibus sibi permissis audiebat: missi & alii, qui in scribendis conditi-
onibus tempus traherent. Hi ut ampliorem beneficentiæ speciem adicerent,
Regem affirmant, dum leges pacis darentur, earum rerum, quæ ad commea-
tum spectant, abunde in castra missurum; itaque missa magna vis panis &
vini, nec non cervisia ex hordeo confecta, ac succo herbe cujusdam, quam *La-
tini salanum somniferum* vocant, imbutæ; hæc herba cum largius sumatur in
amentiam agit. Eâ igitur cum essent infecta pene omnia, qui commeatum in
castra vehebant, ne fraus appareret, prægustabant, *Danosque* ad bibendum
invitabant. Idem quoque *Sveno* ipse, benevolentie testandæ, ut mos est genti,
faciebat. Ac mox potu copiosiore in somnum solutis *Norvægis*, castra ingres-
si *Scoti* cedunt universos. *Sveno* ipse somno adhuc gravis a paucis, qui minus
temulenti erant, arreptus ad naves delatus est. Quæ dum fiunt, adfertur ali-
am ad *Kingorum* Danicam classem stare, subsidio *Sveni* à *Canuto* submis-
sam, rectores in terram expositos ferre, agere, nullo resistente, incolentium
bona. Adversus eos *Scoticus* dux, *Bancho* nomine, cum copiis missus, primo ad-
ortus, & quosdam concidens reliquos ad naves compulit. Verum *Scoti* isto
stra-

stragemate, sive dolo potius, non virtute superiores, ad incitatum acti fuissent, præsertim si altera hæc classis priori juncta rem integram reperisset. Regressus inde ad Norvagos Svenio Scotos dimisit.

Illius imperium, quamdiu præfuit Norvegis, deinde invisum, adque posteros odiosum; nam ætate ingenioque puer materno imperiò regebatur, quæ muliebri fastu, indigenis contemptis, Danos evehebat, id quod ex lege illa contumeliosa, quam de testimoniis tulit, manifestum; nec id Norvegis solis accidit, idem enim in Anglia obtinuisse docet Bromton Abbas Fornalensis in Harde-Knuto, si inquit, Dacus Anglico super pontem aliquem occurrisset, Anglicus pedem movere ausus non fuisset, donec Dacus pontem pertransisset, & ulterius nisi Angli in honorem Dacorum capita inclinassent, graves penas & verbera citò sentirent.

Factum inde, ut post mortem Hörda-Knuti, prole carentis, omnes Anglorum magnates communi consilio & juramento statuerint, Danos in æternum Angliæ regno excludendos, & hoc maximè propter contemptus, quos Angli a Danis sæpius receperant, unde mortuo, ut dictum est, Hörda-Knuto, Angli contra eos insurgentes, omnes Danos sine Rege & capitaneis tunc existentes à Regno Angliæ fugaverunt, qui terram celeriter dimittentes, nunquam in posterum redierunt.

Henrici de Knygthon canonici Leycestrensis de eventibus Angliæ Lib. 1. de eodem Harde-Canuto hæc reliquit. Iste Harde-Canutus, ait, mortuus est tertio anno regni sui in una bovaria, & sepultus apud Westmonasterium. Iste sustinuit Danos in Anglia in tantum dominari, donec hospitium quodlibet per regnum habuit unum Danum custodem & magistrum domus super omnes alios hospitii, & sic desolaverunt uxores & filias & ancillas, & multa alia opprobria & contumelias ingesserunt nostris, in vituperium & dedecus Anglorum, donec Anglici necessitate coacti acceperunt audaciam, resumpserunt vires, & collegerunt magnum exercitum; qui Hovneker appellabatur, à quodam Hovne, qui se ad hoc consilium dederat, & ductor eorum extiterat, & sic Danos occiderunt in magnum ruborem, & de partibus Angliæ totaliter fugârunt.

Ad hæc seculi vitia connivendo Norvegorum omnium odiâ Alfisa in se concitavit, causâ omnis in Thrandos à cæterarum regni partium incolis rejectâ, quod sævum Knydliorum imperium omnium cervicibus, sine ordinum ullo nobilis ignobilisve discrimine, imposuerint. Æquum igitur visum, ut qui patriam servituti mancipaverant, ii etiam discutendi communis jugi authores fierent, præsertim cum viribus procerum plebisque multitudinè aliis provinciis longè præstarent. Quibus cognitis, justam quærelam rationem agnoscentes, perpetrati in Regem Olafum sceleris penitentes, conventus habere cæperunt, principè Einare Thambakelfere.

Qvin & Kalfus, speciosis se promissis ad perduellionis principatum parricidiumque in Regem illectum, deinde ludificatum sentiens, jam omnium invidiâ expositus, fratres suos, Finnum, Thorbergum & Arnius sibi per internuncios conciliavit; ii enim postquam in domo ejus vulneribus sanatis (quorum Arnius diutius æger, ideoque seriùs integer, tamen valetudine nihil imminutâ domum rediit) vires receperant, moræ longioris ad fratrem impatientes (Finnus præsertim ob rebellionem adversus Regem nimis infensus, sæpius eum asperis verbis objurgabat, Thorbergo sibi magis temperante) vitam bonaque à Rege Svenio pacti, longa à fratre nave insigni apparatu comitatuque instructi ad domesticas curas conversi, pri-

vato se otio condiderunt. Jam quoque iis, qui consilia de pellendo regno Sveno, Danorumque imperio excutiendo, clam agitabant, accessit; cujus haut obscura indicia anno regni Sveni tertio dedit, cum fama contracti in occidentem exercitus, duce Tryggvio, qui se Olafi Trygvini ex Gida filium profitebatur, Norvegiam pervolans Svenum ad delectum toti regno indicendum convertit: satrapis enim penè omnibus, præter Einarem, qui expeditionis comitem se addere recusavit, Thrandiã excitis, Kalfus quoque evocatus, nave viginti scalmorum summâ festinatione adornata, Thrandia Svenum prævertens solvit, Mariamque transectus, priusquam Giskium ad fratrem Thorbergum perveniret, non destitit; ibi consiliis cum fratribus initis, domum iterum pergens, in Frekeyarsfunda in Svenum cum classe in portu stante incidit, dumque præternavigaret, inlatus à comitibus Regis, ut in expeditionem Regem sequeretur, respondit; *satis, si non nimium, pro regno Knytlingorum adversus populares meos militavi.* Inde deserto Rege domum rediit, nec ullus fratrum ejus huic expeditioni se junxit. Svenus ad australia regni classem dirigens, ubi nihil de hostilis classis adventu certi compertum, Rogiam, inde Agdas, petivit; multis Vikam Tryggvium primum, ubi avorum domicilia, propinquorum familiarumque præcipua vis, auxiliorum certissima spes, petiturum conjectantibus. Hordiã autem præter spem eorum appulsus, cognito Svenum in australes partes concessisse, Rogiam usque tendebat.

Certior per exploratores de adventu ejus Svenus, classe in occursum directa, infra Bochnem in Soknarfunda, prope locum, ubi Erlingus Skialgius occubuit, in eum incidit. Prælium ingenti ab utraque parte ardore confertum; alterâ ereptum prius familia; occiso patre, regnum, nunc quoque propinqui morte iterum amissum, vindicare; alterâ familiae suæ toties assertum propugnare, admittente. In primis Tryggvii alacritas jaculandi que insignis peritia admirationi fuit; duabus enim manibus simul arcum torquebat; inimicis, qui eum sacrificio satum calumniabantur, hac insultatione confutatis, ita se à patre missam celebrare edoctum, genus enim factis tantò patre dignum, tum etiam corporis ornamentis, argumentis satis evidentibus asseruit: sed fortunâ virtuti non respondente destitutus eo prælio occubuit, cum magna parte exercitus, pars fuga elapsi, pars deditione recepti, victoria regni que immota penes Svenum possessio, pax incolis securâ eo anno duravit, Rege in australibus provinciis hyemante. Tradit quidem liber membranaceus vetustissimus, Tryggvium non prælio, sed scelere rustici, vicinum loco conflictus prædium incolentis, occisum, neque id prius quam adulto Regis Haraldî Strenui imperio cognitum, quod in gestis ejus latius exponendum. Ad annum ætatis circiter quadragesimum Tryggvium tunc provecum oportet, & mirum, à patre toto regni sui tempore neglectum.

Eadem hyeme Einar Thambaskelfir & Kalfus Nidarosiã convenientes consilia de reducendo S. Olafi filio Magno, qui in Russia apud Regem Jarisleifum regiã educatione nutriebatur, ineunt: quo tempore nuncios Knuti Magni ad Kalfum missi mandatum Regis de triginta sex securibus Norvegicis, curatissime factis, ad se mittendis referrent. Is autem respondit, nullas se ei missurum, filio verò tot procuraturum, ut de defectu queri non possit. Vernante primùm anno, magno comitatu Kalfus & Einar, cum præcipuis Thrandiã civibus, transito monto Kiolo, per Jamtiam Helsingiamque in Sveciam profecti, naves apparabant. Inde per ætatem in Russiam navigantes, autumno Aldeigiuburgum delati, legatos inde Holmgar-

gardum, Ruffiæ id temporis metropolim, ad Regem Jarisleifum miserunt, qui significarent se paratos ad recipiendum inque Norvegiam deducendum Magnum S. Olafi filium, regnumque ei patrimoniale suis viribus acquirendum, Regemque ibi constituendum.

Expositâ legatione, Jarisleifo cum Regina, iisque, qui à consiliis secretioribus, de tantâ re deliberare placuit, Norvegosque, publicæ securitatis cautione munitos, ad se Magnumque arcessiri; qui Holmgardum delati singuli obsequium fidemque Magno jurabant, pacti vicissim Kalso, omnibusque iis, qui bello Stiklastadensi S. Olaso adversabantur, in præsens posterumque à Magno, post acceptam regiam potestatem, veniam & securarâ impunitatem, in id quoque fides juramento data, Kalso tutore Regis constituto, ad omnia, quæ ad usum Regis imperandique libertatem & regni auctum spectarent, promovenda se consimiliter obligante. Hæc secundum Snorrii Sturlæi aliorumque narrationes exposita. Liber ille vestitus, quem Morkinskinnam appello, aliter pluribusque, nescio an pari fide, tradit.

CAP. XIV.

VARIANTES CODICUM RELATIONES EXPONUNTUR.



Memorat autem *Morkinskinnam* inter Reges Ruffiæ Jarisleifum & Norvegiæ Svenum ob cædem Sancti Olafi magnas inimicitias exortas, mutuis commerciis utramque gentem exclusisse, plexosque capite advenas Norvegos suppliciorum metu alios accessus Ruffiæ absterruisse; inventum tamen virum animo quàm genere nobiliorem, ætate juvenili tenui in re, professione falsamentarium, deinde ex negotiationibus opulentum, nomine Karlem, cui frater Biornus, qui hæc ausus sit periclitari. Hunc enim in Ruffiam cum mercibus advectum, cum ad carcerem duceretur, multis monstrasse, quàm imprudenter id fieret, nec minori Rufforum quàm Norvegorum damno, tantumque profecisse, ut detentis fociis veniam ad Regem Holmgardum usque proficiscendi impetraret; verùm cum nullo mitiorum Regem experiretur, sapienter disseruisse, non ex paucorum delicto totam gentem censendam, segregandam esse causam vulgi à procerum culpa; neque enim omnes illo crimine pariter contactos. Se hominem falsamentarium, nullâ apud suos auctoritate, diu cum paupertate conflitantem, mercaturâ quæstum fecisse; Regis tamen quàm hostium semper studiosiorem, licet partes ejus propugnare nequivit. His verò Jarisleifum nihil motum, carceri eum includi mandasse, deinde Magno, quid fecerit, exposuisse. Illum verò propensum in se Regis affectum etiam hoc facto illustratum condignis extulisse laudibus, jureque in eum statutum pronunciâsse: omnes enim Norvegos suos esse subditos, omnes à fide defecisse; itaque nec injustè in defectores animadverti: verùm hac viâ ad regnum recuperandum minus profici. His animadvertis Jarisleifum sententiam mutasse, exemptumque carceri Karlem arcessisse, totamque hyemem apud se detinuisse, sapius privato colloquio adhibitum; discedenti autem imensum thesaurum ad sollicitandos potentiorum animos, eorumque voluntates Magno conciliandas, tradidisse. Illum verò, recepto in se tanti moliminis negotio, admisso, in facinoris societatem

fratre Biorno, primò Vikam ingressum, habitus animorum probè pensatâsse; eos tantum muneribus aggressum, quos in Magnum propensiores animadvertit; corruptisque in transitu pecuniâ, quibus prælens status in visus erat, quosque ad novandum momentum haut contemnendum allaturos credebat, per septentrionalia procedendo, tandem quoque Gymfas, domum Einaris Thambaskelferis, devinisse, ibique expositis Magni postulatâ, pecuniam quoque ei ostendisse. Illum verò respondisse: *invisam sibi istam in nobiles viros largitionem, ex quo bis artibus Knutus ille Magnus, omnium libertati insidiatus, fidem eorum expugnâisset: in Magni autem gratiam nihil se omisiturum, quod ad causæ ejus præsidium facere videretur, antequè festum Pentecostes se in Russia eum invisurum.* His dimissos fratres ante festum Ramalium Nidarosiam ingressos, hospitio Grimi Gra seu cineracei exceptos fuisse, jam tum prænunciâ famâ de speculatoribus, ad tentandos muneribus optimatum animos Russiâ missis, implente, tantâ fidei assertione, ut neque habitus nec corporum modus lateret, jamque hospitem eos suspectantem quævisisse, *an de istis hominibus iis nihil constaret?* sed nec dissimulâsse suam de iis conjecturam: ipsi autem negantibus non ulterius quæsitorem regium de speculatoribus inquisivisse, Grimoque impropertâsse, quòd ipsos hospitio receperit: illum verò domum regressum, se iis fide datâ adjunxisse. Cumque elabendi potestas utrique pateret, Karli placuisse ut Biornus festinato itinere Russiam peteret, Magnumque certiore faceret de iis, quos ei conciliâisset, quorumque fiducia patriæ repetendæ animum capere posset; sibi verò remanendum statuisse, ad plures in societatem factiois adjungendos. Et Biornum quidem inter varia pericula in Russiam pervenisse; Karlem autem comprehensum cum promissâ impunitate profiteri jubetur eos, qui argentum seditionis proditionisque mercedem acceperint, respondisse: *nihil Regi utilitatis illinc sperandum; aut enim patres pecuniam accepisse, aut potentes; ab illis nihil ei periculi, ab his apertam rebellionem metuendam, tam victoribus, quàm victis perniciosam: malle itaque silentio tantas res præterire, quàm patriam Regemque ingentibus periculis involvere.* Rege tormentis rem exprimendam denunciante, in custodiam tractum, elusis custodibus evasisse, inque itinere, dum Rex expeditionem contra Tryggvium moveret, à Kalso, jam à Sveno Danisqve occultè alienato, deprehensum, mox receptum & occultatum, ei se in Russiam comitem addidisse, interpretemque causæ ejus deprecatoremq; egisse, eoque rem deduxisse, ut Kalso crimen occisi Regis, cujus infirmulabatur, juramentò dilueret, acceptaqve impunitate fidem in posterum Magno daret, dimissusque domum in occursum ei patriam repetenti rediturum se promitteret.

Cum interea Magnates Thrandiæ, occasione absentia: Sveni (quem author, cujus relationibus imoratur, in Daniam iter decrevisse primo, mox in austros concessisse perhibet, *Fagiskinnu*, seu compendium, idem statuens, à prælio cum Tryggvio Thrandiam primò reversum, inde ad australiora regni conversum asserit) nova moliri cæperunt. Is enim ante abitum cum frequenti conventu Nidarosia: habito, assidente matre, novas exactiones publicaret, nemine vel abnuente vel assentiente, facillè alienatos a se civium animos perspiciebat. Ibi Einar Thambaskelfir pluribus audientibus dixit: *non equidem se S. Olaso studuisse, sed nec Thrandos solertes mercatores fuisse, dum Regem suum sanctum equâ pullôqve permutâssent: Regem enim adeptos, qui prælens fari nesciat, matrem ejus tantum quæ mala, idqve*

magnâ efficacîâ. Ad hanc indignitatem applaudentibus cunctis, cum Alfifâ imperaret, ut confideret, dum Regia referrentur mandata, omnibus reticentibus Einar exurgens; vestras inquit, domos, crives, repetite, nam ad Alfifam & nunc & olim malo vestro ibitis: quin potius injurias domi expectatis, quàm tanto in unum locum confluxu ex longinquo conquiritis, nimis mulieris verbis auscultantes; qui Regi vestro, nunc sanctitate conspicuo, auscultare dedignabamini, consilio factoque execrabili, cujus in præsens penæ graves. Certè populus iste, postquam imperium hoc in se recepit, tot miseranda passus est, ut spes affulgeat, Deum iis furem brevi impositurum, nimis enim diu incubuerunt. His dictis foro egressus universam multitudinem secum traxit; Alfifâ cum Rege indignabundâ remanente.

Eâdem hyeme alterô forô indictô, cum, spreto mandato, nemo compereret, Rex positionem metuens in australes provincias concessit, quô tempore primores consilia de revocando Magno frequentibus collegiis agitabant. Hæc *Compendium*. Singula minorem fidem quàm ea, quæ antea ex Snorrio exposuimus, merentur; cui *Historia rerum Orcadensium* suffragatur. Tradit enim, Kalfum Einaremque Thambaskelferem, proceres insuper multos, inter quos Morkinskinna Svenum Bryggiusotum seu Pontipedem, nominat, ingenti comitatu Russiam profectos Aldeigiuburgum devenisse, ubi tum Rognvaldus, Brusii Orcadam Comititis filius, unâ cum Eyliforognvaldi, Vestrogothiæ quondam Comititis, ex Ingibiorgæ Regis Olafi Tryggvini sorore, filio, limitum custodia præfectus, quem ad famam adventus Kalfi concitatorum, protinus eum occisurum fuisse, nisi ab Einare edoctus, penitent à præteritorum ad arcessendum in paternum regnum filium S. Olafi Magnum eò profectum esse cognoverit: mox ab Einare interpellatum, ut *Holmgardum imperii sedem eum secum deducere, causamque eorum, tum etiam universi populi Norvegici, & in primis Magni Regis filii, cujus maxime interesset in paternum regnum restitui, promovere apud Regem Jarisleifum Regiamque dignaretur; pertesam enim universam gentem imperiosum secumque famine Alfise regnum, sub umbra adolescentis Sveni, Knuti Magni suique filii, res civium pro lubitu versantis.* Hoc itineris scopo mitigatum, cum primum per nuntios fide publicâ literas à Rege impetrassent, quibus securitati eorum cautum, itineris socium se addidisse, postulatque eorum Reginæ primò, deinde ipsi Regi, commendatis, illam in partes Norvegorum traxisse; difficiliorem Regem, fidem Norvegorum exemplò in patrem edito mensum, aliquantisper obnixum: ne tamen pupilum regno civiumve studiis frustraretur, duodecim præsentium procerum fidem sacramento interponi jussisse, omnia sincere agi; soli Rognvaldo (qui inter proceres eum in regnum sequi voluit) fidei studiique in Regem regiamque familiam perspectissimi intuitu, juramenti gratiam factam. Kalfum deinde Magni tutorem constitutum, in obsequium ejus jurasse sacramento, quô Regem sive intra regni fines sive extra assidue sequi, omnemque operam ad regnum ejus stabiliendum augendumque impendere tenebatur.

CAP. XV

MAGNUS RUSSIA PROPECTUS AUXILIIS
NOVERCÆ INSTRUITUR, IPSAQVE COMITANTE IN
THRANDIAM DEVENIT, SVENUS AUXILIIS CIVIUM
DESTITUTUS DANIAM REPETIT.



ostquam proceres Norvegiæ Magnum Regem renunciâscent, statim in satellitium ejus ascripti sunt. Holmgardi deinde festum Jolense transactum; mox Aldegiuburgum itum; ibi naves præparatæ: inde dilatâ primum glacie hybernâ in Sveciam navigatum, Sigtunæque petita, regnante (uti *Chronica duo MSS.* tradunt) Ermundo Olafi Sveonis filio. *Edictio Danica* Anundum habet, nec *Johannes Magnus* plane decidit, licet *MSS.* potius assentiatur, dum *Lib. XVIII. cap. VI.* Canutum Magnum Duce Ulphone bello cum illo prope villam, seu pontem, Stangapelle congressum tradit. Id vero ante annum sæculi ejus XXXVI, quo Canutus decessit, gestum oportet. Ante ergo illum annum decessisse oportet Anundum, quem tamen ille Annosum appellat, cum vix, utex libri præcedentis cap. XVIII. liquet, ante annum MVII. vel MIX. natus sit. *Historia Archiepiscoporum Bremensium* obitum Anundi (Jacobi) ad annum MVI. refert; hæc igitur, quæ scribimus, illius tempore gesta videntur.

Sigtunas delatum Magnum noverca ejus Astridis, animo haut novercante, sed officii, quæ vel indulgentissima mater effusivè conferret, eum excipit, frequentiqve conventu in loco Haungrom indicto apto ad populum sermone declarat; *Sancti Olafi filium, suumque privignum, animo patrium regnum repetendi coram adesse; ad eum promovendum nullis se impensis parcituram, argentum opesque cæteras erogaturam ad militem commendandum; & ne de suo in illum animo ulla dubitandi ansa relinquatur, ipsam quoque securam, cum iis, quæ sibi suppetant, copiis; optimè de se merituos singulos, qui comitentur.* Postquam longâ oratione animos eorum perentâsset, responsum accepit: *haut animo excidisse postremam in Norvegos, duce patre ejus, profectionem; tantam ibi cladem acceptam, ut haut immerito eundem eventum vereantur; eosdem ibi milites, eadem arma, quæ prius, nec istos segniores, aut illa hebetiora, nec numerum imminutum, aut animos remissiores.* Ad hæc illa respondit: *Si vel maxime omnia ita, ut prædicatis, se habeant, fortibus tamen viris minime extimescendum; æquum enim est, ut memores acceptæ cladis, propinquorum jacturæ, propriorum vulnerum, magis ad ultionem incendamini.* Jam verò quid in Norvegia vobis potissimum formidandum, non video, gente vicinâ, iisdem vobiscum institutis, moribus, lingua, nec corporum aut armorum habitu dissimili, ubi eadem celi solique, quæ vobis, constitutio, caloris frigorisque idem temperamentum, eadem artes bellicæ, utrique genti mutuis commerciis nota, ardor idem animorum, virium pariter, in omnem patientiam paribus exercitiis duratum. Esto, singulis hisce Norvegi præstent, id verò pro vobis hoc rerum statu faciet, alia enim ibi rerum facies: jam enim odium Regis in penitentiam mutatum, ad eos, pro quibus illo tempore adversus vos pugnabant, transit; ad vos autem spes illa, bonorum honorumque expectatio, quæ illis ostendebantur, quæque iis scelerata arma induit, jam in contrarium versa. Ad liberandum enim asperâ servitute patriam regni justus heres Magnus omnium ordinum vocatu proficiscitur. Non igitur hostes Norvegorum, sed auxiliatores libertatisque assertores, acceditis, accepti iis, quibus antea exosi, eorundem armis viribusque illum hostem expulsuri, quorum is arma viresque in vos concitavit. Quid igitur cessatis vindictam de hostibus alieno periculo sumere, accepta damna nullo negotio rescircire, præmiaque & honores sine discrimine adire, hosti metum, vos tantum ostentando, incutere, gloriam liberatorum vicinorum, restitutiqve in pa-

ternum regnum Magni, quam in patre ejus fortunâ negavit, amplissimum in humanis decus præsentis occasione comparare?

Talibus Afridis hortamentis magnus Sveonum numerus in expeditionis societatem allectus, Sigtonis Magnum novercamque comitatus, pedestri per Sveciam Helsingiamque itinere Jamtiam usque perduxit. Addit *Morkmskinna*, quod fama itineris ejus in Thrandiam delata, multos inde mortales ad excipiendum eum exiverit, quorum dux Kalfus Arninus; in his multos hostilia prius in patrem ausos, novis meritis studiorumque significatione invidiam facti deleturos. Ibi Kalfum Einaremque à consiliis constitutos, nutritios, seu tutores, quoque appellatos; nomine vim illius, quod alibi pater principis, complectente.

Jamtia cum exercitu per montem kiolum in Thrandiam Nidarosiam usque descendens Magnus, festis omnium acclamationibus excipitur; mox quicquid satellitum partiumve Sveni remanserat, trepidâ fugâ sibi confusus, sine ullo resistendi animo, nedum conatu, in varia loca dilapsus, metum Magno civibusque cunctis subiti periculi demserat. Nec mora, convocatur ad forum Eyrense ex omnibus Thrandiæ provinciis vis universa civium, magnaque frequentia studiorum certamine coit. Ibi cum civium primarius Regem pro more salutâisset, secuta ex omni multitudine consentiens vox faustæque acclamationes, regium nomen ei imperiumque adfruentes; fides deinde jure jurando firmata, lectum inde satellitium, classisque comparata, satrapæ provinciis, villis curatores, præfecti: ipse Nidarosia magnâ frequentia residens, singulis Thrandiæ provinciis in autumnum expeditionem indicit. Omnes dictu audientes mandatis parent, ingensque navium pugnatorumque multitudo concitur.

His auditis Svenus, in Hördia (aliis Vicha) constitutus, telo belli nuncio in omnes partes misso, singularum curiarum cives ad certum locum evocat. Convenerunt è proximis provinciis, audiuntque exponentem Thrandensium defectionem, qui novum sibi Regem constituerint; Magnum nimirum Olafi, ejus, quem ipsi occiderant, filium, adque regnum patrimoniumque suum adversus eum defendendum, eorum auxilia operasque implorantem. Qui cum voluntatem suam paucis significâisset, vix responso accepto confedit. Multis itaque magnates Dani jus Regis necessitatibusque præsentem monstrantes, officii sui colonos admonebant, serio hortantes, ut Deum, qui obediendum Regibus imperâisset, obsequiî auborem sequi, quam se perjurio polluere malint, vindicentque à raptoribus regnum, vi & ignominia Regem, se ipsos ab invasorum injuriis, penisque tum à Deo, tum Rege, si desererent, in posterum expectandis; nec enim impunitam defectionem futuram, Knuto Drono humanoque jure fulto, tot præpotentium terrarum Dominò, cujus viribus Anglia Scotiaque solius tantum Danie Regis aliæque terræ succubuerint, auctæ jam potentie partem Svecia Norvegiaque simul expertæ non sustinuerint. Quid in puero imbecillo, perfugarum aliquot manipulis instructo, paucorum sceleratorum perduellum svasu, qui sibi imperium in eum, & sub ejus nominis umbrâ in cives universos, prohibitu destinaverint, alienum regnum ingresso, adversus tantam vim præsidii sperandum? Id genus rationibus metum incussuris à provincialibus variè responsum est, talis Regi Sveno se militaturos profitentibus, aliis militiam ejus palam abnuentibus, aliis, idque maxima plebis parte, conticentibus. Fuere qui militem, & quæ ad expeditionem requirerentur, se ex legum præscripto præbituros, ipsos verò domi remansuros, asseverarent: multi etiam se Magni partibus, cum primum liceret, adjuncturos contestarentur. Quibus cog-

cognitis Svenus, Palam est, inquit, quid nobis a gente hac expectandum sit, ad forum evocati comparant oppido pauci, iique, qui adsunt, aut in dubio herent, an nobis accedant, aut obsequium palam detrectant, alii se insuper hostes nobis profitentur: qui militaturos pollicentur, pars exigua, nec tanti, ut eorum fiduciâ bellum geramus. Eos enim, communis cum aliis prodicionis scelere infectos, quin insanie certamine ad Magnum magno nostro periculo sint defecturi, haut ambigendum. Mittenda igitur in præsens gens insida, regni-que periculosa possessio, tutiore tempore fidoque milite repetenda. Dania interea, ubi certa in nos fides, petenda, fraterque Horda-Knutus; inde aucto exercitu ad expugnandam gentem hanc satis valido redeundum.

His procerum singuli assensum præbentes, facile viribus patris ejus fratrisque amissam hæc vice Norvegiam recuperaturum affirmabant; tum vero in ultionem perfidiæ incendiò villarum ad exemplum usque vastandam. His probatis, omnes Alfisam Regemque in altum navigantes, secuti in Daniam trajecerunt, à fratre Horda-Knuto amicissimè excepti, qui cum fratre imperium haut gravatè partitus, auxilia ad amissâ repetenda enixè se præbaturum pollicebatur. Atque ita Norvegiæ possessio ab anno CLLXII, quò occasione sævi muliebris Reginæ Gunnhildis imperii ad Danos translata est, ad annum MXXXIV. vel XXXV. trium supra sexaginta annorum spatio certati juris, puerili inscitiâ muliebris insolentiâ Regibus Daniæ ad tempora usque magnæ illius Reginæ Margaretae, trecentis quinquaginta quatuor, vel tribus, annis erepta, quæ virili deinde fortia sibi suæque familiæ eam in posterum asseruit; jamque, dum hæc scribo, annis duodecim supra trecentos vindicavit.

Hoc eodem autumno Magnus singulas regni provincias permensus, cives immite Alfisæ imperium execrantes magnâ alacritate ad se confluentes sacramentò facili sibi obligavit; atque ita regnum cum omnibus provinciis, quas pater possessione complexus est, sine certamine, civium suorum studiis recepit, anno ætatis suæ undecimo, teste *Arnoris Comitum pœtæ* versu supersite, integro in fidem narrationis adducto.

CAP. XVI.

OBITUS REGIS SVENI ET PATRIS EJUS KNUTI, UTRIVSQUE ELOGIUM, VERUSQUE MORTIS EORUM ANNUS INQUIRITUR VITÆ REGIS OLAFI EPILOGUS.



Adem hyeme, quâ Svenus apud fratrem Horda-Knutum in Dania remansit, fato sublatu est. Illius imperii, a matre exerciti, tempore, secunda Norvegiæ, ut cæteris regimini Knuti subjectis, pax, non muliebris seu puerilis administrationis beneficio, sed potentia patris ejus, quem nemo Principum laceßere ausus est, secundum Deum imputabatur. Fallitur Pontanus, dum ex *Chronico Norvegico* Alfisam genere Norvegicam fuisse arbitratur, eo quòd Comitum Alfrini filiam tradat: neminem enim Comitum Norvegicorum isto nomine illis temporibus observasse meminimus. Alfisam Potentem *Fagurskimma* appellat; scriptores Anglici nunc Alfgivam, Elgavam, alii Albinam, alii Ayleneam vocant, Hamptonensemque fuisse tradunt. Mala, quæ Norvegiæ ejus tempore affluerunt, in

in eam tanquam effetricem conjecta sunt; tanta nimirum annonæ caritas ab ejus avaritiâ profecta, ut Gunnhildis seculo, quod asperrimum incidit, ista tempestas compararetur, testante Sigvati carmine adhuc superstitite; canina enim alimenta in usum hominum adhibita tradit. Si quis præ cæteris abundabat, persecutionibus & multis pecuniariis obnoxius fiscum Regium locupletare coactus est, ususque maris pretiò emercandus, ut antedictum. Scriptores Anglici Svenum non Alfifæ, sed presbyteriffæ (ut vocant) filium fuisse tradunt, quem illa ex Rege conceptum se peperisse pervaserit.

De adventu Magni in Norvegiam certior factus Knutus dixisse fertur, *sequentem estatem vix otium sibi permiffuram, si crassipedis illius soboles Norvegiam ingressa sit.* Circiter id tempus, quo Svenus fatò functus est, Knutum mortalitatem explevisse volunt; alii ex mæore, cognito Regis Sveni obitu. Fagurskinna proximâ æstate Svenum, hyeme vero patrem Knutum decessisse perhibet. Snorrius patrem præcessisse autumat. Historia Knydingorum arcuatò morbo infectum consumptumque refert, idque anno ætatis tricesimo septimo. Staturâ fuit procerâ, formâ venustâ, nisi quòd naso esset tenero, nec tamen depresso, & ex parte aquilino, capillo denso & eleganti, facie candidâ, oculis acris & pulchris; vir bello strenuus & audax, victoriosus & fortunatus, sapientiâ patri, avoque Haraldo, & proavo Gormo similis, abavo vero & majoribus impar, omnium septentrionalium Regum potentissimus, liberalitate opibus pari: quantum enim reliquos Septentrionis Reges censu & obventionibus, tantum etiam munificentiâ & largitionibus superavit. Carmen enim *Tborarimi Loftunge* quinquaginta marcis rependisse supra memoratum. Aliud exemplum adjicit *Historie Liofvetningorum fragmentum*; Oddum enim Grimi filium Islandum, Româ (quò religionis causa profectus erat) reducem eum sibi antea nunquam visum accessisse, præmissaque salute indicasse, se pecuniâ indigere: cumque tres marcas argenti numerari jussisset, respondisse Oddum, *tam potentem Principem se non prius invisisse: remunerandum tantum donum, velle quoque se ei pecuniam dare*; quo auditò Regem quævisisse, an parum datum videretur? respondisse Oddum, *multum, si uni: jam vero duodecim esse, in quos partiendum esset*: itaque imperasse totidem singulis dari. *Fagurskinna* hæc de Knuto scripta reliquit. Non longe post hæc, (Norvegiam in potestatem redactam intelligit) transmissò oceano occidentali Angliam repetivit, nec deinde in Daniam rediens (cui tamen scriptores adversantur) filiam suam Gunnhildem Imperatori Heurico Manfeto sociavit. Ex Anglia trans mare profectus, cum omni suo comitatu, baculum & peram gestans Romam petivit, cui Imperator obviam procedens Romam eum deduxit. Knutus passim in itinere nosocomia fundavit (& ut addit *Snyttlinga Saga* / ad sustentandos per unam noctem singulos è septentrione peregrinantes) inque monasteria & alia loca religiosa magnam pecuniam erogavit, omnesque peregrinos, quotquot eum in itinere accesserunt, ejusque sumptibus & pecuniis indigebant, sustentavit, ut neque proximum neque retro stipem petere necesse esset: multos enim veredos auro argentoque onustos, ne librarum pondere aut numero comprehensò, in eum usum adhibuit, liberèque, quantum volebat, ex imperatoris pecuniâ desumpsit. Nemo unquam è Septentrione tanta magnificentiâ Romam adiit: ipse enim Cæsar in septentrionalia regni sui eum reduxit. in cujus testimonium adducitur Sigvati poetæ integer versus, & quatuor ex altero strophe.æ.

Notatu quoque dignum est *Radulphi de Diceto* elogium. *De probitate,*

bitate, inquit, & potentia Canuti Regis Anglorum pauca sum perstringenda: nec enim ante eum tanta magnitudinis Rex fuit in Anglia. Erat autem Dux totius Dacia, totius Angliæ, totius Norvegiæ simul & Scotiæ. Extra numerum vero bellorum, quibus maximè splenduit, tria gessit eleganter: primum quod filiam suam Imperatori Romanorum ineffabilibus divitiis maritavit. Secundum quod Romam pergens omnes malas exactiones in viâ, quæ per Gallias tendit, quæ vocantur Ibelonea vel transversa, data pecunia sua, diminuit fecit usque ad medietatem. Tertium quod cum maximo vigore floreret imperiû, sedile suum in litore maris, cum ascenderet, statui iussit. Dixit autem mari ascendenti: tu mea ditio es, & terra, in qua sedeo, mea est, nec fuit qui impune meo resisteret imperio; impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, ne vel vestes vel membra Dominatoris tui madere præsumas. Mare verò de more conscendens, pedes ejus & crura sine reverentiâ madefecit. Rex igitur resiliens ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam Regum esse potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cuius vultu cælum, terra, mare legibus obediunt æternis. Rex igitur Canutus, qui à quibusdam Cnut dicitur, nunquam postea coronam auream cervici sue imposuit, sed super imaginem Domini, quæ cruci affixa erat, posuit eam in æternum ad laudem Dei Regis magni.

Cum Knuto præpotens illud Danorum imperium magnam partem concidit; quod jam longo tempore majorum ejus quilibet successoribus suis actius, quam à decessoribus acceperat, reliquit, isque ad summum fastigium extulit: nam licet ante obitum Daniæ filium Horda-Knutum, magnæ Scotiæ parti, ut *Author Historiæ Krytlingorum* tradit, Haraldum, (Simon Dunelmensis Merciorum Northumbrorumque Regem constitutum affirmat) Norvegiæ Svenum præfecisset; tamen post mortem ejus, excluso Horda-Knuto, Angliam, sed solum, Haraldus sibi vindicavit, avulsaque ab imperio Norvegia ad Magnum rediit.

De loco & anno, quo obiit, inter scriptores non convenit: alii enim Richardo Normanniæ Duci ob repudiatam sororem suam Astridem novissimè bellum intulisse volunt, dumque eum persequeretur, in fata concessisse; Rhotomagi deinde sepultum: id quod Islandorum historio-graphis pariter ac Anglicis incognitum: de quo tamen Saxo & Pontanus inspicere poterunt. Apud Scepterbyriam Simon Dunelmensis & Bromton, Henricho de Kryethon Latinius reddituro Septinia est, decessisse tradunt; & quidem Dunelmensis secundo idus Novembris, feriâ quartâ, anno a partu virginis MXXXV. Radulfo de Diceto, aliisque XXXVI, quorum postremi in anno aberrant; neque enim annus XXXVI, pridie Idus, seu XII. diem Novembris, cum feriâ quartâ, die videlicet Mercurii, connectit, sed eundem, quem Dunelmensi XXXV^o est, convenit. *Krytlingorum Historia* idibus, seu die XIII, Novembris eum decessisse tradit, cui vetustissimum Calendarium, quod præclarorum virorum emortuales seu fatales dies in per singulos menses digessit, constanter suffragatur; qui quidem dies in feriam quartam horum annorum neutro, sed tantum annò XXXIV, incidit. Hinc emergit controversia, cuiam ex tribus his annis obitus ejus conveniat? nam cum illo initium regni Magni connectitur. nos itaque authorum traditiones examinabimus. Annus ætatis Magni ab Arnore Comitum poeta supra adductus undecimus, imperii ejus primus est; jam vero natus traditur anno MXXIV. tricesimus ergo quintus Knuto fatalis Magno regni initialis est. Tertio regni Svenno anno, qui æræ Christianæ tricesimus tertius supra millesimum est, cum Tryggvio bellatum est. Ver-

re proximo Einar & Kalfus in Ruffiam ad arcessendum Magnum profecti, ætate posteriore eum reduxerunt, id est, anno tricesimo quinto. Annus ergo millesimus tricesimus quartus ex his argumentis refellitur. Sunt tamen, quæ annum tricesimum sextum stabiliunt, licet his iudiciis destitutum, annus nimirum fatalis Hôrda-Knuti, qui communiter millesimus quadragesimus secundus habetur, quem Morkinkinna regni Magni sextum numerat, & aliud invictæ autoritatis, quod ad calcem *Chronicorum Guilhelmi Thorn* adnexæ *Evidentiæ ecclesiæ Christi Cantuariensis* producant. Ibi enim Knutus tum tricesimo quinto, tum etiam sexto, in vis fuisse probatur, priore enim donativo ipse ecclesiam honorabat: posteriore alterius donativum consensu suo confirmabat. Utrumque inferam. *Anno dominicæ incarnationis MXXXV. Ego Knut Rex Anglorum concedo Eadsmo Archiepiscopo ecclesiam Sancti Martini, quæ sita est extra urbem Doroberniæ & terras Apeldre videlicet & Witbriceshamma. Anno dominicæ incarnationis MXXXVI. Ego Tored, instinctu Dei, consentiente Domino meo Rege Cnutone, concedo Ecclesiæ Christi Doroberniæ villam meam, nomine Horslege, liberam ab omni seculari servitio, exceptis expeditione pontis & arcis constructione.*

Hæc cum sine exceptione evincant, vitam Knutus in annum tricesimum sextum produxisse, pro feria quarta, quam Romano numero significavit typographus editionis, quæ Londini anno MDCLII. typis Jacobi Flesher in folio excusa decem Anglicanos Scriptores continet (cujus mihi unicum tantum exemplar) sextam restituendam existimo, quæ pridie Idus, seu duodecesimum diem Novembris, eo anno recipit. Ad eundem quoque annum cuncti nostri scriptores respexisse videntur, dum regno ejus in Angliâ viginti quatuor annos tribuunt, in Dania XXVII. in Norvegia septem, ætati in universum XXXVII; decennem enim fuisse tradunt, dum pater excessit; eum vero anno MIX. excessisse, triennium a patris morte domipriusquam in Angliam trajecit, remansisse: regnum autem Angliæ primo ejus in illam adventu receptum, utpote à patre relictum, jureque hæreditatis magnam partem, statuunt. Inde Anglici imperii periodum auspiciantur, quæ in annum Christi millesimum tricesimum sextum desinit. Extant & aliæ donationes, relatæ ad annum tricesimum octavum, quæ evidentem librarii errorem produunt; cum nullus unquam Scriptorum ejus vitam ultra annum MXXXVI. produxerit.

Hactenus illa, quæ sub Imperio Knuti Magni, ejusque vicarii Sveni Alfsæ filii, in Norvegia, vel vivò, vel fati functò Sancto Olafò, contigerunt, in quantum vel ex nostratium monumentis, vel ex Scriptorum extraneorum, præcipuè tamen Anglicanorum, relationibus haurire licuit, recensuimus. Clarum immortalemque hunc regem, dum in vivis esset, conspicua bello virtus; clariorem restauratus post Olafum Tryggvinum, & tantum non de novo inductus, Christianismus; clarissimum tamen latæ ab eò promulgatæque leges, de quibus *Libro præedente* diximus, reddiderunt. Longo enim tempore obtinuit, ut successores ejus, Norvegiæ Reges, leges emendantes & publicantes, tanquam ad fulcrum fundamentumque provocarent ad *Leges, quas Sanctus Olafus inter Regem & cives sancierit*. Super hæc omnia verò insignis Sanctitatis opinio, tot miraculis, ut visum est, confirmata, ita ad cælum Regis hujus nomen evexit, ut inter Inclytos Norvegiæ gentis Monarchas velut inter ignes luna minores exsplendescere semper visum fuerit, remotis etiam scriptoribus sacrum & venerabile. Nec sibi hic defuerunt pii successores, pro se quisque sancti-

sanctitatem ejus illustrando, & reliquias, quibus tot tantaque miracula se debere existimabant, cohonestando. Et Magno quidem filio ejus, in regnum postea reducto, Regiaque dignitate sublato, prima cura operumque principalium initium erat in exornandis paternis reliquiis: Sarcophagum igitur ad corporis modum capuli similitudine, auro, argento, gemisque exornatum, fieri constituit, anteridis in formam superne pectinatum, posticâ parte laminis connexum, antica serâ pensili clausum, columellis sustentum. Ei corpus Regis illatum multa statim miracula edidisse traditur, etiam pœtæ Sigvati testimonio, tunc temporis Magni Regis satellitis, qui multos, qui illuc cæsi accessissent, recepto visu inde recessisse carmine cecinit. Hoc illud est celeberrimum S. Olafi scrinium, per quod longo tempore jurabatur, etiam legum jussu, idque in rebus gravissimis: nam & si Rex aliquis eligendus esset, nullo ex Regali stemate existente, ad hoc ipsum scrinium proceres, optimum electuros, jurare tenebantur. Mox per universam Norvegiam festum memoriæ Sancti Olafi, lege latâ, promulgatoque die, qui mense, quo cælus est, quotannis recurrit, institutum consecratumque, pari cum celeberrimis veneratione in perpetuum colendum.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ
LIBER QVARTVS,
CONTINENS HISTORIAM
MAGNI BONI.

CAP. I.

MAGNUS NORVEGIÆ, HARALDUS
KNUTI MAGNI FILIUS ANGLIÆ REX CONSTI-
TUITUR, INTER ILLOS DISIDIA COMPONUNTUR. ROGN-
VALDUS BRUSHI FILIUS COMES ORCADENSIVM CREA-
TUR. THORER HUNDUS REGNO EMIGRAT, EJUS
POSTERI HARECHI DE THIOTTA EXITUS
ET PROGENIES.



Nno reparatæ Salutis MXXXVI. MAGNUS,
eo nomine Primus Norvegiæ Rex, in ordine Mo-
narcharum nonus, ab imperii amplitudine Potens,
ingenitâ humanitate Bonus, cognominatus, Nor-
vegiæ scepra frendentis Sveni manibus excussit; cu-
jus hæres frater Horda-Knutus, Rex quidem Daniæ
vivo patre constitutus, post ejus mortem iterum
Rex, sed sine superioris reverentiâ, renunciatus, Norvegiæ repetendæ
vires cepit intendere: quibus comparandis dum in Daniâ detinetur, fra-
ter ejus Haraldus Angliæ Rex a patre, teste *Dunelmensi*, constitutus, se
post ejus mortem Regem edixit, consecrandumque curavit, matremque
Horda-Knuti multis injuris vexatam, bonisque spoliatam, ut regno ex-
cederet, compellit (quæ ad Comitem Baldwinum in Flandriam concedens
ejusdem humanitate & munificentia sustentabatur) filiumque ejus Alfre-
dum, immanibus cruciatibus affectum, occidi fecit; post annum quartum,
quo imperare cepit; gratiæ nimirum MXL. decessit, Wintoniæ apud pa-
trem sepultus.

Interea Horda-Knutus & Magnus se invicem mutuis injuriis lacessere, publicamque quietem commerciorumque securitatem turbare, bella minari, minisque alter alterius subditos terrere; idque cum hyemem integram tenuisset, in ætatem proximam delectus utrinque habitus, bellumque indictum, locusque ad Albiam prælio lectus. Verum dum suum quisque exercitum eò transferunt, satrapæ ab utraq; parte sanguine juncti, per fideles internuncios de pace consultantes, mutuas operas de Regibus ad concordiam flectendis inter se paciscuntur; id quod ætas singulorum juvenilis, prudentium consiliis obnoxia, facile pollicebatur impetrabile. Cum enim imperii omnis administratio eorum autoritate consiliisque gereretur, etiam Reges, quò voluerunt, impellebant. Expositis igitur belli incertis eventibus, certis autem periculis, quicquid singulis præcipue conducebat, commemorabant: Dani fortè Horda Knuto fratris ejus odium, in eum quoque magis erupturum, si rebus Norvegis distentum opportunum sibi animadvertat; Norvegi Magno securam Norvegiæ possessionem pacemque in posterum fæderum interventu ostentantes, utrumque ad colloquium pellexerunt; quod constituto ad Albiam loco & die institutum pacificatione finitum est: pax in æternum inter eos regnaque singula conclusa, fædusque præpò ad exemplum ejus, quod Knutus Magnus cum Edmundo Ferreo latere fecit, quò Regis in posterum jurati fratres essent, quique sine masculula prole alteri supervixerit, de mortui in singula regna, quæ possedisset, hæres fieret. Hæc pacta, præter ipsos Reges, duodecim ab utraque parte proceres, quoad unus eorum superesset, rata fore jurejurando sanciebant, seque ipsos ad eum, qui alteri superstes foret, ad regnum pro virili promovendum insuper obligabant. Inde mutua benevolentia, omniumque ordinum lætita, rebus compositis ditescere duravitque amicitia; quoad uterque vixerat, paxque ista æterna appellata est, annoque, quo imperare cæpit, secundo, coaluit, Christi nimirum MXXXVII.

Interea Rognvaldus Brusinus, simul ac in Norvegiam Magnum comitatus rediit, de obitu patris certior, omnes insuper insulas Orcadenfes a patruo Thorfinno occupatas, in ejus esse possessione cognoscit. Cupidus itaque patrimonii inspiciendi, veniam professionis ab eo petebat. Rex id ex utriusque usu futurum atque omnino necessarium animadvertens, Comitum eum creat, donatisque tribus longis navibus, à classiariis, remigibus, commensu, necessariisque omnibus instructissimis, collato insuper fiduciario jure triente, quem pater ejus beneficio S. Olafi possederat, benigne dimittit; monetque, ut ad se, quandocumque placeret, rediret, auxilia, quantæ & quoties indigeret, paratissima pollicitus: atque ita mutuam caritatem se invicem complexi dirimebantur. Id temporis Rognvaldus secundo flatu fortunæ usus, propensum nactus patruum, patrimonialem trientem, tum eum, quem S. Olafus invito extorserat, facile impetravit, perque aliquot annos absque interpellatione tenuit.

Prosiciscentem in patriam Regem Regina Astridis secuta, omnibus officiis, ut decuit, culta, ad eum remansit, quo tempore mater Regis Alfhildis accedens magno cum honore excepta in aulam recipitur; & quamvis locum honorificum sortita esset, tamen Reginam sibi præferri indignata, quam non esset fortis istius repentinaeque felicitatis capax, facile prodidit. Astridis verò prioris utriusque fortis memor, ei assidere aspernata, non aliter quam ancillam suam, qualis erat, dum Rex Olafus vixit, sibi æstimandam statuit. Earum altercationibus cum interesset pœta Sigdem,

vatus, more suo carminē Alhildem moderationis admonuit; frustra quidem; nam cum in iisdem ædibus simul conversari non possent, discretis victitabant.

Jamque omnibus patris adversariis impunitate delictorumque oblivione à Magno, cum in imperium revocaretur, pactâ, tutum sibi singuli ad eum accessum spondebant. Thorer autem Canis, sive facti pænitiâ sibi exosus, sive in longum prospiciens, seræ licet ultionis metu, statim post cædem ejus patriâ excedens, Hierosolyma profectus, nec unquam rediisse perhibetur; sobole præclarâ relictâ haut omnino infelix, filio nempe Sigurdo, cui filia Ranveyg, Johannis Arnii (ejus, Kalfi, Finniqve & Thorbergi Arninorum frater erat) filii uxor, eorum liberi Vidkunnus de Biarkeya, Sigurdus Hundus, Erlingus: filia Jarthrudis. Confidentior Harechus de Thiotta, qui à prælio Stiklastadeni domi remansit, jam Magni fidem experturus, Nidarosiam profectus est. Verum cum primum navi egrederetur, Asmundo Grankelis in pergula palatii Regi adstanti conspectus, ad cædis paternæ ultionem eum alioquin satis æstuantem magis accendit: qui oblatâ oportunitate Regem affatus; *jam*, inquit, *tempus commodum mihi vindictæ exequendæ assulget*. Rex autem observans quod securim latam parvamque & prætenui acie manu teneret; *recipe*, ait, *meam*, (sunt enim firmior, sed acie crassiore & satis acuta) *tibiqve persuade, dura esse capitis illius ossa*; quâ apprehensâ palatio statim egressus, in transversa plateâ, accessurum Regem, multis suorum comitatum, obvium, securi calvariam ictu penetrante feriens, concussio cerebro, exanimem reliquit, rediensque ad Regem securim acie comminutam retulit. Tum Rex: *quanto credis usui venellam futuram fuisse, cum hæc ictum non sustinuerit?* Mox Asmundo præfectura Halogenis à Rege data, multas variasque lites inter illum filiosque Harechi peperit, pluribus narratis celebratas, quas longus seculorum decursus oblivioni tradidit. Illustris certè progenies ab Harecho descendens potentissimos etiam Reges produxit. Filius ei Finus ex uxore Ragnhilde, Comitissæ Finni Arnini, Kalfi, Thorbergi, cæterorumque sorore; nepos Hacon; proneptis Ulphildis, quæ primò nupsit Nicolao Daniæ Regi, deinde Ingio, seu Ingoni, (quem Johannes Magnus Philippi, nostrates, Eirico Olai & Olao Petri filio, Sveciæ scriptoribus, consentientibus, Hallsteini filium fuisse perhibent) Sveciæ Regi (cui quomodo nubere potuerit non assequor) novissimè Sorqveri (Svecis Sverkerø) Koli filio, Sveciæ quoque Regi. Eorum filius Carolus, nepos Sorqver, pronepos Johannes, omnes Sveciæ Reges: de quo inferius in *Vita Sigurdi Hierosolymipetæ cap. IX sub finem, & passim alibi*.

CAP. II.

ORDO GESTORUM MAGNI MONSTRATUR. HORDA KNUTI GESTA IN ANGLIA EXSCRIPTORIBUS ANGLICIS DESCRIPTA, ET DISIDENTES DE OBITU EJUS SENTENTIÆ.



Vid Magnus præter ea, quæ exsoluimus, in Norvegiâ antè annum quadragesimum gesserit, distinctè expositum non est. Illud constat, hoc anno, & qui eum proximè secutus est, Kalso consilii secretioris principe usum, & ab eo proximo Einare Thambaskelfere, idque ad annum usque regni sui sextum, si non

fi non ultra, ex collatione *historiæ Orcadensium Lib. 3. cap. XIV.* cum *au-
re Morkinskinnæ.* Hinc evincitur, quod ante exilium Kalfi, ejusque in Or-
cades in ipso limine accessum, Comites Thorfinnus & Rognvaldus amici
conjunctis viribus partes Angliæ latrocinii infestaverint, regnante in An-
gliâ, sed tunc in Daniâ absente, Horda-Knuto: Kalfum autem Morkin-
skinna Magni in Daniâ absentis vicem Thrandiæ præfuisse tradit: Islan-
dorum autem, Biarni, Thorgrimi Thordique mutuas in domo Kalfi cædes,
de quibus postea, occasionem primam alienati Regis ab eo animi præbuis-
se. Jam verò notissimum, ante annum, quo Horda Knutus decesit, Mag-
num in Daniam nunquam fuisse profectum, id est annum MXVII. Sed
nec prius quam illo exacto, ejusque bonis allodialibus in fiscum Regium
redactis, Thrandorum in patrem injurias recolere cepisse. Itaque cum
gestorum in Norvegia ante illum annum nihil notatum inveniam, res
Horda-Knuti, cui ille in Daniam successerat, deque jure successione in An-
gliam postea expostulaverat, paucis præmittam; quò conspectus fiat,
quanta rerum mutatio Knuti Magni mortem secuta Divinam vindictam
in stirpem ejus acceleraverit, & quam exosa Deo fuerit piissimorum vi-
rorum, Sancti nimirum Olafi & Sancti Edvardi, aviti regni jure toties ex-
cussi, persecutio, ut quibuscunque pietatis officii Knutus culpam redi-
mere fategerit, non tamen cæleste Numen ad stabilienda ejus progeniei
regna, quæ acqvisiverat, exorare potuerit, sed hac extirpatâ, eorum
qui amiserunt, filiis sua restituerit.

Simon Daniæmensis historiæ de gestis Regum Anglorum ad annum MXX.
hæc scribit. Anno, inquit, MXX Haroldus Rex Anglorum obiit Londoniæ,
& in Westmonasterio sepelitur. Quo sepulto, proceres ferme totius Angliæ,
gatos ad Harde-Kanutum Brugæ, ubi cum matre sua morabatur, mittentes,
& se benefacere putantes, rogaverunt eum ut in Angliam veniret, & sceptrum
regni susciperet. Qui XV. navibus paratis & Danicis militibus instructis, an-
te mediam ætatem Angliam advehitur, & gaudenter ab omnibus suscipitur,
regniqve solio mox sublimatur. Sed sui imperii tempore nil egit dignum po-
testati Regiæ. Nam mox ut regnare cepit, injuriarum, quas vel sibi, vel sue ge-
nitrici suis antecessor fecerat, Rex Haroldus (qui frater suus putabatur)
non inmemor, Alfricum Eboracensem Archiepiscopum, Godvinum Comitem,
Styr majorem domus, Edricum dispensatorem, Troubd suum carnificem, &
alios magnæ dignitatis viros Londoniam misit, & ipsius Haroldi corpus effo-
dere, & in flumen Tamense mandavit proicere. Brevi autem post tempore à
quodam captum est piscatore, & ad Danos adlatum, sub festinatione in cimi-
terio, quod habuerunt Londoniæ, sepultum est ab ipsis cum honore. Quibus
actis, octo marcas unicuique sue classis remigi, & duodecim unicuique guber-
natori, de totâ Anglia præcepit dependi, tributum videlicet tam grave, ut vix
aliquis id posset persolvere. Quapropter omnibus, qui prius adventum ejus
desiderabant magnopere, factus est exosus summopere. Ad hæc etiam pro ne-
ce sui fratris Alfredi, adversus Comitem Godvinum, & Wigornensem episco-
pum Livingum, accusantibus illos Alfrico Eboracensi Archiepiscopo & quibus-
dam aliis, exarsit irâ magnâ. Idcirco episcopatum Wigornensem Livingo ab-
stulit & Alfrico dedit, sed sequenti anno ablatum Alfrico Livingo secum pa-
cificato benignè reddidit. Godvinus autem Regi pro sua amicitia dedit trierem
fabrefactam, rostrum deauratum habentem, armamenti optimis instructam,
decoris armis, electisque octoginta militibus decoratam, quorum unusquis-
que habebat duas in suis brachiis aureas armillas, sedecim uncias pendentes,
lori.

loricam trilecem, indutam in capite cassidem ex parte deauratam, gladium deauratis capulis renibus accinctum, Danicam securim auro argenteoque redimitam, in sinistro humero pendentem; in manu sinistra clypeum, cujus umbro clavique erant deaurati, in dextra lanceam, quæ lingua Anglorum a Teagar appellatur. Insuper etiam non sui consilii, nec suæ voluntatis fuisse, quod frater ejus cecatus fuisset, sed Dominum suum Regem Haroldum illum facere, quod fecit, iussisse, cum totius fere Angliæ principibus & ministris dignioribus Regi juravit.

Henricus de Krygton de eventibus Angliæ Lib. I. cap. VI. Id Hardekanuti tempore factum; citra omnem verisimilitudinem tradit, & quidem hac crudelitate crudelius. Hujus Hardekanuti (inquit) tempore Elfredus & Edwardus, filii quondam Regis Ethelredi & Emma, post longam moram in Normannia, venerunt in Angliam, quam plurimis stipati militibus, ad visitandum Eumnam matrem suam apud Wyntoniam. Interim Godwinus, præcogitans maritare filiam suam Edwardo, tanquam simpliciori & minori, nam Elfridum primogenitum tales nuptias parvipendere autumavit, congregatisque regni proceribus dixit. Non est tutum quemquam opientu cognationis tantam copiam externe & subdole gentis in Angliam adducere, & ideo eos, qui adveniant, penas exsolvere oportere; sicque apud Gildesfortæ sexcentos viros interfecit de Normannis. Nam de adductis novem semper decapitatis decimus remansit, & cum nimium adhuc superesse videretur, decimam illam partem adhuc decimari præcepit. De quibus primordia fecit viscerum ad palas erectas figi, & tunc corpora eorum circumduci, donec novissima intestinorum extraherentur. Alfredus apud Eely missus est, & ibi excecatus paucis supervixit diebus. Emma hæc audiens celeriter filium suum Edwardum Normanniam remisit. Godwinus a proceribus & a Rege Hardekanuto postmodum de his inculpatus juravit, quod nusquam talia fecit, nisi vi Regiæ coactus.

Ex his patet, non de tempore, quo Horda-Knutus Angliam rexit, hæc eum referre, sed quò Daniæ solam tenuit: nec enim ab eo accusatus vim Regiam ad excusationem arripuisset, si ipsius jussu hæc admisisset in fratrem ejus uterinum. Quam vero severè Horda-Knutus ultionem in eos, qui exactores immanium tributorum occiderant, executus sit, Simon Dunelmensis ad annum MXXI. luculenter describit. Liberalitatem ejus Bromton his verbis memorat. Iste Rex, inquit, Hardekanutus, tanta, ut fertur, largitatis exiit, quod quater quolibet die in curia sua, tam pro familiaribus quam supervenientibus, cibaria fecit Regalia preparari, malens a vocatis apposita fercula dimitti, quam à non vocatis apponenda reposci. Henricus de Krygton de eventibus Angliæ Lib. I. Cap. VI. de eodem. Iste, inquit, dedit secundo anno regni sui Daniæ XXVIII. mill. li. argenti ad sumptus hospitii Regi: iste fuit tanta largitatis, eo quod quater in die fecit preparari cibaria familie suæ. De morte ejus scriptores variant. In odium Alfie confictum est, quod Author Morkinskinna affert. Tradit enim, Magno classe Daniæ advectum sinum Limicum ingressum, ab Horda-Knuto, de adventu ejus certiore, in occursum, ingenti aulicorum pompâ, procerumque comitatu, profectò, omni officiorum apparatu exceptum, invitatumque cum universo comitatu ad convivium, in palatium Regium deductum. Cum vero ad fores ventum esset, præcedendi officiaque omnia præcipiendi honorem ei, ut hospiti, ab Horda-Knuto oblatum; recusatum autem à Magno, hac potissimum ratione; quod singulorum subditi suo quisque Regi summa officia, ministeria honoresque libentissimè exhiberent, peregrinis gravatè, quos suis dominis avari agrè, præferri iniquè, ferrent; placere

cere itaque ad invidiam vitandam, ut ipse præcedat, fercula prior degustet, prior bibat, omnesque officiorum partes præcipiat: idem se domi sue, cum se inviseret, facturum. His cum assensisset Horda-Knutus, Regemque Norvegiæ à latere collocasset, deinde Alfsam ingressam Magnum Regem hospitaliter salutatum multo verborum honore benevolentiaque significatione excepisse, repletumque pretioso liqore raræ elegantia cornu porrigentem, eum ad bibendum invitasse: illo vero pacto convivali honorem istum in Daniæ Regem translatum replicante, Horda-Knutum recepisse, unoque haustu evacuasse, deinde projecisse: cumque novissime effatus esset; non oportuit; mutum inde & exanimem concidisse. Magnum vero tam subita consternatione, ut par erat, percussum, classem sine mora repetisse, jurasseque, se, cum primum in Daniam rediret, aut univerfam possessurum, aut vitam impensurum. De juramento pœtarum carmina satis testantur. In Daniâ vel Alfsâ veneno extinctum Horda-Knutum, vel appetitum Magnum, meræ nugæ; nam & Snorrius Sturleus morbo, aliique nostri scriptores in Angliâ decessisse tradunt, quibus omnes rerum Anglicarum scriptores calculum addunt, licet aliquantulum in mortis genere dissentiant. Bromton aliorum narrationes afferens infra novem dies post secundum coronationis suæ annum inventum in uno hostari inter pecora extinctum perhibet. Consentit Henricus Knyghton Lib. I. Cap. VI. his verbis. *Iste Hardekantus mortuus est tertio anno regni sui in una bovina, & sepultus apud Westmonasterium.* At ejusdem Lib. Cap. VII. in convivio nuptiarum apud Lambhez juxta Londoniam lætum & sospitem, cum stando biberet, repente corruisse, & sic obmutescentem VI. idus Junii exspirasse. Cui etiam Bromton adstipulatur, subjungens, quod cum duobus annis regnasset, dum in medio flore juventutis suæ in quodam convivio, in quo Asgodus Clapa, vir utique magnæ potentia, filiam suam (Githam habet Dunelmensis) cuidam potenti Danico viro (eidem Tovio Prudam) nuptiis traderet, apud Lambithe juxta Londonias lætus & sospes cum sponsa prædicta staret & stando biberet, repente miserabili casu ad terram corruerit, & sic mutus permanens VIII. idus (VI. habet Dunelmensis, idque rectius) Junii feriata, exspiraverit, juxta patrem suum Knutum Vintonia sepultus. Id factum nostri referunt sexto regni Magni anno.

CAP. III.

MAGNUS, PRÆMISSIS IN DANIAM LEGATIS, IPSE SUBSECUTUS REGNUM DANIAE OBTINET, LEGATIONEM IN ANGLIAM AD EDVARDUM REGEM SUBORNAT. MARTYRIUM S. HALLVARDI.



Magnus Norvegiæ Rex, cognita morte Horda-Knuti, legatis in Daniam ad præcæres regni, præfertim eos, qui in fœdus inter eum & Horda-Knutum jurarunt, missis, significavit, se eadem ætate cum exercitu ad eos profecturum, Daniæ possessionem, si aliter nequiret, bello consecuturum, vel vitam impensurum. Comparatâ deinde septuaginta navium classe, delectis in comitatum satrapis, civiumque nobiliorum præcipuis, ipse paternâ nave Bisfonte investus sinu Limicum, magno Danorum

rum studio excipitur; mox convocatis, qui fidem interposuerunt, ius suum ad regnum factorum vi quæsitum exponit, postulatque, ut se Regem declarent. Nec fortuna defuit; faciles enim ad promissâ excquenda promptosque nactus, eorum operâ & auctoritate omnes regni ordines in se convertit, maxime quod, Knuti Magni posteris summotis, regnum herede destitutum ultimi possessoris voluntate ad eum videretur translatum. Accessit patris sanctitas, continuis miraculis jam ubiqve celebris, haut exiguum ad ejus commendationem momentum; tum etiam imite & moderatum in cives suos imperium, ingeniiq; bonitas, quæ metum omnem, quantumvis sub extraneo Rege, severioris tamen imperii exemit. Omnium igitur ordinum studiis voceqve in publico Regibus renunciandis foro, quod Veburgi magnificentissimum celebrabatur, Rex Daniæ constitutus regnare jubetur: fide juramento in obsequium datâ. Multum ibi temporis hac ætate tritum, prolixâ in Regem omnium benevolentie obsequiique testificatione. Ordinato deinde regni statu, satrapisque singulis provinciis pro arbitrio præfectis, civiumqve opulentioribus commissis, sero autumni in Norvegiam rediit.

Atqve hoc modo regno potitus Magnus legatos in Angliam ad Edwardum Confesorem misit, cum literis, præmissâ salutatione, hac formâ scriptis. *Innotuisse vobis pactum inter nos & Horda-Knutum institum nullus dubito: quod cautum est, ut qui alteri absque mascula prole decedenti super-viveret, de mortui terras subditosque regendos successor susciperet: me vero a morte ejus regnum Daniæ jure adoptionis, acquisivisse ne te quidem lateat: pari tamen jure, quod Daniam, cum ante obitum etiam Angliam tenuerit, ego quoque eam excessu ejus ad me, ut justum heredem, delatam agnosco. vique fœderis vindico. Regno igitur ut mihi cedas postulo; fœcus totius Daniæ Norvegiæque robore me repetiturum scias, victoremque singulorum possessionem securarum. Audita legatione, literisque inspectis, Edwardus respondit. *Omnibus hujus regni incolis civibusque liquido constat, patrem meum Adalradum (Ethelredum) me tenello vivis erreptum, jure a veteri recentique memoria repetito hereditario Angliam sibi a majoribus delatam tenuisse. Quatuor filios moriens reliquerat, successitque frater meus Edmundus, ætatis privilegio, me non modo non morio. Sed exultante, donec vitricus meus Knutius ille senior quæsitam diu armis totius regni possessionem ejus excessu obtinuit: fuit autem vir majori potentia, quam cui facile posset eripi, ideoque oblata ad patrimonium recuperandum auxilia libuit adinvenire, quam Christianiorum animas corporaque in id impendere, opis celestis fiducia, cujus clementia, modo dignus viderer, id assequi malui, nec assecutum unquam dubitavi; ideoque indignam generis fastigio sortem a quo semper animo tuli. Tenuit id quoad vixit, nec morte ejus sinistra familie nostre fortuna mutavit. Prælati enim filii Knuti, quorum prior Haraldus, me honoris exsorte, patrimonium meum, quod vixit, impante insedit. Successit frater meus uterinus Horda Knutus, antea quidem Daniam hereditario jure sortitus; sed nec alia divisio inter me & illum iustior visa est, quam ut me exclauso solus utranque regnum possideret: & hanc scio, an quis me divisionem istam indignè tulisse arguere possit. Insuper ipsi perinde ac ii, qui generis splendore impares erant, vix ab æquibus honore asserentis. Illo satis erepto omnium civium meorum voluntate & consensu Rex constitutus sum, solo Regio impositus, solemnique inauguratione ab Archiepiscopo consecratus; obstrictus vicissim religioso sacramento ad leges juraque conservanda, vitamqve pro his defendendis potius impendendam, quam ut malorum hominum vim & injurias permittam. Deo itaque auctore, secundum publicorum legum præ-**

scriptum ad lites jure finiendas vimque reprimendam Regia auctoritate armatus, te quoque, Magne, qui non contentus Norvegiæ Daniam adiunxisset, etiam regnum tibi patrimoniale armis extorquere tentas, armis reprimendum conseo. Nec tibi persuaseris, Regem te Angliæ haberi posse, aut ulla ab indigenis illius subjectione coli, nisi mihi caput prius eripueris. Chronicon Norvegicum MS. quod Snorrio Sturleus tribuitur, in fine vitæ Magni, his verbis eum responsum suum conclusisse perhibet. *Quamliu vixero, Regnum titulum non deponam: sed nec Regi Magno, si forte exercitum buc traduxerit, arma opponam: licebit possessionem Angliæ vindicare, sed ita, ut mihi prius vitam eripiat.* His responsis cognitis Magnus, quamque iniqva sorte tam diuturno tempore oppressus fuerit, vir tam Sanctus, Deoque acceptus, suam ipsius fortunam, illius haut dissimilem, animo recolligans respondit: *regnorum sibi abunde, modo usum administrandique prudentiam Deus indulserit; acquisitione tertii plura perditurum, si offenso Deo Regem tam pium regno patrimoniali deturbare vel vita spoliare aggrediretur; orandam itaque Divinam clementiam, ut eorum, quæ munere ipsius acceperat, vitam tranquillamque possessionem sibi in posterum præstare dignaretur.*

Adhuc annum Annales referunt eandem Sancti Hallvardi: de quo sequentia. Prius quam de hoc Sancto dicamus quidquam, præmittenda videtur historia vitæ ac passionis, in hunc modum olim descripta Ultrajecti. Sanctus Halwardus ex nobilibus ortus, natalibus claruit, cujus pater Vebron (Vebiorn) mater vero Thorni dicebatur: cujus videlicet Thorni mater, ut fertur, filia fuit Gubrandi (Gudbrandi) Comitis, qui etiam Gubrandus genuit Afscham (Aftam) S. Olavi matrem. Puer autem Halwardus crevit in domo paterna cunctis prædilectus: erat autem primo religioni deditus Christianæ, obediens parentibus, erga propinquos benevolus, corpore castus, bonestate præpollens, justitiæ cultor. Cumque S. Halwardus in adolescentiam devenisset, cepit in re familiari procuranda patris adiutor existere. Fertur etiam, quod apud cunctos habetur, quod à primævo duo pondera fecerat sibi, quo ne aliquando fraudem faceret sibi minus, fratri autem majus pensaret. Cumque mercandi gratiâ Gotblandiam venire, & sua ibidem negotia exercere cepisset, venit quidam terre illius indigena, vir prædives, Botwidius nomine. Hic cum viros ignotos vidisset, ad eos accedens, qui essent, & unde, exquisivit; cui illi cuncta per ordinem indicabant. Hic vero, cum S. Halwardum conspicisset, ait, quis est adolescens iste? At illi nomen & genus indicabant: quod cum vir prædictus audisset, ait, video vultum tuum singulare, & præ cunctis hic stantibus honorabilem. Certè scio quod magni prodigii licet in te futurum aliquid, unde te cum tuis contribulibus ad refectorem invito, quod S. Halwardus gratanter acceptavit: ille vero suscipiens omni humanitate exhibitam convivium præparavit, & cuncta, quæ in venalibus habebat, comparavit, & multo plura redonavit, & tempore navigandi adveniente, omnia necessaria ei tribuit, & in pace abire permisit. Sicque sanctus salvus omnibus cum sociis est reversus ad patriam.

Post modicum verò temporis, verno instante tempore, egressus S. Halwardus de domo patris, ut pro suis negotiis agendis partes vicinas visiteret, venit ad stagnum Dram (Dröfn) nomine, per quod iturus erat, extrahens que modicam lintrem de alga ascendit eam: & subito venit mulier prægnans, imbecilla ac palpitans, rogans ut eam secum ferret. Et interrogata quæ esset, & quò vellet? indicato nomine se transituram per mare vello iussit, & cum videret hominem eò itinere properantem, ne tardior periret, ideo celeriter accurrisset. Iussaque mulier sedit in puppi: ille verò iter arripuit navigando,

Et subito vidit ad litus, quo mulier venerat, tres viros velociter accurrentes, qui statim aliam cymbam accipientes post eos velocius navigant. Tunc S. Halwardus ait: agnoscis hos? Ait illa, agnosco. Et illi, ut video, te requirunt: dic mihi quid feceris? respondit illa, verum est quod me persequuntur, sed quod mihi imputant, non feci: imponunt enim super me causam furti. At ille, potes te ex hoc purgare ferro ardente? at illa: Possum & parata sum, si mihi parcere velint. Viri autem illi velociter insequentes dixerunt, cur tu, Halwarde, talis adolescens, tam generosus editus parentibus, tam malam feminam tuendam suscepisti? Redde eam ut moriatur, quoniam digna. Quibus Halwardus dixit, quid enim mali fecit? qui dixerunt: Furata est res fratris nostri, infringens domum ejus; quibus ille ait, et quomodo domum infregit? dicunt ei, extraxit ansulam de poste, qua tenebat seram. At ille: Hoc opus non est mulieris, sed fortissimi viri. An aliquis invenitur, qui eam viderat hoc fecisse, vel in ejus domo sublata invenistis? Sin autem incertum est, cur morietur? Noime magis justum, si potest, purget se à crimine: sin autem, quod legibus justum est, de ea fiat, aut redemptionem pro ea dabo, tantum ut imprægnantem & infantem in utero habentem ne occidatis, oportet igitur vos sedari, nec temere quid agere. Tunc illi è contra hoc furentes vociferabant. Unus autem quisquam eorum arcum eripiens tetendit. Et sagitta fortiter emissâ pectori martyris infigitur; quo perempto, etiam mulierem occidunt, & in litore sepelierunt, ipsi vero saxum ad collum ejus ligaverunt, & in mare demerserunt: sed per Divinam gratiam & merita martyris corpus ejus longè post cum saxo super mare natans repertum est.

Hactenus legendarium Ms. Ultrajectinum Ecclesiæ S. Salvatoris ad hunc annum XIV. Maii ad quem diem in doctrinali Clericorum una cum Martyrologio Sanctorum, Lubecæ Anno MCCCCXC excuso, ista leguntur eodem die Beati Halwardi martyris: quæ plane eadem leguntur in Martyrologio Coloniensis Ecclesiæ dicto, anno MCCCCXC, etiam impresso. In Ms. Florario Sanctorum his verbis celebratur: Item S. Halvardi Martyris. Legitur præterea memoria Halphardi Martyris apud Hermannum Grevenum in anuario Usvardi, Coloniæ anno MDXV. & MDXXI. excuso. Iterum ad diem XV. Maii indicatur cultus Harwaldi martyris in dicto Florario, quando apud Grevenum ista leguntur: Halpwardi Martyris secundum alios die præcedenti.

Olaus Vorm. lib. II. Fastorum Danicorum, Hafniæ anno MDCXII. editorum, cap. I. & seqq. meminit venerationis solennis S. Halwardi mense Majo, & cap. V. p. 99. hæc deducit. Halwardi, Halvarsocha; Soche verò Norvægensium conventum celebrem & encania notat. Verisimilius videtur ex Halvards vetu. in casu recto nota, quod pervigilium notat, contractè simul & corruptè Hallvards-socham detortam. Hæc quoque coherent cum Breviario Nidarosensi. Et hæc circa antiquum S. Hallwardi cultum. Meminit hujus Adam Bremensis l. IV. cap. XVI. sub finem, his verbis: Alter quidam, Alfardus nomine, inter Nordmannos sanctâ conversatione dia vivens ac latenter, abscondit non potuit. Ille igitur, dum protexit inimicum, occisus est ab amicis, ad quorum requietionis locum magna hodie sanitatum miracula populi declarantur.

CAP. IV.

KALFUS REGIS OFFENSAM INCURRIT,
ET FUGIT, MAGNUS, IN THRANDOS ASPERIOR, AB
IIS ET SOGNENSIBUS PERICULUM DECLINAT: CODICEM
LEGUM, QUI GRAGAS DICITUR, CONSCRIBI CURAT.



DUm Rex Magnus, in Dania tantis rebus gerendis intentus, haur improvisas moras neceret, Einarem Thambaskelferem, intimi consilii principem, magnæ experientiæ fideique indubitatæ virum, indivulsum comitem habuit. Thrandiæ autem regendæ Kalfum Arninum, dignitate parem, sed gradu superiorem, præposuit. Interea evenit, ut Islandos inter, singulos hospitio ejus exceptos, ortæ ex æmulatione lites in mutuas cædes definerent. Horum antesignani ex una parte Thorgrimus, Halli filius de prædio Brunastadis, provinciæ Flotensis civis, honorarius quondam Regis Olafi satelles, atqve eapropter Kalfum occulto odiô habens, inqve sinu execratus, filio Illugio, ministrisque duobus, Galrio robusto, & Kolgrimo, puillæ staturæ viro, comitatus. Ex alia Hallbiori de Laxardalo filii Biarnius & Thordus, navis, quâ veñti erant, ex æquo cum Thorgrimo domini possessoresqve. Et quamvis omnia liberaliter, quæ usus postulabat, præberentur, Thorgrimo tamen haur perinde atqve iis grata fuere, convictum cum satellibus Sancti Olafi in memoriam neficia ejus vilipendentem sugillabant, alacritatem autem suam studiaqve in eum monstraturi, carmine eum celebrabant; quod publicè recitatum, eum fortitudinem quoque ejus bello Stiklastadensi inter cætera extollerent. Thorgrimum adeo irritavit, ut finito carmine sibi non temperaret, quin kalfum apertè objurgaret, *quod vir tam sapiens immanè scelus, proditorem nimirum Domini, inter laudes suas numerari, tanquam triumphandi materiam, æquo animo pateretur.* His insensus Biarnius exprobrabat ei, *quod olim in Islandia cum duobus filiis, sæva obrutus tempestate, intensoque frigore, altero filio sublato, domum cum reliquo semivivus relatus, calido se lacte refecerat; id enim viro forti indignum & turpe visum esse: iussitque, ut linguam compesteret homuncio, simulato in patria morbo, infantium compotator.* Hoc probo peresus Thorgrimus, conclave ingressus, mandat filio suo, ut Biarnium protinus occidat: quò virium defectum, locumqve, unde nullum effugium, excusante, ipse eodem momento regressus lethali ictu adversarium feriens, quod filio præcepit, fortius quam prudentius executus est. Thordum vero, cædem fratris confestim vindicaturam, intercurrentes alii impediabant. Kalfus autem vim in hospitem contumeliam quoque haur interpretatus, jure, non vi, vindicari voluit, raptumqve in forum, quâ satisfactioe cædem expiari placeret, edicere jubet. Ad Regem provocanti, sententiamqve in ejus adventum differri postulanti kalfus, aures non præbuit. Mox exilio condemnatus, *prohè sibi sententiæ acumen constare testatus est, nimirum ut impune occidi possit, heredes a satisfactionis beneficiis excluderentur: iudicio Regis causam non permitti, quod studium suum in patrem ejus perspectissimum Kalfus haberet, ejus odiose condemnari: nec tamen omnium hæredibus suis spem præcisam, modo idoneus iis patronus obtingeret.* Jamque damnatum Thordus occidit. Quo viso, ministrorum alter kolgrimus, dum socium suum Galium, virum robustum, ad vindictam frustra hortaretur, viribus quam animo fortiorem pronuncians, erepta ei securi, quam veste tegebat, Thordi dorso magnum ictum infligit. Ipse sine mora compedibus innexus in eventum vulneris custoditur. Rege redeunte Thordus exspiravit. Sed cum totius rei ordo Regi jam ante reditum cognitus esset, cum kalfus opiparo convivio eum exciperet, kolgrimus ad causam dicendam

dam admiffus, etiam impetravit, ut carmen, quod in laudes patris ejus composuerat, recitare permitteretur. Ibi ordo litis controversiæque series inserta, Regem, quid Thorgrimum ad eadem impulerit, edocuit, disticho etiam superflite, quò *Regià sibi clementià opus testatur, cum Kalfus ex semisse potens sit; Rege, nec potentiam ejum semissem supergressuram, regente.*

Exposito carmine Rex præmii præcipuum vinculorum gratiam statuit, Kalfique in se suosque iterum declaratum affectum paucis perstringens, judicium, quò Thorgrimus exilio damnatus est, ad præripiendum hæredibus compensationis beneficium irritum pronunciavit: satisfactio nem itaque ex pecuniis, quæ Biarnio Thordoque communes erant, filio ejus Illugio adjudicavit, præmium verò ultionis intrepidè exactæ dimidiam navem, quam illi possidebant, reliquam partem hæreditatis jure filio Thorgrimi Illugio, & quòd minorennis esset, curationem bonorum ejus Kolgrimo addixit. Illo vero peregrinationem Romam usque ad Apostolorum limina excusante, alium interea, donec rediret, curatorem surrogavit, quòd munus in se susceperet.

Hæc in fidem Sancti Olafi ministrum severitas, indicium animi non omnino penitentis visa, accedentibus assiduis inimicorum calumniis, Regem quoque in eum commovisse creditur; maximè verò quòd patrem ejus occidisse traduceretur, adeo ut vicarii regiminis potestas, quæ ad eum usque diem penes Kalfum fuerat, paulatim imminuta, tandem cum gratiâ Regis penitus conciderit. Aliam occasionem dabat Thorgeir Fleckus, Sulæ de Veradalo incola, qui patrem ejus ante prælium Stiklastadense, quantum poterat officii, coluit, hospitaliterque excepit, filiosque militiæ ejus, quam ipse secutus est, admovit. Is cum frequenti foro Regem controversiis decidendis intentum, iusta de causâ accedens, nequicquam interpellaret, quòd iis, qui propius astarent, aures præberentur, assâ voce ita ut ab omnibus, qui prope erant, percipi posset, metricè exclamans, *Meme, inquit, assure, Magne Rex: ego enim patri tuo bello Stiklastadensi militans, concisum inde caput domum retuli, cum alii illum occisum conculcarent; quorum scelerate sectæ, inferorum præstiti carissimæ, proditorum colluviie te factorem præbes.* Ingenti inde tumultu exorto, aliis eum foro egredi jubentibus, ipse Rex eum arcescit, receptumque in amicorum numerum, concessis, quæ postulabat, dimittit. Paulo post, dum in Haugo Veradali prædio convivarentur, æque alio Regis latere Kalfus, alio Einar, confiderent. decrefensque in Kalfum gratia Einarem tanto magis affaret, Rex Stiklastadas eadem die ad ea, quæ ibi gesta essent, propius inspicienda iter pronuntiavit, Einaremque comitem depoposcit: cui Einar respondit, *nihil sibi de iis constare; eorum verò exactiorem cognitionem à nutritio ejus Kalfus expectandam, utpote qui illo tempore præsens singula ordine enarrare noverit.* Is itaque iustus Regem comitari, *citra necessitatem id postulari,* respondit, *fatis quidem recentem, sed nec minus tristem odiosamque, sibi istius loci memoriam, etiam si novâ recordatione non irriteretur; quos semel in gratiam fidemque receperit, eorum fidelibus operis rectius Regem usurum, quam conquistis criminibus plebis indignationi furorique expositurum.* Ad hæc Rex stomachabandus: *Ibis quidem, Kalfus,* ait; *moxque exiit.* Kalfus, arcescito famulorum fidissimo, mandavit ut citato itinere Eggias profectus eodem die ante Solis occasum navem suam longam instrueret, mobiliaque omnia, quæ auferri possent, cum singulorum vestimentis eo inferret, vernasque in procinctu in omnem eventum paratos haberet. Inde Regem Stiklastadas comitatus, cum ex æquis descendissent, ad stationem belli in-

spiciendam digressi sunt. Regi locum, ubi Rex Olatus concidisset, quærenti, Kalfus hastili exporrecto monstrans; *Ibi, ait, cæsus est. Tu vero, regesit Rex, ubi tum stabas?* (*Editio Danica simul linquente animo in terram decidisse, protinus à ministris sui erectum, sed sola, habet*) *hic, respondit, ubi jam consisto.* Tum Rex facie in rubrum tincta; *poterat ergo, ait, securis tua eum pertingere? non attigit, respondit, eum mea securis:* regressusque cum omni comitatu equum conscendit, domumque reversus navem cum vernulis in procinctu nactus, impositò quantum vehi poterat, conscendit, eademque nocte, domo egressus sinu superato in altum provectus, occiduas terras petivit, prædisque & manubiis Scotiâ, HiBerniâ & Hebridibus direptis in Orcadibus ad affinem suum Comitem Thorfinnum, qui neptem ejus ex fratre Finno Ingibiorgem, ab eventu demum Comitum matrem dictam, uxorem duxit, hyemavit; nunquam deinde Magnum revisurus.

Rex Haugum ad convivium rediit. Verùm post abitum Kalfi in Thrandos, qui seditionem adversus patrem moverant, aut bello eum persequabantur, asperior, variis eos pœnis affecit. Alii in exilium acti, alii pecuniâ multati, aliorum suppellex domestica, animata inanimataque, in ærarium redacta: prædia quoque Niggia Ruto, kvistfadæ Thorgeiri, Eggia kalso possessa, cum reliquis, quæ in exilium profectus deseruerat, Regio sisco vindicata: omnes præterea possessiones & agri eorum, qui ex civium factione bello Stiklastadensi cæli sunt. His infensi cives frequentes conventus celebrabant, de vi & injuriis Regis invicem quæsti, & quorsum tenderet, disquirentes, *an & leges; quas tulit Hacon Adalsteini alumnus, civibus tam facile extorturum existimaret? adeone peregrinum, ut violatarum legum ereptivæ juris; Thrandos acres fuisse vindices, nunquam inauderunt? an patris, quem nuper occidissent, sortis, aliorumque majoribus suis imperantium Regum, quibus vis & immodicus fastus vitæ jacturâ steterit, cum cives se concitassent, oblitus, periturus in proprium exitum festinet? inaudendum ad eum usque diem, Thrandos, penes quos totius regni principatus, non solum cæterarum provinciarum juris communione (quod illis auctus semper habuerint) excludi, sed tanquam hostes rapinis & direptionibus exponi, florem regni, præfecturarumque omnium præcipuum decus, servorum Regis servituti obijci, suamque conditionem cunctis regni provinciis postponi. Certe nec se adeò degeneres, ut exempla à majoribus suis in publicum salubria sibi ad imitandum depositi jure relicto, fide, quâ acceperint, ad posteros quoque sine ulla socordia labe transmittere negligant.*

Sed nec soli Thrandi concitati: Sognenses quoque arma parabant, cognitò, Regem, qui tunc in Hordia morabatur, cum copiis in se moturum. Ad seditionem tumultumque omnia spectabant. Igitur, quia consiliis Regi erant, haut dubiam perniciem subsecuturam prospicientes, mature eum monendum statuebant, ut incepto desisteret; eum verò, qui suggereretur, forte legi placuit, nemine solo in tantos ausus pronò. Erant consiliiarii duodecim, qui de his consultabant: fors vero arte directa in Sigvartum cadebat. Carmine igitur, cujus adhuc versus octodecim supersunt, quod *Bersøglisvisi* seu *carmen veridicum & apertum*, inscripsit. Primo laudes patris Magni fortitudinemque bellicam extollit, sequæ præliis, quæ feliciter gessit, interfuisse perhibet; inde stilo ad alios principes, antecessores ejus, verso, memorat, *quàm anxie latus à se leges juraque civibus data tutati sint, illoque nomine omnium studia in se converterint, nec aliare Olafum Tryggvinum & patrem ejus magis se populo commendasse:* *hac spe*
ercc-

erectos ordines regni fastidio Sveni Alfsæ filii, qui jura legesque justulerit, illum in patriam revocasse, seque suasque fortunas illius providentia credidisse: cumque sibi patri ejus sinistra de eorum judicis perniciosaque molimina suggerere semper licuerit, orat, ne consiliariis idem agentibus aperteque enodantibus succenseat; quæ enim cives, leges juraque primitus sibi ab eo promissa non ex fide coli; irritatos sævitâ, nova consilia coqueret. Cavendum itaque illi, ne isto rigore ulterius extenso proclivem ad vim arcendam multitudinem, etiam ad vindictam in se concitet. Nihil Regem perinde ac promissorum fidem constantemque exornare. Prestare pacem quam singulis fecerit, delicti gratiam re ipsâ exequi, penis rapinisque juris exequendi titulo, à fide licet consultoribus, irritatis tamen, excogitato abstinere. Pessimos svasores, qui Regem juvenem adversus patriam armare satagant, neque enim unum universis parem. Unam omnium vocem, arma, si incepta severitate perseveret, minantem, dubiam ei in posterum regni possessionem facturam.

His accuratius expensis, multisque aulicorum, quæ afferrentur, vera, quæ consulerentur, utilia, assensu probantibus, Rex ad mitiora consilia flecti se passus, cives ad forum magnâ frequentia convocat. Primâ die acriter in eos invehit, quibus delicta intentabat, duriores pœnas irrogavit: cum Atlius quidam civium nomine exurgens ad hæc calceæ premi questus est, ne se loco movere possit, quo dicto confedit. Hæc voce propius inspectâ, Rex forum solvit, posterâque die omnes eodem loco comparere iussit. Mitior tum vultuque hilari cunctos affatus, clementem se omnibus ostendit, promissaque denuò singulis præteritorum impunitate, legumque emendatione, onerumque levamentis, non solum ea, quæ promissit, sed his etiam auctiora, re ipsâ præstans, fidem suam exsolvit; In Langafunda enim leges quasdam, ab antecessore Sveno latas, vel abrogavit, vel mitigavit, teste codice legum, qui Jarnsida inscribitur; navigandi libertate, naviumque proprietatum usu reducto, hæreditateque exulum ad proximos hæredes translata, quam Regio fisco Svenus addixerat. Thesauri præterea effossi domino prædii permitti, etiam si alius effodisset. Sapientissimorum quoque consilio leges conscriptæ, inque codicem relatæ, qui Scriptoris hujus tempore, & longè post, in Thrandia conservabatur, titulo Cragas, id est, cineraceus asser; nunc an ullibi existet, dubito: nam licet is, qui excerptas inde Islandorum leges continet, quæ, dum aristocratia ibidem viguit, in usu fuerunt, sub eo nomine supersit, à me quondam utcumque in Danicam linguam translatus, compendium tamen est. Hinc civium effusum in Magnum studium amorque, quantum in patrem patriæ, qui certè maximus, cadere potis est, cognomen ei BONI, non, ut Saxo tradit, à vindicta finium regni Danici adversus Sclavos, sed à morum svasitate, ingenii bonitate, & propenso in cives affectu, communi consensu indit, posteris sub hæc notione in æternum colendum; atque adeo, ut absque eo ne hodie quidem à reliquis Norvegicæ Regibus, quibus Magni nomen ab illo demissum cum eo commune, inter nosci possit: alibi tamen Potentem appellatum lego, ad distinctionem Magni Smeckii, seu Banditii; quem ad invidiam Sveonibus fortè conciliandam Bonum appellatum, sed uno tantum loco, in vetusta membranâ observavi.

CAP. V.

REX MAGNUS SVENUM ULFI FILIUM
COMITEM CREAT, DANIÆQVE PROCURATOREM
CONSTITUIT: QVI CONCILIATIS SIBI DANIS A REGE MA-
GNO DEFICIT, REGIUMQVE TITULUM ASSUMIT, SED
REDITU MAGNI COGNITO IN SVECIAM SECEDIT.
MAGNUS VANDALOS COMPESCIT.



Um Rex Magnus è Dania in Norvegiam re-
diens, five anno qvadragesimo secundo, qvo post
mortem Horda-Knuti imperium in eam consecutus
est, ut Snorrius Sturlæus vult, five, qvod ad cate-
rorum omnium calculationem propius accedit, an-
no qvadragesimo quarto, id qvod magis probò, di-
utius in Vika moratur, accessit eum Svenus, Ulfi
Sprakaleggi ex Sveni Admorsæ barbæ Daniæ Regis filiâ Afride, Knuti
Magni sore fore uterinâ, filius, è Svecia profectus; ubi à tempore cædis
patris sui in Regum aula ad eum usqve diem versatus Chronicis Norvegi-
cis perhibetur. Nec *Ad. Bremensis* omnino diffitetur, dum eum sub Ja-
cobo Sveciæ Rege duodecim annos militasse tradit, additqve Horda-Knu-
ti tempore in Angliam navigantem, tempestate maritimâ, Hathelœe (Ha-
theleriam) appulsum, proxima qvæque locorum. more tyrannico, va-
stantem, à militibus Archiepiscopi Bremensis Bezolini, cognomento Ala-
brandi, captum, adqve Archiepiscopum perductum, àqve eo honorificè
Bremam deductum, junctâqve secum amicitia, post aliquot dies donatum,
benegnèqve dimissum memorat. *Historia Archiepiscoporum Bremensium*
Nordmannorum Regem appellat; credo per anticipationem, Danosqve
hic Nordmannos appellari. Eundem idem *Adamus* classi ab Horda-Knuto
adversus Magnum præfectum victumqve, & cum in Angliam redisset,
Horda-Knutum mortuum deprehendisse, eodem loco perhibet: reclaman-
tibus ex nostratibus iis, qui eodem anno, qvo Magnus Rex Daniæ pro-
clamatus in Vikam Norvegiæ provinciam rediit, Svenum ibi præsentem
aditum ad eum sibi præstruxisse asseverant, comiterqve exceptum; virum
formâ excellentissimâ, staturâ prægrandi, robore insigni, variarum arti-
um exercitorumqve admirandâ peritiâ, mirâ corporis agilitate, ingenii-
qve dexteritate, adeò ut omnium iudicio singulis virtutibus, qvæ Princi-
pem exornant, abundè cumulatus videretur.

His sibi amicis facillè conciliatis, eorum studiis, tum etiam propria
industriâ, Magno se insinuans, brevi ad intimam ejus gratiam gradum stru-
xit; nec ingentia postulabat, fortunæ tantum injuriam qvestus, ut *a-*
vunculo offenso, pater nuper in eum magnis meritis ad fastigium à Regio proxi-
imum proventus, totius Daniæ imperio cum vitâ repente exutus, orbem se, mox
exulem, aliene misericordiæ sustentandum reliquerit, sine ulla in posterum sa-
tisfactione aut orbitatis solatio. Hinc se honoribus in patria commodisqve ad
eum usque diem exclusum, privatam in peregrina terrâ cognatorum indulgenti-
â vixisse; jam verò spe omni de accepti damni restitutione à posteris Knuti
impetranda dejectum, ad famam clementiæ bonitatisqve Magni ubiqve decan-
tate accurrisse, majori quidem fiducia, quam ad cognatos, si vel maxime vive-
rent; nec magna expe i, præfecturam tantum unius in patria satrapie: illius
ad-

administratione experimentum fidei studiique in eum daturum.

Movit Magnum tantus natalium splendor, hisque congruæ animi corporisque dotes. Suâ igitur integritate ejus fidem metiens, secretioribus eum colloquiis adhibuit. Aliquanto temporis interjectu, cum frequenti confessu, ipse Regio infidens folio, Sveno verò in subfello ante Regem collocato, hunc in modum dicere orsus est: *Vobis, inquit, proceres, plebsque, qui præsto estis, publicandum censeo, me, cui populus universus Danie hac ætate totius regni singularumque provinciarum curam Regio titulo auctoritateque gerendam commisit, ipsis sub discessum rectorem promississe idoneum, qui mei absentis vicem regni munia ad universorum & singulorum utilitatem obeat, internam pacem inter cives conservet, lites dirimat, seditiones vel præveniat, vel compescat, externa bella irruptionesque hostiles, quibus Dania nimium obnoxia, hinc Vandalis & Curis, aliisque orientalibus, illinc Saxonibus irrumpentibus, fortiter propulset. Ipsi tam laborioso muneri ex dignitate gerendo cum uenimem videam Sveno Ulfi filio parem, qui obsequium suum mihi fidemque addixit, visum est eum deligere, quippe genere Regio, omnibus ornamentis, que ad principatum spectant, abundè instructum. Eum itaque exemplò Knuti Magni, qui patrem ejus Ulfum totius Danie rectorem Comitibus titulo, se absente, creavit, ego quoque Comitem administratoremque totius Danie, dum aliis negotiis distractus præsens adesse nequeo, constituo. Tum verò Einar Thambaskelfir; nimius, inquit; nimius Comes, alumne. Hoc responso commotior Maguus: *videor, inquit, vobis pauca rectè provisurus; alii verò Comites nimii, alii ne inter viros quidem æstimandi; exfurgensque gladium baltheo Sveni, humero clypeum alligans, capiti galeâ impositâ, Comitem eum renunciavit. Datum in Daniam tantum potestatis jurisque in provincias clientelares, quantum pater prius sub Knuto Magno obtinuerat. Elatus inde S. Olafi sarcophagus, sacrarum reliquiarum receptaculum, cui Svenus manus imponens fidelitatis juramentum præstitit, hæc forma: fidem se Magno servaturum, ejus regnum ex omni parte aucturum, nullâ minuturum, ei sine exceptione, quoad simul vivant, subjectionem præstiturum. Mox in folium à Rege deductus apud eum collocatur: id quod Thiodolfi poetæ versus,**

Mss. omnibus insertus, testatur.

Deinde Rex Magnus Nidarosiam rediit; Svenus autem, jam Comes Prorexque constitutus, in Daniam profectus, singulari civium studio excipitur, gratulantium sibi, *datum gubernatorem, veram Regum suorum sobolem, Danica integritate illustrissimis familiis sanguine junctum, cui commoda patriæ civiumque suorum cordi, virum flore ætatis conspicuum, rebus gerendis assuetum. Nec is sibi in procerum plebisve studiis vel autoritate conciliandâ defuit, satelliticum stipatorumque, quantum corporis custodiæ magnificentiaque ostentandæ satis, delectum: circuitu provincie, presati magnates, demulsum comitate vulgus. His artibus per familiares populo, jam sponte in ejus amore accenso, magis adhuc conciliatus, non ultra quid animo coqueret diffimulandum ratus, Regium fastigium ambiens, svasoribus ad eam procerum partem, quæ consiliorum istorum ad eam diem exfors fuerat, iis usus, quorum fides in se, autoritas in publicum perfecta.*

Non erat difficile in novas spes erectam alioquin cupidam gloriæ gentem, tot etiam remotioribus nationibus jamdiu imperare: sœvetam, ad Regem ex indigenarum Regum sternate sibi constituendum, extraneumque abdicandum, concitare; vivis adhuc magnatum iis, qui prosperioris fortunæ indulgentiæ insueverant, sortemque patriæ tanto fastigio regenti-

um focordiâ an inertîâ ad obsequii erubescendam conditionem prolapsam miserantibus, viso nuperam seculi conditionem in gentem, cui non ita pridem imperabant, translatam, vivis è plebe præcipuis, qui viribus imperii metuque potentiæ ab externarum gentium insultibus tuti intactique, jam externæ gentis præsidio indigeant. Subiit itaque prioris fortunæ recordatio, ut finitimas gentes, *Vandalos, Saxones, avus hujus Sveni dicto obdites habuerit, ut formidatas gentibus Norvegorum vires expugnaverit, compulso ad mortem, vel præsidium ad morte duriorum captivitatem evitandam ab undis quærendum, Rege Danici nominis celeberrimo, ut auctis tot victoriis, viribus, viriumque fiducia, terror ingens immensum mare traversus ad Anglos pervenerit, tantisperque florentissimum regnum concusserit, donec inversum in filii Knuti Magni ditionem cesserit, cujus exemplum Scotia, pluraque transmarina regna secuta, Danicæ Majestati fasces submiserint.* Subiit desperatio, nunquam alienigenam Regem genti Danicæ tot tantaque decora restitutum; qui si vel maximè ad id contendere ausit, sibi tamen suisque popularibus eam gloriam, id emolumentum quæsiturum; se laborum, periculorum, impensarum consortes, gloriæ partarumque opum propè exsortes futuros. In dubia hinc consentientium vox; periculosam pactionem paucorum principum imprudentiâ, in totius patriæ civiumque & posterorum immortale præjudicium, pupillo Rege ab aliorum consiliis pendente, compositam, publica auctoritate rescindendam irritamque pronuntiandam; neque enim in ipso juramento imperitæ plebi, magnatum ad id pretio vel spe conductorum astu vel metu extorto, obligandi vim inesse; & si quæ esset, non ultra impulsores extendi. Excusabilem quoque redditam necessitatem; minis Magni classe exercituque gentis alienæ, tum etiam indigenarum, in factiones dilapsurum, dissidiis armatis securis Norvegicâs, nisi postulatis pareretur, cervicibus civium protinus intendantis, singulis è familia regnatrice vel extinctis, vel remotioribus, quam ut eorum opem respicere civibus in tanta trepidatione licuerit; alium jam rerum vultum, aliam temporum conditionem. Redditum, ut augurarentur, divinitus juvenem impigrum, istorum Regum propaginem; qui ad summum humani fastigii culmen patriam nomenque Danicum provexerint, iis artibus eruditum, que viam ad summa quæque struerent, ire fortunæ multisque periculis à teneris objectum, moderationem, quamvis ab ingenio haut alienam, usu tamen & adversorum experienciâ didicisse, illo animi vigore, illo corporis habitu, quem fortuna, cui se infundat, dignum existimet, qui languescens civium animos, industriâ & exemplo excitatos, ad prioris fastigii amissorumque recipendorum certissimam spem propediem videatur erecturus, tandem quoque repulso alienigenarum jugo, gentes, quæ defecerint, ad imperii obsequium revocaturus. Imperium itaque & animum tanto fastigio dignum faustis avibus capeffere jubetur, Rexque Thorkele Geyfa, viro genere opibusque illustri, ipsiusque Sveni consanguineo, præeunte, salutatur.

His in Norvegiam ad Magnum relatis, haut exigua eum spreto Thambaskelferis fidi consilii pœnitentiâ subiit; quodque juvenili præcipitantiâ res suas subditorumque ad id fortunæ culmen, ipseque ulteriores rarâ Numinis indulgentiâ penè à desperatione subito provectas in id discriminis conjecisset, ut periculo suo civiumque suorum, nec minoribus impensis armisque, florentissimum imperium laceffere necesse haberet. Intensissimo igitur delectu per universum regnum habito, satraparum singulis classem, militem, comæatum, armaque ad expeditionem in Daniam in æstatem proximam, quæ erat anni MXLV, dirigendam, absque morâ imperat, ipse Visundo Regiâ patris nave vehitur. Eo cum ventum esset,

esset, Vandaliæ, urbemque ejus primariam Jomsburgum, ab obsequio, quod Daniæ Regibus jam longo tempore præstare insuevit, nuper defecisse, verâ relatione comperit. Eò igitur, Sveno ad subitum ejus adventum tantumque apparatus territo, adque Regem Sveciæ (*Jofraskinnæ Eymundum, Kringlæ Emundum, Fagrskinnæ Onundum, Morkinskiunnæ Aunundum. Adamus autem Bremensis Historiæ Eccles. Lib. III cap. XV.* monstrat, Aunundum mortem oppetivisse, cum Comitis Godvini filii fratrem Regis Sveni Bern obruncassent, alterum autem Obsern cum suis omnibus patriâ ejecissent: Bern autem à Sveno Godvini filio occisum *Simon Dunelmensis hist. de gestis Regnum Anglorum Anno MXXIV.* refert, cui *Bromton* suffragatur. *Historia autem Archiepiscoporum Bremensium pag. m. 91.* ad annum MXI obitum ejus refert) Scaniâ Gothiâque transitis, ad auxilia comparanda fugiente, classem Danico delectu insigniter auctam dirigit, postque exactas de defectionis ad Svenum principibus sequacique plebe acres pœnas, puta proscriptione, vel bonorum publicatione, perfidiam quoque in Vandalos memorabili vindictâ persequitur: plexi cœdibus, villarum promiscuis incendiis, rerumque carissimarum direptionibus; tandem quoque ipsum Jomsburgum expugnatum, inque villas miserandum spectaculo redactum. Quotquot fuga (quorum tamen vis ingens) vel ultionis fatietas supplicii non exemit, in obsequium jurabant. His ex animi sententiâ confectis, in Jutiam reditum, magnaque pars classis militisque gentis utriusque, Daniæ Norvegiæque, domos dimissa, ipso Rege ad seditionem compendendam ibidem hyemante.

CAP. VI.

MAGNUS CUM VANDALIS ET SLAVIS
IN JUTIAM INFUSIS PUGNAT, EOSQUE DUCIS SAXONIE
ET BRUNSVICENSIS AUXILIIS DELET, ORDO REIGESTÆ
EX ISLANDORUM MONUMENTIS EXPONITUR, ADDITIS
ADAMI BREMENSIS ET SAXONIS
RELATIONIBUS.



Interea, dum Magnus his gerendis occupatur, Svenus ab initio veris, cum primum de expeditione Magni certior factus est, in Svecia auxiliis comparandis distentus, per exploratores quantis Magnus copiis, quanta classe instructus Daniam propugnare destinaverit, quibus intentus negotiis, quibus immoraretur provinciis, ad eum usque diem sedulo expiscatus, ut classem copiasque magnam partem dimissas cognovit, è Svecia cum exercitu à Rege tradito in Scaniam infusus, popularium studiis honorificè excipitur, Regioque titulo honoreque cultus, continuo magno mortalium numero quotidie certatim affluente in Sialandiam transmisit, pari que benevolentia exceptus, universam in partes suas traxit. Inde in Fioniam transvectus, totam cum aditis insulis ad obsequium reduxit. Multâ deinde classe militumque vi collectâ Magno haut omnino impar habitus, cum aliud periculum, idque multo majus, famâ simul relatum, sollicitam Magno curam injecit: quippe Vandali, irruptis agrinatum regni limitibus, in ultionem ætivarum expeditionis, quicquid hominum pecorumque obvium habuerunt, trucidabant; non villis, non

ætati aut sexui parcitum, pariter in omnes sine misericordia militari furore sævitum.

Ad hunc terrorem pestemque propulsandam excitus Magnus, Jutis, ut regnum jam suum à paganorum inundatione liberaret, flagitantibus, quamvis Svenus insularum opibus auxiliisque feròx immineret, collectis quantà potuit per universam Jutiam festinatione copiis, iis occurrendum censuit, frementibusque Norvegis, *sanguinem suum in usum Danorum, qui nuper in Regem seditragi perjurique, simul ac Rex è conspectu metusque ejus recessit, ad rebellem vasallum summa perfidià defecerant, ad alienam victoriam instruendam impendi.* Ille contra, *fidei suæ officiique munus esse, deitros, quorum tutelam susceperit, non prodi, defendendos ut subditos adversus vim omnem a paganis oppugnantibus, sine flagitio & religionis labe deserere nullo modo posse: nec amplius ut alienigenas aut refractarios censendos, cum non va penitentibus ad officia obsequiaque sponte redeuntis, priorum culpam emendarent, eodem imperio, eodem Rege sociatos, longè tamen arctiori nexu S.S. religionis sub uno eodemque capite Christo communionem.* Rem itaque Christianam, spretis periculis, omisis disputationum ambagibus, socordia excusande prætextu, absque longiore moræ segnis otii, quæstionibus & querelis tantum serendis idoneis, irritamento, Deo propitio juvandam, se enim ad rem tantæ præclaræ gerendæ proficiscentem longè honestius, si vel maxime singulis occumbendum præfererent, secuturos, quàm desertorem regni sui, subditorumque facrorumque, incolumes incolumem, prostitutâ nominis Norvegici gloriâ, majorum propriaque famâ, ignominia aspersum in patriam reducturos.

Mox facta verbis æqvaturus universum exercitum in occursum barbarorum in australem Jutiam prope Høidabæam ducit, *Ad. Bremensi*, ut mox dicetur, illum locum designante, quibusdam nostrorum idem etiam autoritate carminis à *Thiodolfo* poeta in testimonium prolati asseverantibus, nec tamen sibi ipsis consentientibus; in tesquis enim *Lyrskotgrænsibus*, seu *Christosæbæide*, ad annem *Skotburgenstem*, qui Jutiam Australem à meridionali determinat, concursum volunt, *Ottone* Duce *Brunsvikensi*, Regis Magni sororio (duxerat enim sororem ejus *Ulfhildem*, genuinam patris *Olafi* ex *Astride* Regina sobolem) cum auxiliaribus copiis præsentem. Sed quoniam de hoc *Ordolpho* dissensus est, an idem sit, quem alii *Ottone*m appellant, & an sororem Magni an filiam duxerit, anque filiam *Haraldi Srenui* natus fuerit, digressu non inutili Scriptorum testimonia breviter excutiemus. *Adamus Bremensis* *Ordolphum* eum, *Comitis Bernhardi* filium, verius appellat, sororemque Magni uxorem duxisse, non filiam *Giselem*, ut *Saxoniarum* veteres rerumque *Brunsvikiensium* scriptores consensu testantur, citante *Claudio Christophoro Lyschandro* *Sereniff. Danicæ Regum Genealogiæ Lib. V. pag. 444, & 446.* quibus *Albertus Krantius Wandaliæ Lib. III. Cap. XX.* assequitur, dum *Magnum Saxoniarum Ducem* filiam hujus Regis Magni natum tradit: nec ego pariter ac ille temporum dissensum observo, quò minus anno Christi *MXLII.* cum primum Magnus regnum, vel proximo adeptus est. *Archiepiscopi Bezelini* tempore non potuerit *S. Olafi* filia *Ortholfo* despondi, quò Magnus filiam nubilem habere nequivit, nec ultimo quidem vitæ suæ anno. Jam vero *Bremensis* tradit nuptias vivo Magno cum sorore ejus celebratas. Digna sunt, quæ hic inferantur, ipsius verba. *Victor*, inquit, *Magnus Daniam* obtinuit simul & *Norvegiam*; ad quem *Archiepiscopus* noster usque *Sliarwig* pro colloquio venit, habens in comitatu suo *Bernbardum* & *Thiadmarum Hildensemensem Episcopum*: ille *Thiadmarus* è *Dacia oriundus* cum *Regina Gunnild* advenit, cujus patre-

patrocinio ille meruit *Hildisenmensem* episcopatum, nam barbarice *Tinma* vocabatur. In quo colloquio soror Magni Regis Ordulfo filio Ducis desponsatur: qui vix peractis nuptiis in gratiam cognati quendam Haroldum Danorum principem redeuntem ab urbe Apostolica trans Albiam obruncavit innoxium: cujus mortis causa ea fuit, quod de Regali stirpe Danorum genitus scepro propior quam Magnus esse videbatur. Ea res initium calamitatis peperit in familiam Ducis. Refellitur quoque ejusdem *Lyschandri* assertio; exoticorum fide, ut ille tradit, roborata, quod Ordolfi hujus mater, Ducis Saxoniae Bernhardi secundi, qui Hermanni Bellingii, primi Saxoniae Ducis, nepos erat, uxor fuerit Bertrada, Haraldi Strenui Norvegiae Regis, qui Sancti Olafi frater, Regisque Magni patruus erat, filia, quam vernacula lingua Berette dictam existimat; quod nescio an illis temporibus Norvegis nomen in usu fuerit; Birgittam dixerunt, nec Germani aliter vertissent. Certè Haraldus illo tempore Rex factus non est; nec rediit in septentrionem, sed maximas in Africa & Sicilia res Imperatorum Constantinopolitanorum militiae praefectus gerebat; nec uxores illo tempore duxisse aut liberos suscepisse memoratur. Nepotem ergo Ordolfum illo tempore ex illa habuisse absurdum, cum ipse aetatem ultra triginta annos, anno nimirum Christi MXLV. non extendisset. A Sancto igitur Olafu Ducum Brunsvicensium pleraque per Germaniam Serenissimorum Principum Celeberrima stemmata profluxerunt. Nostri scriptores ex Ulfhilde Ordolfum, (qui illis plerumque Otto, Annalibus utrisque, tam Flateyenibus, quam vetustioribus, Adulfus) filium Magnum suscepisse tradunt: nec illud quidem absurdum, matrem filio fratris nomen imposuisse (nam quem patris prius fortè nomine dixerat, poterat expirasse.) Magnus sine mascula stirpe decedens duas filias reliquit, Ulfhildem, quae nupsit Henrico Velpho, Gvelphi quarti filio, Bavariae & Hetruciae Duci. Eorum filius Henricus Superbus, Princeps Potentissimus Hetruciae, Noricorum, Veneticorum, Navisorum, Rhetorum: cujus uxor Gerthrudis Imperatoris Lotharii filia. Eorum filius Henricus Leo: ejus filius Otto Quartus Romanorum Imperator. Magni Saxoniae Ducis filia fuit Hedvigis, aliis Eliza, Ottonis Magni & divitis Comitis Aftaniae Ballenstadi & Velphi uxor, Eorum filius Albertus Ursus, Potentissimus Elector & Dux Brandenburgicus. Ab his traducibus compluribus Scriptoribus ad nostra usque tempora deducta, Illustrissimarum familiarum stemmata, lectori passim observanda, hoc loco monstrasse suffecerit, illorum originem Sancto Olafu Norvegisque deberi. Ulfhildis quoque Magnique nomina ab ejus liberis primo in Germaniam introducta.

His *Author Morkskinne* duas relationes inserit, unam de Duce Saxoniae Ottone, *Fagarskinne* Ordulfo; ab Imperatore Henrico Nigro in Norvegiam ad Ulfhildem inspiciendam misso, & si forma ejus moresque & ingenii dotes famae celebritati pares animadverteret, ipsam ei uxorem deposcendam. In Vikam delatum, Rege Magno procul, ab Alfilde ejus matre pro dignitate exceptum, cognitaque itineris causâ Magni quoque sororem, suam filiam, diverso patre factam, exhibitam. Verum cum formam cæterasque dotes spe minores deprehendisset, fastigio Cæsaris indignam existimantem, domum re infectâ repetivisse; relatò deinde, minora omnia in ea, quam fama prædicasset, permissum ut sibi ipsi, si ita liberet, acquireret. Postea convento Magno, cognitoque duas ipsi sorores, uterinam aliam, vulgari stirpe, aliam Regiâ, consanguineam, ejus nuptias impetrasse Cæsari, ratione facti non reddita. Eum verò postea observatis

servatis egregiis ejus famâ celebritati aut æqualibus, aut superioribus, tantisque natalibus congruis virtutibus, se delusum indignantem, excusatione errati in sororibus, quò deceptus, priorem, ut tanto fastigio indignam, recusaverit, jam verò posteriorem ejus veniâ sibi sociaverit, sibi satisfieri passum esse.

Notissimum est, Imperatorem Henricum Nigrum Gunnhildem Regis Knuti Potentis filiam uxorem ante hunc annum duxisse, & ab illâ ob criminis duobus experimentis diluti pervicacem suspensionem dato repudiâ libello derelictum. Non itaque verisimilitudine caret, eum aliam uxorem quævisisse. Constat quoque, Ordulfum Ducis Saxoniam filium patri ante annum LXII. ejus seculi non successisse. Eo enim anno, secundum *Alb. Staderssem*, Bernhardus decessit, nostris Annalibus utrisque MLX, quod tamen cum *Chronicorum Slavicorum incerti authoris* traditione non convenit; qui cap. XI. Bernhardum Bennoni patri successisse anno Imperatoris Henrici imperii X. Initium autem imperii ejus ad annum MIII. refert; cap. autem XIV. tradit, quod anno MXL. multiplicata sint mala in terrâ, & post modicum temporis mortuum esse Bernhardum, tum Ducem Saxoniam, postquam annos quadraginta regimen Saxonum & Slavorum administraverit, Author historiæ Holsaticæ *Job. Petrus* ad annum MLVII. refert. Fieri itaque potuit, ut pervulgatâ Regis Olafi sanctitate, operâ Ordolfi ad nuptias ejus sibi conciliandas usus fuerit (nec enim tempora repugnant) postea verò cognito errore sibi ipsi prospexerit. Illud verò ratione caret, Imperatoris veniam ad eam sibi impetrandam, quam Cæsari indignam judicavit, eum aut ambivisse, vel admisisse, nisi cognito jam errore in personis eum dolum excogitavit.

Altera narratio ad ea, unde digressus sum, nos refert. Tradit enim idem liber, dum Magnus in occursum Vandalorum exercitum duceret, Ordulfum è bello domum redeuntem fauciumque (fuisse enim bellatorem impigrum; periculorum contemptorem, *Helmoldo* dissentiente, tradit) in palatio cum aulicis potasse, uxore Ulfhilde à latere affidente, cum repente vir quidam, pileum Danicum gerens, ingressus, parumque in pavimento consistens, iterum exiens omnibus fuerit conspectus, interrogatam à Duce Ulfhildem, *num virum novisset?* respondisse, *ex mystace patrem suum; Magnum fortè fratrem suum auxilio indigere.* Ducem verò pollicitum, se, cum copiis omnibus, quas bello reduxerat, succursurum, mox edixisse tribunis militum, ut cohortes quisque suas educerent. Illam verò interfatam postulasse, *ut vulnera sibi obligari pateretur, debilem nimium, ni Deus paterque suus sanaret:* inde baltheo patris sui admotò statim dolorem evanuisse. Ducem deinde raptim in occursum Magni profectum in deserto Lyrskogensi eum offendisse, vehementerque ad pugnandum incitasse: Danos enim, relatâ tantâ barbarorum multitudine, (sexages enim *Fagur skinna, Morkin skinna* sexies, Vandalos numero superiores tradit.) fortè observatis Norvegorum langventioribus studiis de fide eorum dubitantes ingens terror invasit: quos effugii loca ante pugnam circumspectantes, secreto examine ex duorum colloquiis deprehendens Einar Thambasketfir, svasit Regi, *ut sylvam inter & flumen Skoitburgense aciem ita instrueret, ut intercepto ad illam aditu, sursumque ex adversa parte objectu, pugnandi necessitate injecta à consilii fuga averterentur.* Sed nec ipse Rex, animadversa suorum trepidatione, pugnanæ an fuga præstaret, mediocriter hæsitabat. Verùm ad periclitandam fortunam propensiores Ordulfus cum validè manu superveniens, plurimè licet diffidentibus, temeritatis, non consilii,

Vociferantibus, *adversus tantas vires modicâ manu contendere*, haut tamen agrè impulit. Signo itaque tubâ datò omnes ad arma convocati, Vandalis appropinqvantibus, noctem sub clypeis loricati agere iussi, ad omnes motus intenti armati excubabant. Ipse Rex anxius de instantibus curis, nec somnum capere, nec quietem pati poterat, variâ consultatione animum onerante. Appetente die, gravatum animi anxietate corpus somnus tandem oppressit, cum repente oblatam patris imaginem his verbis alloquentem excepit: *Vandalos cum ingentibus copiis in te moventes times, de eventu pugne sollicitus? Mitte illam curam: nullum ab ethnicis periculum, quantumvis numero, satis virium tibi. Ego pralio interero, teque bellantem sequar. Surge, aciem ordina, audiròque tuba meâ signò pralium capeffite*. Primâ luce experrectus, quæ per quietem viderit, Einari Thambaskelferi cæterisque omnibus enarrat, certamque victoriam ipso patre pralium gesturo pollicitus, excitatis militibus aciem ordinat, Vandalis tum ab australi parte ad amnem tendentibus. Fuit tum in exercitu Magni vir quidam gentis Islandicæ, nomine Oddus Gelleris filius, qui singula, quæ ibi gesta, æque *authore Morkinskinna* in literas relata sunt, in patriam retulit. Jamque instructis copiis, dum eandem visionem iis, qui prius non audiverant, exponeret, derepente in aëre campanæ sonus auditus totius exercitus aures implevit; agnitusque Norvegis, qui Nidarosiæ fuerant, voces Glaudis, campanæ, quam S. Olafus ædi S. Clementis, qui Nidarosiæ stetit, donaverat, expressisse videbatur. Hoc miraculo promissâ Regi victoria subito confirmata: simul omnes discussò metu, avidi certaminis, manus cum hoste conferere audebant. Ipse Rex ante omnes alacris, recenti prodigio fiduciaque suorum conspectâ, exemplò quoque accendendam ratus, dato protinus signo, exuta loricâ, vesteque interiore, ad interulam usque fericam ante signa in hostem proventus, utrâque manu securim, quæ quondam patris erat, rotans, omnium primus aganorum unum obvium concidisse memoratur. Addit *Author Morkinskinna*, Monachus fortè miraculis delectatus, statim post auditum campanæ sonum, cum milites lætitiâ exultantes se invicem ad prælia magis truderent, quam hortarentur, ruralem quendam civem accessum ad Regem necessarium postulasse, inhibito vero ab aliis, ab aliis protrusum, annitente Thambaskelfere, cui innotuit, admissum nunciâsse, *visum sibi per quietem patrem ipsius, Regiâ veste, albo insidentem equo, mandâsse, ut Regi referret, ne de victoriâ dubitaret, signum quippe suum conspicuum futurum, se quoque præsentem aditurum: extenderet modo aciem in cornua, ne à multitudine circumfunderetur, ipseque in mediâ consistens totius certaminis arbitrium gereret*. His relatis, non sine dono dimissum, cum certis quoque indiciis visionis veritatem (quæ tamen author reticet) probâset, mox aliò cornu Duci Ordulfo commissò Regem in mediâ acie stetitisse; quod cum præcedente è *Kringla*, fide dignissimo libro, depromptâ narratione non cohæret, quæ ante signa pugnantem omnium primum agmen hostium invecum tradit, consentiente *Fagurskinna*.

Pergit *Morkinskinna*, virum inter Vandalos, cæteris staturâ viribusque eminentiorem, nomine Regbum, cui incantamentis indurata cutis ictuum violentiam elusisset, consilium suis dedisse, ut noctu quam interdiu cum Christianis manus conferent. Hunc in aciem Magni multâ cædem invecum, ambabus manibus unum post alterum sine iterato ictu neci dedisse, primum a copiis Magni cædem auspiciatum; quo per mediam aciem magnâ strage grassante, quærenteque, *ubi esset Nordmannorum Rex?* virum

rum quendam formæ staturæque decore conspicuum, tum fenescentem, àque latere Regis tum fortiter pugnans, quævisse à Rege, *cur hostem illum suos impunè concidere pateretur?* Eum vero respondentem, *videri haut facillè superabilem*, statim barbarâ libertate hac voce increpasse, *imperiam immaturo non esse expetendam*; consilium itaque expetentem monuisse, *ut quam ipse aperiret occasionem, fortiter premeret*; sineque morâ ingentem in galeam barbari ictu impacto, dum nutantis coxendicem brevior lorica ab altero latere nudaret, Magnum securi patris Hele, cui nihil impervium, eum bipartito concidisse. Certè novum illud acumen post obitum S. Olafi ingeneratum oportet: non enim dubium, quin novissimo prælio eâ in Thorerem Canem usus fuisset, quem gladio nequicquam impetebat. Ficta hæc in auctum miraculorum Olafi videtur.

Pergens author, occisò Regem victoriâ alacriorem ante aciem ambabus manibus pugnam consensisse refert, pecorumque in modum hostes concidisse, secutas universas copias protinus hostes in fugam, cum haut diu pugnatum esset, propulisse, nec jam pugnam, sed cadem fuisse: pars enim in flumen præcipites, vorticibus vel insectantium gladiis absumpti, corporibus suis, velut ponte strato, transitum Regis militibus præbebant; pars per desertum palantes nullo negotio obruncantur: nusquam prælium, strages ubique, terga cæsa, cadaverum passim per campos ingratum spectaculum, nec nisi per cælorum corpora rivi pervii, misera ubique facies, tantaque trepidatio fuisse perhibetur, ut Magnus, dum recenti monitore comitatus solus a suis longius avectus hostium terga premeret, tutus & inobservatus ad suos rediret; tum demum memor, in quantum se periculum conjecisset. Rastam tradit *Fagurskinna*, idque auctoritate *Thiodolphi*, cujus rhythmum affert, id quod milliare significat, tam' denso cadaverum agmine stratum, ut ne vestigii inter ea locus esset, (idque, ut apparet, pœticè exaggerat; numerumque iniri nequivisse, quem tamen *Adamus Bremensis* ad quindecim millia producit. Adscriptus Regi Daniæ Eirico Pomerano liber sex ponit; alii, teste *Isacio Pontano*, etiam quadraginta. Quicquid sit, ingens certè clades accepta est, nec à Christianismi initio in Septentrione aliud bellum memorabilius gestum perhibetur, aut incruenta minus victoria, paucis duntaxat è Regiis occisis, pluribus vulneratis. Author *Fagurskinne*, minus ad fidem, ne unum quidem è Regiis desideratum refert.

Multa sunt, quæ victoriâ illustrabant. Editum ad alacritatem excitandam divinitus miraculum, numinisque tantum non conspicua præsentia, partium cladisque nimis impar proportio; admiranda Regis fidem omnem excedens audacia & fortitudo, qui sine corporis munimento primus in hostem invectus, terrorem, pavorem & formidinem circumferens, hostilem aciem, suis exemplum impigrè secutis, protinus fudit. In primis tamen belli gloriam immensa cælorum corporum strages, stratiqve per tanta spatia funerum cumuli, auxerunt. Hæc præcedente festum Sancti Michaelis feriâ gesta sunt.

Capta castra spoliaque ingentia, & inter alia etiam vastatorum agrorum Danicorum prædæ receptæ, Regbo quoque spolia magna detracta, multosque annulos pretiosos, quos sibi Regem reservasse sola *Morkinskinna* tradit, addito, ibi tantum in Magno habendi cupiditatis specimen exitum observatum; affinem Ducem ingentibus donis honoratum, largissimè munera in omnes effusa. Cumque essent multi vulneribus in exercitu Regis saucii, deficerentque medici, consensu referunt, à Rege duode-

decim viros vulneribus obligandis medendisqve delectos, quorum maximum mollitiem Rex ipse contactu, fricatis singulis, explorabat. Qui medicæ artis antea rudes & inexperti, peritissimi deinde evaserunt. In his duo Islandi, Thorkell Geiris filius de Lyngom, & Bardi Nigri de Selardalo pater, nomine Atlius; transisse ad posteros eorum artis illius haut incelebrem possessionem vita Rafni de Rafnseyri Islandiæ occidentalis civis primarii confirmat, quæ Magnum Sancti Olafi oraculo per quietem ita monitum refert, adjecto promisso, se à Deo posteros ejus fanandi peritiam impetraturum, id quod diu in horum, quos memoravi, familiis, ut singulare privilegium observatum est.

Hujus belli fama brevi in transmarinas regiones translata, sanctitatis Olafi opinionem ubique dissipavit, creditumqve inexpugnabilem bello Magnum, nec cui resisti possit, tum propriæ virtutis nuper editæ documento, tum vel maximè parentis sui tam præsentis numinis patrocinio. Hunc conflictum carminibus, quorum pars MSS. continetur, celebrârunt Thiodolfus & Arnor Comitum pœta, horum temporum æquales, quorum prior ipse his bellis interfuit. Einar quoque Skulinus, & author carminis, quod *Hrunghenda* inscribitur. *Adamus Bremensis* & Saxo his verbis describunt. Magnus autem, (verba sunt *Adami Bremensis*) Rex pro justitiæ & fortitudine charus erat Danis, verum Slavis terribilis, qui post mortem Knuti Daniam infestavit. Ratibor itaque Rex Slavorum interfectus est a Danis, dum patrem ulcisci quæsierunt, ad cujus mortem ulciscendam jam tunc cum toto exercitu Vinuli venientes usque ad ripam vastando progressi sunt; & forte Magnus Rex tunc è Nordmannia rediens Heidibam appulsi; qui mox Danorum copiis undique collectis egredientes a Daniâ paganos in campestribus Heidibæ excepit, & quindecim millibus occisis facta est pax & letitia Christianis deinceps omni tempore Magni. Hæc *Bremensis*. Saxo prolixius cum præmisset maritimâ terrestriqve pugnâ Svenum devicissè, inqve Sveciam repulisse, hæc subjungit. Quem (Svenum intelligit) Magno terrâ marique pertinacius insequente in Furiam se repente Sclavicus infudit exercitus, quorum irruptio dubium victori effecit, fugacem hostem pellere, an imminente excipere debuisset, quidam etiam gentis illius nobilissimus, duodecim filiis maritimus predonibus apud Daniam spoliatus, Futorum fines ferro orbitatem ulturus invasit, quamobrem Magnus perseverantissimis populorum precibus committendi prælii auctorem agere postulatus, omisso amulo à domestico hoste, in externum arma convertit, & quasi privata affectionis oblitus publicam induit, ne suas quàm regni partes curiosus egisse videretur. Nec dubitavit alieni sanguinis Dux summa adhuc fluctuante in se ipsum dubiæ potestatis transferre periculum. Nocte vero, quam belli dies insecutus est, quietem ejus certæ proditiōnis species adumbravit, quippe somnum capienti imago cujusdam obversata prædixit, hoste eum superior em futurum, inque aquile necesse victoriæ fidem inspiciaque sumpturum. Expergestus Rex visionis ordinem die postera magna cum omnium admiratione vulgavit. Sed somnio omen consentaneum fuit, progresso namque exercitu, aquilam, que in quiete demonstrata fuerat, cominus considerare conspectam pernici equo advolans hastâ petivit, fugamque alitis veloci jaculo præcurrit. Itaque novitate rei ad spem victoriæ spectatores erexit; arripuit omen exercitus, atque fortuito aquile occasu certissimam hostium ruinam interpretatus est. Cuncti quippe eventum somnio congruissè cernentes, perinde atque securi rerum in fortunam suam acceptæ rei præsagium reserunt,

et quasi indubitam vincendi sortem pari mentium alacritate præsumunt, quos eò audacie ipsa auspicii religio provehebat, ut jam sibi victoriam ante oculos præponentes, absque respectu periculorum certatim in prælium profissent: quibus primam pugnandi occasionem corripientibus, eodemque eventu quo omne dimicantibus caduntur funditus Sclavi. Veritatem prodigii hoc bello incidentis consensus Saxonis indicat, quamvis Bremensis, ut Scriptor peregrinus, in alieno opere ejus non meminerit. Coævorum pœtarum versus fidem hic maximè merentur, quorum auctoritate MSS. exemplariorum relationes, exhibitis etiam in rei testimonium ipsis carminibus, scilicet, labefactari nequeunt. Cætera, quæ tradunt, nihil à nobis dissentiunt; ad ulteriora pergendum.

CAP. VII.

REGIS MAGNI BELLA CUM SVE-
NO, EORUMQUE EVENTUS.

Ello Vandalico victor Magnus victoricia signa in Svenum, quem Dani Regem, ille suum Comitem appellavit, convertit; auctoque insigni delectu, exercitu classi imposito, ipsum persequeretur: nec Svenus sibi desuit. Ingens ab utraqve parte copiarum naviumque vis: Scani, Hallandi, Fioniaque incolæ Svenum, recenti beneficio devincti, victoriaque elatiores; Juti Norvegiq; Magnum tutabantur. Accendunt animos, præter partium studia, hinc recens partæ gloriæ honos, novo decore cumulantus, illinc æmulationis ardor, metusque vindictæ ob crimen defectio- nis, pœnarumque acerbitas, solâ fortitudine declinanda. In Vestlandia loco Re (*Fagurskinna*, ut & *Morkinskinna*, illud contra piratas gestum in reditu a Jomsburgo in Jutiam magna profecto verisimilitudine tradunt, si insula Vestland, quæ oppido Tanderæ præjacet, intelligenda, nec enim quid Sveno ibi locorum rei fuerit, assequor; cum tamen Arnor pœta quatuor prælia unâ hyeme contra Svenum a Magno gesta tradat, alibi forte hoc ipso tempore pugnatum est) paribus animis, non item causis, concurrentem, vicitque quæ justior. Svenus magnâ suorum parte amissâ in Scandiam, inde in Gauthiam, ubi certum propugnaculum, fugiens, gloriam triumphandique materiam Magno reliquit: nihilo tamen segnius, ut primum cognovit eum in Jutiam copias classemque reduxisse, ibique magnâ frequentia hyematurum, nec recenti jacturâ motus, comparatâ haut invalidâ manu, Sialandiam, Fioniam, insulasque reliquas transgressus, illarum viribus copias auxit, navibusque in sinum Limicum imminente festo Natali Salvatoris transportat, eorumque locorum delectu supplet, vel exactis stipendiis sustentat. Qui mandata recusabant, ad Magnum fugientes, quàm ferocior a clade hostis insurgeret, nunciant, ni continuo reprimetur, invictum confluxu indigenarum exercitum prope diem paratum.

His cognitis Magnus, quicquid Norvegorum aderat, Danicarumque copiarum vim omnem Arosiam, ubi tunc Sveni stativa, ducit, nec is prælium detestabatur. Nam eductis urbe in assitum campum cohortibus, aciem protinus instruit, cum primum copia pugna daretur, constiturus.

cturus. Magnus autem, prius quàm in conspectum hostis classem eduxisset, cognito Svenum nihil magis quàm belli copiam exoptare, vocatis ad concionem suis, in hunc modum dislerit: *Comes meus Sventus, numero militum confidentior, jam in procinctu bellum nobis minatur, qui tamen nuper vestrae virtuti succubuit: nec est quod aliam sibi fortunam exercitus ille in praesens spondeat; averso enim Deo, avertis priorum precibus, singulis perjurum ducem, perjurum exercitum, utrosque innocentium civium pio sanguine imbutos, execrantibus, pugnabit. Jam quoque parum innocentis sanguinis effuisse videntur, quoad ab impietate ista disidentes vos incolumes spectant. Me quod attinet, alienum regnum non invasi, nec bello possessionem ejus vindicavi: consensu ultimi possessoris, consensu prestantissimorum civium, consensu omnium regni ordinum populique universi delatam, Deo, qui fata hominum dirigit, probante & addicente, teneo. Non eripui Sveno, quod nunquam habuit. Quid igitur tanta sanguinis impensâ vindicatur? nimirum id quod ipsius confessione meum est, cujus administrationem a me expetere sustinuit, fide suâ, tactis sacris, in obsequium datâ obtinuit; quo igitur jure a subditis meis, ipse subditus, Regis titulum regnique possessionem pbaleratis verbis eblanditus est, tum nihil horum in ipsorum esset potestates? Illud itaque armis propugnabit, quod nec ipse accipere, nec ipsi dari poterat? Cum igitur nostram vindicemus, propitium nobis Deum, propitios Sanctos ejus, & in his, quod nobis maxime cordi, patris mei venerandum numen, cujus meritum apud Deum efficaciam nuper sensistis, ipsi gloriosissimi facti testes, emolumentique participes, audacter spondebimus; his propitiatis invidiam calidibus perjurorum multitudinem quid moramur, adversus vestram virtutem omnino imbecilem? idem miles, idem Dux, qui gladiorum vestrorum acumen formidans, ne primos quidem impetus sustinuit: neque id mirum, cum ultiores temeratae fidei, violatorumque sacramentorum, proculcatae religionis, Deos ubique praesentes metuant, meritumque conscientia de successu desperent; certi magis se Deo, quem agnitum contempserant, invidios, quam paganos; qui patrio dogmate imbuti excusatiùs peccant; quam vero acriter in illos caelestis ira proximo bello intonuerit, cum probè noverint, his etiam graviora formidant. Eodem ergo animorum ardore; eadem confidentiâ, hos aggredimini, qui paganos nuper, mox & ipsos. Istam itaque super alia temeritatem in eos vindicatis, quod priori castigatione non contenti, vos etiam ad graviolem pene executionem audeant irritare, quò tandem pacatiores vos ultro laceessere dediscant. Mihi constitutum, classem in eos protinus dirigere. Vos arma corripite, simulque in conspectum veniunt, remis innixi naves in eos concitate; pugnamque capeffite.*

His talibusque confirmati singuli se ad pugnam expediunt, classemque tantisper remis concitant, donec se invicem conspiciunt. Tum vero Sveni acies navibus invicem colligatis contra tendit, gravisque pugna e proris cominus conferitur; neque enim remotioribus rem gladiis gerere licuit. Qui prora proximi è loco struunt, falaricis, his remotiores hastis amentatis, levibus fagittis, jaculis vel lapidibus, aut hastis bifurcatis, hostes incessabant; qui ponè malum, arcubus spicula vibrabant. Magnus principio pugnae testudine septus praefidiariisq; cohortibus circumfusus, ut languidiorem pugnam animadvertit, è medio agmine proram usque profiliens, clarâ voce suos ad certamen inclamans, exemplò tamen maximè, dum inter promptissimos cominus pugnat, incitavit. Jamque singuli murâ adhortatione clamoreque se invicem accendebant, cum impressio in praetoriam Sveni navem facta, brevi omnes, qui proram proximaque tenuerunt,

nuerunt, vel delevit, vel retrò egit; nudata defensoribus anteriora navis. Magnus cum cohorte suâ, reliquo agmine alacriter subsecuto, cum implevisset, post exiguam moram, universam, cedente Sveno, in potestatem redegit; hostibus ad tantos successus animos demittentibus: ipse alacrior in cæteros virium impetu translato facilè perculos cædebat, donec Svenus nimiam suorum strage territus, cum spem quoque victoriæ fortunâ Regis sibi præreptam animadvertit, ne auferente suorum terrore fatigationeque totius classis jacturam faceret, ipse quoque in fugam se cum magnâ parte convertit. Et quamvis victoria haut incruenta, multis tamen è captivis Magnus pepercit. Pugnatum est die Dominicâ, quæ festum Christi Natale anno MXLV. præcessit. Septem naves interceptæ.

Eâdem nocte Svenus classis reliquias litori Sialandiæ admovit. Magnus verò statim persecutus copias in terram exposuit; qui sequenti die cum multa pecorum prædâ redierunt. Inde in superiora provectus fugientis vestigiis institit; & quotquot assecutus est, occidit; donec Svenus in Fioniam fugâ provectus est. Interea Magnus Sialandiam latè populatus, eorum agros passim vastabat, villasque urebat, qui proximo autumnò ab eo defecerant. Jamque cognito, Svenum in Fioniam concessisse, eò quoque infecutus, tantum ei terrorem injecit, ut illa quoque insulâ derelictâ in Gauthiam, tandem quoque in Sveciam ad Regem ipsum, fugam accelleraret, ubi magnâ cum benevolentia excipitur. Jamque reductâ ad obsequium universâ Daniâ, pax & securitas per reliquum hyemis duravit, rectoribus per provincias constitutis, qui gentem in obsequio continerent.

Adulto deinde vere MXLVI. Magnus in Norvegiam rediit, inque multam ætatem ibi remansit. Interea Svenus, cognitâ ejus absentia, comparatò novo exercitu, auxilio Sveciæ Regis iterum in Scaniam profectus, paribus ut antea civium studiis colitur; auctisque inde viribus, mox in Sialandiam, inde Fioniam reliquasque insulas omnes, facto procinctu singulas denuò occupat. Evocatus tanto progressu Magnus & ipse cum exercitu in Daniam transvectus ad Helganefiam in Scania eum vespere diei assequitur, navium numero inferior, altitudine militumque instructior. Mox prælium acerbitate, quantâ nunquam aliàs, exortum; torâque nocte Magnus arcu pugnâsse fertur: nec ardori Norvegorum dispar eventus. Exutus omni classe Svenus, multâ suorum cæde in Scaniam fugâ evectus salutem consuluit; nihil tamen in eo, quod Ducis esset, desideratum; nam promptissimè dimicasse, nec prius effugium quæsisse perhibetur, quam nave prætoriâ à prora ad puppim defensoribus nudatâ, resistendi omnino spes amputata esset. Maxima pars copiarum illo bello perit. Alii gladiis telisque consumpti, nec pauciores, dum periculum ab armis devitant, in undas devoluti gurgitibus absorpti sunt. Spolia multa, arma præsertim vestisque vis magna capta, ipse victoris pertinacissimè insequentis metu Scaniâ relictâ, iterum per Gauthiam in Sveciam ad Regem se recipit. Magnus perpetuis victoriis clarus in mediterranea Scaniâ penetrans, Sveni milites ubique plestit, inque defectores animadvertit, vastat agros, urit domos, fundit obvios, fontes & malè sibi conscios panarum metu in fugam compellit, maximâque cum gloria, incolum exercitu, ad classem redit, litusque Scaniæ orientale non præparato comæatu legens, cum Svenum assequi neqviret, provinciâ ad obsequium reductâ in Falstriam movit, multâque cæde infestus in Fioniam transmisit. Ibi quoque panæ de toties refractariis graves exactæ; multi cæsi, alii aliter puniti, fides

fides denuò exacta dataque. Non consentit sibi *Kringla*, quæ in Dania hyemem exactam tradit, alio loco, idque veracius, *Editione Danicâ* consentiente, in Norvegiam reditum, ibique hyematum.

De anno, quò hæc gesta sunt, sola *Morkinskinna* & *Hrockinskinna* à cæteris dissentiunt, quæ hæc ad annum quadragesimum quintum digerunt: omnes in quadragesimum sextum consentiunt. De cæteris ab obitu Horda-Knuti disquiritur, nimirum an eodem anno, videlicet quadragesimo secundo, Magnus in Daniam moverit, an sequenti? *Kringla*, *Jofraskinna*, & *Fagurskinna* tradunt, quod cum primùm fama mortis Horda-Knuti ad eum pervenisset, in Daniam expeditionem suscepisset, & *Fagurskinna* difertè addit, eadem ætate. *Hrokinskinna* & *Morkinskinna* hoc, interjectu paragraphi de coronatione S. Edvardi, festo Paschatis celebratâ, implicanc, quo exposito adjiciunt, eodem anno Magnum in Daniam profectum; quod si anno coronationis applicandum erit, ad annum quadragesimum tertium similiter referendum. Verùm cum mensè Junio exspiraverit Horda-Knutus, quis putabit hoc in annum sequentem Magnum latere potuisse? Accedit *Fagurskinna* traditio, quæ tertio anno, postquam in Daniam venit, in Norvegiam rediisse affirmat, tumque Svenum Comitem creasse: id quod si verum esset, cum anno quadragesimo quinto cõhæreret. Sed illud prius de triennii illa in Dania morâ omnibus aliis repugnat: posterius *Kringla* & *Jofraskinna* negant, reliqui omnes affirmant, quod *Knytinga saga cap. XV.* confirmat, quæ Svenum à morte Magni Daniæ annos viginti novem imperasse tradit, & ante obitum ejus duos, cum de imperio inter se certarent. Mortuus autem est Svenus annò MLXXXVI. à quibus si viginti novem auferas, remanet annus Magno fatalis quadragesimus septimus; demptis inde duobus annis, quadragesimus quintus resultat, quò Svenus se Regem edixit; (manet ergò, illum ante exitum prioris anni, sc. MXLIV, quo Magnus è Dania rediit, Comitem renunciatum fuisse) His etiam bella inter Svenum & Magnum gesta ad stipulantur, si à posteriori repetantur, quæ biennium, annos nempe 45 & 46, non excedunt. Quò verò pateat, illud ad Helganesiam ad annum quadragesimum sextum referendum esse, evolendus erit annus Haraldò in Anglia fatalis, Chronologis Anglicis cum nostris consentientibus indubius; est autem sexagesimus sextus, viginti autem annos in universum in Norvegia regnavit, unum simul cum Magno, quem post bellum ad Helganesiam orsus est. His suffragatur annus Rõgnvaldo Orcadam Comiti fatalis, casus enim est anno ante mortem Magni, eodem quo bellatum est ad Helganesiam. Fallitur autem *Morkinskinna*, quæ bellum ad Helganesiam ad annum quadragesimum quintum digerit, & quo id obtineat, contra omnium consensum Haraldum & Magnum duos annos simul regnasse sola perhibet. Sic igitur gestorum Magni annos digerendos existimo, salvo cujuscunque judicio. Anno MXLII. Magnum Regem Daniæ renunciatum in Norvegiam rediisse, fide Chronicorum statuo, Kassumque profugissè. Annò quadragesimo tertio legationem in Angliam direxisse de jure suo ad regnum, vel inde colligitur, quòd Edvardus se coronatum Regem professus est, quod tamen ejusdem anni festo Paschatis factum. Annò quadragesimo quarto in Daniam rediisse, vel inde concluditur, quòd cum Svenum Comitem crearet, serò autumnus è Dania in Norvegiam rediit: inde ejus proximique anni gesta ordine sequuntur. Favent calculo Scriptores Anglici, qui anno MXLVI. Svenum fugatum notant, quod de bello ad Helganesiam gesto procul dubio intelligendum. Sic

Sic enim *Simon Dunelmensis* ad eundem annum. *Magnus Noriganorum Rex*, *S. Olafi Regis filius*, fugato Rege Danorum *Svano*, sibi *Danemarchiam* subjungat. Quæ verò postea ad annum septimum refert, partim in eum, partim in sextum, quadrant. *Svanus Rex Danorum*, ait, suos legatos misit ad *Edvardum Regem Anglorum*, & rogavit ut sibi classem mitteret contra Regem *Magnum Norreganorum*. Tum Comes *Godvinus* consilium Regi dedit, ut saltem quinquaginta naves militibus instructas ei mitteret. Sed quia *Leofrico Coniti* & omni populo id non videbatur consilium, nullum ei mittere voluit. Post hæc *Magnus Rex Norreganorum*, classe multâ & valida constipatus, cum *Svano prælium* commisit, & multis millibus utrinque caesis illum de *Danubia* expulit, & post in illa etiam regnavit, atque tributum sibi non modicum pendere Danos coegit, ac non multo post obiit. In obitu annus sibi constat; reliqua ad præcedentem referenda, *Bromtone* teste, qui *Haraldum Strenuum Magni patrum* hic confusum pravè inserit: quem pari errore, Scriptoribus Anglicis cæteroquin familiari, *Harfax* de cognomine primi *Norvegiæ Monarchæ* nuncupat. Annò, inquit, *Domini MXLVI*, regni autem *Edvardi quarto*, *Magnus Norreganorum Rex Haraldus Harfax*, frater *Sancti Olafi Regis ex parte matris*, *Svano Rege Danorum* fugato sibi *Daciam* subjungavit, unde postea idem *Svanus Rex Edvardum* rogavit, ut classem sibi contra dictum Regem *Norragenorum* mitteret. Assentiente ad hoc *Comite Godvino* ceteri dissvaserunt, sed Rege *Norragenorum* citò post obemte *Svanus Daciam* recuperavit. Hæc de *Magno* intelligenda, tum locus ex *Dunelmensi* allegatus monstrat, tum relatio ipsius authoris, qui Regem *Norragenorum* cito post, id est post annum quartum imperii *Edvardi*, obiisse tradit. *Haraldum* autem *Harfag* fratrem *S. Olafi* post annum vicesimum quartum Regis *Edvardi* ejusque obitum unâ cum *Toftio Haraldi Godvini* fratre bello in *Anglia* cæsum tradit, id quod *pag: m: 95. & seq.* describit. Hæc eadem *Henricus Knyghton Canonicus Leycestrensis Lib: I. de eventibus Angliæ Cap: VIII.* excerpisse videtur, *Bromtone* haut sanior; nam Rege *Haraldo* obemte *Svenum* *Daniam* recuperâsse eodem *Cap: memorat*, quem tamen infra *Cap: XVI.* cum *Toftio* ab *Haraldo Godvini filio* in *Anglia* bello occisum perhibet. Unde patet, omnia hæc *Magno* applicanda. Omnia illustrat locus e *Dunelmensi* ad annum quadragesimum quintum; cujus verba adscribam. Quo anno, inquit, *Rex Anglorum Edvardus ad Sandvicium portum congregavit classem prævalidam contra Magnum Norragenorum Regem, Angliam adire disponentem. Sed bellum a Svano Rege Danorum illi illatum iter impedit.* Ingens enim metus à *Magno*, ex quo legationem in *Angliam* misit, totam gentem suspensam tenuit, ne fortè totius *Daniæ* *Norvegiæ*que vires eò converteret: non enim responsum ejus, quo *Edvardo* tranquillam regni possessionem permittit, ad eum annum relatum videtur, ideoque semper in procinctu ad eum excipiendum stabant: & callidè excogitatum existimem, ut *Svenus* interea *Magni* gratiam sibi conciliaret, & in usum suum verteret, eumque a consiliis de *Angliâ* oppugnandâ distraheret; qua necessitate *Magnus* compulsus *Edvardo* tunc fortè satisfecit. Tum vero credibile est, expetitam *Sveno* classem denegatam, ne amicum jam *Magnum* irritarent.

Ordo bellorum cum *Sveno* à scriptoribus non pariter digeretur. *Adamus Bremenensis* *Svenum* *Horda-Knuto* vivo bello à *Magno* profligatum tradit, & ut credo solus. *Saxo* ante bellum cum *Vandalis* seu *Slavis* *Svenum* navale æquæstreque prælium cum *Magno* gessisse, author est. *Theodricus Monachus* solum navale memorat; nos fratres omnes nullum inter *Sve-*

Svenum & Magnum gestum agnoscant ante bellum Slavicum, deinde tria ordine à nobis indicata, duo author *Fagurskinne* memorat, versus *Arnoris pœtæ* quatuor prælia una hyeme gesta indicat, ut antea memoravi. Hyemis autem nomine annum familiari significatione intellexisse videtur, annumque à præliminari Sancti Michaelis feria, quâ cum Slavis pugnatum est, orsus, ambitu cujus etiam bellum ad Helganefiam continetur. *Thiodolfus* tres pugnas cum Sveno gestas conceptis verbis tradit.

CAP. VIII.

SANCTUS OLAFUS HRAFNO ISLANDO A REGE MAGNO PROSCRIPTO PACEM MIRACULOSE PROCURAT. SIGVATI POETÆ EXITUS.



D trium horum conflictuum unum Sancti Olafi miraculosa pro Hrafno Islando, cædis convicto & exilio condemnato, intercessio, autoribus memorata, referenda videtur. Nos rem ordine exponemus. Hrafni pater erat Sigvatus, districtus Hrutafjordensiscivis de prædio Melis; mater vero Gudruna Sigvati pœtæ foror. Hic ad rei familiaris subsidium alimentis indigens, pratum agri, invitâ licet uxore, quæ annulum aureum distrahi malebat, vicino Thorgrimo, qui villam Stadas incoluit, pecore permutavit, tantum in usum fani, non autem passus, ne immisissum pecus latius excurrens totum agrum depasceret. Cum verò rupto pacto, suo pecori vicini possessionem totius agri damno submitteret, Sigvatum tantum repellentem illico occidit; mox uxoris ejus, maritus & ipse conjugis alius, nuptias expetens, Hrafno tum quadrimo, repulsam passus est: sed & ipsa subito mortuorum simulans celeriter exequiis eum prosecuta est, quod filium ad quindecimum quoque ætatis annum quoque celavit: qui tum demum, offenso inter ludendum filio Thorgrimi, nomine Kalso, minante similem eum patri exitum habiturum, ficitior à Thorgrimo patrem ejus occisum, seque à Kalso pariter neci destinatum. Mater igitur, quod hæc tam diu reticuisset, increpata, ætatem ultioni inhabilem potentiamque adversarii supra vires excusabat. Jamque ad annos octodecim provectus est, cum denuò, instituto cum Kalso ludo, ignaviam in ulciscendo patre sibi objectante, simileque fatum iterum mimitante, familiaribus cum filiâ ejus Helga uxoreque Signiâ & quivir. Sollicitâ deinde matris curâ abditus, vique Thorgrimo ab inquisitione prohibito conservatus, tandem in publico foro exilio multatur, jure patrio deinde impunè occidendus. Tandem à cive Naumudalensi Einare, celebri mercatore, Nidarosiam defertur, præfectoque urbis Ketilli, cogomento Ripò, ab eodem datâ pecuniâ commendatur. Ibi cum aliquantisper mansisset, familiaribus cum filiâ ejus Helga uxoreque Signiâ & frequentioribus colloquiis suspectus, offensam ejus contrahit, matre innocentiam frustra excusante; eoque indignatio processit, ut jactis probrosis versibus præfectus urbis eum non tantum irideret, sed nautis quibusdam in occidentis regiones navigaturis in servitutem venderet, inq. navem comitis specie pellectum iis capiendum exponeret: qui irruentium impetu pari audaciâ ac fortitudine reufo, intellecto dolo plagium cæde præ-

præfetti ultus elabitur: uxor vero præfetti, five maritum prius exosa, five factum ejus execrata, jure occisum pronunciauit, ipsūqve veste & commeatu ad exilium instruit. Ipse inter solitudines sylvasqve latitans ipsius Regis sententiâ, qui redux in urbem majorem in modum excaudit, regni limitibus proscriptus est, Einare Naumudalensi etiam atqve etiam orante, *ne eadem solum, sed causam quoque, quæ ad eam impulerit, simul considerare dignaretur*; id vero frustra fuit: percussores quoque trium selibrarum argenti præmio promiscuè invitati, vetitò in posterum, ne pro eo quisquam deprecaretur.

In has angustias compulsus, ut se humanâ ope destitutum animadvertit, ad Sanctum Olafum supplex conversus, ejus auxilium invocat; numinisq; ejus fiduciâ in tantum erigitur, ut cum Rex magnus, classe magnoque apparatu in Daniam adversus Svenum moturus, post duas ab initio æstatis hebdomadas adversis, ventis in portu quodam detineretur, ad litus intrepidus accederet: ubi cognitò, avunculum Sigvatum inter Regios ministros Regiâ nave vehi, eum ad se per nuncium evocat, intercessionemqve ejus ad Regem exposcit. Is autem evidens periculum exhorrens cum majorem in modum hortatus esset ut secederet, vix tamen inhibuit, quin protinus eum inlequeretur. Persvasò tandem ut expectaret, donec procerum auxilia in preces quoque imploraret, Einari Naumudalensi, qui tunc præsens uni navi præfuit, amentiam illius exponit, in certam mortem ruituri. Eum igitur Einar adit, magnopere à proposito tan absolo deterrere conatus: & quamvis eum in villam suam Hitam se missurum, ibiqve servaturum, promitteret, tamen frustra fuit. Nec Sigvatum in auxilio intercessionis à proceribus impetrando felicior, ut obstinatum in mortem rediens animadvertit, in genua procumbens, Deo & S: Olaso invocatis, Einare comitante, secum in prætoriam devexit; cum fortè Rex in puppi dormiens, subito evigilans, mutato ad votum vento, vela facere jubet, certam in Daniâ victoriam promittens. Quò cum perventum, prælium terestri conferitur, Hrafnio in acie Regiârem forster gerente; victoria penes Magnum. Cum vero ad naves reditum esset, Rex Hrafnium arcessit, frustra ultra latiturum pronuncians. Accitus & Einari Naumudalensis, interrogatusqve, *quò hominem cedis in perigrinâ terrâ damnatum in Norvegiam transportaveris?* respondit, *quòd majore decore eadem, quippe necessariam in ultionem patris plusquam innocentis occisi, commisisse quam omisisse videretur.* Expostulanti deinde Regi, quâ de causâ præfectum Ketillum Ripum Hrafnus occidisset, rem ordine exposuit, deinde adjecit; *tantam se injuriam vindicasse, mortuum enim carmine celebrasse, celebrasse & Regem aliò.* Jussus utrumq; recitare, prius quò præfecto parentabat, cecinit, ubi causæ univèrsus ordo: deinde aliud, quo Regis clementia justis laudibus argutè decantabatur, exposuit. Quo finito Rex agnitum sibi perhibuit, cum somnò excitus navigandum pronunciaisset, inter Sigvatum & Einarem in medio Hrafnium, sed visum dissimulasse; quippe monitum in somno à patre, *rectius se, ventò secundo ad repetendum regnum Danie certamqve victoriam, quam ad eadem propinquo- rum pœtæ sui exiguâ de causâ properaturum, adjecit, ut se omnibus, qui intra navem essent, clementem exhiberet.* His excitatum mandatis ejus paruisse, inque gratiani patris Helgam occisi præfetti filiam, cum haut exigua dote donisque ditatam, se in nuptiis elocaturum promississe. Tunc Sigvatus Regi exposuit, se subsidio procerum casum S. Olasi auxilium invocasse. Rex gratiam, quâ & vivus & post fata illum dignari soleret, utpote cui

te cui nihil denegare sustineat, admiratus est. Addunt hoc ipso prælio S. Olafum aliquibus in acie Magni conspectum; inter tamen congressus cum Sveno nusquam reperio ullum, cum Magnus Norvegia profectus Daniam peteret, præter solum illum, qui ad Helganesiam contigit, nec illum quidem terrestrem, nisi fortè post navale prælium terra quoque aliquantisper ceratum est: ideoque ad hunc annum hæc qualiacunque, fide Membrarum, quas nominavi, referre placuit; diciturque Hrafnus in Islandiam profectus matrem & familiam in Norvegiam transportasse.

Hucusque poetæ Sigvati mentio occurrit: quò vero anno vitam finierit, nusquam invenio. Illud constat, post mortem Sancti Olafi animum ad finem usque vitæ contraxisse, donec longo luctu profligatus naturæ debitum persolvit. Romæ primum, ut antea dictum, de exitu Regis certior, cum in Daniam pervenisset, nomine dissimulato, quodam vespere, carmina sua ut minus artificiosa carpi audiverat, metricè respondit, *imperitis ita videri; artificum certe iudicium Sigvatium non defugere*; quò cum se ipsum imprudens prodidisset, a filiâ familias monitus eadem nocte hospitio se subduxit, cum ædes quasdam prægressus, maritum recens mortuum uxorem lamentantem, mortemque in remedium deposcentem, audivisset; *baut minore respondit dominorum caritate fidos ministros teneri, quam amatores amasarum, quarum tamen orbitatem multi luctu persequantur mortifero*. In Thrandia prædium proprium incoluit, ubi uxor liberique ejus, inter quos filia, nomine Tosa, quam S. Olafus è sacro fonte levaverat, teste versu ejusdem Sigvati, quem *Codex Flat. & Thomaskinna*, quantum scio, incorruptum reservant. Cum in portum Hilldarlundam (ita *Jofraskinna*, vetustissimus codex, appellat, ab eponyma, ut videtur, fæminâ Hilde, hodie Hellsund / non procul a Fleckereya, appellant) lembo vectus devenisset, vidissetque corvorum circumvolitantium agmen ingens, versu memoriam Sancti Olafi, quem stationem istam frequentasse perhibet, celebravit; extat & ille, qui licèt phari illius magni, qui ibi hodieque celeberrimus extat, Sanctique Olafi nomen præfert, non meminert, ab eo tamen excitatur, præter famam posteris traditam, inde colligitur, quòd portum istum ei familiarem prædicat.

Domum redux in satellitium Regis Sveni invitatus, quòd Knuto Magno familiaris fuisset, domesticam curam excusabat. Per plateas quodam die exspatiatus, cum satellites Regis ludentes conspexisset, metricè memoriam ludorum, quos Rex Olafus se præsentè celebrare consueverit, recoluit. Domum reversus, audito sibi exprobari, quòd dominum in summo periculo deseruisset, *diro se carmine inferis devovendum juravit, si perfidiâ metuxæ periculum cum illo sociare detrectasset: incertum eorum, quæ agerentur, pietatis causâ ad crimina eluenda minasque celestes deprecandas Romam concessisse, remotiorem quàm pugna gnarum deuit, domino, sed in vitum, superstitem factum*. Tædium inde vitæ domesticæque mansionis carminibus subinde contestatus, primâ hyeme domo profectus, per Jämtiam Helsingiamque in Sveciam ad Reginam Astridem devenit, longoque tempore ad eam satis acceptus remansit; fuit & in aulâ fratris ejus, Regis Anundi, ubi decem marcas argenti signati dono accepit, semper de filio Regis Magni per mercatores Holmgardâ navigantes sciscitatus, cujus desiderium carmine sollicitè testatus est; quem Sveciam ingressum, inter Reginæ Astridis ministros summo gaudio exceptum in Norvegiam secutus, mox inter ministros receptus, fide & industriâ brevi intimam ejus admissionem sibi conciliavit, idque duplici vinculo, præstitæ nimirum patri fi-

delis operæ, & sanctioris ministerii ipsi Magno, cum eum regenerationis balneo ablui curaret, ablutumque de sacro fonte susciperet, nominisque ei familiarique ejus universæ, &, ut credo, toti septentrioni novi & inuitati author fuerat: a quo etiam nomen illud dimanasse ad posteros videtur, tantâ aviditate expetitur Principibus, ut proprio etiam nomini adjunxerint, ultroque assumpserint, non ad gestorum gloriam significantam, sed tanquam cognomen honorabile. Sic *Knytlungorum Historia C. XXI.* Svenum Ulfi Sprakaleggi filium, quem Dani a matre Estridium denominant, alio nomine Magnum appellatum tradit. Pari modo Sverrir, ut & Eiricus Magni Haconis filii filius, Norvegiæ Reges, non ad gestorum magnitudinem, quorum neuter extra patriam quicquam eo titulo dignum patravit, declarandam, sed tanquam gloriosum a tanto Rege dimissum assumpserunt: ut haut immeritò futuri præfagus videretur Sanctus Olafus, cum Sigvatum post expositam inditi puero nominis rationem tantopere commendabat.

Moriturus Sigvatus carmen in laudem S. Olafi exorsus, Sigurdi Fafne-ricidæ odam imitatus est. Nave autem ad insulam Seliam delatus, ægrotus decubuit. Evenit autem, ut in continenti uxori, de mariti gravi morbo lecto affixi valde sollicitæ vigiliisque fatigatæ, S. Olafus per quietem appa-rens postularet, ut operas secum permutaret, se enim viro ejus decumbenti assessorum pollicitus, *jubet illam ad poetam suum cum morbo confis-stantem accedere, suumque mandatum referre, ut quod ad se celebrandum carmen meditarietur, non ad eam formam, quâ Sigurdi oda circumferretur, aptaret; sed genere, quo gloriosa Christi resurrectio* (carmen, credo, ab Hall-fredo Periculoso poeta factum innuit) *comprehenditur, uti mallet.* Excitata mulier, non de nihilo apparuisse sibi Regem arbitrata, mandata de-ferret; mox agnito Domini jussu Sigvatus genus mutavit; redix verò vi-rum, sanitate receptâ, lætum mutuo gaudio deprehendit. Exinde Sigva-to, aggravescente morbo, apparens Rex eum ad se invitabat, determinatâ horâ, quâ se rediturum pollicebatur. Extat versus Sigvati omnium ul-timius, quò reditus promissum requisivit. Ex eadem deinde insula de-functi reliquias Nidarosiam delatæ ad ædem Christo dicatam conditæ sunt. Fuit certè vir memorabilis, quippe ex humili ad tantum dignitatis locum provectus; quem fide, obsequiis & industriâ patris filiique tempore ad fi-nem vitæ ita tuitus est, ut etiam invidiam superasse videatur.

Rebus in Dania post conflictum Helganefensem compositis, eodem autumno Magnus in Norvegiam rediit. Mox magna rerum conversio se-cuta est, Monarchiâ in duumviratum mutatâ: quod antequam exponi-mus, præmittendæ sunt res Orcadenses.

CAP. IX.

DE ORCADUM TRIENTE INTER ROGN-
VALDUM ET THORFINNUM EXORTA CONTENTIO
IN APERTUM BELLUM ERUMPIT; QVO SUPERIOR THORFIN-
NUS INSULARUM POSSESSIONEM SIBI VINDICAT, A
SUPERVENIENTE ROGNVALDO PROPE OPPRES-
SUS, QVEM DEINDE EX IMPROVISO ADOR-
TUS VITA PRIVAT.



D hunc usque annum tranquillus rerum Or-
cadenfium status principum mutuas sibi operas præ-
stantium concordia floruit. Isto verò annò, cum
Kalso Arnino, patriâ non ita pridem profugo, copi-
isqve ejus sustentandis magni sumptus requirerentur
(ibi enim hyberna tempora exigebat) multî
Thorfinno suggesterunt, ut trientem alterum, quem
permissu ejus magis quàm deditone Rognvaldus diu tenuisset, reposce-
ret. Misit itaque anno MXLVI, legatos in Orcades, qui hæc postulata de-
ferrent. Quibus auditis remotisque, dum amicos confuleret, iterumque
admissis: *Reserte, ait, patruo, quæ sine fraude & perjurio reddi nequeant,
nec honestè postulari; magis etiam impie, si is, qui postulat, nisi eodem scelerè
possidere nequeat. Me quod attinet, precarium tantum in trientem, quem
postulat, jus habeo, fidei meæ commissum, solummodo ut custodiam, non ut ali-
enem; proinde fidei Regi Norvegiæ, fidei Deo datæ memor, donec ut reddam
jusserit, detinebo; nec redditurus in posterum, si penes me esse voluerit. Quid
patruus S. Olaso promiserit, ipse viderit, nec oblitum existimo. His renun-
ciatis, Thorfinnus admodum iratus, malè sibi Rognvaldum beneficium facili-
tatemque rependere questus est, dum partem, quam indulgentiâ suâ tot an-
nos tenuerit, vano juris prætextu vindicare conaretur, nisi armis repetitam
hæudquæquam cessurus. Quid enim jus Magno ad hereditatem fratris sui? an
injuria visque à S. Olaso adhibita, specioso juris vocabulo colorata, verum ei
jus in aliena transferat, seque ad patrimonium suum possessionesque deserenda-
das, ejusque avaritiæ satiandæ deferendas, obliget? Nec multò post, exer-
citu per Scotiam & Hæbudas collecto, pronuntiavit se armis jus suum à
Rognvaldo repetiturum, quod moderatione & lenitate assequi nequivisset.*

His cognitis, Rognvaldus amicos convocat, docetque, *imminere sibi
à patruo periculosum bellum: se tamen nihilominus dimicaturum, nec patri-
monium suum aut etiam feudum Regium, omnibus in expertis, ei dediturum.*
Quærit itaque, *quid sodeant, quantum auxilium præstituri? Multum
ibi sententiis variatum, alii in partes Rognvaldi proniores, imperium
integrum, nec ullâ ex parte imminutum, conservandum præferunt;
alii hæud quæquam postulari: partis nimirum controversæ nec diuturnam possessi-
onem, quam Rognvaldus jam longo tempore detinuerat, nec ei certamen ad-
versus tantas vires, Scotiâ Hæbudisque excitas, tutum, quibus duo Orcadum
trientes sustinendis omninò impares. Erant qui conditionibus transigendum
rati, Orcadum æqualem divisionem offerendam censebant; id etiam Thor-
finnum sanguinis nexui daturum. Rognvaldus, perspectâ diversâ suorum,
sed omnium, voluntate à certamine alienâ, negabat se ditioris ullâ parte,
sed potius universâ, in præsens cessurum, iturumque in Norvegiam ad fratrem
adoptivum Regem Magnum, ejusque viribus amissa recuperaturum. Sine
mora profectus, Regi, quo in statu res suæ essent, exponit. Lætus ad-
ventu amici Magnus apud se detinere cupiens, provinciarum quantum
ad statum familiamque ex dignitate sustentandam sufficeret, obtulit; ve-
rum copias classemque ad recuperandum imperium tuendum sufficientem
poscenti auxilia promissa; promptissimò quolibet in expeditionem lectò,
post exiguam moram dimittitur. Misit insuper ad Kalsum Arninum nunci-
ci, qui status prioris agrorumque & possessionum restitutionem Regis
nomine promitterent, si Rognvaldi partibus aggregatus in Thorfinnum
arma caperet. In Hialtlandiam delatus Rognvaldus, ejus insulæ delectu
auctis*

auctis copiis inde in Orcades transfretavit, amicorumque concursu instructor Kalfum de promissis Regis per nuntios certiore factum propensum ad Regis gratiam recuperandam, nec auxilium abnuentem cognoscit.

Interea Thorfinnus è Scotia & Hæbudis in Katanesiam validum exercitum excivit, quem classi impositum in Orcades transportaturus, Rognvaldum cum triginta majoris molis navibus ad se in Katanesiam tendentem, in sinu Pictico ipse sexaginta, sed minoribus, instructus obvium habuit. Sub rupibus, à rubro forsan colore Raudabiorgis dictis, concursum, totisque classibus simul ab omni parte pugna conferta est. Aderat & Kalfus Arninus cum sex navibus, altitudine cum Rognvaldianis certantibus, spectator tantum pugnae & alieni periculi neutri partium accessit. Cum diu æquo Marte pugnatum esset, Thorfinni milites ex humilioribus navibus dimicantes, vanaque in cassum tela jactantes, vim Rognvaldianorum è superiore loco, spicula telaque, haut incerto jactu, sed graviore & pondere ipso libratiore ictu ingerentium, vel cominus gladiis ferientium, sustinere nequibant. Ita enim conferebant ex propinquo pugnam, ut propè collato pede res gereretur. Haut mirum itaque, si ab illa parte secuta propugnatorum cædes, naviumque vastatio. In classe Thorfinni prætoria, quæ ipsum vexerat, magnæ molis triremis, inter omnes eminebat, imperio Ducis in eam aciei partem producta, unde pugnatoribus par periculo gloriae materia, cæteris exemplum ostendebatur. Hanc ab utroque latere Rognvaldi classis invadit, & veluti nube telorum eminens coniectâ undique obruit: cominus gladiis & id genus armis vi sumâ certatum. spe, si ulterius admitterentur, Thorfinnum capi, uniusque horæ spatio posse debellari. Accendit animos faventis fortunæ successus, præsentia Ducis & hortamenta; nec minus Thorfinnianos obversans oculis, tum sui, tum Principis periculum, & ultima necessitas ad resistendum. Diu incurrentis hostilis classis impetum mutuâ adhortatione firmati tulerunt Thorfinniani, donec suorum acie multâ cæde rarefcente, Rognvaldus transitum ad eos moliebatur, suos ferociter inclamans, ut transcensâ hostium nave cohortem prætoriam cominus inciderent. Ad extremum periculi & prope perniciem ventum erat, nî Thorfinnus, incisis protinus vinculis, quæ dimicantes naves invicem connectebant, ad litus accelerasset. Ibi cætorum corporibus, & in his è sua tantum navi septuaginta, præter vulneratorum magnum numerum, expositis, lectis ex omni classe fortissimam prætoriam instruit. Expositus & poeta Arnor, carus Comiti satelles, non ex vulnere debilis, sed (ut videtur) ut absque periculi metu, quæ ab utraque parte gererentur, observare, memoriæque metricâ arte consecrare posset. Inde ad Kalfum conversus de auxilio eum sollicitat; *falli ipsum distitans, si firmiorem Magni Regis gratiam se jam exulem capite suo mercaturum statueret, quam florentissimo rerum suarum statu Regis tutor & unice dilectus conservare non poterat. Certè nec ei unquam receptum patere, si victor Rognvaldus imperium Magni trans Oceanum in occidentem proferat: se verò victore nihil ei defuturum; nam neutrum eorum, si vires conjungerent, injuriæ prorum aut vinci facilem eis, qui in occidente regnarent; neque ei decorum, se pro utriusque libertate dimicantem destituere, commune periculum, more felis pulvino incubantis, vitando. Peccari præterea in jura necessitudinis, quibus arcto affinitatis vinculo invicem juncti essent, præsertim cum pars adversa nullo tali nexu ei cobereat.*

Hac adhortatione concitatus Kalfus suas naves expedit, remisque quàm validissimè concitatas in Rognvaldum simul cum Thorfinno mature dirigit,

dirigit, tunc quidem plurimis earum, quæ Rognvaldus, ne Thorfinnum discedentem insequeretur, morabantur, ante reditum ejus vastatis, reliquis vero fugam circumspiciantibus. Novis auxiliis firmatâ classe fluctuans simul acies restituitur, & pugna instauratur. Kalfus in minores naves invectus est celsioribus puppibus & proris, magnâ vi telorum emisâ, ingens damnum intulit, spiculis ac sagittis tam graviter ac validè incidentibus, ut nec parmæ aut cassides, neque lorice adversus ictus vulnera protegerent. Singulis itaque ordine vastatis, brevi omnem Rognvaldi classem milite remigeque nudavit. Videntes autem Norvegi naves à latere in potestatem hostium redactas, ipsi ruptis vinculis in altum eventi fugam capebant, paucis admodum circa Rognvaldi prætoriam remanentibus. Inde acies inclinare cepit, maximâ classis vi dilapsâ. Tum vero prætoriam Thorfinnus & Kalfus ab utroque latere obsidentes, ingens certamen cladesque mutuas ciebant, dum illos victoriæ haut ambigua spes, hos salutis tutandæ necessitas, ad defensionem urget. Nec tamen diu tot imperentium impressio à fessis vulneratisque paucis, qui supererant, militibus sustineri potuit: itaque Rognvaldus, rescisâ catenâ, mutuo navium pugnantium vinculo, sublatis dolonibus effugit, cum esset in exitu dies. Tenebrarum beneficiò elapsus, eadem nocte directum in Norvegiam cursum non prius intermisit, quàm ejus oris redditus. Inde ad Magnum Regem profectus, amicè, ut semper, excipitur, ad longiorum moram mansionemque invitatus.

Die, qui bellum victoriamque secutus est, Thorfinnus singulis insulis lustratis, quotquot fugâ elapsos deprehendit, vel in deditionem accipit, vel (quorum tamen pars major) occidit; omnibus insularis, etiam iis, qui Rognvaldo erant sacramentò obligati, in suum obsequium jurare compulsis. Ipse munerosâ satellitum phalange stipatus, in insulis, conquisito undique commeatu, hyematurus, Kalfum in Hæbudas ad continentam in obsequio gentem misit.

Haut longum interfluxit tempus, cum Rognvaldus Regi indicavit, esse sibi in animo Orcades repetere. Supra vires id Regi, illo præsertim anni tempore, visum: manendum ad initia veris, donec mitescente hyeme fluctus quoque mitigationem navigationem faciliorem redderet: parata tum auxilia cum copiis, classeque ad vindicandam patriam idoneâ. Rognvaldus regressit: potentiorum esse Thorfinnum, tot insularum provinciarumque Scotticarum viribus, auxiliis etiam affinis sui Kalfi subnixum; quàm ut vinci possit, magnis copiis classeque haut modica, quæ immodicas impensas requirerent, magno etiam victoris damno, militumque jacturâ: nolle se Regium exercituum iterum in casum discrimenque dare, decrevisse potius unica tantum navi, levisisimis bellatoribus instructa, celeritate tanta, ut ne adventum nuncius ullus precedat, principio hyemis in insulas trajicere fortunamque experiri: futurum, ut aut securos incruentâ victoriâ opprimat, aut, si prævia fama prodiderit, præsidium ab oceano pateat. Rex, probato oconsilio, si successus conatui non responderet, ad se redire jussum, navi lectissimis militibus adornatâ, & in his nonnullis aulicorum suorum primi gradus, cum faustâ præcatione dimittit, nunquam amplius visurus. Qui optatum nactus ventum, & deinde Hialtlandiam, cognovit Thorfinnum illo anni tempore securum cum haut magno stipatorum numero in Orcadibus hyemare: qui potissimum satellitum partem ad sua jam dudum remiserat; omnium quippe securus in Hroseyia resedit. Quò Rognvaldus, ut primum ad insulas appulit, moræ impatiens profectus, adeò improvisus supervenit, ut adventum

tum ejus nemo prius sentiret, quàm omnibus foribus armato milite obfessis tectis faces submitterentur. De nocte id factum est, pluribus ac quiescentibus, somnoque oppressis, Comitè tamen commessante; qui ut hostilem impetum senserat, misit ad fores sciscitatum, quo duce impeterentur? responsum, Rognvaldo. Tum vero omnes ad arma concurrentes exitum per fores moliebantur, sed frustra, armatis obfistentibus. Svadente igitur Thorfinno supplicatum, si quibus parcere statuerit, iis exitum permetteret: permisus hic promiscuè fœminis servisque, non tamen libero egressu, quippe extractis à militibus; aulicis verò negatus, quòd eos esse Rognvaldus censeret, quorum vita quàm mors minus sibi conduceret.

Et jam flamma omnia tenuit, cum Thorfinnus asseribus quibusdam subtus effractis ulnis uxorem gestans, illunis noctis tenebris & fumi vento impulsi caligine obvolutus nemini observatus evasit; mox repertà scaphâ ad promontorium quoddam remigiò vectus. Rognvaldus ædium singulis in cineres redactis, omnes insulas sibi subigit: missisque in Catanetiâ & Hæbudas legatis, imperium omne, quod Thorfinnus tenuerat, sibi vindicat: nec erat qui obsequium detrectaret, cum nemini constaret Thorfinnum evasisse. Ille interim apud amicos in Catanetiâ latitans ita se occultè tenuit, ut nulla fama evitati periculi exorta suspitioni ansam præberet. Interea Rognvaldus Kirkiuvogi, multis satellitum turmis stipatus, confidens, iis alendis magnos sumptus fecit.

Appetente festo Jolenfi magno comitatu in Papeyam minorem ad multam potentam domum vehendam, cerevisiâ conficiendâ, profectus, cum per vesperam foco asidentes corpora diutius calefacerent, focariusque ligna modò defectura indicaret, Comes respondit; *his consumptis satis anxi sumus*: (vultu autem dicere, satis calefacti sumus) primusque lapsu lingua observato, *mentem jam lingua præcurreret*, ait, *neque id mihi prius contigisse memmi. Subit mentem quod nutricius meus Sanctus Olafus Stiklastadis, cum errorem lingvæ ejus notarem, prædixit, nimirum cum mihi tale quid accideret, hanc exinde longam vitam sperandam. Vivit forte agnatus meus Thorfinnus.* Vix hæc effatus est, cum circumfessam hostibus domumprehendit. Ibi Thorfinnus cum agmine armatorum molientibus egressum ferrò, manentibus igne, minatus, lignilia foribus præstuxerat. Exeundi veniã omnibus, præter aulicos Comitidis, datâ, mox ignis ædibus subiectus. Pluribus egredientibus successit vir veste lineâ amictus, inque foribus stabat, Thorfinno, ut manus diacono porrigerent, mandante, brachiis innixus, in modum jaculi nervo impulsus, tam lignile quam circumstantium globum transfiliens, procul ab omnibus solo redditus, momento inter nocturnas tenebras avolat. Thorfinno ut fugienti instarent vociferante, Comiti quippe agnato suo Rognaldo (neque enim alium tantæ agilitatis roborisque documentis exhibendis parem) divisi in manipulos, alii superiora, Thorkell Nutritius inferiora orasque maritimas lustrabat: auditoque canis in litore latratu, quem Melitæi generis unum Rognvaldus in sinu gestabat, ejus persequentibus oblatrantis sonum secutus, Comitatem assecutus comprehendit, utque occiderent, proposito interfectori præmiò, imperabat. Omnibus recusantibus ipse tam triste ministerium executus est, vidit enim alterutri omninò moriendum. Patratâ cæde Thorfinnus superveniens factum non culpavit. Mihi Thorkell rectius fecisse videtur, si conservato in adventum patrum Rognvaldo ejus arbitrio eum permisisset: abdicato quippe jure suo inque Thorfinnum translato dimitti forte

fortè poterat. Erat enim Rognvaldus princeps pius, fidei promissorumque tenax, & jurisjurandi observantissimus, ut nullus ab eo deinceps metus esset; nec Magnus Norvegiæ Rex ista transactione magis timendus erat, quippe longè minus læsus, quàm eadè carissimi sibi amici & optivi fratris. Id si minus tutum visum, poterat tamen custodiæ mandari.

Postridie navis Rognvaldi, polentâ onerata, in eum modum instructa est, qualis erat cum domo solverat, prora puppique occisorum clypeis ornatis, totidem quoque remiges comitesque alii impositi, quot Rognvaldum secuti sunt. Hoc dolo Kirkiuvogus petitur, deceptique satellites Rognvaldi inermes obviam procedunt, Principem suum officiosè excepturi. Triginta erant, quorum plures Regis Magni aulici, omnes autem jussu Thorfinni statim occisi; uno excepto, quem in nuncium cladis electum in Norvegiam hac contumeliâ illudendum amandavit; postquam & ii, qui in Papeya erant, omnes periissent.

CAP. X.

GESTA HARALDI PER GRÆCIAM,
AFRICAM, ET SICILIAM.

Odem autumno, quò bellum ad Helgancsi-
am gestum est, Haraldus Sigurdi Siris filius, Regis
Magni patruus, rebus per Græciam, Siciliam, & A-
fricam gestis longè lateque celebris, opibus immo-
dicis in Norvegiam rediit: quam Magnus ex æquo cum
illo partitus, Regem illum dixit fecitque. Sed quam-
vis res exigat, ut quæ peregrè gesserat, his præmit-
tamus, valde tamen dubito, omitti an referri præster; aut enim antiquo-
rum Principum strategemata, aut minus credibilia memorantur; pars ta-
men ex ipsius, pars ex fatellitum ejus, duorum præsertim perpetuorum
comitum, periculorum omnium sociorum, gente Islandorum, virorum
insignium, relationibus excepta perbibetur; Halldoris nimirum Snorrii
Curionis Helgafellenfis, quæ provincia occidentalis Islandiæ quadrantis
est, filii, & Ulfi Uspaki filii, Utvisi Sapientis nepotis, amborum Haral-
do carissimorum; nam & hunc posteriorem Stallarium suum creavit, fo-
rorisque uxoris suæ nuptiis honoravit. Verùm neminem tam stupidum
credo, ut non intelligat, sive tritas urbium expugnandarum artes, quæ hic
describuntur, sive alia ab ipsis tradi non potuisse; maximè vero absurdum,
numerum expugnatarum urbium proditum, nec tamen vel unius nomen,
idque ab iis, qui pars expugnantium fuerunt; cum tamen constet, nullum
unquam septentrionalium principum, alieno imperio obnoxium, tantas res
in exteris gessisse: idque imensa illa auri argentique copia, quam illinc
huc retulit, exteris Scriptoribus decantata, privatorum fortem excedens,
Regibus etiam invidiosa, tum etiam coævi scriptoris *Adami Bramensis* tes-
timonium, satis evincunt. Ne verò illum gloriâ, quam prudentiores
ex imperita harum rerum relatione ei jure deberi facile colligent, aut
lectorem traditionum notitiâ, veritatis investigandæ materiâ, fraudari
velle videar, quæ membranâ continentur iutrepidè transcribam.

Limitum Russiæ unâ cum Eylifo Comitæ Rognvaldi, id temporis
mortui, filio præfectum, præcedentis libri capituli VIII. sine retuli, ubi a-
liquot annos moratus, Russiâ passim peragrata, inde magno militum nu-
mero

mero in Græciam profectus, regnante cum Regina Zœe Michaelæ Calophato (malim Paphlagone, nam tempora magis conveniunt; Catalogum membranæ perperam appellant) Constantinopoli militia eorum adscribitur, eodemque autumno inter alios, qui mare Græcum classibus tuebantur, galeonibus imponitur, suarum cohortium ductor, totius classis arbitrium gerente Georgio, Imperatricis (sine dubio Maniacæ) propinquo. Nec longum interfluxit tempus, cum Varingi (Barangi) omnes duces eum sibi constituerent. Inde Imperatore Georgio latè per insulas Græcicas circumvecti multos myoparones expugnant, spoliisque ingentia colligunt. *Morkenskiinna* Haraldum, nomine genereque dissimulato (neque enim Regum filiis ibi tutum) Nordbricti nomen assumpsisse tradit. Fuisse eum inter tribunos militum Islandum quendam, Marem Hunrodi filium, cujus filius vir in patria deinceps celebris Haslidius, qui à popolare suo Halldore Snorrii filio, qui tunc Haraldo ministrabat, super peregrino Duce certiora expiscaturus frustra fuit.

Accidit fortè, dum copiarum per terrestria ducerentur, ut Haraldus prior ad definitum stativis locum profectus tentoria sua in celsiore loco, terrâ circa lutosâ & palustri, poneret, cum subsecutus Imperator loco eum cedere jussit. Ille verò obnitens, quandoquidem prior accesserit, negabat se pariturum, neque enim Varingos ullius nisi Augustorum imperio subjectos, cætera sub duce suo liberos: pari jure utrosque, qui prius appulerint, castris locum lecturos; tantaque contentione disceptatum est, ut res ad arma spectaret. Interventu deinde tribunorum lis forti commissa, quinam castris prior exercitum educeret, equis vel navibus præcederet, locum castris deligeret, portum caperet; impressis notis singulorum Ducum singulis tessaris, inque gremium viri ad id lecti conjectis. Tum verò Haraldum notam, quam Georgius suæ tesserae inscripsit, suæ quoque forticulæ impressisse ferunt, eum verò, qui tesseram levavit, cujus ista esset, eum victorem pronunciâsse; Haraldum autem receptam protinus in mare projecisse, se victorem professum: Georgio autem reprehendente, quod nemini ostendisset, reliquam eum inspicere jussisse, inspectoque Georgii signo secundum Haraldum pronunciatum fuisse. Plura insuper alia controversa ferunt, palmamque Haraldum Varingosque semper reportâsse; quæ mihi valde suspecta, Imperatorem nimirum exercitûs de imperio cum Duce certâsse, fortique tantas res subicere sustinuisse, nisi paribus imperiis instructi essent, id quod minus mihi probatur; cætera tamen persequar. Simul classem copiasque duxisse tradit; verum Haraldum suos periculis semper subduxisse, vixque strenuè quicquam gessisse, ne vel gloriæ Georgii velificaretur, vel emolumento; quoties autem separatim res gereretur, fortiter pugnando nunquam non victorem recessisse, cum vitâ usuram famæ semper postponeret; hinc sapius Georgio rebus infectis, proposito pugnaque desistente, prædâ opulenta potitum, injectissem Græcis quam alienigenis opinionem lucri majoris & laudis amplioris, si vel suum ductum sequerentur, vel remoto Georgio solus Imperatoris munere fungeretur; itaque id unice contendisse, ne quid ductu Georgii aut auspicio præclare gereretur; jactis deinde in illum convitiis, tanquam segniorem quam rebus eorum conduceret. De his postulatum Georgium vicissim Varingorum averfa à se studia in novum duces priora obtendisse, cumque illis invitis nihil prosperè geri possit, illum se qui jussisse, ipsumque cum suo exercitu, milite magnam partem Græco, Constantinopolim rediisse, ex quo tamen juniorum haut parvam manum glo-

gloriæ prædæque studio, in exercitu Haraldi cum Væringis & Italici nominis omnes remanuisse.

In Africam; quam Væringi, ut & Nordmanni, Serklandiam appellant, cum classe Haraldus deinde trajecit. Ibi res inenitæ prospero successu gestæ, octoginta oppida vel bello vel deditione capta memorantur, idque *Thiodolfi Poetæ* fide carminisque superstitis testimoniis, Illudius quoque *Brunoætustas* imperatori Michaeli eas subjecisse strophâ etiamnum residuâ testatur; multos autem annos in Africa hæc gessisse perhibent. Michaelis verò Calephati imperium quadrimestre quantum horum partem exhaurit? Paphlagoni itaque, qui ab anno MXXXIV. ad annum quadragesimum primum, per septem annos & octo menses regnavit, hæc conveniunt, ut inferius monstrabitur. Illo tempore auri, argenti, gemmarum rerumque pretiosarum vis ingens, sed nec supra fidem, ubi talium abundantia, collecta. Quantum autem præter sumptus redundabat, id omne per fidos internuncios Holmgardum ad Regem Jarisleifum devectum. In Siciliam deinde tractum, pari que successu urbes maximæ oppugnatae, nec quot, aut quæ, exprimitur: strategemata tantum exemplis quidem notissima afferuntur, quibus tres earum expugnatae, & quidem ex ipsius Haraldi relatione, perhibentur.

Firmior erat civitas, fortioribus & pluribus propugnatoribus, quam ut capi possit, defensa. Mutuat igitur, Dux in suos usus consilium Hadin-go & Fridleifo Celeri Daniæ Regibus ante multa secula usurpatum, aucupumque operâ avium tenellarum in urbe nidificantium numerosam multitudinem capi curat, earumque tergis aridorum lignorum segmenta, cerâ sulphureque tincta, fungosque alligari; quibus simul ac dimissæ, nidos pullosque repetentibus, stipulis accensis, partes omnes urbis domusque plurimæ incendio correptæ flammis late sparserunt, cum foris hostis admotis machinis territis instans, nullo augendæ calamitatis genere abstineret; quò præventi cives, ne vitæ impendio rerum suarum jacturam cumularent, hostium, magnâ licet verborum procacitate laceratorum, clementiam deditione facta implorabant & impetrabant, vitæque donati in victoris ditionem cesserunt.

Alia quoque urbs cuniculis capta, egesto in proximum fluvium altioribus ripis, quam ut ab urbe conspici possit: prætextum, pulvere subterraneo, aversisque ab operis periculi que sensu obsessorum animis, diuturna militum per stationes dispositorum, adque oppugnationem quovis momento paratorum, ostentatione, ne vero intermitteretur opus, nec sub terra continuus labor milites conficeret, in partes munitorum numerus divisus, nocte ac die nihil amissum. Interea singulis diebus mænia assultantum cohortes ostensæ, sagittisque & omne genus missilium è muris exceptæ repulsæque, donec Haraldus fossam intra mænia ductam existimaret. Tum vero captu lucis armatas phalanges cuniculo immittit: qui simul ad extrema pervenerunt, egressum per superiora molientes, ubi lateritios lapides supra capita deprehendunt, adaperto repente cuniculo in convivantium cænaculum se emergunt, infunduntque: qui improvisi terrore prope exsangves, pars eodem momento occisa, pars foras se projiciens insequentium gladiis telisque impetitur. Mox delectis militibus plenus cuniculus armatorum agmina edidit: pars aversos in muris invadunt hostes, pars claustra portarum revellunt, iisque patefactis certatim irruunt; pars desertos scandunt muros, momentoque temporis urbis hostibus impletur. Ut vero captam prope urbem oppidani animadvertunt, omissis resistendi

confiliis, se suaque omnia dedunt, nec ulterius in eos sævitur. Præda ingens parta, tantiqve pretii, ut sola omnibus ditandis sufficere visa sit. Tritum illud expugnationis genus cum ubiqve in usu etiam hodie sit, ab illo quoqve adhibitum, facilius quam id, quod prius memoratum, & quod sequitur, fidem meretur: illò, ut dixi, Haddingi Daniæ, hoc etiam filii ejus Frothonis, & alterius, quem Gallici Scriptoris Hastingum vocant, æcumen ingenii æmulatus est.

Tertiam, sed, ut cæteras, sine nomine, Sicilia urbem suæ potestatis fecisse traditur, hac arte. Fossis valloqve & propugnaculis, tum vel maxime militum præsidariâ acie munitam, nec rerum necessariarum penuriâ laborantem, longâ obsidione, nullo vel profectu vel in futurum potiundi spe, presserat, cum impensarum, temporis & occasionis ad majora jacturâ gloriæqve & famæ detrimento æger perseverare tamen maluit, quam temerè proposito desistere. Præsidii igitur idoneis locis ad excludendam commeatu civitatem dispositis, ipse tentorium loco à castris remotiore statui jubet; ibiqve per dies aliquot acquiescit, valetudinem cautus, quòd castrensem tumultum ferre neqviret. Tribunis igitur pluribus simul accedentibus; cum id sæpius fieret, oppidani rem inusitatam mirantes per exploratores cognoscunt, Ducem adversâ valetudine affligi, & procedente tempore moriturum. Securiore exinde facti, terrorem à se in hostes transfuisse videbantur, id quod animorum etiam habitus ostendere visus, ludis, quibus Væringi se in castris exercere solebant, cessantibus, magis etiam cum sepulchrum in urbe honorqve funebris prætiò postulatus fidem exploratorum confirmavit. Nihil oppidanis illa famâ, nihil illo postulato gratius, liberatis periculo à Duce bello felici, urbiumqve expugnandarum perito; in primis sacerdotibus, quibus sepultura tanti viri quæstui; maximè verò cum simulatus in castris luctus pompæqve funebris apparatus omnem doli suspicionem amovit, templorum ordinisque Ecclesiasticis dona tantum respiciebantur. Eductus itaqve antiprimum funere, cum processione, ut vocant, honore, universo Clero infulis sacerdotalibus ornato obviam effuso, sacris scriniis sanctorumqve reliquiis ad exornandam pompam adhibitis, portis recipitur; capulum purpurâ vestitum, Væringis, vexillis in sublime erectis, sequentibus: cum derepentè depositò feretro gladiis talaribus, togis in ipsis portæ angustiis exertis, inermis clerus obruncatur, mox peregrinus quisqve sine respectu, tubæqve latè personantes advolantia portis agmina castris exciunt. Consternati Monachi, adeoqve universus sacer ordo, qui spe munerum magno certamine prius accurrens neminem se præcedere passus est, majori contentione recedere parans vulnera mortemqve militari sævitiâ reportabat; multi cæsi, universæ urbis partes directæ, spoliolum vis ingens in castra relata.

Hæc *Kringle* autoritate, quæ *Morkinskinna* paulò aliter recenset; nimirum quod Haraldus, præparatis quæ ad oppugnationem requirerentur, idoneo tempore civitatem fuerit adortus, magis ostentandæ fiducia quam potiundæ spe, altiore tamen consilio; sed oppidanis fortiter resistentibus repulsum, reductumqve in castra militem, ipsum separatim a castris tentorium fixisse. Per speculatores deinde relatum in urbem, haut incruentam oppugnationem, plures vulneratos, & in his ducem ipsum ægrum. Inde inducias factas, institutaqve inter oppidanos & milites commendi commercia. Mox remittente in singulos dies Væringorum alacritate, tandem etiam mærore subeunte, post hebdomadam cognitum e-

nectum

nectum Ducem; pactosque Væringos magno æris pondere sepulturam intra urbis mœnia ad ædem sacram, duodecim tantum sandapilarios admissos intra portam: inter eos ipsum Regem fuisse, Ulfumque Stallarium & Halldorem Snorrii filium: signa præolata, capulumq; in altum erectum, purpurâ byssoque opertum, in ipsis verò portæ angustis subito depositum, tubisque militem castris, eumque, qui ante portas honoris causâ funus prosecutus stabat, evocatum, subitâ impressione in urbanos irrupisse. Seniores oppidanos, ut qui nihil hostile metuerent, ad subitum tumultum arma corripuisse, paulatim plures manus coortas egregiâ quidem virtute atrocem in mediâ porta pugnam civilem. Occisum illo tumultu, antequam miles castrensis superveniret, vexillarium Haraldi; omnes vulneratos, maxime tamen lapidibus supernè coniectis. Justum tum ab Haraldo Halldorem Snorrium vexillum recipere, temerè & inconsulto eum increpasse his verbis: *quis vexillum tibi tam timidè accedenti præferat?* Id vero nulla ratione dictum, cum Haraldus bello acèr audaxque ad exemplum usque semper fuerit: recepisse nihilominus fortiterque pugnasse, magnique ibi in facie vulneris accepti vestigium, quod vixerat, ostentasse. Haraldum autem respondisse, acerbam increpationem fortiore facto dilutam repensamque. Direptam deinde urbem, spoliaque ingentia parta, permisam verò possessionem ejus Comiti, qui præfuerat.

Has tres civitates *Morkinskinna* Georgio præsentè captas memorat, virtute tamen Haraldi & consiliò: quartam *Kringla* adjicit, temeritate civium in potestatem hoc tenore redactam. Morâ longinquioris obsidionis auctos in tantum obsessis animos, ut contemptis hostibus sæpius ferocibus verbis ad oppugnationem, provocatis ignaviam quoque exproberent, eoque superbiæ processerint, ut ordinatâ supra vallum acie, apertis portis ad invadendum per ludibrium invitaverint. Haraldum vero ad vicem reponendam, sub ipsis manibus, sed extra veli jactum, ad eruptionum minas exhibendas, milites inermes eduxisse, ludosq; instituisse. Id cum sæpius fieret, mutuò contemptu certatum, quoad oppidani patentibus portis inermes in consuetudinem verso, instructos tandem gladiis Væringos, tunicis tectis, celeri cursu in portas provectos, sed occursum oppidanorum strenuè exceptos, loncis verò & munimentis corporum defectos cives, tunicas manibus brachiisque obvolutas ictibus opposuisse; nec tamen vulnera mortemve satis evitasse, omnes quippe evidenti periculo expositos, cum advolans cum exercitu Dux suis periclitantibus subvenerit. Verum telis faxisque & tegulis impetum seriùs quàm suorum intra portas pugnantium necessitas exigebat, accurrisse visum, verbis, quæ supra retuli, ab Halldore correptum, hoc loco citatus author tradit. Post acrem conflictum superior Haraldus urbe potitus perhibetur, deciesque & octies in Africa & Sicilia collatis signis cum hoste conflixisse; & semel quidem Barbaris ditionem Imperatoris Constantinopolitani ferro flammaque vastantibus, curribus falcatis aliòq; apparatu pene invictis, missum in eos cum Væringis, svasore Georgio, templum S. Olafò Constantinopoli statuum, consentiente Imperatore, si victoriâ potiretur, vovisse. Visum tum Olafum ex albo eqvo dimicantem, idque cuidam inter hostium principes cæco, terrorem, formidinem, & cædes præ se agentem: cursum vero Barbarorum in Væringos fortiter propulso, occulta quadam vi defixos, victoriam penes Væringos, spoliaque ampla in urbem translata, templumque S. Olafò Væringorum impensis exstructum, ejusque numini, Imperatore præsentè, dedicatum; quod longâ deinceps annorum se-

rie religioso cultu celebratum posteritas prodidit. Tradunt præterea duo fuisse in urbe palatia, militum tum Græcorum, tum Væringorum domiciliis attributa, unum superius, alterum inferius; superius singulis sibi deposcentibus fortem Væringis addixisse, exinde ab iis etiam scriptoris hujus ævo infessum.

CAP. XI.

REDITUS HARALDI CONSTANTINOPOLIM, PEREGRINATIO HIÉROSOLYMAM, CARCER, MIRACULOSA LIBERATIO, ULTIO DE IMPERATORE, ET FUGA, DESCRIBUNTUR.



Sicilia Constantinopolim onustum præda Haraldum cum exercitu profectum *Kringla* tradit: nec ibi diu moratum, anteqvam Hierosolymam validis instructus copiis proficisceretur, singulis in urbe Constantinopolitana aurum stipendiarium deponentibus. In itinere vero civitates omnes, quas transit, & castella deditone recepisse. Nihil ibi vastatum, nihil incensum; latronibus tantum & publicæ pacis turbatoribus ubiqve cæsis, securitatem peregrinantibus Hierosolymam usque præstitam; donaria in sepulchrum Domini crucemqve sanctam auri argentique ultra librarum numerum erogatum, moreqve palmiorum se in flumine Jordanæ abluisse, iterumqve Constantinopolim rediisse. His *Stufus cæcus* poeta duobus versibus testimonium perhibet, tanquam ab ipsius Haraldii ore exceptis.

Cum in urbem revenit, repens fama tulit, nepotem ejus Magnum non in paternam tantum regnum restitutum, sed possessionem quoque Daniæ adjunxisse. Flagrans itaque cupidine patriam repetendi dimissionem petit. Impetratrix vero Zœe majorem in modum indignata, crimine peculatus eum arcescit; neque enim imperii sui tempore aurum spoliaqve bello capta in ærarium, antecessorum more relata, de alieno ditatum abitur parare. Hæc, qui tunc temporis Constantinopoli meruerunt, reduces in Islandiam prætexta retulerunt, veram autem causam, quod nuptias filia fratris Reginae, nomine Mariae, ambiverit, ipsa imperatrice, quæ illius amore deperierat, posthabita: quod tamen non consistit, cum vivo marito ipsi jungi nequiret. In profundissimam igitur specum, quam super editissima turris supernè aperta, foribus plateæ obversis, cum duobus famulis Ulfo & Halldore ultrò sequentibus conjicitur, inque ima demergitur, Constantino Monomacho cum uxore Zœe imperante.

Fertur, cum per plateas eò duceretur, frater ejus S. Olafus ei apparuisse, liberationisqve spem fecisse. Verum eadem nocte vidua quædam opulenta, duobus comitata famulis, scalis ad supremam progressa, fune ad ima demisso, singulos pœnalibus claustris exemisse, idque monitore S. Olafus, quam ægotantem prius sanasse, tum verò per quietem sosti loco, ut periclitanti fratri subveniret, repoposcisse, locumqve carceris indicasse. *Morskinnma* tradit Haraldum cum prædictis famulis, singulos inermes, in ima carceris demissos, subtus antrum patulo orificio laticem intra ingentis magnitudinis

gnitudinis angycm, qui perpetua dape damnatorum corporibus pascebatur, quæ affatim per supplicia præbita cum supra famem redundarent, putredine insuaviqve halitu universum carcerem afflaverint. Hic vivos dentibus enecare solitus, deinde in escam vertere, illo certè tempore dormivisse dicitur, langvore fortè divinitus incusso. Cum vero singuli certum ab evigilante exitum expectarent, præveniendum rati, svafu Haraldi Sancto Olafo vota nuncupant: deinde periculosas operas inter se partiti, caput Halldor, caudam Ulfus, quippe cæteris robustior, aggreditur, moleqve corporum premunt; cum Haraldus novacula, quam vestibus occultabat, manu prius brachioqve pluribus penulæ, quam exuerat, plicis involutis, alterâ manubrio tenus parti, quæ cordi proxima, adactâ, reliquâ hiantis rictui impactâ, ingens ei vulnus infixit; tanta autem vis belluæ fuisse dicitur, ut interdum ambobus, qui infederant, simul levatis, interdum singulis, prope esset ut excuterentur; fessam tandem sanguinis profusio viribusqve sensim remittentibus cassam, ad ultimum sopitam, spem quoqve vitæ ulterius prorogandæ, afflictâ quantumvis sorte & prope desperatâ, suggestisse ferunt; quam matrona deinde, de qua dictum, ad optatum finem promovit.

Et hæc quidem fama eodem seculo, quo hæc gesta sunt, per septentrionem increbuit, uti mox è *Saxonis* loco statim inferendo patebit, cum prius nostrorum relationes de hujus periculi exitu ab illius traditione discerepantes recensero. Constanter enim singuli tradunt, carcere liberatum, eadem nocte ad Væringorum contubernia profectum, summo omnium studio gaudioqve exceptum, omnes ad arma convocasse, iisque comitatum palatium Imperatoris invasisse, eumqve, effracto cubiculo, captum oculis privasse. Extant duorum pœtarum celebrium versus, quem singula manuscripta exemplaria in tantæ rei testimonium producunt, *Thiodolfi* nimirum contemporanei, & *Thorarini Skeggini*, traduntqve omnibus penè odis, quæ Haraldum celebrant, idem contineri, tantæqve pertinaciâ tuentur, ut asserent Haraldum ipsum aliosqve, qui eodem tempore in Græciâ fuerunt, hæc in septentrione publicasse. Potuisset autem si Dux quidam vel Comes, aut alius magnæ dignationis vir, excolatus fuisset, ipsius quoqve nomen prodi. Addunt eadem nocte ad cubile virginis Mariæ accessisse, eamqve invitam rapuisse, concensisque duobus Væringorum galeonibus ad ostium *Siavidarsund* (suæ enim linguæ peregrina nomina Nordmanni ubiqve aptare consueverunt) celeritate summa contendisse. Cum vero ventum esset ad catenas ferreas, quæ ostium connectebant (exemplum credo à Romanis Hippone Regiâ nave egressuris mutuatum) ex magno periculo salutem sibi arte & consilio peperisse; incitatis enim navibus, cum proræ catenam prope jam contingerent, univervi in puppes navium, ipso jubente, recesserunt, sicqve levatæ onere proræ catenas facile superârunt; hoc factò contulerunt se omnes in proas, hisqve depressis effecerunt, ut puppes itidem supra catenas lapsæ liberi cursus facultatem periclitantibus redderent; reliqua navis fracta, opum vectorumqve jacturâ, nisi quod nantes quidam undis erepti. Atq; hoc modo Haraldus Byzantio evasit. Ingressus inde Pontum Euxinum, virginem decenti comitatu Constantinopolim remisit, jussitqve amitæ suæ Imperatrici referre, non per eam stetisse, quominus in peregrinas terras deferretur, nec in Haraldum imperium ejus quicquam potuisse. Deinde per flumen Volgam (nostris *Estyalsa*) transita Russiâ Holmgardum ad Regem Jarisleifum pervenit, anno Salutis MXLV. ibiqve summa cum benevo-

nevolentia exceptus est. In illo itinere sedecim jocofas contilenas fecit, quarum sex tantum superant, *Antiquitatibus Danicis Thomæ Baribolini* insertæ & explicatæ. In illa platea, quæ Sanctus Olafus Haraldo apparuit, cum in carcerem duceretur, in honorem ejus sacellum constructum est, quod authorum horum temporibus floruit, mansitque in eum diem carceri ab Haraldo deinceps nomen.

Hæc imperite ab illius ævi scriptoribus notata, ut accepi, trado, meum iudicium subjuncturus, *Saxonis* traditione præmissa, quæ talis. Hoc loci splendida *Haraldi* memoria tempestivam sui exhibet mentionem, qui cum fratre *Vassus* salutem suam intra patriam tueri non posset, fugam *Byzantio* credidit, à cuius Rege homicidii crimine damnatus, domestico draconi lacerrandus obiectari præcipitur, nihil enim ejus morsu ad necandos reos *Valentius* ducebatur: cui in carcerem enuti ingenuæ fidei servus ultro se damnationis comitem obtulit. Exiit vernam, ut socium iugeret, mortemque excipere, quam Domino deesse maluit: utrumque is, qui custodia præerat, curiosus observatum per os antri inermem excussumque dimisit, itaque nudato ministro *Haraldum* verecundia gratiæ linteo distinctum excepit, à quo clam armilla donatus, pisciculis pavimentum instravit, ut haberet draco in quo primæ famis procursum effunderet, reorumque carceralibus tenebris obfusci oculi vel parvulam perspicuendi copiam ipso squamarum nitore capessere. Tunc *Haraldus* lecta cadaverum ossa angustis tele consertioris implicuit, isdemque in unum globum coactis, velut clavam effecit, cumque allapsus draco in objectam perquam avidè prædam irrueret, dorsum ejus veloci saltu conscendens, cutellum tonsorium, quem secum forè tectum attulerat, umbilico, qui solus ferro patebat, immerfit, sectionem enim rigidissimis squamis obtutus serpens cæterâ corporis parte spernebat. Hunc cutellum *Valdemarus Rex*, res gestas agnoscendi ac referendi cupidissimus, rubigine exesum, vixque secandi sufficientem ministerio familiaribus sæpe monstrabat. Sed nec *Haraldus* ob sessionis eminentiam ingenti belluæ ore corripitur, dentumve acumine noceri, aut caudæ voluminibus eliditur poterat. Minister verò compactogestamine usus, converberatum belluæ caput ad sanguinem & necem usque, crebris ictuum ponderibus contundebat. Quo cognito *Rex*, ultione in admirationem versâ, fortitudini supplicium remisit, salutemque animositati tribuendam putavit, nec penam remisisse contentus, addit charitatem, navigio enim stipendioque donatos abire permisit, cumque crimini supplicium deberet, fortitudini pepercit, virtutemque colere quam culpam punire maluit.

Ex his patet, tritam hujus noticiam illis seculis in septentrione viguisse, & quidem in Regum aula. *Palmarium* argumentum reservatum inter cimelia à Rege *Valdemaro* culter, quo tantum facinus perpetratum dicitur; nec, quantum ad serpentum magnitudinem, à vero abhorret. Ut taceam eum, quo cum ab Romano exercitu, Duce *Attilio* Regulo, ad *Bagradam* flumen magnâ cum militum clade pugnatum est; paris cum hoc magnitudinis, passim etiam longè majoris, alii notantur. Præter hæc author *Kringle*, ut & *Theodricus Monachus*, nisi quod paucis ad calcem vitæ ejus horum meminit, his verbis. *Iste Haraldus*, ait, in adolescentia sua multa strenuè gesserat, subvertendo plurimas civitates paganorum, magnasque pecunias auferendo in *Russia*, in *Athiopia*, quam nos materna lingua *Blaland* vocamus: inde *Hierosolimam* profectus est, ubique famosus & victoriosus. Postea peragrata *Sicilia*, magnaque pecunia pecunia id locorum extortit, venit *Constantinopolim*, ibique apud Imperatorem accusatus, in sicca eidem Imperatori satis probrosâ ignominia, inopinabili fuga elapsus est. Non ausus

ausus est scribere quod falsum scivit, Constantinum Monomachum excacasse, quod is post abitum Haraldi, & cum is in Norvegia regnaret, Constantinopoli à die XII Junii anni MXLII in annum MLIV duodecim annis imperaret, morboque decesserit: ut nec Saxo vel illud, vel quod invito imperatore evaferit. Sed nec veritati litat, Haraldum hæc de imperatore, qui illo tempore ad sceptrum sedebat, quod continuus tunc è Septentrione confluxus regressusque, ausum gloriari, nec comites ejus tantum ad ingeniorum vanitatem ostentandam, cum faciliè confutari possent. Suspitor itaque Michaellem Calaphatum, cum populum in se concitasset, quod die Viridium Zoen Imperatricem à se ablegasset, inque monialem detondidisset, in gratiam ejus, auctore vel ministro Haraldo, viro in aula potestate, excacatum, postea vero anno MXLV. offensam Reginae incurrisse, iussuque Monomachi in carcerem conjectum ope matronæ educatum, sed Væringorum auxilio rapta simul virgine effugisse, confusumque omnem gestorum ordinem.

Quod vero de progressu Haraldi in Sicilia & alibi hic traditur, optimè convenit cum gestis Georgii Maniacis, qui sub Paphlagone Siciliam de Saracenis recuperavit, Syriam à Romano Argyvo amissam utcumque retinuit, quo Duce, *Morkinskinnâ* teste, Haraldus ipsi proximus, res, quæ describuntur, gesserat. Nec inficior, rerum successu, fortè etiam arrogantiam, invidiam & iram ejus in se concitasse, etiam ex æmulatu, si ille Barangorum præfectus, vel Dux Stratiotarum fuerat. Nec dubium, ad eum honorem tantum virum, Regio sanguine, Russiæ Regis favore turmisque ab initio potentem, virtute inclytum, in aula Imperatoris assurgere potuisse, cum Justinus in Illirico natus ex bulbulco & armentario miles gregarius, è gregario milite ad palatii curam & Patricii honorem, in album Senatorum conscriptus, tandem etiam ad imperiale culmen ascenderit, vir literarum rudis, rectoriæque artis ignarus. Causam verò nuncupati S. Olafæ templi irruptionem Serviorum, primò Monomachi imperii anno factam, etsi magna clades accepta est, tamen illo fortè tempore licet conjectare: nec dubium, eum à Nordmannis, qui ibi militabant, summâ veneratione cultum, nam de his ut certis & suo tempore extantibus membranarum auctores scribunt. Addunt etiam, moris fuisse Constantinopoli, quoties imperator excederet, ut Væringis per palatia omnia, ubi thesauri custodirentur (*polutatsarf* vocant) deductis, quantum singuli prehendere possent, capere licuerit; ter id Haraldo obtigisse. Fides sit penes auctorem: si tamen aliqua, Romani Argyrii tempore in militiam ascitum oportet.

CAP. XVII.

HARALDUS IN RUSSIA JARISLEIFI FILIAM UXOREM DUCIT: IN SVECIA FÆDUS CUM SVENOMAGNO CONTRAHIT ET RESCINDIT: MAGNOMAGNO SE CONCILIAT: DIMIDIUM NORVEGIÆ REGNUM REGNUMQUE TITULUM AB EO OBTINET, ET THESAUROS CUM EO PARTITUR.



IN Russiam redux Haraldus thesauros omnes fidei Jarisleifi confusos recepit, vim quantam septentrio uni viro possessam nunquam viderat. Ibi hyems exacta, quo tempore Jarisleifus ei filiam suam Elisabetham sociavit (Elsisif nostrates vocant.) Principio veris anni MXLVI. inde digressus, Aldeigiuburgum terrestri itinere cum uxore profectus, naves in usum navigationis pompæ etiam majoris splendidissimo ornatu fieri curavit. Ejectus inde per æstatem in Sveciam urbi Sigtunis navem admovit, quo tempore Svenus bello ad Helganesiam victus eò refugit. Ibi novam inter eos amicitiam tum mutuæ insignes in utroque virtutes, tum etiam arcta affinitatis necessitudo conciliabat. Erat enim uxor Haraldî Sveno in tertio gradu lineæ inæqualis juncta; mater illi Astridis Sigridis imperiosæ filia; isti Ingeridis Olafî Sveciæ Regis, qui Sveo usurpatur, filia, Olafô Astridique communis mater. His florentissimæ totius Sveciæ familiæ arcto sanguinis nexu adhærebant. Ineunt itaque fœdus, mutuasque operas contra Magnum inter se paciscuntur.

Mox Svecia omnis Haraldum, haut secus ac Svenum, favore auxiliisque prosequitur, magnusque utriusque exercitus concitur, magna quoque classis. Maximum in celeritate lucrum visum, si absente Magno, qui pacatâ post victoriam Helganesensem Daniâ in Norvegiam rediit, Daniâ subitâ irruptione rapere possent. Vis omnis in Sialandiam infusa, vastantur agri, uruntur rura, diripiuntur opes, cæduntur quibus fides sancta dominiqve amor invitamentis ad defectionem potiora, vel etiam fugantur. Itum inde pari in Fionia sævitiâ. *Morkinskinna*, ut & *Fagurskinna*, tradunt, non tam properè fœdus cum Sveno adversus Magnum, atque hic traditur, Haraldum pepigisse, rogatum quippe à Jarisleifô & Reginâ Ingerderde, cum illis jam discessurus significaret, societatem se regni à nepote suo Magno expetiturum, *ut quàm moderatissimè id faceret, nec quicquam moliretur*; itaque Sveno societatem expetenti respondisse, *eam se ei minime negaturum, prius tamen exploraturum, an Magnus petitis suis annuere velit; neque armis petiturum, quod sine eis consequi aliàs posset*. Nec tunc Magnum Scaniâ classem deduxisse, cum visa navis ornatu miro adnavigans, universa, quâ mari eminebat, aurata, draconum capitibus singulis auratis, velis purpureis, auro distinctis, iisque duplicibus, ut par eorum, qui in posterioribus navis partibus, atque iis, qui in anterioribus, ornatus oculos reficeret: Singula aplustria obrysum referebant: singuli nautæ byssinâ vel aliâ pretiosâ veste ornati conspiciantur, tantique pretii merces ibi vehebantur, ut certò constet, nullam unquam unam ab hominum memoria in Septentrione, vel auri vel gemmarum, vel divisi generis cimeliorum, tantum vexisse.

Magnus rem inusitatam miratus protinus emisit, qui percontarentur, quinam navis rector, unde profecta, quove tenderet? Nuncio Regis, ut par erat, reverenter excepto, postquam agnatum suum Regem præsentem esse accepit, velis demissis, navem in portum duci classique Regiæ admoveri jubet, & quinam esset, profitetur. Ei igitur Magnus universò exercitu comitante obviam procedit, sumâ cum gratulatione & festivi gaudii indicio, pomposissimò apparatu prosequitur, excipitque convivio ad omnem magnificentiam instructo, idque per aliquot dies.

Interea, teste *Theodrico Monacho*, Magno Haraldum in partes suas sollicitanti

citanti, auxiliumque ejus ad Daniam æmulo liberandam postulanti, regerit, meliore jure se, ut secum Norvegiam partiatur, postulare; quippe regni bæredem, ultimi periculi cum patre ejus consortem, nec omnino indemnem, tantum non lethifero vulnere sauciatur, patrimonio exutum, precisi spe recuperandi omnium indigum, aliena misericordiã egentem, gravissimã necessitate demum compulsam vitam sine vitæ periculis nunquam sustentasse; omnia hæc studii in fratrem, latique ei auxilii præmia, quem si fortuna victorem reddidisset, neque se regni exsortem futurum; itaque vicem, quam ei rependere negaverit, hauri injuriã à filio ejus, successu prosperiore jam duobus regnis aucto, reposi. Ad ea Magnus placidè respondit: postulatum ingens ad Concilium referendum. Cum enim ad omnium statum attingat, eorum quoque voluntates exquirendas. Convocatis deinde proceribus, qui præfati erant, Magnus patri postulata exponit. Primus Einar Rhambaskelfir respondit; procul quidem fuisti, Haraldè, cum regnum Knylingis extorsimus: sed neque nobis Principes multiplicare placet: uni semper servimus, nec aliud, quoad Magnus vult, propositum. In hanc sententiam cæteri omnes, diversis licet orationibus, pedibus ibant. Re igitur infectã Haraldus, nec animo satis æquò, discessit, aditoque Svenò, fædus, quod antè descripsimus, cum eo junxit. Communibus viribus utriusque regni possessione Magnum deturbaturis, Dania Svenò, Haraldo Norvegia destinatur. Hæc licet Kringla, libris cæteris plerumque sanior, prætereat, majorem tamen speciem veri habent. Quis enim Haraldum credat, de voluntate Magni erga se incertum, hostilia in eum, unde ei maxima emolumentis spes, moliri sustinuisse?

Fædere Sveni Haraldicq̃ cognito, cum vastatione Daniæ Magnus, non tam postulati rationem, quam periculum ex horum Principum conjunctione caput pendere, dissita duo regna facilius à duobus imperi, quam uno defendi posse; semper alterutrius incolas prædæ futuro, magno suo damno & dedecore, qui quæ possideat, tueri nequeat. Prius unum, viribus auxiliisque specie sanguinis prætextu nixum, nunc duos eadem ratione sustinendos, damna inde semper sine illorum incommodo dari, nullis verò emolumentis rependi; propensos in Svenum Danos, hac occasione iterum defecturos, nuturos & inter eos Jutos, quantunvis amicos: invictum bello Haraldum, opibus præpotentem, consilio potentiorẽ, indefessã felicitate, usu & experientia incomparabilem. His inductum prioris consilii pænitere capit. Placuit igitur per expertam fidei amicos; quos in Dania habuit; animum Haraldic denuo tentare; si enim ad avertendam suspicionem eorum, quæ gererentur, aptissimi visi. Lembo itaque, quantã fieri potuit festinatione, impositis qui occulta hæc mandata ad eum deferrent, Norvegiæ divisionem ex æquis partibus obtulit, bonorum Haraldic pari ratione partem dimidiam stipulatus.

His quàm oculiffimè ad se relatis Haraldus protinus acquievit; verum causa defuit apta ad renunciandum societati cum Sveno contractæ. Hunc igitur dolum excogitavit. Paulò post cum per vesperam simul cum Sveno convivaretur, quæsit fortè Svenus, quid rerum suarum plurimè faceret? vexillum meum, respondit, quod Vastatio appellatur; fama enim ferti victoriam id ubique sequi, nec me in hunc diem unquam fefellit. Id ego, respondit Svenus, tunc demum credam, cum tribus contra agnatum tuum Magnum præliis victor recesseris. Ad hæc concitator Haraldus, nexum, inquit, sanguinis inter me & Magnum non est quod mihi suggeras, probe enim novi; nec ideo invicem nos impugnamus, quod honestiorem viam ignore-

mus. Svenus repente mutato vultu respondit, *audiri tibi imputari, quod federa utilitate colas. Certe, reposuit Haraldus, minore de causa meam fidem incusabis, quam Magnus sibi videtur tuam.* Deinde ab invicem discessum. Haraldus navem suam repetens, monuit famulam à calceis, *se ea nocte in puppe non pernoctaturum, vereri enim insidias, quod assinem suum Svenum verbis nimium apertis offensum animadverterit; jubet itaque ut graviter excubias agat, probeque observeat, si quid novi inciderit, se alibi acquieturum; truncoque lecto suo imposito abiit.*

Eadem nocte vir quidam cymbâ adremigans, conscensâ nave, velis, quibus puppis tegebatur, remotis ingressus, magno ictu grandem, quam gestabat, securim trunco impexit, fixamque relinquens subito scapham repetit, interque illum noctis tenebras festinus abiit. Protinus Haraldus, excitatis nautis, monstrat insidias; nec sibi contra Svenum, fidem mutantem, vires: jubet noctis beneficio uti, navesque solvere, sequi tacite lento remigio subducere. Haut secus ac iussi faciunt: dies noctesque in septentrionem tendentes non prius desistunt, quam ad stativa Magni ventum est, ubi summa benevolentia excipitur. Ibi quæ per inter-nuncios acta sunt, mutuo consensu confirmantur.

Hæc *Fagrskinna*. *Morkinskinna* aliter refert: nimirum Haraldum, postquam Daniam unâ cum Sveo depopulatus esset, infesta signa in Norvegiam transtulisse, classeque in Vicha relicta, Uplandas, allodiam tram-nunciarent, *quandooquidem scirent, id sibi jure paterno ut heredi competere.* Verum offensam Magni, si eo vivo illud tituli decus in alium conferrent, veriti, postulatum abnuebant. In Gudbrandsdalum itaque profectus idem postulavit: id juvenis quidam annorum duodecim Thorer de Steiga, qui postea in virum insignem evasit, solus ausus, extemplo munus, vasculum potorium, ligno pretioso, quod mosur appellant (divinat *Arngrimus* acerem vel ruscum fuisse, neutrum meo judicio commodè: abundat enim Norvegia acere, ne ruscus in magno pretio) argento inaurato cinctum, operculo pariter inaurato, argento puro signato plenum, præterea duas armillas aureas, quæ simul marcam, seu selibram, pendebant, suamque propriam togam purpuream, albis pellibus subductam, accepit; insuper copiam gratiæ ejus in posterum, si regni compos fieret; fuit autem Regis Haraldus contobrinus. (Memorat *Thorgils Snorrii filius* visam sibi pallam altaris ex purpurea ista toga confectam, Gudridemque Thoreris de Steiga neptem retulisse sibi, patrem suum Guttormum adhuc poculum istud possidere.) Mox comparatis copiis Uplandas peragravit, Rex à colonis ap-pellatus.

Interea Svenus classibus insulas Danicas infestat. Magnus vero, audito Haraldum in Norvegiam trajecisse, regnum sibi patrimoniale prius defendendum ratus, universum exercitum in Vikam transportavit. Haraldus autem infesta in eum signa dirigente, communes amici propinquit-que intervenientes, & in primis avunculus Hallkell, rem eò deduxerunt, ut locus conventui, mutuâ securitate munitus, indiceretur. Prædium *Astr* (*Stioldarast* habet *Morkinskinna*) ad id delectum.

Hic libri citati à superioribus discrepant, & quidem *Morkinskinna* absque ratione; nam utrumque refert, quod auditis postulatis Magni assenserit. Svenumque hoc dolo reliquerit, inde Norvegiam infestaverit, quorum utrumque subsistere nequit. Conviviis inde certatum, triduumque delectum, quò Magnus cum sexaginta ministris patrum epulis exciperet, alterum quò Haraldus vicem

vicem redderet. Prior Magnus patrum invitat, lautèq; tractat. Primo die remotis mensis Magn⁹ triclinio excessit, postq; horulam rediens, sarcinas sibi præferri curavit, mole pondereq; magnas. Sedebant autem satellites Haraldî in transverso scamno: quorum extremum accedens Magnus gladio donavit, proximum clypeo, alium chlamyde, aliam veste, armis, vel etiam auro. Singulis juxta cujusque sortem munera data auctaque: perque interiora procedens, cum ad patrum pervenisset, singulis manibus singulas decoras arundines tenuit, jussitque quam liberet dono accipere; propiorum cum elegisset, porrigens Magnus; *Cum hac arundine, inquit, dimidiam Norvegiam tibi cum omnibus redditibus & obventionibus donamus. his conditionibus. Jus tibi Regium & titulus communis necum erit & æqualis, excepta honoris in salutationibus, ministeriis, deferendis, loci quoque & stationum, etiam navalium, prerogativa, hæc enim mihi uli que reservata volo, aded ut si forte tres Principes in unum locum conveniamus, mihi inter utrumque locus competat; nostrum quoque imperium ex omni parte tueberis, cum te tantum virum fecerimus, quantum neminem futuram me vivo speravimus.* Tantum agnati beneficium multo verborum honore prosecutus Haraldus simul cum eo confedit, mutuæque lætitiæ se exhilarabant. Licuisset tum Magno utique, si Haraldus, ut *Kringla* tradit, paucis navibus classis Sveni se subducens, viribus longè inferior eum accessit, quæcumq; alia ratione cupidinem regni cõercere, cum illam in potestate haberet; nec deerant exempla, quibus factum tueretur. Verum carior ei quovis regno fides, promissorumque sancta jura: quæ laudem simplicitatis candorisque invictam gloriam, annuò dimidii regni usu longè anteferanda, apud posteritatem meruerunt. Exacto triduo, Magnus omnibus ad forum convocatis donationem publicat. Ibi, quod majorem fidem mereret, Thorer de Steiga, ut habet *Kringla*, Regium nomen Haraldo indit, muneræque, de quibus dictum, reportabat. Deinde Haraldus convivium magnificum in entorio suo instruxerat; ubi Magnus cum sexaginta, uti convenerat, satellitibus magnificè excipitur. Augescente die vestes, arma, aliæque pretiosæ importata, donati convivarum singuli, idque primo convivii die, exemplo ab agnato tradito, ad excitandos ad usum lætitiæ festivi que gaudii hospitali largitate demullos animos. Multa in muneribus rara, eoque gratiora, quòd novitate sua donatoris liberalitatem commendabant. Omnibus præter Magnum donatis, binæ sellæ illatæ, in altera Magnus, altera Haraldus confedit. Magna deinde multa que marsupia in vecta, corium pannique stipulis in pavimento superstrati, cum Haraldus Magnum hoc modo affatur: *ingens pridie manus in me contulisti. cum regni, magno cum periculo tuis nostrisque hostibus erepti, sociam me fecisti. nec tantà liberalitate potentia imminuta. Sed nec nos sine salutis discrimine aut fortune procellis, hoc, quodcumque auri est, comparavimus; multis pugnis, multo sanguine, longo tempore partum est. Cum itaque tibi placuerit, regnum nobiscum ita partiri, ut dimidiam singuli habeant, par est ut tu quoque dimidiam thesauri hujus habeas. Cum autem ingenia nobis diversa sint, tuum profuse largitatis, meum ad rem attentius, placet ut suam quisque partem sumat, proque arbitrio disponat.* Apertis inde marsupiiis, insulum culcicis aurum à libripendè magnis ponderibus appenditur. Superasset fidem, nisi præsentem conspexissent, tantam auri vim sub axe boreo unius hominis possessione teneri. Erant autem revera Imperatoris Constantinopolitani opes, mole certè tanta, ut, teste *Camdeno in Brigantibus*, dimidiam, quam post divisionem retinuit, portionem, ab Anglis, cum casus esset, inter-

ceptam duodecim juvenes cervicibus vix sustinere possent.

Et jam peractâ divisione hilares erant, cum Haraldus poculum aureum forma magnitudineque capitis humani expromens; *quid*, inquit, *agnate*, *pro hoc pusionis capite offers?* Magnus in multa bella assiduus sumptibus auro argentoque penè omni exhaustum ærarium, nec sibi præter annulum istum auri quicquam superesse respondit, detractumque digito conspiciendum tradit. Quo inspecto Haraldus subridens; *exiguum*, ait, *quidem tanto Regi, duo regna tenenti, et quoque minus, quod dubitatur, autnum sit.* Quo Magno accuratius pensitato, cum vocem parum suspenderit: *Equidem*, inquit, *quid jure teneam, nescio, si hic annulus juris est ancipitis, quippe sub novissimum Sancti Olafi patris mei discissum mihi ab illo donatus.* Tum Haraldus ridens reposuit; *verè dixisti, Rex, donatum tibi ab eo; quo tamen patrem meum levi de causa multavit. Duro certè imperio Reguli coercebantur, cum pater tuus potentissimus esset.* Inde ad alia sermonem convertunt. Finito convivio, duodecim primarli viri ab utrâque parte in fœdera isthæc jurârunt: mutua deinde benivolentiâ convivio discissum. Eâdem hyeme regnum simul administrârunt, licet suo quisque satellitio uteretur. Hic annus imperium Haraldi orditur, a natu Salvatoris MXLVI.

Postridie quàm Haraldus deserta classe de nocte se subduxit, Sveno expergiscenti abitus ejus magnam curam & solitudinem incusfit. Ut verò cognovit ad Magnum evasisse, interque eos fœdus in societatem coaluisse, distractasque antè vires in perniciem suam unitas coivisse, classem ad orientale Scaniæ litus deduxit, ibique in hyemem usque in stativis remansit, donec utrumque Regem Norvegiam repetivisse cognovit (*Kringla* enim fœdera non in Norvegia, sed in Dania in castris Magni, contracta subindicat) Daniam classe repetens eadem hyeme reditus omnes Regios recepit. Quæ autem de insidiis sibi structis disseminavit Haraldus, levitati suæ & perfidiæ prætexuisse Svenus perhibuit, ei que per nuncios referri curavit, fictam ab illo totam illam fabulam, fallaciamque fabricatam.

CAP. XIII.

DE DISCORDIA INTER MAGNUM ET HARALDUM, ET HUIUS EXACTIONIBUS IN PLEBEM, CAVILLIS IN FRATREM MAGNI UTERI- NUM THOREREM, DE ARNORE COMITUM POE- TA, CARMINE UTRUMQUE REGEM CELEBRANTE.



T jam instituto Duumviratu eadem hyeme ambo simul Uplandas circumvesti more recepto lustrabant: tandem etiam in Thrandiâ Nidorosiamque devenerunt. Ibi Magnus à primo in regnum reditu solus S: Olafi reliquias custodivit, clavemque reservabat, semelque quotannis, aperto sarcophago, ipse capillos tondebat unguesque secabat, frequenti semper prodigiorum proventu. Exiguum tempus effluxerat, cum intervenientes calumniatores, genus hominum societatibus subvertendis natum, concordiam Regum, ejusdem fastigii confortium, variis criminationibus labefactare ceperunt: nam cum ab æmulatu agras mentes observabant, accendendas quàm sufflamandas rati, assentandi studio contentiones pro-

suarum

suarum quisque partium jure prætexebant; mox divisa in factiones ministeria servitiaque Reges ad corporum suorum custodiam singuli certatim traxerunt; pluribus autem *autbor Morkinskinna* severitatem Haraldî persequitur. Statim enim ut regni confortium adeptus est, tributa graviora exegisse, partem etiam regni majorem afferere conatum, terroreque à subditis extorquere contendisse memorat, quod Magnus propensius omnium in se studiis lenitate assequi nec posset, nec vellet; mallent tamen ii in eum quam Haraldum conferre, quia acerbius exactum gravabantur.

Forum celebrabatur judicarium, cum Haraldus præsens tributa agebat; quod ut Einar Thambaskelfir cognovit, Magnum adit, significatque, quo in statu res essent: *as undique cogi, tributa avarè exigî, militem contrahi, hætu ambiguum quorsum ista tendant, & ni in tempore caveatur, instare periculum.* Ille calumniam interpretatus, *haut ultra concessum requisitum* respondit. Sexaginta igitur hominum (quos opulenta vidua, ad quam divertebat, nomine Ingibiorg (quis credat?) ei suffecit) comitatu in forum processit; cum derepentè civium quidam senior, nomine Tokius, exsurgens: *sæpius audivi, inquit, si quis Regium titulum affectat, extante altero, cui is in universalî Eyrensi curia delatus est, hujus imperio cives omnes devinctos teneri. Is Magnus est: quamobrem vos cives etiam atque etiam moneo, ut memores officii ei vos obsequentes præbeatis, honoremque maximum benevolentiaque studia exhibeatis.* Ad hæc assurgens Einar pro concione eum laudavit, gratesque executus, alios ad exemplum ab eo capiendum hortatus est. His infensus Haraldus eminentem in capite ejus galæam quandoque deprimendam haut obscurè minatus: *palam esse* pronuntiavit, *abdutum præcordiis odium magis æstuarè quam comprimi posse, nupero id experimento, nunc quoque iterum, præbatum.* Mox dimissi qui forum frequentabant.

Deinde ambo Reges convivio viri cujusdam, cui nomen Aslacus, adhibiti. Magnus cum parte satellitum scamno juxta transversum parietem extenso insidebat, oblongo Haraldus, ei è regione Thorer, Magni frater uterinus, vir verbis parcus, & minimè recens. Eum verò sibi propinare, ut mos erat, indignatus Haraldus, satyricis metris sæpius irritavit, quorum unum hoc sensu exceptum. *Tace, Thorer, homo es importunus: audi vi patrem tuum furciferum appellari.* Iratus Thorer, cum tamen quod regeret, non suppeteret, Magnum consulit. Is alio pariter contumelioso se ulcisci iussit, suggestitque tale. *Attamen ipse (patrem suum intellexit) nunquam cingulum peni equino circumdedit, perinde ac Sigurdus Syr, qui tuus erat pater.* Postridie Haraldus eundem verum præcinte, quem edoctus erat, regessit, tantamque subito iram Regi elicuit, ut educto gladio ictum in eum destinaret; nî interveniens Magnus utrumque inhibuisset: nec sic quidem de fratre securus, lateri suo in posterum affidere iussit. Exinde de iis, quæ in foro gesta, actum, intentatum Haraldus, quod concessis plura exigeret, requisitque testes. Verum cum ipse convivator Aslacus secundum Haraldum testaretur, Magni offensam incurrit, adeo ut falsi testimonii pœnam se quandoque exacturum minaretur. Hæc *Morkinskinna*, & alia istiusmodi complura minus probabilia congerit; cum rectius expresisset, an divisis provinciis regni singuli imperassent, an indivisis simul, & si dissensissent imperia, quibus rationibus civibus cautum fuerit.

Partis hujus lib. III. fine cap. III. litem inter Thordum Kolbeini filium & Biornum Hitdalarum athletam Islandos à S. Olaso compositam exposui,

posui, quæ tamen postea acrioribus odiis exercita cæde Biorni tandem finiebatur. Thordi filius fuit Arnor Comitum Orcadensium Thorfinni & Rognvaldi poeta fatellesque, & magni apud eos loci, cujus mentio *Lib. precedentis cap IX.* facta est. Is longò tempore in Orcadibus Thorfinno Comiti meruit, magno in honore, quippe Stallarius, &, ut videtur, à commentariis: carmine enim acta Principum, id temporis unico tantum Animalium genere, prodebantur: vir Principibus assuetus in Norvegiam post cæsum, ut apparet, Rognvaldum profectus accessum ad Reges postulavit, carmen se singulis asserere professus. Verùm haut præmonitus tum demum accitur, cum navigio suo picando distineretur, statimque ut erat illotus accessit, sive ad industriæ testimonium, sive ad alacritatem declarandam, ne Reges expectatione sui vel necessariâ morâ suspenderet. Ad fores palatii accedens, à janitoribus postulavit Regum pœtam intromitti. Intromissus ab Haraldo interrogatur, *cujus carmen prius recitare statuerit? junioris cum respondisset, adjecit rationem, quod eorum ingenia mora nimis soleant esse patientia.* Nec in talibus inter Reges aberat æmulatio, quamvis his etiam donatione regni à Magnò satis esset cautum. Exorsus dein de carmen, Comitum Orcadensium memoriâ præmissâ, itineris sui ordinem recenset. Tum Haraldus ad Magnum: *quid hoc ad rem? inquit, quid Comites in occidente aut ejus iter ad nos? Expecta parum, agnate, ait Magnus, donec carmen procedat; forsitan mearum laudum præconium nequam quam omisum, nimium potius ad extremum, & quod nauseam moveat, querere.* Præmissò carminis exordiò, in Magnum vim omnem orationis convertens pœta, tantis eum laudibus extulit, ut nullum Regum in ejus comparationem venturum, singulosque ei longè deteriores asseveraret, addito voto, ut quoad compages universi solveretur, ejus gloria semper auctior perennaret. Id cum, Rege præsertim alio præsentem, contumeliosum, ut erat, & insanæ audaciæ Haraldus duceret, ne tamen Magni laudes invitis auribus haurire videretur, pœtam monuit, *ut in Magnò celebrando omnes pœtica eloquentiæ vires, prout decreverat, intenderet, eo tamen temperamento, ne alios Reges vituperiò aspergeret.* Tum vero Arnor in laudes Magni profusior, haut secus ac Virgilius, Marcellum Augusti fororis filium mortuum præscis Romanorum Ducibus ex occasione interspersum decantans, matrem in extasim, auditorum singulos universosque in admirationem rapuit: sic etiam hic noster omnium aulicorum, veras Regis sui laudes tanto spiritu celebratas avidè haurientium, orâ ocularumque in se convertit, ipsumque adèò Haraldum inexhaustæ venæ genio permovit, ut oblitus invidiæ & æmularis encomiastæ vehementiam, poematisque elegantiam, idque inter recitandum, celebrare occiperet, finemque carminis laudatoriâ sententiâ præcurreret. Quò finito Haraldus carmen exorsus, egregio quidem dictionum sententiarumque apparatus, fertum politumque poeta lepidissimè recitavit, quod *Blagaqladaya* inscribitur. Interrogatus deinde Haraldus, *quam vdarum pluris æstimaret?* respondit. *Id inter utramque discrimen observo: meam qui discunt, citò negligenti; Magni in memoria hominum, quoad homines septentrionem incolent, durabit.* Planum est, prospexisse sagacissimum Regem, ut humana omnia mutabilia sunt, etiam linguam mutationi obnoxiam fore: in tantum autem mutandam non credidit, ut posteritas ejus, quæ tum familiaris omnibus erat, intellectum non caperet: non tamen vanus vates habendus, eum quinque versus prioris carminis membranæ duæ in hunc diem conservent; illius, quod sibi dictum, quantum scio, nullum. Discrimen carminum præ-

præmiorum discrimen æquabat: auratam hastam Haraldus, Magnus vero annulum aureum donabat; quem mucroni hastæ impositum, dum alia egreditur, sublevans, *in sublime*, inquit, *utrumque Regium munus tollendum, exque edito ostentandum.* Tum Haraldus, cum proximè Norvegiam repeteret, carmen sibi ab eò deferendum monuit. Is autem exqviale carmen, si ei supervixerit; facturum promississe fertur. Magnus superiori muneri navem oneratam adjecit, inque magnâ gratia pœtam habuit.

Adderem fabulam de Thrando quodam Uplandorum cive, viro potente, ex familia Kalfi Arnini, si digna esset relatu; quam Morkinfskinnahabet. Tradit enim ob nimia studia in Magnum invisum Haraldo, quæsitumque ad necem, immisissis duodecim percussoribus sub monachali habitu, quos Thrandus deprehensos & flagris cæfos remisit. Exinde Magnum receptum in aulam Thrandum, deinde in Gronlandiam missum, ubi ille diu habitaverit, persecutioni ejus subtraxisse; quasi nullum aliud refugium ei quàm Gronlandia patuerit. Totam fabulam *in Gronlandia nostra* exposuimus; hic indicasse satis erit, imo & superfluum.

CAP. XIV.

DE THORKELE DYRDILE, REGIS MAGNI EXPEDITIONE IN DANIAM, CONTENTIONE CUM HARALDO DE STATIONE, ACCESSU THORFINNI ORCADUM COMITIS ET DIGRESSU.



Hæc, quæ de Thorkele Dyrdile expositurus sum, an Magno imperante contigerint, aut quo anno, nescio. Is Olafi Tryggvini avunculus, tunc valde senex, de subductis suæ præfecturæ redivitibus ad Regem delatus, suspicionem non evitavit. Ne tamen inauditum gradu moveret, propius omnia cogniturus, ipsum, sed improvisus, frequenti comitatu accessit, consiliò, ut convivio, prout jus requirebat, exceptus, præstructâ leviore culpâ, transitum ad graviorem pararet. Verum paratior erat Thorkell, omnibusque instructior, quàm ut sibi hoc dolo imponi pateretur. Omnibus assatim præbitis, cum Regem nequicquam exhilarare tentasset, die quodam remotis mensis eum adit, quæritque, *placitate birco, oves, vel boves, cateroquin in usum condorii macellandos, gladio ferire?* Rex *nihil interesse* respondit, *quibus ludis tempus fallerent.* Introductum itaque caprum exhibet. Rex gladio caput amputaturus spe hebetiorem deprehendit, nec ictu sanguinem, sed nummos quosdam per solum sparsos elicit. Iratus igitur, *mente*, inquit, *ludificandum duxisti?* Ad hoc Thorkell; *minime id*, inquit, *sed ut calumniam, quæ tibi fidem meam in disponendis rebus tuis mihi conceditis suspectam reddidit, retandam.* *Usum complures antecessores tui Norvegiæ Reges opera mea & ministerio: ioto illo tempore lubricæ fidei insaniam semper declinavi. Usus est nepos meus Olafus Tryggvinnus, quem supra omnes homines amavi; usus pater tuus, nec talem expertus, ut inconstantiam erga te vereretur. Successit seculum asperius, ubi ministris ejus nihil salvum, nusquam tutum, ne latebræ quidem satis abditæ, Alfrôd bonis singulorum inibiante actaque rimante; caprum itaque*

commentus sum, cujus exuviis residua redituum infarcirem, tibi enim quicquid patri morte prævento reddi nequibat, reservandum duxi, jamque, ut existimo, in loco exhibeo: neque enim me is ditandum putavi. Accipe igitur, Domine, quod tanta sollicitudine successu hauri penitendo a rapinis vindicavi, utereque feliciter. Rex thesauri magnitudine animadversâ, industriam fidemque laudavit, nihil enim à tanto viro aliud expectandum; jussitque ut quod in eum diem obiverat officium, porrò gereret: neminem unum majore prudentiâ administraturum: receptumque in gratiam hoc magis dilexit, quòd falsò ad se delatum intellexit. Nec tamen vera erant, quæ Thorkell in causâ præsidium attulit. Erat enim iste caper, quem in delubro Comitum Haconis deprehensum Olof Tryggvino tradidisse in ejus vita memoravi, quo vicissim donatus, ut in futuro usus, eâ, quâ acceptum ejus aliquando magno suo commodo sentiret; fraudis tamen expertus, habendus, quod æs omne his exuviis contentum optimo jure, quippe donatione Regis, suum, loco redituum Regi destinaverit.

Primo vere, anni videlicet MXLVII, Reges classem militemque, & quicquid ad usum belli requirebatur, magno studio comparantes, communibus viribus in Daniam adversus Svenum moventes, portus stationesque, interdum communes, interdum separatas, capiebant. Contigit autem, ut uno eodemque portu solventes, prior Haraldus, ut qui prius paratus esset, exiret, perque vesperam ejusdem diei alium ingressus, navem in statione Regiâ, ubi pernoctaturus erat, collocaret, tentoriisque integeret; cum subito Magnus, eadem quâ ille ventorum indulgentiâ usum, eundem portum subiens, Haraldum Regiam stationem occupasse, nec cessurum, animadvertit. Positis itaque velis, remiges ab utroque latere remos expedire, navem quam celerrimè concitari, milites arma capere, & que tergiversaretur Haraldus, invadere eum jubet, manusque cum illo conferere. Quo confecto Haraldus inquit; *incidite anchorale, stationemque protinus decedite, ne iratum jam agnatum meum Magnum magis concitemus.* Quo peracto, postquam Magnus in locum, unde cesserant, suos reduxisset, utriusque classem anchoris alligassent, Haraldus paucis comitatus ejus navem ascendit; mox alacriter exceptus honorificè salutatur. Tum Haraldus: *Perfvasum habui, nos inter amicos constitutos; modò autem dubitavi, an id ratum haberes. Probat hic se trium illud, juvenutem plerumque precipitem, nec id aliter quam juvenilem ardorem interpretor.* Tum Magnus, *quoniam potius hic gentis nostræ genium agnoscis, ut qui probè meminisses, quid concesserim, quidve exceperim, gnarus hoc pro eludio patientiam tentari, gradumque ad ulteriora strui. Limites pactorum nos quidem non egr ediemur, idem a vobis exigimus.* Ad hæc Haraldus: *vetus est diverbium; cedat sapientior.* Atque his dictis navem repetivit. Factum hoc variis sententiarum suffragiis exceptum; satellites Maghi justum existimationique tuendæ imprimè necessarium pronuntiabant; insipientes autem contumeliam Haraldò illatam interpretabantur, maligniores etiam hanc occasionem Magnum pacto rumpendo attribuisse; subditi autem Haraldì, secundum pacti leges, si simul portum intrarent, Magno primum locum deferre, non autem prius occupato cedere teneri, affirmabant. His talibus adulatoribus frigidam affluentibus, convelli concordia, infidæque semper regni societas discordiâ partium distrahi cæpit; cujus (ait auctor Krmgle) multa stati argumentata, hic licet (nulla enim præter hoc unum notavit) ommissa, suppullulabant.

In portum Liffriæ Seløensem cum ventum esset, longioremque moram

ram adverſi venti facerent, fortè duo myoparones eundem portum intrantes Magni Regis navi ſe applicuerunt. Ex alterâ vir togam candidam indutus Regiam aſcendens, ab anteriore parte in poſteriorem, puppim uſque, locum, ubi Rex prandebat, proceſſit, & Rege cum decenti honoris ſignificatione inclinatoque corpore ſubmiſſè ſalutato, panem (qui tenerrimè expanſus, qvâli vulgus Norvegorum hodieque utitur, in menſa appoſitus jacebat) fractum ori eſurus ingeſſit. Rex ſalutante reſalutato, ut edentem animadvertit, poculum porrexit, intuituſque, qvinam eſſet? quæſivit; hic verò, *Thorſinnus*, inquit, *vocor*. *nomne Thorſinnus Comes?* ait Rex. *Sic in occidente vocor*, reſpondit, *adſumque cum duabus navibus, ſingulis viginti tranſtrorum, ſelecto milite, prout noſtra fert conditio, inſtructis, tibi in hac expeditione, modo gratum ſit, militaturus, futurus & ipſe, cum copiis univerſis. ſecundum Deum tuæ poteſtatis, in præteritorum ſatisfactionem.* Ad hæc cum procul ſtantes confluiſſent, quæ dicerentur, accuratiùs percepturi: *Bene habet, Thorſinne, ait Rex; decreveram, ſi fortè nos invicem conſpiceremus, id agere, ne demde quæ ſub diſceſſum interveſſent, referre poſſis: hoc autem ſtatu indignum Majeſtate mea facerem, ſi te occiderem; itaque expeditionis comes eſto, & pacificationis leges, in commo- dius tempus exſpecta.* His dictis, ſalutato Rege, in propriam navem rediit. Longum deinde tempus in eodem portu exactum, quò multus ex Vika miles augmentum exercitus confluit, inde, cum primùm ſecundus ventus flaret, in Jutiam vela daturus. Interea Thorſinnus frequentes cum Rege longosque ſermones ſerere, ſeqve adèò in ejus gratiam inſinuare, ut non modo placere, ſod etiam ſecretioribus conſiliis adhiberi cæperit.

Fortè quodam die, cum pro more Regem in puppi ſedentem accedens invitatus aſſideret, amboque hilares comptarent, vir quidam fatidens vegetus, veſte rubrâ, puppim ingreſſus, Regem venerabundus ſalutat, hic benignè exceptus (erat enim aulicorum ejus ordinis ſuperioris unus) ad Thorſinnum ſe mox convertit, & *te quidem allocuturus huic acceſſi, ait, proferre juſſus; quam, inquit, ſatisfactionem mihi offeras ſcire velim, pro fratre meo, quem Kirkiuvogi cum aliis Regis ſatellitibus occidi mandâras? Fandone audviſti, reſpondit Comes, cædium multam luere inſuetum mihi? ſit id eam præcipuè ob cauſam, quod ut plurimum ſine cauſa nullas perpetrari ſolent. Nihil ad me, reſpondit ſatelles, quid cum aliis agas; ſi pro hoc ſatisfeceris, ei enim jure ſanguinis arctè junctus ſum; ſed & ego aliquam rerum mearum jacturam ibidem feci, aliàs malè tractatus, meum autem mortuique fratris jus perſequi mihi unice incumbit: nec mea reſert, quantacunque levitate Rex ſuum jus relaxet, ſi ipſi honorificum videtur, ſatellites ſuos ad ſupplicia raptos ovium in morem maclari. Ad hæc Comes reſpondit, intelligo quidem cauſe meæ hoc in loco præſidium in eo conſiſtere, quod in tua poteſtate non ſum. tunc is es, cui tunc peperci? Ita eſt, reſpondit ſatelles, nam licuit tibi me perinde atque alios interficere. Tum comes probare ſe quidem hic vulgatum illud ait, præter ſpem multa obtigunt: neque enim id mihi unquam damno futurum ſperavi, quod in hoſtes nimis eſſem lenis. Jam peperciſſe tibi crimen eſt. Certe ſi te cum aliis ſodalibus tunc occidiſſem, me hic ad Principes non detuliſſes. Rex Comitum intuitus: *Ahuc, inquit, Thorſinne, meorum nimis paucos ſine ſatisfactione occidiſſe videris.* tinctaque ſanguineo colore facies conceptam animo iram prodidit. Excedens itaque Thorſinnus navem repetit, nec eo vespere plura intercedebant. Mane ſequentis diei, vento ad votum ſpirante, univerſa clafſis è portu in mare Jutlandicum, ſeu Cimbricum, eveſta, ante meridiem Thorſinnum navigationis co-*

tem habuit: qui flexo deinde in occidentem cursu ad Orcades rectâ navigavit.

CAP. XV.

REGES IN DANIAM TRANSMITTUNT:
ALFHILDIS CAPTIVOS DIMITTIT: SVENI REGIS EXERCITIA ET CONFESSIO: MAGNI MORBUS FATALIS ET TESTAMENTUM: THORKELIS GEYSÆ ET REGIS SVENI IN ALFHILDEM HUMANITAS.



Reges deinde captam in Daniam navigationem dirigentes adventus sui famâ adeo Svenum terruerunt, ut protinus Scania fugæ præsidio deligeret; ipsi cætera Daniæ subigentes extremum autumni in Jutia morabantur. Tradit *Morkinskinnia*, Magnum in parte quadam Daniæ, Haraldo diversis partibus ad obsequium redigendis occupato, excensione factâ, duodecim viros, & inter eos unum primæ nobilitatis, captivos ad naves duxisse, victosque custodiæ tradidisse, iterumque ad rebelles castigandos in superiora provectum. Interea matrem Regis Alfhildem captivorum principem de nomine & conditione suâ interrogasse; cumque conticuisset, factâ spe vitæ idem sciscitatum: tum demum respondisse, *sua nihil interesse, neque enim se Regi inquam fidum futurum, sed nec honestius moriturum, quam illo iubente, eam se quoque sententiam commensuruisse jugi obstinacia, nec mortem suam uli, præterquam uxori, quam invinculam haberet, damnosam; quo audito, eum cum cæteris dimisisse; ipsum verò gratiâ istâ offensam filii contracturam prædixisse, postulasse tamen, ut licet res ejus & fors præsens in culmine rerum humanarum confisteret, si tamen fortè aliquando verterit, Thorkelem Geysam ne aspernaretur.* Atque ita liberum abivisse. Regem verò redeuntem valde iratum, eam quoque objurgasse, temerèque excidisse, quod patrem sibi quidem, *quælis in homine maximè exoptari possit, obtigisse; eò verò minus providum, quod sibi illam matrem delegisset.* Illam verò respondisse; *at ego mater provida, quæ tibi tantum patrem elegi: verum incassum irasci, cum quod factum sit, corrigi nequiret, nec dimissi recuperari; præfagire animum, si temerè filium offendisset, hoc tamen factò haut omninò malè sibi consuluisse, cum fortunam non habeat in potestate.*

Alterâ vice magnum captivorum numerum ad naves coactum, magnamque prædam ex iis, qui ad Svenum defecerunt, præsentè Haraldo congestam tradunt. Inter captivos autem unum eminuisse; omnes compedibus constrictos. Tum verò Regem matrem secretò monuisse, *ut præmium objurgationis præcipuum captivorum sibi deposceret, idque ipso præsentè: sibi non constare de vitæ suæ diuturnitate: amicos comparandos; neque Haraldi gratiæ multum tribuendum.* Eam igitur, sicut monita erat, accessisse Regem, vitamque & veniam captivo petivisse; illum verò statim, ut vinculis exemptus erat, Regi gratias egisse, matremque ejus præmium, quando videretur, reposcere justisse, fuisse autem propinquum Regis Sveni, nomine Thorkelem Birnæ filium, potentem virum, propè trienti Daniæ præfectum. Narrat & idem scriptor contigisse, cum uterque Rex castra ad densam sylvam quandam collocassent, ut vir quidam veste præ-

tiôsâ , multô auri apparatus exornatâ , caballo magnitudine ornatuqve insigni , silvâ provectus vacuo inter castra loco incomitatus militariter exerceretur , motibus & agilitate corporis admirabilis ; cumqve vario militarium artium spectaculo præsentis Magni copias aliquantisper detinisset ; cursu ad eas flexo , hæc effatus sit : *Me quidem Magni proditorem profiteor , Haraldum verò meum : mox celeri cursu silvam repetiisse . Svenum Magnus agnovisse , impensèqve exercitia ejus artesqve laudâsse fertur , testatus , eum , si exercitum sibi parem nancisceretur , plures victorias quàm fûgas numeraturum .*

Et jam Daniam ad obsequium revocaverat , Sveno ad tantam sive desperationem sive pænitentiam adacto , ut patriâ excedere , regnum Regisqve titulum abdicare decreverit ; cum nuncium instantis fati somnium oblatum à temporariis curis ad cælestium contemplationem mortisque præparationem eum avocavit . Vidit enim per quietem patrem S : Olafum sibi astantem eligere jussit , *secumme , statim vadere , an Regum potentissimus evadere , etatemque ad senium prorogare mallet ? hac tamen conditione , ut scelus committeret , cujus vel venia desperanda , vel difficulter impetranda videretur .* Visus autem sibi patri suo electionem detulisse ; eum verò secum vadere jussisse . Evulgatum somnium ingentem amicis sollicitudinem incusit . Paulo post , cum in puppi ad oppidum Jutiæ Sudathorpum acquiesceret , manè quodam subita vi morbi correptus vestes lecti subito projecit . Einar Thambaskelfir præsens an ægrotaret ? cum quæreret , responsum accepit , parùm quidem ægrotare : postulabat autem ut lectum in aprico sterni sibi curâret , ad auram facilius hauriendam ; eò verò delatus , cum nihil profecisset , referri se in priorèm jussit ; quo facto Einar , *quæ post excèssum suum fieri vellet , ut ediceret , postulavit , amicisque salubria consilia impertiret , quorum copiam brevi viderentur suo irreparabili damno amissuri .* Rex vera eum præfagire respondit , *neque enim commercia eorum ultra duratura .* Accersitoqve Rege Haraldò , amicos suos ei commendabat . Is mernisse id quidem illum respondit , *multos tamen eorum sibi minus conimodos monuit .* Tum Einar ad Magnum , *ne Haraldum hac de re fatigaret , nec enim promissa ejus , si vel in præsens liberalia , eum tamen à proposito retractura , cum firmiter apud se statuerit , quid cum iis faciendum : de rebus gravioribus , regio & id genus aliis , mallet disponere .* Tum Haraldus : *mine iniquè facere ? si meis amicis me quoque amicis præsem , ad id namque omnium maxime obligatum me agnosco .* Haraldum deniqve affatus Magnus , Svædeo , inquit , tibi , agnate , ut missa Daniâ Norvegiam , hereditarium tibi regnum , repetas , utque feliciter regas , voveo . *Federe enim inter me & Horda-Knutum continetur , ut neutrum regnum ad nostros heredes post fata nostra transeat , sive Dania mihi , sive Norvegia illi obtigerit (Hæc Hrockin-skinne formulis transcripti . Morkinskinne hic folia quædam eruta , haut levem lacunam reliquerunt) habeat itaque Svenus Daniam , quod bene vertat , illud enim regnum cum meo in id jure illi jam donabo .* Tunc Haraldus respondit ; *Pari Daniam quàm Norvegiam hereditatis jure te mortuo mihi vindico .* Minime , Domine , respondit Magnus ; *id tamen intelligo , me hortamentis hisce nihil profecturum ; sed nec te iis spretis magis ad Daniæ possessionem .* Quærit deinde Haraldus , quantum auri , quod acceperit , superesset ? Hunc , respondit Magnus , præclarorum virorum confessum inspice , agnate : in eos univèrsim erogavi , fidem amoremqve eorum remunerationis loco consecutus , ministeria enim unius boni viri multo auro anteferenda . Regis Cyrii iudicium tecutus est , qui non aureum hoc sceptrum , quod regnum ser-

vet, sed amicos multos sceptrum esse Regibus verissimum, maximeque securum filios in postremâ ante mortem concione monuisse *Xenophon-ti* traditur. His auditus Haraldus (animo, ut colligi potest, non satis æquo) discessit. Monuit tum Einar Regem, *ut fratri suo Thoreri consuleret, neque enim ei gratiam ab Haraldo sperandam*; qui ut vocatus advenit, vocem præ lacrymis emittere nequivit; sequebatur eum alter, nomine *Re-fus*; quibus agnitis Magnus præcepit, *ut in proximâ silvâ latitantes nuncium obitus sui properè adventurum opperirentur, inde ad Svenum Regem se conferrent, eique primò nunciarent se egrotare, illosque ad eum a se missos, utque fratrem suum Thorerem ita sibi commendatum crederet, uti ipse tali casu exoptasset suum. Referrent deinde, testamento se ei Daniam, & quantumcunque juris ad illam habuisset, legasse, quod eum præ aliis omnibus successorem optasset, idque ipsi potissimum convenire; æquum enim esse* (formulis libri citati strictè hic insiltendum duxi, quòd multa hic occurrant juris interpretibus excutienda) *legari Daniam testamento nuncupaturo* (nec enim instrumentorum fit mentio) *duobus testibus*. Certè Rex ipse fatetur, contractum inter eum & Horda-Knutum constitutum, ut singula regna post horum obitum ad eorum hæredes, unde transferant, redirent. Non igitur Daniam in patrimonio Magnus habuit, neque de ea testamentò disponere potis erat, nec, si potuisset, horum tamen testimonium sufficisset, si tamen pro istorum temporum imperitiâ (nam similia exempla invenio, de quibus secundum juris civilis regulas disceptatum est) testamentum factum est, magis hi delecti videntur, ut hoc Svèno renunciarent, quàm ut testes essent. Illi, sicut præceptum, sylvam mæsti ingressi, tristicium nuncium expectabant. Paulo post Thorsteinus, Halli de Sida filius, Islandus, Româ redux ad Regem mittitur, cum prope æs omne legatis exhaustum esset; condolensque Regi, suamque inculans fortunam, *quod destinata sibi ab accessu ad eum præsumpto gaudio non frustraretur modò, sed magno insuper luctu afficeretur, solatii loco non argentum aut aurum, unum tamen ab eo se expectituum*. Jussus edicere, nomen ejus poposcit, quòd filio suo, si quem susciperet, indi vellet. Rex; *id licet magni non sit momenti*, respondit, *nimum tamen privato illius usum*, (& ego quidem hic priscum morem agnosco; magnatum enim nomina humilibus personis aptari minus idoneum visum: manseruntque me puero in in patriâ mea fastus istius reliquæ) *cum verò id in extremis meis postules, vir de me bene merite, ceterâ egregit, id etiam tibi dabo: auguror tamen honorem molastiamque gerentem secuturum*. Filius Thorsteini Magnus dictus filium habuit Einarem; cujus filius Magnus Episcopus Schalholtensis factus anno MCXXXIV. fulmine deinde in sede sacerdotali celebri, nomine Hitardalo, cum septuaginta aliis conflagravit anno MCXLVIII. Nomen quidem a Magno Rege demissum impetratumque, uti facilè credo, isto tamen tempore dubito.

Cætera authoris persequar: sopitum nimirum Magnum, redeunte Haraldø memorat, dormientisque ore egressum pisciculum aureo colore; regressurum cum intrare nequiret, assidentis ore, colore in fuscum mutato, receptum. Id cum evigilanti Magno relatum esset, respondisse fertur, *finem quidem vitæ suæ significare; simul etiam, atriora frigidioraque consilia patris sui* (durius imperium) *futura, quam fuerint sua*. Haraldø deinde patruo residuam Norvegiæ partem testamento legasse perhibetur; verum nullum testamentò beneficium sibi delatum agnoscenti; nec id mirum, si etiam aliàs intestatò jure fuerat successurus. Verùm suam quemq; sententiæ rationem secutum postea monstrabo, cum de exequiis ejus abolverim.

Intro-

Intromissis deinde sacerdotibus, postquam quæ sui officii erant obsolescent, famulum, qui à calceis, interrogat, *an etiam partem legatorum percipisset?* quò se præteritum proficente, cultrum balneumque, utrumque pretii eximii, porrexit; quibus acceptis, cum oculis in Regem converfis, eum animam agentem conspiceret, derepentè deliquium passus, postquam ad se rediit, neutrum reperit; tumultu quippe exorto, ad mortem Regis consternatâ circumstantium coronâ, ereptum munus nunquam deinceps restitutum est.

Mox tubæ per classes exercitûs ordine dispositæ, lugubri voce perfonantes, excessum Regis publicârunt. Hoc signo frater Regis Thorer comesque exceptò, nuncium mortis Regis haut alium expectandum rati, mox iussu extrema executuri, imbre circumvolantium telorum impetuntur, exceptâ voce emittentium; *hic nuper fuerunt.* Thorerè interprete, locatos in insidiis, qui inferiis se quoque victimas immolarent, intellectum: nec enim illorum abitum Haraldum latuisse, fortè nec mandatum de testamento Sveno referendo; cuius licèt rationem nullam habendam censuerit, ne tamen hoc colore causam suam ad populum plausibilem faceret, studiumque vulgi, in Magnum iam solum converfi, se iusto ipsius hærede, in se verteret, nuncios magnâ ratione tollendos statuisse videtur, ad motus omnes præveniendos. Ipsi evitato periculo protinus itinere noctes diesque continuatò, non prius desistunt, quàm ad Svevum pervenitur, tunc ad flumen Helga, sive sanctum, constitutum, inque equum evectum, in Sveciam profecturum, Daniam in totum deserendi, nec redeundi, consilio: qui animadverso peregrinorum adventu simul ac mærore, qui Thoreri ita fauces vocemque præcluserit, ne sine singultibus emitti posset, rem magnam subesse conjiciens, quid afferrent, Resomnia, ut præceptum erat, exponente, novissimasque de fratre preces, *Svenus satisfacturum se postulatis respondit; idem enim facturum Magnum, si tale quid ab eo in supremis postulasset:* invitatumque humaniter Thorerem magno in honore habuit. Vixit autem brevi tempore, fratris desiderio tædium vitæ tabemque caulante, inque dies augete, donec tandem vigore viribusque defectus exspiravit. *Kringla* non per Thorerem de morte Magni certiore factum, sed per advenas, tradit, jam officio Regio se abdicaturum, cum consensu eqvo Sveciam petiturus esset, simulque cognovisse, universum exercitum Norvegorum cum funere Regis patriam repetisse. Tum verò Deum testem invocasse, *se nunquam in posterum Daniam fugâ deserturum*, converloque itinere in Daniam rediisse, Thorerem autem perbenignè accepisse, qui longo tempore apud eum magno honore cultus remanserit. Addit *Morkinskiana*, ad Thorkelem Geysam, quem vinculis nuper iræque filii exemerat, statim à morte Regis matrem ejus Althildem accessisse magna comitate exceptam, permissoque rerum suarum arbitrio, donec festum Jolense appropinquaret, ad eum remansisse. Tum vero solito tristiore deprehensam, causam Thorkeli sciscitanti, operamque suam & officia ad omnia ejus desideria implenda alacriter offerenti, respondisse: *succurrere sibi conditionem suam novissimi festi Jolensis tempore, cum assidens lateri Regio festum celebraret, id nunc interpreti privati hominis parietes celebrandum.* Illum vero testatum, *haut mirum, officii eam, recordatione illius: ad Regem Svenum, modo ita placeret, deducturum; certo scire, honorificè exceptorum.* Arripuisse conditionem longâ fortunæ indulgentiâ fastuosa mulier, omnibusque humanitatis officiis ab eo affecta perhibetur, lanceinque pretiosam Regi donasse. Hæc *Morkinskiana*, minus ad fidem. In an-

no mortis Magni Scriptores non conveniunt. *Arildus Hvoilfeldius* ad annum quadragesimum octavum, eumque secutus *Pontanus*, referunt, *Rogerus Hovedenus* ad annum septimum.

CAP. XVI.

REGIS HARALDI IN DANIA SUBJUGANDA CONSILIUM, OBNITENTE EINARE, ELEMOSYNA IN CÆCUM, VISUSQVE REDDITUS. MAGNI REGIS SEPULTURA ET ELOGIUM.



Mortuo Rege Magno Haraldus omnibus convocatis evulgat, sibi constitutum cum universo exercitu forum *Vebiorgense* adire, ibi cives omnes ad Regem se *Daniae* constituendum adacturum; mox partes regni singulas armis ad obsequium redacturum: pari enim jure *Daniam* atque *Norvegiam* morte Magni ad se hereditate delatam. Postulatōque *Norvegorum* in id auxilium futurum pollicetur, ut *Dania* *Norvegorum* imperium in æternum deinceps agnoscat. Primus *Einar* respondit, longe se magis ad exequias *alumni* sui Magni exorandas, eum *Nidarosiam* ad patrem suum *S. Olafum* transferendum obligari, quam ad oppugnanda nulla de causa aliorum Principum regna, extraque patrie limites superfluis bellis immorari; longæque orationi eum finem imposuit, malle se Magnum mortuum, quam ullum alium vivum Regem comitari. Mox ad studium exequiarum provinciarum vim ad funeris pompam celebrandam traxit, impostumque ferebro corpus Regium in puppi Regiæ navis collocat, domumque cum maximâ exercitus classisque petite navigat. *Samsøyam* delati, in portu, quem *Rex*, quoties illuc appulit, ingredi solebat, navem Regiam statuunt. Ibi vir quidam oculis captus, affvetus elemosynæ Regis, mendicabatur, jamque more suo Regiam navem adiens stipem à Rege petebat. Cognito in fata concessisse, magnopere lamentatus, petit ut *Einar* vicem mortui in erogando subsidio præstet, qui imperatâ in singulas naves cibariorum collectâ vim magnam alimentorum corrasit. Quo animadverso cæcus, magnifice eum sibi succurrisse, inque longum tempus providisse testatus, tantum in solatium memoriamque Regis, si quid levis pretiū reliquisset, dari sibi postulavit. *Einar* pretiosa omnia, quicquid auri, argenti, vestisque possedisset, legatis exhaustum: manumque peram scrutatus, exiguo annulo aureo reperto, nescio, inquit, parum istum annulum, quem dederat mihi jam dudum *alumnus* meus Magnus, vel ipsum, vel me melius collocaturum, quam in pauperis hujus elemosynam, iussitque ei tradi: qui effusus lacrymis genas, manus, aurumque cum irrigasset: *Heus*, inquit, fides illa mea, quæ semper persuasus sum Regem mihi succursurum, quam hodie non sefellit! Vos quidem magna largitate extremam inopiam meam sublevastis, tanta cibariorum collatione; longe ramentum liberalius ille, cujus merito *Deus* jam repente mihi visum restituit, nam evanuit subito, accepto annulo, quem ipse possedit, oculorum caligo, celoque & soli subjectorum conspectu ut antea fruor: quod si *Deo* volente perennabit, non ulterius mendicabor: satis ad laborandum virum, oculis in integram restituis. His auditis, mirum in universâ classe gaudium exortum, laudantium Deum, qui meritis Regis patrisque ejus sanctissimi tantam gratiam præstitisset.

Hæc *Morkinskinna*, quæ & duo alia miracula, sed florente Magno, gesta memorat, quorum aliud ejus sanctitatem, aliud patris, declarat.

Inde Duce Einare funus Regium Nidarosiam usque devesctum; extatque verus incerti authoris tragicus, encomiis Magni refertus. Obviam funeri omnis ordo, pompâ, quæ poterat adornari maxima, effusus, mærore & lachrymis exequias celebrabat, certissimo innocentia ejus integritatisque testimonio. Conditus est ad basilicam Salvatoris ante chorum; tempore vero authoris *Morkinskinne* intra chorum, ante sedem Archiepiscopi, monumentum ejus constitit. Intrepidus fortesque viros inter funebrem apparatus ad sepulchrum ejus flevisse Oddus Rittinastald duobus verbis testatur. Repens deinde fama mortis ejus singulas regni provincias lachrymis fletuque replevit, neque ullum Regem civibus suis unquam cariorem extitisse perhibent. Justitiâ & fortitudine Danis quosque carum fuisse *Adamus Bremensis* testatur, inque navibus mortuum tradit. Saxo aliter in fine libri decimi; *Adeo autem Magnus* (inquit) *ob vindictam finium suis charus haberi captus est, ut omnium consensu Bonini cognomine censeretur, quodque aliorum moribus tribui assolet, fortune laudibus impetraret. Sveno vero desperatis jam rebus, in Scania, ut diximus, profectus, Sveciam (nam maternum genus inde traxerat) revisere proponebat, quem Magnus concitato animi impetu subsecutus, cum oppidum Axelladiam præteriret, deturbato per occursum leporis equo, trunco, cujus præacuti fortè stipides eminebant, adactus extinguitur: corpus ejus Norvegiam relatum.* Adeo de morte ejus Saxo à nobis dissentit, tam in loco quam genere. Mortuus autem nostris perhibetur VIII. Cal. Novembris, seu XXV. Octobris, tribus diebus ante festum Apostolorum Simonis & Judæ.

Staturâ fuit mediocri, facie erectiore (rettelitur) claraque, capillo amethystino, sermone disertus, consiliis capiendis promptus, bello audacia & felicitate pari, utroque maximo, cuique comparandus, nec magnanimitate inferior: virtutibus, quæ ad concilianda hominum studia plurimum conferunt, adeo cumulata instructus, ut etiâ ab hostibus laudaretur, liberalitate profusissimâ, ut qui unius anni spatio, ut ipse jam moriturus confessus est, aurum omne, quod à patre accepit, amicis donaverit; quod prodigalitati quam magnificentia propius alii fortè judicabunt. Verum diversus erat Septentrionalium regnorum status ab aliis; nullum hic publicum ærarium ad stipendia militum classive impensas requirebatur. Utriusque cura satrapis injuncta. Iis reliquarum provinciarum cives parebant. Hi mandata Regis exequiebantur: quæ cum certis limitibus legibus præscriptis continerentur, obsequium, quod Reges ab iis poscebant, si terminos illos egrederentur, plerumque eblandiebatur: nec blanditiæ istæ intra verba aut benevolentia significationem, sed donis permissæ, placebant; quæ pro gradibus potestatis, quantumvis à Regibus acceptæ, spargenda, hoc temperamento, ut omnes sibi satisfactum arbitrarentur, aut si quis minus accepisse indignaretur, reliquorum tamen metu obsequium subterfugere intutum duceret. Hi singulos rusticos, aut eorum filios aut vernas, sine stipendio Regio, sed publica provinciarum impensâ, intra tamen regni fines, exciebant, cogere ut egrederentur per leges veterum, idque ab ultima memoria, quod exemplo Kvöldulfi, & quidem Regulo tempore, observatum. Illum Pulchricomus morem interponxisse magis quam sustulisse videtur, expeditionibus in occidentem pro civium suorum incolumitate susceptis; quantumvis absolutissimi arbitrii Rex. Hacon autem Adalsteini alumnus, cum cæteris immunitatibus revocasse, neque enim expeditiones in Daniam ab eo susceptæ modum earum, quæ legibus imperatae fuisset in solius Regis commodum. Diversa Magni ratio erat; Dani am

enim fortunâ indulgentiâ acqvisiuit, imprudentiâ & nimiâ credulitate perdidit, recuperare nisi civium studiis, quorum consilia in Norvegia asserenda utilia expertus, in conservanda Dania aspernatus est: spes nulla iis invitatis ad res suas corrigendas, militem, comæatum, classem, impensas, sanguinem denique suum imperare, quàm dubii esset eventus, periculo suo patrisque didicit. Non igitur mirum, immodicas largitiones, easque continuas, in eos effusas, qui statuto in patrem penali, ut videri voluerunt, exemplo, filio tantum principatum, prope ex ipsorum arbitrio administrandum, permisissent, rebellaturi cum à pactis cum illis initis legumque præscriptis reflire aggressus esset. Sed postquam sententiam mutavit, studium certè & benevolentiam procerum accendit, continuis largitionibus sustentandam. Excusabilis itaque in illo munificentia, opumque immensa profusio, suoapte ingenio cæteroque in ad talia propensio, illa præsertim ætate, maxime quod de publico nihil profunderetur. Latifundia enim per univèrsum regnum, singulasque regni partes, in usum hospitiorum, cum Rex singulis annis, ordinariis vicibus, ut hodie sacrorum Antistites solent, provincias iusto comitatu, vel alias incidente causâ, obiret, isti agri ad aulæ sustentationem deputati Regium patrimonium habebantur, quod nullus temere alienabat: Verum quantum largitionum istæ deliciæ semel prægustatæ satrapis placuerint, successoribus Regibus nocuerint, sequentium temporum historia fati exponit. Vix enim Haraldus, juris Regii apprimè gnarus, exteros consuetudinis callentissimus, qui imperandi parendique regulas omnes diuturno usu & longi temporis experienciâ probè addidit, jus Regium ab instructis a Magno ingenti æris mole satrapis, debitas interdum officiorum partes detractare solitis, nisi longo post tempore, sublato Thambaskelfere, emollitæque cæterorum ferociâ, quantumvis severè imperando, repetere potis erat. Cæterum culpæ an excusæ, quod Rex Magnus propensior in hostem, quàm patrum, Danos quàm Norvegos, circa suprema fuerit, abigerem, dum Svenum sibi in regnum Daniæ succedere, quàm Haraldum, Danos, qui Norvegiam primo sine causâ infestant, sæpius deinde subegerunt, afflixerunt, vastarunt, ad ultimum patrem ejus sustulerunt, ipsum hæreditario regno exturbant, liberos demittere, quàm suis hæredibus submittere maluit; ni *Morkinskinna* testaretur, eum conceptis verbis affecterâsse, pactum illud inter se & Horda-Knutum personale tantum fuisse, idæoque neutrius hæredibus præjudicare; male igitur animæ suæ moriturus consuleret, si sinistra interpretatione aut doloso silentio id in rem patrum vertisset.

Quinam Sacrorum Antistites Magni tempore in Norvegia vixerint, in Islandorum monumentis non invenio, præter Biarnvardum, seu Biarnhardum, ejus nominis secundum, natione Saxonem, qui apud Regem Magnum primò comoratus, deinde in Islandiâ concessit, quod inter eos non conveniret. Possunt etiam quidam ex Thrandensium præsulibus, qui Grimkeli successerunt, Jonas, Rudolfus & Ragnar, in Magni tempora quadre; qui apud datum autorem in citato libro extant. Quadrat quoque in hæc tempora Odincarus junior, seniori consanguineus, a libentio primo archiepiscopo ordinatus exiscopus, qui Sveoniam, Scaniam, Selandiam & Norvegiam verbi Dei prædicatione illustrâsse perhibetur, inque Sveoniam & Norvegiam navigâsse, multosque pro Christo labores exantlâsse, & rudem populum ad Christi religionem perduxisse, vel jam illâ inibutum dicendo solidâsse. anno

millesimo/quadragesimo secundo obiisse traditur,
Bremæ sepultus.



HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ

LIBER QUINTUS,

HARALDI STRENUI HISTORIAM
CONTINENS.

CAP. I.

QVO HARALDI IN SUBJUGANDA
DANIA CONATUS GESTAQVE INTER IPSUM
ET SVENUM DESCRIBUNTUR.



Magno in Dania inopinâ morte expectationi hominum speique patriæ prærepto, Haraldus, occasi-
onis oportunitatem haut negligendam ratus, præsentî
exercitu, prius quam mortis Magni nuncius ad Sve-
num perveniret, ad juramentum fidei sibi, ut justo
succesori, præstandum adigere decrevit: sed autho-
ritate Einaris Thambaskelferis, consiliisque patriæ
noxiis impeditus, ne Daniæ rebus immorando Norvegiæ quoque parte
residuâ excluderetur, vel ejus, quæ jam parta erat, jacturam faceret, ap-
properandum existimans, classem, quam duxerat, Viçæ admovit; quâ pe-
ragratâ, curiatim Regem se pronuciari fide datâ, sacramentoque in ob-
sequium dicto confirmari, curavit. Hoc tenore universa regio percursa.
Pari modo Svenus in Scaniam reversus, eadem hyeme omnes regni pro-
vincias ad obsequium revocavit. *Morkinskinna* comitiis Vebiorgis insti-
tutus denuò eum Regem ab omni ordine proclamatum tradit, publicoque
gaudio, festivâque singulorum acclamatione, studiorumque certamine
laudatum celebratumque. Regium verò nomen à Thôrkele Geysâ impo-
situm, omnium præfagiô Nordmannis formidabile habitum, perque ludi-
brium anchoras ex caseo formatas, quasi figendis navibus Haraldî, cum

Daniam oppugnatum veniret, satis firmas; neque enim eò audaciæ processurus videbatur. Kringla id à virginibus, ejus filiabus, factum refert. Verùm Haraldus, integram sibi hæreditatem Magni asserturus, proximo vere, qui erat anni MXLVIII. dimidio classis totiusque regni robore in Jutiam traducto, impressionem facit, agros depopulatur, villas incendit, prædas omnes ducibus militibusque permittit, præter definita argenti pondera, & armamentorum quantum ad alimenta exercitui sufficeret. Hinc ardor pugnandi singulis alacritasque prædandi injecta; incensi etiam animi ultione injuriarum, quas pridem nuperque passi sunt, maximè earum, quæ in Sanctum Olafum perpetratae Alfvæque regno graviores subsecuta sunt.

In sinum Godnarfiordum classis introducta materiam carminis ipsi Haraldo suppeditabat, quod nec in hunc diem longum tempus obliteravit. Ibi Thorxelis Geysæ prædium incensum, filiaque in ultionem Ludibrii vindicta, ad naves cum ingenti præda ducta, magno deinde à patre lytro redempta. Una earum Dotta nuncupabatur. Nam & ista irrisoribus dictis, pater insuper titulo Regio in Svenum publicè vicem civium collato, Haraldum magnoperè læserant; nec filias recuperasset, nisi eo adito supplex factus arbitrio ejus se suaque permisisset, ut habet *Morkinskinna*. Tum verò verbis acriter increpatus, magno argenti pondere accepto cum illis liber dimissus est.

Tota deinde æstas impressionibus insumpta, ingensque opum vis corrasa, nulla tamen regni pars in potestatem redacta: reditum sub autumnum in Norvegiam navibus prædâ onustis. Accensa inde major ad expeditiones alacritas, monstrante Rege, quanto præstet eos fortunam foris periclitari, quam inertes domi, pedicularum in morem defixos, tantum quæ patris ager proferret, consumere; hanc exiguum vestigium Danis ereptum, quod vel unius anni tributa exæquaret, demptum contemptum, injectumque nominis sui terrorem, quem accendi in posterum quam sufflaminari præstet. Hyems domi transacta.

Conspicuum hinc, quam fuerit Ad. *Bremensis* rerum Norveg. etiam sui temporis, imperitus, cum *Hist. Eccl. l. III. c. XIII.* scriptum reliquerit. Haraldum Constantinopoli redeuntem Norvegiam pro ducatu à Svenno in beneficium accepisse, eique sacramentum fidelitatis exhibuisse, deinde rebellasse.

Hac ætate legati in Angliam ab Haraldo ad Regem Edvardum Confessorem missi fœdera amicitiamque sanciebant, teste *Sim. Dunelmensi* his verbis ad eundem annum. *Annò MXLVIII. Svanus Danubiam recepit, & Haraldus Harvager, Swardi Regis Noreganorum filius, & ex parte matris frater S. Olavi, patruus sc. Magni Regis Noregani, repetiit, brevique post tempore nuncios suos ad Regem Edwardum misit, & pacem amicitiamque obtulit & recepit.*

Hyeme, quæ hanc ætatem præcessit, mortem autem Magni proximè secuta est, Haraldus Reginae Elizabethæ aliam uxorem adject, Thoram Thorbergi Arnini filiam, Kalfi Finniqve fratris filiam (non enim constat sibi *Danica editio*, quæ p. 345., post mortem Elizabethæ Thoram ductam perhibet; infra verò p. 379. eam ab Olafò filio Haraldi cum sorore sua Ingegerde Norvegiam reductam asseverat; assumptam comitem Orcaes usque, cum ad Anglicum bellum proficisceretur, p. 369. prius dixerat) Duas ex illa filias progeneravit, Mariam & Ingigerdem, modo nominatam, quæ prius Olafò Famelico Daniæ Regi, & postea Philippo Hallsteini filio Sveciæ Regi, nupsit, memorante *Hervoris historia* in fine. Filios autem

tem duos ex Thora, Magnum & Olafum, qui postea regnarunt.

Proximâ æstate, anni nimirum MXLIX. expeditionem in Daniam denuò edicit, dictitans, *non è re Nordmannorum futurum, Danis quietem aut otium ad res domesticas augendas, quæ publicæ res sustententur, permitti: continuis molestiis exagitandos*: (fortè ut tædiò malorum tædium quoque Regis sequeretur, tandemque, eo deserto, pacis dulcedine ad se deficerent) *experimentum fortune, quam Suenus in posterum sibi polliceri possit, superiori anno captum; frustra meliorem speraturum, perjuri in Magnum, delusivæ Numinis, istam penam, quoad bellum duret, perematuram. Velle etiam Deum Danis, qui sub Alfriva Norvegos graviter affligerint, talionem in præsens reddi. Ipsimodò injuriarum memores vindictam exequi ne cunctentur; præmiorum abundè, florentes Danorum opes, nullo negotio consecuturos. His concitatos agri Danici partibus, velut lupos in stabula, immittit. Ubiq; rapinæ, damna, vastatio, incendia, cædes, & quicquid calamitatis belli licentia progenerat. Nec unquam justo Marte concursum, fugâ latebræ salutis præsidio quæsitæ: dum Norvegi obvia quæque rapientes impunedantur: qui tandem post exactam damnis inferendis totam æstatem, prædâ graves, nec dum satiati in patriam remeant. Nec Haraldus aggregandarum opum studium ingenerare cessat, semper Danos laceffendos, semper is aliquid adimendum partisque adjiciendum monet; ostendendum esse Norvegis Regem, qui quovis semestri debitum vecligal à Sveno repetere sciat. esse milites, qui, quæ imperet, intrepidè exequantur. Ista quoque hyems domi exacta.*

Sequente vere ML. Dania iterum laceffita, invaluitque ut singulis æstatibus, damnis & injuriis Norvegorum prædisque & spoliis destinaretur: id quod *Stufus Katti filius* versu superlitate prodidit. Interea Suenus hyemes in aula, æstates militiæ transegit, minatus *se haut levius damnum Norvegis intra regni eorum pomeria illaturum, quam ipsi Danis intulerant, repetiturumque cum fenore, quæ repetitis vicibus abstulerant.* Procerum itaque consilio, quo istis belli diuturnis injuriis finem aliquando imponeret, facialem per hyemem in Norvegiam mittit, Haraldum ad certamen in sequentem æstatem juxta Gothalibiam deposcit, ibi cum universis viribus confligendum, deque summa rei certandum; aut, si pax placeat, conditionibus transigendum denunciat. Haraldus, probatis postulatis, conditionem accipit, totaque hyeme uterque in adornanda classe, comparandis copiis, singulisque, quæ requirebantur, occupati, dimidias (*Morkinskinnum* universas habet) regni vires in æstatem proximam exciunt; quo tempore Thorleikus Pulcher ex Islandia adveniens, carmen, quod *flott* seu cohortem, appellant, quo Svenum celebraret, composuit, cujus duos versus Scriptores producent.

Jamque Haraldus, ut conditum erat, comparuit, cum Svenum adhuc Sialandiam non egressum comperit; ejus igitur levitatem eleganti poemate perstringens, Baldum Baldo, id est, Regem Regi, mentitum cecinit, quod Thiodolfus ejus poëta, adjecto disticho, quo eum Svenum promissi exequendi constantiâ superasse testatus est, conclusit; id quod Haraldus quoque approbavit; adjecto, *cum ille sumum congressum devitet, sibi illius subditos persequendos, idque haut minore animorum ardore, quam eò usque fieri consuevit, nisi fortè aliquid adjiciendum.*

Mox dimisso omni rusticorum agmine, ipse proprio satellitiò satraparumque comitatu, delectoque, qui eos sequebatur, milite, colonorumque, qui limitibus vicini erant, cohortibus instructus in Jutiam navigat, præ-

prætermissoque isthmo Vendilæ, austrum versus in Thyam (Thiodam veteribus dictam) se infundit, universamque populatur, superioribusque cladibus damnisque majora infert, ferro flammæque agris villisque vastatis, uberiorem prædam congerit. Dani viribus in præsens destituti, vim saltem à corporibus uxorumque ludibria avertere contenti, ad Svenum certatim confluunt, opem defensionemque postulant. Interea Haraldus continuo itinere populabundus Heidebyam usque progreditur, improvisusque superveniens universam spoliat, congestamque undique immodicam opum vim momentò diripit. Inter manubias nobilium matronarum virginumque numerus ingens, pars civium uxores filiarumque, pars ex aliis provinciis, quæ eò confluerant, ad naves sine mora ductæ. Fuit enim urbs inter totius Daniæ urbes opulentissima; quæ opibus exhausta, ad motis flammis in favillas redacta est. Ipse Haraldus tantis fortunæ blanditiis excitator, incendium urbis carmine hodie quoque superstitute celebravit, nec ab insultatoriis verbis sibi temperans, inconsultam Danis strenuitatem exprobravit, in se regno arcendo infatigabilem, in suis autem fortunis, uxoribus, liberis, propinquisque defendendis languescerem. Meminit & *Thorleikus Pulcher* in oda, quar. in laudem Regis Sveni composuit, incensæ urbis Heidabæensis. *Ad. Bremensis Lib. III. cap. XIII. de prædatam Sliosvig, non incensam, memorat.*

Jamque spoliis per ætatem direptis onustus Haraldus, cum domum reditum pararet, Thiodamque sexaginta magnarum navium classe præteriret, Svenus terrestri itinere magno instructus exercitu adventans, ut ascendat manusque conferat, postulat; neque enim metum aut inconstantiam interpretandam, quod serius quam decretum erat, convenerint, multa intercidere, quæ destinata suspendant, nec ultra jure querendum, copiam pugne non esse factam; hic virtutem illam fortitudinemque, quæ se Danis Norvegi præferant, exercendam: ovium, caprarum, vitulorumque agmina, resque mobiles rusticis ereptas, aliamque ignobilem prædam impigros tantum latrones ostentare; Regium esse instructâ acie, collatis signis, cum hoste dimicare, uberiorem victoriæ, uberiorem triumphi, eamque veram, materiam, si prostrato hoste ea, de quibus certetur, eripiant.

Ad ea Haraldus respondit: hanc incognitum, rem sibi cum aliis septis quam rusticis fuisse, nec sibi tantam classem copiasque principio veris, secundum postulata ejus, congressum simulantis, concitas, eo sine ut rusticos spoliaret, partem maximam earum, fraude Danorum an metu cognita, dimissam, qui quæ modo postulassent, retractassent; retentum exiguum, sed quantum satis ad repetendas impensas, penamque levitatis & ludibrii exigendam, ipsis ita volentibus; cum neque res suas, neque feminas tutandas existimassent; qui si vim opposuissent, sua certè arma sensissent; jam verò nullâ ratione postulari, ut parte exigua copiarum suarum cum integro exercitu terrestri prælio pugnet, loco alieno, dolosque, quibus solis pugnent, dudum prævisos, in perniciem suam instruat; sed nec defugiturum, si navali prælio lubeat experiri, id quod Thiodolfi versus testimonio suo firmat.

His ab invicem direpti, pro suo quisque instituto iter dirigunt. Haraldus in aqvilonem obnitens, segni tamen itinere, sed ubique infesto, tandem ad Lessëyam devenit, secundum *Kringlam*, alii *Samsëyam* habent. Mane sequentis diei obscura caligo insulæ circumfusoque mari incumbens prospectum ademit, cum derepentè ab alia oceanii partè conspecti igniculi, carbonum speciem præbuere. Rei novitate conspectâ, incerti nautæ Regem adeunt; qui protinus revelari naves, educique portu, remisque quam

acerrimè concitari jubet, instare hostem cum universo Danicæ classis robore. Id auratâ navium rostra, applustria, cæterasque inauratas partes montiflans, quas, nebulis terram obsidentibus, præpeditas Sol clarus in oceano splendens, radiis illustret, repercussosque per nebularum rariora lumine in conspectum reducat. Nec fefellit conjectura, Aderat Svenus cum invictâ Danorum classè, Norvegisqve ferox instat, navium præfectis victoriam in manu, si parum remis anniterentur, monstrat: *unâ operâ contemptum sui injuriasque vindicari, ablata recuperari, carissimæ rei domesticæ pignora, uxores propinquosque ab hostium ludibriis liberari posse, simul & hostem vel ad internecionem deleri, vel deditione capi, finem bello imponi, conditiones pro victoris arbitrio ferri, effluentissimamque prædam intercepti.* Hanc occasionem, velut de cælo delapsam, cum superi porrexiste videntur. *Si incuriâ vel desidiâ elabi manibus paterentur, super acceptâ ingentia damna, inque posterum irreparabilia, æternum probrum, ignaviæque indelebilem notam, contemptum civium, contemptum finitimorum, contracturos; nec parvam aliam ulciscendi oportunitatem exinde consecuturos.*

Facile erat incendere, quos vel privatus dolor, tantarum rerum jactura, uxorum liberorumque orbitas, ad extremam audaciam obduraverant, vel commiseratio ad supplicias ferendas compulerat. Ingenti itaque certamine remos agunt, Haraldumque persequi pro se quisque certat. Multa pro illis stabant, quæ Norvegis obstabant: leves illis naves, onere vacuæ, nec longarum more contractis ex itinerum perennitate sordibus limoque squalidæ, & per inquinamenta prægraves. Hos utrumque aggravabat. Erat insuper tantum classis militiæque discrimen, ut ad resistendum omnis Norvegos spes destitueret, salus tantum in fugâ, nec hæc sine infatigabili in remis torquendis labore proclivis: quam dum segnius Norvegi expediunt quam Dani persequuntur, Haraldus, qui suorum ultimus navigabat, necessitatem consilio juvandam ratus, stipitibus vestes pretiosasque alia alligari inque mare projici jubet, remoram iniectionis, dum avaros nautarum animos ad hæc diripiendâ se averteret: & avertit continuo; nam cum proxime instantes fluitantes super undas flatibus immotas, tranquillo cælo, opes spectabant, protinus ad illam prædam, quæ sine periculo offerretur, occurebant, aliosque, qui sequebantur, suo exemplo ad idem faciendum convertebant. Cumque omnes in legendâ prædâ occupati, Haraldo inobservato, tempus ulterius procedendi indulgerent, superveniens Svenus socordiam eorum asperis verbis increpabat, quod *projectæ offe imbianes veras opes manibus elabi sinerent, oblii decoris famæque prosperæ, conjugum, liberorumque calamitatis securi, causam his mala sibi imprecandi, aliis etiam calumniandi, præberent; dum tanto superiores, Norvegos prope captos, spoliis suorum onustos, multos & liberos, ditatos insuper dimitterent.* Accensi hac adhortatione, iterum majore impetu naves propellunt, cursumque feliciter promoventes Haraldo appropinquant. Quò observato, onera navium, cerevisiam, polentam, in fluitus projici jubet. Æquo deinde remigio aliquantisper certatum. Tandem Danis celerius procedentibus, dolia (Biggyrdia) vacua, utresque & alia, quibus liquida conservabantur, exonerari, iisque captivos viros & fæminas affigi simulque abjici mandat. Quò conspecto Dani, missis Norvegis, ad auxilium suis ferendum festinant, sparsosque per oceanum legunt. Svenus quoque superveniens, pietatis officia haut impedienda ratus, non factum modò probat, sed etiam ad accelerandum impellit, æger animi ob victoriam socordiâ suorum & hostis astu amissam. His occupatis,

patis, Haraldus in altum euectus, evitato periculo latus & incolumis, spoliisque locuples domum classem militemque reducit, minatus *se persecutionis istius memorem quandoque futurum*. Septem tamen navium iactura facta est; quas cives Vikâ exciti ducebant. Jam verò redeunti Sam-eyam Syeno obvii deditione in potestatem redacti ultimum supplicium deprecabantur, oblato pretio, quantum Rex injungeret. Svenus amissam rerum majorum victoriam nece eorum pensari posse negabat. Multis autem hortantibus, ut sævitia Haraldî pœnas de omnibus Norvegis exigere, idque æquum dicitantibus; *iniquum*, respondit, *me bellò infelicem crudelitate in deditos inclarescere*. Omnes incolumes absque lytro dimissos constat. Eadem hyeme Svenus in Dania refedit.

CAP. 11.

EINARIS THAMBASKELFERIS FACTUS ADVERSUS REGEM, EJUSQUE ET ERLINGI FILII CAEDES.



Inter Regem & Einarem Thambaskelferem male dissimulata simulas in dies magis magisque crevit, quamvis beneficia omnia, præfecturamque a Magno concessam, jure, quò prius, nec ulla ex parte imminutò, Haraldò concedente obtineret; vir immòdicis divitiis, Regi quoque filii respectu affinitate junctus. Is erat Endridius, qui sororis Regis Gunnhildis, quæ Ketilli Kalfò nupserat, filiam Sigridem uxorem duxit, vir formosissimus simul & robustissimus, staturaque valde conspicuus, strenuus, popularis, vulgoque mirè acceptus: à patre cætera, formæ decus ab Hacone Comite ejusque familiâ promanavit. Einarem dignitate ralem fuisse deprehendo, quales tribunos plebis apud Romanos, magistratu non à Rege accepto, sed consensu plebis, nescio an expressò, in se tamen, quo magis adversus Haraldum, quem toties offenderat, muniretur; recepto. Causam enim colonorum quòvis forò, etiam præsentè Rege, acriter propugnabat. Erat enim legum jurisque apprimè peritus, & effreni audaciâ, adeo ut iram Regis gratiamve juxtâ æsti maret, cumque eò publicè verbis rixaretur; testatus cives non passuros leges ab eo violari aut perverti. Id oum aliquoties iterâisset, occultam Regis iram dudum conceptam magis magisque accendit, sed adversus eam colonorum, sibi unice studiosorum, præsidio se domi forisque sepsit, assiduo comitatu, eoque numerofo, comitator tamen, cum in urbem, præsertim si Rex præstò esset, proficisceretur; adeò ut octo longis navibus vectus, quin- gentis, interdum & nongentis, comitibus stiparetur. Id conspicatus è palatii pergulâ quodam tempore Haraldus, duos versus, haut paucis præsentibus, fecit; quibus significabat, *periculum esse ne se regno exigeret, nisi aciem securis suæ maturè ofcularetur*.

Accidit quadam æstate, ut navis mercatoria Nidarosiam appellere- tur, excubias de nocte agente viro Islando, sed paupere, cui nomen Audunus. Is conspicatus duos viros ligonibus instrumentisque fossoris- instructos, latenter collem Gaulardalensem conscendentes, ibique terram fodientes, thesauros inquiri apud se conclusit. Cæteris dormientibus nave egressus, improvisus iis, cum arcam nummis refertam effodissent, ram

supervenit, præsidemque moliminis, nomine Thorsinnum, interrogavit, *quantum silentio pretium statuerit?* quantum postulare, edicere jussus, tres *marcas appensas in præsens, totidem in futurum, si forte egeret,* pactus, illico primam pensionem accepit. Observabat autem supernè in cista magnam armillam auream & valde crassam, monileque, literas præterea Runicas arcæ impressas, quæ Haconem Comitem thesauri dominum significabant. Atque ita insperato fortunæ munere auctus navem lætus, lætior Thorsinnus domum locupletiorque repetebat, gnarusque in usus suos convertere, brevi tantam vim opum corrasit, ut invidiosum inde cognomen Mercatoris contraheret, quod singulis prope navibus merces distrahendas possideret, armorumque & vestium cultu se impensè ornaret, hominumque sermonibus celebraretur. Infelicior Islandus, quippe prudentiâ destitutus, nec fortunam revereri gnarus, facile parta cito quoque prodigit: postque elapsos aliquot annos Thorsinnum accedens, partem reliquam requirebat, qui nôsse dissimulans, sine causa æs à se exigere testatus, inopem eum indigumque dimisit. Is igitur Einarè Thambaskelferem accessit, inopiam quæsit, stipe ejus liberalitateque sublevari petebat, receptusque hospitio hyemem ad eum remansit.

Initio veris, quid deinde proposuerit, interrogatus, *esse sibi in animo patriam repetere: verum viatico destitui, portorioque nauclero solvendo,* respondit. Einar isto consilio sibi commodissimè prospexisse testatus, viatico instructum in patriam suis impensis transportandum curavit, donataque insuper aliquantulâ mercium sorte, in usum suum, si adesset prudentia, convertendâ, benignè dimisit. Is autem proposuerat, liberalitatem ejus indicio thesauri, quem ejus uxori jure hæreditatis competere sciebat, respondere; verum negligentiam præpeditus, occasionem diutius, quam rei natura patiebatur, distulit. Dum enim Nidarosiam oportuno ventum expectaret, accidit ut Rex Haraldus, cum templo egrederetur, conspiceretur Thorsinnum ornatu valde conspicuum per plateas incedentem; quæsit itaque, quoniam ille esset? auditoque Thorsinni Mercatoris nomine arcesseri eum jubet, simulque rationem partarum tantillo tempore inmodicarum opum reddere, & unde è mendico repente potens evaserit. Multa replicantem, nunc societatibus, nunc mutuo accepto aere, mercium regionumque, ad quas transportarentur, delectu, quæstus continuo fecisse perhibentem, aliquantisper audivit, tandem veritatem expressit. Tum verò bonis omnibus, etiam mercibus, quæ exercebantur, in fiscum Regium redactis, clementiæ imputandum monuit, quod laqueo eum non addiceret, donatâque particulâ regno proscripsit. Tum demum Islandi animum subivit, inventum thesaurum diutius Einarè, quam convenisset, celatum: ne tamen omninò ignarus fieret, ad eum rediit, ordinemque rei omnem aperuit. Quo cognito Einar; *fortunâ quidem, quæ tibi se insinuabat, uti te nescivisse animadverto, si enim hæc nobis antea indicasset, quàm Rex intervenit, melius tibi nobisque consuluisse. Jam verò à Rege, quæ semel ceperat, repetere arduum; Thorsinno verò facile, ejus quoque conditionem meliorem fecissemus, quàm nunc est.* Mox datâ ei pecunia ad sustentationem, supra ea, quæ prius donavit, svavit, ut patriam repeteret, nec in Norvegiam, quoad Haraldus imperaret, rediret.

Interjectis aliquot diebus Einar cum numero amicorum propinquorumque comitatu Nidarosiam profectus, templum, ubi Rex sacris interfuit, accessit, digredientique obviam procedens quærit, *an thesaurum, quem Thorsinnus Mercator invenerat, suæ potestatis fecisset?* affirmantem,

ti, quòd leges flavissas terræ infossas Regibus addicerent, respondit Einar, id quidem verum esse, ubi possessor lateret; jam verò cimelia literasque inscriptas possessorem monstrare Comitem Haconem, filium autem suum Eन्द्रidium uxoremque Bergliotem ejus heredes esse, non autem Regem; quòd si reddere detrectaret, se tamen persecuturum, etiam armis, si id ei liberet experiri. Tum Rex: potens quidem, Einar, es, jam quoque regni hujus Rex, licet nomen tantum teneam. Non ita, respondit Einar: Tu certè Rex es, sed injuriam utique non patiar mihi ab ullo homine fieri. Interventu deinde bonorum virorum lis composita est, thesaurique pretium Einari redditum, diffusumque specie magis reconciliatæ gratiæ, quàm re ipsâ. Còdex Flat. (quanquam vita Haraldi ejus genuina pars non est, sed aliunde ascita) pecuniam restitutam negat; pendisse tantum litem, donec ardor partium morâ longiore amicorumque còmunium operâ defecisset.

In publico deinde foro, præsentè Rege, comprehensum in urbe furem, adque furcam condemnatum, Einar, quòd sibi antea fideliter inservisset, cum certò sibi persuaderet Regem, eum precibus suis haut donaturum, armatâ manu & apertâ vi executioni eripuit. Rex factum, ut erat, in Majestatis contumeliam interpretatus, exinde ad vindicandum quoquo modò Regium decus se convertit: & hanc præcipuam necis ejus causam auctores *Kringla* & *Jofraskinna* adducunt. Cum autem *Morkinskinna* & *Hrokinskinna* aliam quoque addant, altius nobis quoque erit repetenda. Tradunt autem Regem quosdam Danos captivos in compedes conjecisse, locò paucis cognitò, accessisse autem clanculum, redemptionisque viam monstrâsse, si satrapas omnes civesque potentiores adirent, fingentes se à Sve-no cum pecuniis literisque ad sollicitandum eos in auxilium suum contra Haraldum, cum primò infestam in Norvegiam classen duceret; traditisque marsupiiis aurò argentòque plenis, literis quoque sigillò Regis Sveni obsignatis, quò fides esset potentior, pecuniam singulis pro sorte potentiaque enumerari, singulorumque responsa habitumque notari, sibi que bonâ fide deferri mandâsse. Recipiunt conditionem libertatis vindicem captivi, satrapas adeunt, civiumque præcipuos, singulorumque animos in Regem explorant, variumque habitum deprehendunt: pecunia promissaque aliis, spesque novæ ardebant; aliis status præsens fidesque in Regem potior. Aditus & Einar Thambaskelfir, qui delatam sibi amicam Sveni Regis salutem, verbis officiosis profecutus, cum effusam crumenis æris copiam animadvertit: *Constat quidem, respondit, Regem Haraldum mihi amicum non esse, Svenum autem honorificis verbis me semper compellare, cui etiam amicus esse cupio; si tamen exercitum huc ad invadendum Haraldæ regnum transportabit, ipsi cum copiis, quantis possim, obstitam, Regemque nostrum defendam. Terminentur nostræ simultates eventu, quemcumque fors fert, certè proditor ejus nunquam ero.* Hoc responsò dimissi speculatores, Thorerem de Steiga adeunt, relatâque salutatione postulatisque Regis exoneratoque marsupio, hæc ejus responsa excipiunt. *Semper quidem Rex ille amicum se nobis declarat, nec id in posterum defecturum confido; acceptaq; munera reservavit, nunciosque dimisit.* Itum inde ad colonum prædivitem, nomine Hognium, Langbiorni filium, virum artibus, quæ in pretio erant, instructissimum studiisque vulgî favoreque florentem: qui auditâ Regis salutatione, visâque argenti sumâ, inspectisque literis, minus sibi probari respondit, notitiam sui, hominis obscuri, conditione rustici, ad Regis aures pervenisse; cum verò tanti se factum persuadere allaborent, jubet referre, si contingat eum infesta arma patriæ inferre, neminem unum colonorum infestorem, quàm se, experturum.

Mandatis cum satisfactum esset, ad Regem nuncii redeuntes singulorum responsa retulerunt, auditoque Einaris; *nec id præter spem*, ait, *quippe viro dignum: nihil tamen in mei gratiam interpretandum*; exquisitoque Thoreris responso, pecuniam accepisse, simul etiam utrumque Regem verbis honorificis extulisse nuntiant. Tum Rex; *ibi ingenium occultius quam ut penetrari possit*. Cognitâ deinde Hognii Langbiornii alacritate, materiam singulorum animos expiscatus, quid à quoque cavendum, quid expectandum, cognovit; nec multò post ad obeundas provincias profectus, pænas singulis, qui pecunias in perniciem Regis patriæque acceptant, pro criminis ratione irrogavit; alii capite plexi, alii multâ pecuniariâ, nullus impunitus dimissus. Thoreri autem de Steiga improvisus superventurus, astu satellitis ejusdam, qui occultum ei nuncium fecerat, eluditur. Is namque per eum certior factus, iratum sibi Regem, severè quoque in ejusdem delicti participes animadvertisse, nec sibi mitiorem sententiam expectandam, cognito periculo statim obviam Regi profectus, *convivium ei se apparuisse refert, gratum sibi si accesserit*. Interea monitum velle, non ita pridem homines Danos se muneribus aggressos, Regis Sveni nomine defectio-nem postulasse; *visum itaque totius æris summam, sollicitandis civibus deputatam, in usum Regis convenientissimè servari, eique reddi*. Mox exhibitio mar-supio, litem inter colonos suos ad verbera prolapsam, præsentiam suam auctoritatemque, ne in cædes desinat, requirerent excusabat, quò minus in præsens longiorem ad eum moram necerè possit, eâdem vesperâ domum rediturum; concitatoque protinus in cursum eqvo celeriter se ab eo proripuit. Rex domum ejus delatus paucos quidem hospitesprehendit, redituque ejus frustra expectato, *astum viri illius impenetrabilem declarabat; nec enim sciri posse, quorsum tendat: animum tamen prælagire, luctuoso sine terminandum*.

Quorsum consilium Thoreris, Regem supra cætera ludificantis, tetenderit, minus assequor; nisi morâ compositionem quærebat, donec interventu amicorum, cõmuniumque propinquorum precibus, vel potius (si tamen id cordi) qualicumque defensione, cum criminis convictus non esset, se ei conciliaret.

Inde Rex ad Högniū profectus, nullâ officiorum intermissione excipitur. Ibi valde hilaris & facetus, fide ejus & constantiâ cõmmodatâ, jure satraparum eum senobilitaturum pronunciat. Is actis impensè gratiis, officiorumque promptitudine in posterum promissâ, *negabat sibi eam dignitatem curæ, quæ se inter ordine æquales ad infimas sedes detruderet; male rusticorum supremum esse & haberi, quam inter satrapas infimum: nec se gratiæ Regiæ idèò magis expertem futurum, quam unquæ exoptet, quòd præsentem statum non mutet*. Rex, laudatâ ejus constantiâ & magnanimitate, rectè eum conditionem suam perpendisse affirmavit, benignèque subdisscesum dimisit.

Commotus deinde Rex magnanimitate Einaris, quòd similitates fidei publicæ obsequioque Regio, ingruente periculo, posthaberet, ad convivium eum invitavit, consiliò amicitia in posterum firmandæ, alacriterque exceptum à latere suo collocavit. Remotis deinde mensis Rex & Einar sedentes compotabant, culcitris tergis eorum suppositis; proceribus interea in stramine confidentibus. Jamque inter colloquium caput Rex ei gesta sua in exteris referre. Observans autem quòd obrepente somnò animum narrationi non intenderet, id quamvis senii vitio fieret, contemptum tamen

tamen sui animiqve pervicaciam interpretatus, quod nec humanitatis officii a consveta contumaciâ flecti posset, ut inter cæteros potos jam somnolentum ad culcitram se inclinantem animadvertit, Griotgardo propinquo suo tacite mandavit, ut manipulum graminis compactum manui ejus ingereret premeretqve duriter, his verbis: *Jam accingamur itineri, Einar.* Is jussû Regis executus, cum injecto gramine manum comprimeret, crepitum quoque ventris Einari extorsit. Rex autem convivio excessit. Ut verò excitus Einar ludibrio se habitum cognovit, ilicò domum perrexit, infensoque animo postera die magno comitatu rediens, conclave, ubi Griotgardus acquivit, armatâ manu oppugnavit, ipsumque occidit.

Læsus tantâ contumaciâ Rex malè sopitam iram majori mole concepit, nec satisfactionem requirere sustinuit; sed nec eam Einar, nî postularetur, spontè offerre voluit, haut tamen denegaturus, si exigeretur. Hâc honoris deferendi mutuâ tergiversatione durante, communes amici more solito se interponentes rem eò deduxerunt, ut Einar urbem, jam satisfacti- onem oblaturus, magnò comitatu accederet, Rege colloqvii locum, ubi congregerentur, in prætorio palatio constituyente, quod ad fluvii Nidis ripam, ubi tempore *Scriptoris Morkinskinnæ* aula fuerat, stabat. Rex paucis comitatus ingressus, reliquos in area constituit, tabulamque fenestras, quæ sola in culmine domûs, obduci jussit, ita ut parum lucis intrmitteret. Accedens itaque cum comitatu suo ad fores Einar, filium Endridium ad copias remanere jussit, sic enim sibi periculum haut metuendum. Astitit itaque præ foribus, dum pater intraret: qui ingressus, cum luce propè destitutum triclinium animadvertit; *umbrosum jam*, inquit, *palatium Regium.* Mox, qui subornati erant, irruentes strictis eum gladiis cæsim punctimque feriebant; quo audito Endridius nudato ense auxiliaturus per januam irrumpens, statim invasorum mucronibus unâ conficitur. Mox satellites Regis ad fores convolabant, Einari copias ingressu prohibitu: quæ ducibus destituta se invicem hortabantur ad cædem principis sui vindicandam, dedecusque missæ ultionis occasionisque tempestivæ mutuo exprobrantes, vano tantum clamore hostium suasque aures implebant.

Interea Rex ordinatâ acie erectisque signis terrorem injecit, sed animadverso hostium metu simul ac dissensu, cum universo satellitio, navibus Einari uxorem, quæ tunc in diversorio præfens erat, fama occisi mariti filiiqve pervenit, subito ad copias, quæ ante Regiam stabant, profiliens, ad certamen eos vehementer accendebat; verum animadverso, Regem cum satellitio eodem momentò secundo flumine delabi: *hic*, inquebat, *propinquum meum Haconem Ivaris desidero, qui nullo modo permittet et intersectorem Endridii prono fluvio manus suas elabi, si hic in ripa præstò esset.* Deinde exequias utriqve celebrabat. Sepulti sunt in æde Sancti Olavi ad sepulchrum Magni Regis.

Hunc exitum Einari immodicus fastus & contumacia adversus Regem legitimum, quem toties offenderat, peperit, viro cæteroque multis nominibus memorabili. Tradit *Morkinskinnæ*, eum, cum primum Regiam ingressus gladiis hostium se undiqve peti animadverteret, eductò gladiò protinus Regi ictum inflixisse, verum frustra, quòd duabus loriceis corpus munivisset; exclamasse autem, *canes Regios jam acriter mordere*; quo auditò Endridium sibi temperare nequivisse, quin protinus patri supplicias laturus domum insiliret: mox confossum cæsumque à viro, cui nomen

Arnius, virum patrem fortitudine animi corporisque robore ad unguem exprimentem, quò perfectiorem illius seculum neminem tulerit.

Hæc annales Flat: ad annum ML. referunt, nos in sequentem annum transferimus. Quo anno *Ad. Bremensis* Jacobum (qui nobis Aunundus) Sveciæ Regem vivis excessisse perhibet, ut in *vita Magni Boni cap. V.* notatum est. Sine itaque ratione cognomentum Annosi ei à *Job. Magno* impositum est, cum anno MVII. aliis MIX. natus sit, nec ætatem extra annum quadragesimum sextum extenderit. Eum secutus est Emundus, quem idem *Ad. Bremensis & Chronicon Ecclesiasticum* Gamul, seu Senem, appellant: qui rectius sibi id nomen quam Aunundus (Jacobus) vindicat, nam ex concubina Regis Olafi Sveonis natus est, sine dubio antequam ille Jacobi matrem Reginam nuptiis sibi junxit, ut sexagenario propior fuerit, cum moreretur. Manifestum hinc, quam non consistat, hunc Emundum five cum Svenno Admorsæ barbæ, five cum Knuto Magno, de limitibus regnorum constituendis contraxisse, cum neutrius tempore regnasset. Svenni verò Estridii tempore id factum oportet, & factum *Loccenius* ad oculum demonstrat. Fallitur enim *Job. Magnus*, ubi tradit illum nulli Svecorum æqualem fuisse, cum tamen in hujus Svenni priora tempora incidat, si anno MLI. ad sceptrum pervenit. Nec minus incommodè ad hunc Scriptores Svedici referunt bellum, quod Aunundus hujus frater (malè *Job. Magno* pater) cum Knuto Magno gessit, adq; pontem Stangarpellæ iteratum tradunt. Quot annos hic Emundus regnaverit, definire nequirem, ni constaret, anno quo Adalvardus Antistes Svecorum ab Archiepiscopo Adalberto creatus esset, tunc enim Emundus excessisse traditur: id verò *Job. Vastovius in Vite Aquilona* ad annum MLIV. refert. Antea Svenus Estridii filius divortium cum uxore sua Guta fecerat; illa enim regnante hoc Rege legatos Archiepiscopi mirâ humanitate excepit, tum à Rege Svecno dimissa. Id quoque cum Regis Sveni ætate conciliari potest, quem *Adamus* tunc juvenem fuisse tradit. Is verò cum Horda-Knuto æqualis fuerit, circiter annum MXVIII. natus videtur, jamque ad annum tricesimum sextum proventus est. Atqui constat, Steinkolem Sveciæ Regem ante obitum Haraldi Strenui dudum factum fuisse. Cum iaque ex *Historia Hervoriana* constet, hunc Emundum exiguo tempore regnasse, tres annos illi dabimus, ita ut anno MLI. regnare cæperit, decesserit MLIV. idque ex eodem *Adamo* ante me collegit *Vastovius Vite Aquil. p. m. 36.* Hunc Steinkell ejus (secundum *historiam Hervorianam*) gener, *Ad. Bremensi lib. III. cap. XVI.* nepos vel privignus, prius in Sveciâ Comes, immediatè excepit, mortuus, iisdem testibus, anno quo Haraldus Strenuus & ille Godvini filius in Angliâ cæsi sunt, æræ Christianæ MLXVI. Scriptores Svedici Haqvinum Rufum inter hunc & Edmundum inserunt, ejusque regimini annos XIII. assignant, qui ab anno MLIV. deducti definunt in annum MLXVII, absorbentque totam Imperii Steinkelis periodum. Rectius igitur *Adamus Bremensem & Historiam Hervorianam* secuti Eiricos duos post mortem Steinkelis de regno certantes admittimus; qui mutuâ clade cum universâ potentioris nobilitatis parte conciderunt. Id fortè eodem anno, aut proximè secutò, factum videtur, nec ulterius posse extendi. Hæc itaque iste his proximè subjungendus erit, qui ab anno MLXVII. decem ac tres annos regnavit, finitque in anno MLXXX.


CAP. III.

DE SEDITIONE POST CÆDEM EINARIS SOPITA, NUPTIIS RAGNHILDIS REGIS MAGNI FILIÆ IVARI PROMISSIS, EJUS IN DANIAM ITINERE ET REDITU.




Æde Einaris tantum omnium ordinum in se odium, licet valde (me iudice) necessariâ, Rex Haraldus concitabat, ut nihil omninò obfaret, quominus satrapæ civesque reliqui eum bello aggredi re- gnoque deturbare pararent, nisi ducis autoritate & consilio idonei defectus. In Uplandis procul aberat Hacon, Ivaris Hviti, seu albi, viri inter satrapas cele- berrimi, elatior filius. Ivaris mater filia erat Comitis Hladensis: ipse Ivar formâ, ut universa illa progenies, valde conspicuâ, filius autem Hacon omnes, quos illo tempore Norvegia habuit, robore, agilitate, naturæque singulis dotibus, industriâ quoque & exercitiis anteibat. A te- neris annis bellicis expeditionibus assuetus tantum profecit, ut famâ latè inclaresceret, atque adeo, ut illum inter præcipuos (tuerunt enim conso- brini) Rex unicè metueret. Erant & alii illustres viri ab Hacone Comite prognati, sparsi per provincias, quas autoritate compeſcebant: nam & Aslacus Erlingi de Solio filius uxorem duxit Sigridem Comitis Sveni filiam: ejus soror Gunnhildis legitima uxor fuit Regis Daniæ Sveni Estridii, eaque sola; ex quâ filium Svenum procreavit, in Vandalia deinde cæsum.

Fallor si non est hæc illa Gutha, cujus *Adamus Bremensis Lib. III. Cap. XII.* mentionem facit; quam ob sanguinis vinculum a se removisse tradit, Archiepiscopi & Pontificis minis ad id adactum, consobrinamque nuncupat. Ingii Sveciæ Regis vel filiam vel sororem *Jobannes Magnus, Västovius* sororem fuisse statuit. Inter Gunnhildem & illum talis sangvi- nis nexus intercedit. Holmfridis Eirici victoriosi Sveciæ Regis ex Sigride Imperiosa filia nupsit Comiti Sveno. eorum filia Gunnhildis. Sigridis Imperiosa nupsit postea Sveno Furcatæ barbæ Daniæ Regi. Eorum filia Astridis, Regis Sveni Estridii mater. Rectè igitur *Ad. Bremensis* scripsit eam fuisse ejus consobrinam; nam ex duabus sororibus nati erant. Verè quoque eam è Svedia ductam tradidit, nam Comes Svenus Norvegiâ pro- fugus in Sveciam concessit, ibique filiam hæc mortuus reliquit. Hoc in tabula planius conspiciendum.



Accedit, quod Comitis Haconis progenies singulari formæ decore ornata fuit, tanquam peculiari naturæ quodam privilegio; ideoque verisimile est illam fuisse speciosissimam. Nec movere debet, quod Gunnhildis nomen in Gudam vel Gædam conversum sit, monasteriumque Godheimum ab ea exstructum & denominatum: facillimè enim ob morum & ingenii probitatem Gunnhildis nomen in Gudam mutari poterat. *Västovius* etiam Gudi-

Gudilam & Gudilam eam appellat, voce parum a Gunnhilde abludente. Quod si eam Steinkelis Sveciæ Regis filiam fuisse Scriptoribus Svedicis largiamur, duobus gradibus remotior est. Olafus enim Skautkonungus, Sveciæ Rex, uterinus frater fuit Astridis Sveni Estridii matris. Olafi filius Emundus Slema, seu Gamel, ejus filia anonyma Steinkelis Sveciæ Regis uxor, mater Guthæ Sveni Regis uxoris. Schema tale est.



Floruit & in Uplandis Ormus, dignitate Comes, & solus quidem eo tempore per universam Norvegiam, ex filiâ Ragnhilde Comitissæ quoque Haconis Potentis nepos, vir insignis. Extra Norvegiam elocata erat Bothildis, Comitissæ Haconis Eirici filii filia, Haconis Hladensis proneptis, Ulfo Gallaciano; filius eorum Thorgautus, ejus filia Bothildis, Eirici Semperboni Daniae Regis, Saxoni ab indolis bonitate decantatissima uxor, auctori Historiæ, quæ Smýrlinga saga usurpatur, concubina: de quibus alibi actum est.

Jamque Haraldus ad Finnum Arninum, qui Yriis in prædio Austratt confedit, naves direxit. Fuit is inter satrapas præcipuâ dignitate, quippe jam fidei industriæque perspectæ, duplicique affinitate innixus; duxit enim Rex filiam fratris ejus Thorbergi Thoram uxorem, ille vero filiam fratris Regis Haldani, quam Kringla Bergliotem, Morkinskinnâ Thorbiorgem, appellat. Et jam à piratica, cui aliquot ætates, sociis Guthormo Ketillis Kalfi de Hringanesia ex Gunnhilde Regis Haraldii foreore filio (Morkinskinnâ ipsum Ketillum refert) & Haconis Ivaris filio, occidentem infestans indulserat, rediit; qui Rege referente cognovit, eadem Einaris Endridiique, tum etiam civium universorum seditionem, molientium tumultum; ut erat ingenio aperto, lingvæque liberâ, sed interdum præcipiti, quamvis Regem officiosissime exceptit, non tamen se continuit, cum instantis periculi anxium animadvertit, quin hæc in eum jactaret. *Mirè tecum comparatum est, cum à malis quibusvis faciendis te non abstineras, his vero perpetratis adeo expavescas, ut quod te veritas nescias.* Rex subridens. *Te igitur, ait, affinis, in urbem mittam. In Uplandas proficiscere, omni operâ adnixurus, ne Hacon Ivaris tibi se opponat. Quid, respondit Finnus, tam periculoso negotio pretium status? sunt enim universi Thrandi Uplandique tibi tam infensi, ut legatorum tuorum nemini accessus iterve ad eos tutum sit, ni ipsorum gratia prævaleat. I modo, affinis, respondit Rex: aut enim tu negotium isthoc perfeceris, aut certe nemo; quæ vero expetere cupis, postea edic. Finnus fidei promissorumque memorem esse jussit, se verò absque morâ significaturum. Fratrem, inquit, meum Kalfum revocabis, eique possessiones suas omnes, dignitatem pristinam, præfecturamque, quam ante discessum gesserat, restitues, veniæque præteritorum concessâ securum in-*

tra regnum his omnibus frui permittes. Rex in singula consensit; dataque dextra fideique testes promissis adhibiti. Iterum Finnus, quibus conditionibus Hacon placandus esset, exquiri: ejus enim dictis Thrandos omnes & Uplandos audientes esse. Rex primo, quid expetat, audiendum respondit, sibi deinde in contrahendo quantum fieri posset consulendum, postremo si nulla alia compositionis via pateat, permittenda omnia; solum regnum excipiendum. Prudenter id, novit enim Regi semper viam patere iniquioribus conditionibus se exfolvendi, & qualemcumque contractum cum subditis initum semper eum victorem constituturum.

His ita constitutis, Rex in Mærias profectus magnum civium numerum conscivit. Nullâ deinde morâ interpositâ Finnus, octoginta vernis suis comitatus, Nidarosiam petit, convocatisque civibus aptâ oratione monstrat, quàm inquam rem moliantur, dum Regem legitimum, pro cuius salute & incolunitate nullum periculum subterfugere teneantur, regno excedere gestiant. Jubet in memoriam revocare mala, quæ post exactum regno, deinde orbatum vitâ, fratrem ejus S. Olasum pæna in populum omnem incubuerint; certè quantamcumque victoriam de Rege, nunquam tamen gratuitam futuram; jam verò dubio eventu pugnaturus contra eum, reliquarum provinciarum viribus instructum, peritum bello ducent, intrepidum & eodisque irvictum. Sed nec necessariò se his malis implicaturos adversus eum, qui satisfactionem pro cædibus his bonorum virorum arbitrio ultrò offerat: quod privatis leges permittant, iniquè Regi denegari.

His talibus induxit, ut pacatos se quietosque futuros promitterent, donec redirent nuncios, quos uxor Einaris Bergliot ad Haconem Ivaris filium ad Uplandas miserat. Is interea cum comitatu, quò urbem ingressus est, in Orkadalum profectus, inde transito monte Dofrino Uplandas petit, & inter Proceres primum omnium Comitem Ormum, quòd gener ejus esset, filia Sigridis maritus, communicatisque cum eo consiliis Haconem eò perducunt, ut congressum cum iis non abnueret. Ibi expositis, quæ Rex præmitti jusserat, admodum rigidum eum deprehendunt, identidem regerentem, quantâ necessitate teneretur ad cognati sui Endridii cædem ulciscendam, unâ cum patre sceleratè interempti, cum fidem Regis communibus amicis datam secutus ad colloquium, patre satisfactionem pro cæde Griotgardi injuriâ provocatâ oblaturo, profectus esset. Finnus ad hæc replicavit: longam Einari adversus Regem, nec tolerandam, contumaciam excidio fuisse: Endridium contra fidem minimè occisum, imò incolumem recessurum, nî in armatorum globum ipse stricto gladio se conjecisset; tumultu satellitum, non imperiò Regis, periisse. Quicquid sit, præterita corrigi non posse, præsentia consideranda, & quidem Haconi magnâ cum curâ, conduceretne magis opes honoresque amplissimos sine periculo, sine ullâ rerum suarum jactura, imò & labore, à Rege ultrò oblatos, quasi de cælo dimissos, pro arbitrio suo deposcere? an rebellium manipulos adversus eum, cujus civis subditusque esset, concitando fortunam periclitari? quæ si vel maximè victorem eum, simul etiam proditorem infamem & bonis omnibus execrabilem redderet, sin victoriam eriperet, bonis quoque & honore vitæque in posterum securitate privaret. His Comes quoque assentiebatur. Quibus expensis, animum suum tandem denudans, pacificationem se accepturum pollicetur, si Rex sibi Ragnbildem Regis Magni filiam in uxorem elocaret, cum dote, quæ statui illius concerneret, ipsaque posceret. In id Finnus fidem Regis protinus obligavit, pactisque firmavit.

Omnibus ex voto compositis, in Thrandiam pacis author nunciisque rediit;

restitit; mox seditio omnis sopita, propinquis occisorum nihil ultra annitentibus; omnes enim Haconem ut familiæ prinipem præsidiumque venerabatur, accessione fortunæ ejus lætati, quæ & sibi multum accessisse judicabant. Atque hoc modo magno periculo Haraldus liberatus est, foris hosti, domi seditioni haud quaquam par futurus, si simul concurrissent.

Et jam tempus implendi pacti advenit, cum profectus ad Regem Hacon comiter excipitur; commemoratisque quæ inter Finnum & illum acta sunt, Rex *singula se confirmaturum pronunciat: caterum adeundam ei Regiam virginem, ipsiusque voluntatem explorandam; neque enim ei vel ulli alii nuptiam, nec, si vel maxime eò adigeretur, id esse ejus futurum.* Pater monitis Hacon, eamque accedens desiderium suum, pactionem cum Rege, promissaque ejus exponit. Ad hæc illa respondit: *jacturam patris orbitatemque sepius sentio, tum certe nimiam, si coloni filio nuptiis sociabor, quantumvis te corporis animique decora, rerum etiam fortiter gestarum celebris commendat: certe me pater Regiæ dignitatis exforti nemini junxisset, omnis honoris expertem; neque ego maritum admittam.* His dimissus Hacon Regem adit, responsumque virginis refert, indignatæ impares nuptias: *adjectione dignitatis rerumque aliarum, quas postulabat, demulcendam monet, id enim contractu inter se & Finnum comprehensum, ut dotis pro dignitate sua definiende modus arbitrio ejus permitteretur.* His Finnus, qui tum quoque præsens, assentiebatur. Postulabat itaque *ut se Comitem constitueret, cum nihil obstaret, quo minus isto honore officioque dignus videri possit, sive genus suum, Comitibus, iisque potentissimis, licet per lineam maternam, ortum, spectaretur, sive rerum gestarum claritas, vel in posterum gerendarum spes & industria.* Rex morem se à fratre Sancto Olaso invecum, Magno quoque continuatum, qui unicum tantum Comitem intra regnum constituerit, interpolare nolle professus, nec Ormum in præsens Comitem datâ semel dignitate spoliare, officioque deturbare.

Cognitâ tergiversatione Regis, quæstisque effugiis, Hacon majorem in modum offensus est. Iratus quoque Finnus Regem objurgabat, fluxaque fidei insimulabat, quibus ille spretis, jam periculo liberatus in suo proposito persistit. Nec longè post Hacon myoparone optimè ab armis virisque instructo in Daniam ad affinem suum Regem Svenum concessit, quem ille honorificè susceptum amplis provinciarum redditibus ad sustentationem liberaliter collatis, limitem custodiæ præfecit, piratis, Kuris, aliisque orientalibus populis, qui illo tempore Daniam crebris incursum infestabant, compescendis. Sed erat præter illos, qui haut leve damnum provinciis Danicis quotannis intulit, & quidem piratis infestior hostis, nomine Asmundus, ipsius Regis sororis (Hrockinskinnæ rectius Biörni fratris) filius, conspicuæ formæ staturæque juvenis, viribus ferax, quem Rex à teneris educabat, impendioque dilexit. Hic adultior factus ingenium ad trucièntiam vertens cædibus se oblectabat. Id verò indignatus Rex eum aulâ ejecit, provinciæque cujusdam ad suam suorumque sustentationem redditus subministravit; quos ille universos in militum, quos plures assumpserat, stipendia erogans, cum sumptibus non sufficerent, tantundem è Regiæ pecuniâ decerpit. Quo cognito Rex eum ad se arcessitum deinceps sine satellitio in aulâ remanere jussit. Verum assuetus libertatis disciplinæque impatiens, brevi de nocte fugiens, subito satellitii prioris colluviem omnem collegit, pervagatusque provincias regni, spolis undique congestis, magna civibus damna intulit. Iltas cum Rex pro

more obiret, misit qui eum jam securum caperent: captum compedibus ferreis compescuit, diuque detinuit, sperans istâ castigatione eum ad meliorem frugem rediturum. Cumque maceratum satis existimabat, vinculis exemit; verum exasperatus bænæ (ut interpretabatur) indignitate continuo aufugit, collectâque nebulonum haut exiguâ manu, naves quoque piraticas comparavit. Inde partes regni invadens, cædibus incendiisque grassatus, spolia undique collegit. Qui damna injuriasque vel passi sunt, vel imminetia ab illo mala metuebant, ad Regem profecti, ut tantam pestem à se averteret, postulabant; quibus ille respondit: *quid mihi hæc querimini? Haconem adite, limitum regni præfectum, cui ex officio incumbit piratas compescere, portus, stationes, litora, mariaque tuta ab incurisibus præstare, securitatiqve provinciarum civiumque consulere. Equidem strenuum virum, audacem, & ad omnia pericula intrepidum perhibent: videtur tamen, quæ tutissima sunt, circumspicere, reliqua declinare.* Hæc ad Haconem, pluribus etiam adjectis, delata vehementius eum incitabant ad Asinundum protinus persequendum. Navibus pugratum est, magno ab utraque parte ardore; donec Hacon, transensa cum comitibus ejus nave, tantisper cominus pugnabat, donec universos ejus nautas à prorâ puppim usque fudit: tandem singulari prælio cum illo congressus caput etiam putabat, properèqve ad Regem, cum accumberet, ingressus, mensæ imponens quærit an agnosceret? qui responso non dignatus, contracto in faciem sanguine, speciem indignantis præbuit. Quo animadverso Hacon: *Minorem, inquit, prospicio me gratiam hoc factò consecutum, quam speravi: vitam enim tuam liberâsse videor ab eo, qui eâ te per occasionem spoliare nullius pensî habuisset:* atque his dictis exiit. Rex continuo misit, qui monerent ut protinus abiret: *se quidem ei nocere nolle, sed nec securitatem ei à propinquis suis præstare posse:* qui haut secus ac justus erat Daniâ excedens Norvegiam repetivit, & primò quidem Uplandas, ubi gentilium prædia possessionesque allodiales, propinque & amicorum præcipui, à quibus magno gaudio excipitur. Et tum quidem Comes Ormus vivis excefferat: itaque interponentibus se inter Regem & eum procerum præcipuis, pactum, quod prius intercefferat, renovatum est, Haconque Comitibus titulo jureque, quod Ormus habuit, in ejus locum substitutus, datâ pro more Regi fide præstitoqve juramento ad officium illud rectè administrandum. Tum quoque Ragnhildis in nuptias ejus consentiens splendide elocabatur. Ab his tamen colloquium Erlingii Skackii cum Valdemaro I. Daniæ Rege institutum dissentit, ubi Haconem pariter ac Finnum Arninum à Rege Svenno Comites creatos affirmat, sequè eorum exemplo eadem dignitate ornari postulat.

CAP. IV.

KALFI RESTITUTIO ET CÆDES. FINNUS AD REGEM SVENUM DEFICIT, AQVE EO COMES CREATUR. GUTTORMUS KETILLIS KALFI FILIUS VICTORIAM DE MARGADO IRLANDIÆ REGE REPORTAT. URBS OSLOA ÆDIFICATUR. REX SINUM LIMICUM INGRESSUS REGIS SVENI VIM CALLIDE EFFUGIT.



Xpofui quomodo Haraldus pactum cum Hacone initum tandem impleverit; jam quæ Finno de reducendo Kalso promiferat, adjiciam. Is tempus omne, postquam profugus regnò iram vindictamque Regis Magni evitabat, in occidente piraticis impreffionibus impendit. Aliquando etiam Thingmannis in Angha præfuisse Scriptor rerum Orcadensium tradit. Ut plurimum tamen in Orcadibus apud affinem suum Comitem Thorfinnum hyberno tempore remansit. Jam verò nunciis à fratre Finno excitus, ubi pacta, quæ intervenerant, promissaque Regis cognovit, securitati suæ dignitatiqve satis consultum ratus, ad quietem tandem animum appulit, regressusque ab occidentis regionibus in patriam revenit, primoque naves fratris Finni prædio admovit, ubi aliquantisper, dum is Regem adiret, tabulasque securitatis impertraret, remansit: quibus relatis Regem accedens, pactionem cum eo, conditionibus, quæ prius cum Magno convenerant, confecit; quibus ad singula, quæ Rex imperaret, quæque ei conducere viderentur, fide studioque indefesso promovenda se obstrinxit: mox latifundia omnia, præfecturam, & quæcumque erepta, recepit.

Proximâ inde ætate anni MLLI. expeditio in Daniam suscepta Kalsum inter alios proceres eò quoque traxit; partes regni pro more exspoliata, nec incendiis vel cædibus abstentum. In Fioniam quoque navigatum, delectique qui ad spolia colligenda escenderent; iis Kalsus præfectus præmissisque, Rege cum auxiliis parteque majore se subsecuturum promittente. Turmas istas altius provectas mox major indigenarum vis excepit. Venitur ad manus; Kalsum fiduciâ subsidii properique copiarum Regiarum adventus, illos paucitas hostium subitusque auxiliorum quovis momento auctior conflusus animabat; sed tardante Rege Kalsus, licet accerrimè pugnans, cum suis pellitur. Instant indigenæ, perculsosque metu facile cædunt: cæditur & Kalsus, dum auxilium Rex plus nimium disfert, vir, si crimine rebellionis in Regem se non contaminasset, multis commendabilis, prudens belloque strenuus, civilis administrationis apprimè gnarus, propositi tenax, nisi cum uxoris querelis adhortationibusque ad defectionem à Rege, qui ipsum summopere ornaverat, auscultabat, patiens, gravis, & ad auctoritatem conciliandam conservandamque magnus artifex.

Post cædem Kalfi Rex cum majore parte copiarum superveniens, statim cladem suorum strageque caesorum campos longè latèque constratos, cognoscit, & in his Kalsum, qui exanimis ad naves defertur. Sed nihil clade istâ motus, altius evectus villas diripit, obvios cædit (*Arnoris Comitum poetæ* carmine, quod in laudes Haraldi jam mortui fecit, teste) refarcitque partim cædibus, partim spoliis, occisorum jacturam; non tamen declinat suorum suspicionem, enatamque inde famam consilio prodendi hostibus Kalfi, moram longiorem de industriâ factam. Hinc Finnus Regi in omne deinceps tempus implacabilis, eoque se ab eo circumventum questus est, ut causam mortis fratri præbuerit, quem tutum fide Regiâ præstatum, inde, ubi tutus erat, in mortis periculum revocaverit, tantum ut fraudi occulti hostis obnoxius impune periret: adeoque indoluit, ut relicta patriâ in Daniam ad Svenum Regem concesserit; ubi benignè exceptus in obsequium ejus juravit: mox secretioribus consiliis adhibitus, Comes

constituitur, Hallandiæque præficitur, quam longo tempore regebat, æque irruptionibus Norvegorum vindicabat. Rex horum securus, nec probrum proditi consulto Kalfi à se amovere, nec dolum confiteri volebat, liberum singulis de eo iudicium relinqvens: quantum autem colligi poterat, factum quam infectum maluisse videbatur; id signa lætitiæ in eo notata arguebant. Multum autem prætervisum Finno iudicabant, dum fidei Regis in tantâ offensâ nimium tribuit, quem in minoribus vindictæ cupidum probè cognoverat.

Circa hæc tempora Guttormus, Ketillis Kalfi de Hringanesia filius, juvenis inclutus, prudens & animosus, Regis ex sorore Gunnhilde nepos, eique in primis carus, consiliorum secretiorum particeps vulgoque acceptus, piraticis incurfionibus, more nondum desveto, occidentem laceßere solitus, tutam Dublini stationem receptumque habebat, Margado provinciam istius Regi plurimum acceptus, quò cum societatem expeditionis sequenti ætate junxit. Jamque communi operâ Bretlandia vastata magnâ spoliolorum messe eos locupletavit, cum in freto, quod Anglseyam à Bretlandia determinat, præda omnis in unum congesta, secundum societatis leges pactaque dividenda esset, argenti magnitudo Regem subito ad avaritiam flexit, avaritia ad flagitium: quare omnem divisionem abnuens, solus sibi omnia tanquam leoninæ societatis privilegiò vendicabat, fretus viribus, quippe sedecim longis navibus instructus adversus quinque, quas Guttormus duxerat. Edixit itaque aut prælio secum decernendum, aut prædâ cedendum: adjecta & insolentia, navium quoque deditione imperatâ.

Tantâ injuriâ provocatus Guttormus, quid potissimum deligeret, animo fluctuabat: cedere suis, nullâ præcedente culpâ, quæ vitæ periculo comparaverat, vel navibus domo deductis, indecorum sibi ratus, bello decernere lethiferum, tanto præsertim virium discrimine, trium dierum inducias postulavit, existimans interea bonorum virorum intercessione Regem ad meliorem mentem rediturum; id cum frustra esset, in tantis angustiis constitutus, cum in humano auxilio spes nulla superesset, subito mentem, præcedaneam hanc feriam esse festi S. Olafi sacri, quod nocte sequente vigiliis in ejus memoriam celebrari solebat, Olafi pervigilium inde dictum. Eum igitur Norvegorum præcipuum patronum, suumque avunculum, secundum Deum aptissimè in subsidium vocatis vocandum existimans, decimas spoliolorum, si victor evaderet, ædi ejus vovit; quâ fiduciâ erectior aciem ordinabat, & desperatione in virtutem versâ, audaciam à necessitate mutuatus tanto successu confligit, ut hinc viros, inde fæminas, stare putares, brevi universam hostium aciem ad internecionem, & in his ipsum Regem, delevit; potiusque victoriâ non sua tantum conservavit, sed etiam quicquid hostium erat, suum fecit, tantæque prædâ nobilitatus domum repetivit, præceptamque ab indiviso decimam, partem in crucem argenteam, ad staturam suam vel proretæ sui aptatam, in septem ulnas assurgentem, ædi S. Olafi dedicavit, quæ & ibi in eum diem constitit, quò author Kringlæ Jöfraskinnæque hæc literis mandaret, idque in memoriam miraculose victoriæ, quam procurante S. Olaso reportasse creditus est.

Hoc etiam inter miracula S. Olafi ex *Breviario Nidarosiensi* (quod tamen crucem hanc humani corporis modum longè excessisse tradidit) antea descripsimus; quod sequitur, non item, quod tamen *Kringlæ* huic connectit, nec scio an ad hæc tempora referendum. Tradit enim contractum quendam in Gallia, genubus pugnisque repentem, quòd digiti in volam essent

essent intortū, sub dio in via quadam dormientem, virum quendam nobilem se accidentem somniāsse, qui, *quò tenderet?* quæsit: villam, quò ire destinavit, profitemem, monuit *ut templum Olafō Londini sacrum visitaret.* Expergefactus monitisq; pariturus Londinum petiit, delatusq; in pontem, *ubi templum Olafī esset?* icisilitatur; responso accepto, *complura ibi templa, nec quibus singula consecrata essent, sibi constare.* Paulò post accessit eum vir quidam, *quò pergeret?* quærens. Ut Olafī templum peti cognovit, *se ducem sequi iussit, nōsse enim viam, quæ eò ferat:* transitoque ponte, plateāq; templo contiguā iuperatā, cum ad portam pervenisset, ducem intrantem aegrè secutus, cum super limina se coniecisset, derepentè sanus absq; gravamine incessit, dux autem disparuit.

Inter omnes Norvegiæ partes Thrandia semper potissima habita est. Ibi Regum inaugurandorum comitia celebrata: ibi Regum sedes: ibi procerum civiumque nobiliorum maxima frequentia, proventusque frugum rerumque necessariorum mercimoniorumque uberrimus. Verum quòd longius à Dania orientalibusque provinciis distaret, visum est urbem eo loco fundari, unde brevis in hostem trajectus oportunitasque magna, vel propulsandi, vel lacefendendi, se offerret. Raumarichia præ cæteris idonea visā, tractusque Osleyensis, quòd terra circum vasta fertilisque, portusque navium capax, invehendis exportandisque mercibus aptus, trajectusque facilis. Hæc Osleyæ urbis origo. (*Petrus Claudius Undalinus* ad annum circiter 1049. *Job. Laurentius Wolf* ad 1058. foundationem illius refert) Inde levioribus navigiis modicisque copiis Haraldus incurfus in Daniam facere consuevit. Id cum ætate quadam pro more iteraret, invehctus in Jutiam incolas cæpit spoliare, quibus vim opponentibus, sinum Limicum intravit. Hic annis in modum angusto ostio, mox diductior, tandem in ingentem latitudinem maris æmulam panditur. Utamque ripam Haraldus infestabat, Dani haut segniter defendebant, ne usquam tutus esset accessus; insulæ igitur inculæ classem admovens, cæpit penuriā dulcis aquæ laborare. Serpente itaque parvum inquiri præcipit, inventum ad ignem calefieri, ad sitim provocandam, filum deinde caudæ alligari, deinde dimitti, duceque filo, quòd glomus laxaret, vestigia ejus rimari, fodi deinceps terram, ubi se ipse infuderit. Mandata exequentibus, uberes aquarum latices copiis potionandis sufficientes inventi. Certè Julius Cæsar aquā ab Ægyptiis interclusus hac sola ratione saluti viam invenit, quòd omnia litora aquæ dulcis venas habere cognosceret. Locus fortè puteis fodiendis indice serpente aptior monstratus est.

Et jam per exploratores cognovit, angustias freti classe Sveni obfensas, ipsamque immittendis navibus intentum: id unum morari, quòd fauces sinus uni tantum navigio perviæ plures simul non reciperent. Igitur Haraldus sinum, ubi præcipua latitudo, ad locum *Quesbreid* dictum invehitur, intratoque parvo sinu, qui ex majore ad isthmum tenuem, qui partem Jutiæ septentrionalem peninsulam facit, exporrigitur, solusque æstuantis immensi maris undas frangit, minasque exsibilat, obstatque, ne Littere se sinui committat, eò per vesperam deductam classem de nocte intrat tenebras exonerat, levatasque mole naves singulas trans isthmum deductas iterum onerat. His ante diem peractis, primā luce oceanum ingressus, borealia litora Jutiæ prætervectus domum repedit. Extat distinctio, quòd memoriam facti celebrat, Haraldumque manus Danorum evasisse perhibet. Is autem gnarus, in quantum se discrimen coniecisset, alterā vice se majoribus copiis navibusque rediturum minatus est. Celebrat

lebrat inde facti memoriam istmus, ab ejus nomine in posterum, Knýtlingorum historiâ testante, Haralds eid appellatus.

CAP. V.

REGIS AD BELLUM CUM SVENO APPARATUS, BELLUMQVE IPSUM ET EIUS EXITUS DESCRIBUNTUR.



Proximâ hyeme Rex Nidarosiæ refedit, navemq; ad similitudinem Serpentis Longi, quem Olaus Tryggvinus olim possederat, Yriis ædificari curavit, conquiritis sedulo omnibus, quæ ad eam reqvirebantur. Draconum capita proram, cauda puppim, intermedia spiræ, singula inaurata, exornabant: transtra triginta quinque, laxis intervallis distincta, longitudinis indicia: armamentorum, velorum, restium, rudentum, anchorarum delectus accuratus, robur speciesqve æqualia. Eodem tempore Haraldus per facialem Svæno certamen in proximum ver ad Gothelbiam condixit, utqve tam diutinæ calamitati, quæ jam complures annos utriqve regno incubuit, eum finem imponeret, ut penes victorem amorum in posterum possessio remaneret. Ipse universas regni vires in futurum certamen instruens, principio veris in expeditionem educit. Tum quoqve navis illa formidolosa, quam hyems edidit, in fluentum Nid propulsa capitibus draconum coronabatur. Extant quatuor ver-

veis illius apparatus Thiodolfus celebrat. Velis deinde in austrum versis, naves militesqve provinciis ubiqve exciti; jamqve classem exercitumqve in Vicham provectum flantes ab austro venti diutius detinebant, sparsæqve per portus & insulas naves, quò minus se colligerent, prohibebantur. Tandem boreâ carbasa inflante in delectum certamini locum ad Albiam perventum. Mox percussu metu, quotquot Danorum partium illarum incolas lacesiverant, trepidâ fugâ in altum evecti Daniâ petebant, præter paucos, quos nec opinus classis adventus prævenit, Svæno nec tum ad constitutum bello locum veniente. Cognitô autem, eum copias classemqve collegisse, verum litoribus Fionniæ minorumqve insularum non excessisse, ne provincias orientales copiis sustentandis oneraret Haraldus, parte classis rusticianiqve exercitus dimissa, ipse centum quinquaginta navibus litora Hallandiæ infestans, prædas ubiqve agebat, donec sinum Lofofordum cum universâ classe ingressus, circumfusa latrocinatus, flammis deinde involvit. His occupatus Svænus, trecentarum navium classe, ipso S. Laurentii festo, inexpectatus supervenit. Mox terror ingens Norvegis injectus, tanto virium discrimine animadverso. Erant qui fugam quàm temerariam pugnam svaderent; sed Haraldus interritus, navibus ad pugnam ordinatis, *negat se tanto exercitu de fuga cogitaturum, malle cum suis ad internecionem pugnare: prevalere quidem hostes navium numero, magnitudine & oportunitate suos; militem certè diuturnis expeditionibus exercitatum, navalisque belli peritum. In eum usque diem inglorum certamen institutum; latrocinia tantum, cædesque imbellis plebis, oppidorum incendia, & id genus injurias, in laudem rapi. Jam veram gloriam, stabiles opes, perpetuam quietem momentò acquiri, bellum etiam profligari, dominiumque in Danos, de quo tamdiu certetur, recuperari. Regium cum Re*

ge de summa rei decernere; expositâque visione, quâ se cum Rege Svenco de fune, quem uterque tenebat, contendisse; eumque sibi eripuisse, proximâ nocte somniaverit; interpretationem requirit. Fuere qui victoriam Svenco portendi conjectabant: sed Hacon Ivaris filius (quem *Morkinskinn* nondum Comitem factum, sed nec prius Haraldo meruisse tradit) vincula, quæ victoriam ejus impediunt, denotari conjicit. Rex explicationem approbans, idem quoque se ominari testatus educto gladio ter aërem prorsum feriebat. Interrogatus ab Hacone, *quo id sine? In exteris, inquit, istus tales Sigurbastu vocant, istisque victoria propitiari creditur, inquit hostes ira Regis verti.*

Inter navium præfectos hi celebriores: Magnus Regis filius, quem Thorolfus Móstrobarbus, nomine simul & cognomine antiquum illum, qui ex insula Moisture in Islandiam coloniam duxit, exprimens sequebatur: Skialgus Erlingi filius de Solio; Ulfus Stallarius & Hacon Ivaris filius. Ipse Rex draconem, quò vehebatur, in media acie adversus Svenum collocavit, ei à latere Ulfus Stallarius, qui suos ad pugnam fortiter hortatus, Steino Herdiftis filio carmine celebrante, memoratur: extrema in altera ala Comitis Haconis navis stabat. Svenus quoque aciem ordinaverat tali ferie: ipse in medio navem suam navi Haraldii opposuit, ei à latere Comes Finnus Arninus, circa eos totius exercitûs robur, & promptissimus quisque. Mediæ deinde acies vinculis invicem, ne divellerentur, connexæ, reliquæ classis partes, quòd multitudine exsuperarent, liberæ pro rectorum arbitriis animorumque dispari alacritate periculis objiciebantur vel subtrahabantur. Singulæ copiar, licet numero dispar, delecto tamen milite constabant. Inter illustriores, qui Svenco militabant, Comitum dignitate clari sex fuisse *Thiodolfi carmine* superstiti, ommissis nominibus, memorantur.

Litus deinde tubisque canentibus signa bello data: concitata remis ab utraque parte naves infestæ occurrunt. Inde cruenta utrinque pugna sub vesperam exorta universam noctem duravit. Arcu Haraldus tela absque intermissione in hostilem aciem torquebat; nec Svencus ex ulla parte tegnior exemplum suis vel prævit, vel hortamentis accendit; ostendens identidem, *obsessum intra stationem Haraldum, vel momentò temporis, si sui anniterentur, conteri posse. inter confertas naves exitu. & in terram effugio interclusum. Illum diem calamitatis Daniæ ultimum, Norvegiæ primum futurum: omnia à se, quæ suarum essent partium, abunde provisâ, classem, militem, commeatum, arma, locum denique pugne optabilem. An velint vincere, penes eos; quin possint, deesse nihil. Avirtute victoriam pendere.*

Interea Comes Hacon, qui suas naves sine vinculis liberâs occasionebus destinabat, separatim Danorum eas, quæ catenis non colligabantur, adortus, quòd altioribus uteretur, delectoq; milite diutina piraticæ rei disciplina usq; continuo indurato, unam post alteram expugnavit. Id cum magno Danorum detrimento cruoreq; aliquantisper tenuisset, sibi quisque metuens incursum ejus declinabat, donec pavore latius sparso pars magna ad fugam inclinaret. Tum quidam lembo ad eum proVecti, laborare alam, quam reliquisset, multâ cæde debilitatam nunciant; in eam igitur se referens, magno impetu in hostes facto, non modo nutantem suorum classem restituit, sed etiam Danos cedere coëgit. Isto tumultu Skanenenses fugisse à vero non abludit, quos confusis debilitatisq; animis, noctu, ne res strepitu proderetur, classis societatem solvisse, rescissisque vinculis ac perruptâ nexuum confertione a cætero agmine intemptâ se nocte subduxisse, dein-

deinde tacitis remorum ictibus fugam adeptos furtivo discessu fluminis diverticula, quibus excefferant, repetisse, ibique relictis navibus passim per avia profugisse Saxo narrat, & acerbe vituperat.

Univerfum deinde quod reliquum erat noctis industriâ Comitum Harconis exactum. Ubicumque notabile periculum suos urgebat, ibi & ille; si navium quæpiam hostili agmine inlessa dominos repente mutatura videbatur, infestus aderat, pulsisque oppugnantibus, iterum eam asseruit; si incurfu plurium fatigata, fugam & deditionem spectabat, accurrit idem, auxiliisque instructam denuò in hostem armavit: si quod ab his talibus spatium vacabat, id in inferendis hosti damnis, navigiis vectoribus propugnatoribusque nudandis, terrore circumferendo insumptum, tantaque illius, cum sæpe alias, isto certe conflictu fortitudo prudentiaque enituit, ut ad victoriam solus plurimum contulisse communi consensum tum visus fuerit: singula enim Danorum navigia, quæ catenis non alligata fortuito oblatas Norvegorum naves invadebant, adortus (navium enim magnitudine præstabat) tantisper oppressit, donec pars magna fugam corripere.

Extremo noctis universa concatenatarum compages, ruptis vel incisis vinculis, soluta, reliquarum fortunæ se aggregans, effuse fugit. Haraldus quippe suorum cohortibus stipatus, infusus in prætoriam Sveni tam anxie vectores omnes concidit, ut ne unus quidem puppim inter & prostram vivus superesset: occisi ad unum omnes, præter eos, qui latera transilientes nandi peritiâ evaserunt: ideoque *Armor Comitum pœta* nec ignavia vel præproprio metu Svenum, sed evidenti necessitate, cum ad extremum periculi ventum esset, fugisse cecinit. *In hoc prælio* (ait abbreviator Saxonis *Meursius*) magna *Skialmonis Candidi Sialandia præfecti* virtus fuit, qui post magnam hostium stragem pluribus vulneribus faucibus, cum prostratis sanguinis effluxu viribus concidisset, illud sua fortitudine meruisse visus est, ut cum cæteros hostes cæderet, abstinendas à prostrato manus rarus ipse parceret, atque vitam largiretur, tantum virum in potestatem redegissee satis habens. Illum deinde Saxo illam custodia vim apud lacum Caprinum proximâ nocte decepissee adjicit, simul & quod *Aslacus*, duce suo *Skialmone* dignis miles, merito sit commemorandus: quippe illum non contentum intra suam fortiter pugnasse navem, omnibus abjectis armis, solum levâ scutum tenentem, baculumque dextra quærum, etiam in hostem insilisse, hostibusque, qui in eâ interuentione cæsi, victoriam unius de tam multis admodum illustrem retulisse: veri fidem excedere videri posse, ni *Abfolon Archiepiscopus Lundenfis* suis eam relatibus tradidisset.

Non procul a litore pugnatum est: id quod *Skialgo Erlingi* filio cum universis navis suæ nautis classariisque exitio luit; nam recedente æstu, vadis illius navis vectores frustrata ad litus adegit, qui derepente omnes à præsidariis Sveni cohortibus in terrâ constitutis, quod navibus recipi nequirent, ad interuentionem delati.

Dejecto Regiæ Sveni navis vexillò, ipsaque in potestatem redactâ, omnes ab iis navigiis, quæ invicem revinctæ erant, vel in alias naves vinculis liberatas, vel in undas agminatim profliebant. Singuli autem, quibus licuit, in fugam se conjiciebant. Strages vero in primis fœda apparebat, ubi concatenatis navibus ipsi Reges cominus certabant; amplius septuaginta interceptas *Thiodolfus* author est. In his Comes *Finnus*, dum fugere aspernatur, capitur, jam quoque senii vitio cæcutiens. *Haraldus* fugientes remis, sed ægre, insecutus est, cum tot circumjacentium navium,

vium, acrtè cohærentium objectu impediretur. Comes vero Hacon in medio captarum victriciumqve navium consistens, nec penetrare valens, ulteriore persecutione abstinerebat. Curâ igitur ad inspicienda suorum vulnera conversâ, dum in obstruendâ venâ sanguineâ militis cujusdam in prorâ occupatur, ab ignoto nautâ, qui solus parvâ scaphâ puppi adremigavit, excitur: erat autem staturâ magna, pileum latum gestans. Comes viso advena, *quid ei nomen? quærit. Vandradus, inquit, vocor; est quod tibi dicam.* Comiti se extra latus inclinanti, quid afferret cognituro, *vitam, inquit, tibi debebo, modò concesseris.* Quo audito Comes se iterum erigens, duos dilectos sibi satellites arcessit, mandatqve ut protinus scapham ingressi Vandradum in terram transportent ad villam rustici Karlis amici sui, eiqve suis verbis, inqve fidei argumentum referant, ut eorum Vandrado, quem pridie ei dedisset, subministraret, addatqve ephippium, filiumqve suum comitem. His instructi scapham remis agitant, Vandrado ad gubernaculum sedente, idqve principio lucis, cum tumultus maximus navium hinc inde concitatarum, parvarum magnarumqve, vel terram petentium, vel altum, omnia misceret; inter quas, ubi idoneum visum, viam sibi aperientes, inclamantibus diversarum nautis, nomenqve profiteri jubentibus, satellites Comitis Haconis se affirmantes, protinus dimissi, quò constitutum erat, quod stationem classium superâssent, pergunt: tum demum terram conscendunt. Et jam collucebat, cum villam Karlis ingressi, ei recens lecto surgenti mandata Comitis referunt. Is appositis mensis, cibo ut prius se recrearent, quàm proficiscerentur, mandat, *malluviumqve, quò abluerentur, præbet; cum ingressâ materfamilias, quæ, inquit, clamoris tumultusqve, qui totâ nocte somnum nobis excussit, causa? An nescis, respondit Karl, Reges hac nocte conflixisse? quis ergo vicit? quærit. Normanni, respondit. Ergo, inquit, adhuc noster Rex fugit. Nescitur, regessit, occiderint an evaserit. Rem miseram, inquit, qui Regem habemus claudum simul & parvidum. Tum Vandradus, non equidem parvidus Rex, sed nec utiqve felix.* Ultimus Vandradus manus abluit, mediâqve mappâ deterfit. Quo animadverso, mulier eam manibus ejus eripiens, objurgansqve: *Pauca, inquit, utilia didicisti: insulforum est mantile simul omne huncectare.* Ad ea Vandradus: *poterit Deus fortunam nobis restituere, ut etiam mediâ mappa digni videamur.* Postquam jentâssent, Vandrado equus instratus est; datus & filio Karlis alter, quò eum comitaretur. Illi proximam silvam ingressi, satellites autem Haconis ad eum revertebant. Vandradi nomen est viris proprium, denotat autem consilii expertem: quod ad designandum periculum, unde se explicare nequibat, Rex, ut tempori idoneum, assumpsit.

De his omnes consentiunt: *Hrockinskinna* tamen, *Morkinskinna*, ut & *Fagurskinna*, scaphâ, quæ puppi adjacebat, ad terram villamqve exituam, quòd majores omnes à Norvegis lustrarentur, uno comite evasisse Regem, non Comitis Haconis auxiliò, tradunt, assertionemq; verisus *Thiodolfi pœtæ* adstruunt. Cum prior narratio nullius carminis auctoritate fulciatur, nos tamen illam persequamur, cum plura posterius exponenda veritate consona inde dependent; præmissis, quæ post prælium & deinceps acciderunt, in quibus nullus scriptorum dissensus.

Fugientes Haraldus eodem pelago persecutos se Danos recolligens, parvo tempore infecutus, ad classem deinde rediit. Lustratæ captivæ navis, in primis Regia, cadaverum magnam stragem exhibuit. Regis tamen corpus nusquam inventum est; ratum tamen habitum, eum cum cæteris

teris interfectum. Exequiæ deinde iis, qui partium Regis Haraldi erant, apparatus, cadaveraque in terram dejecta, mandataque colonis eorum sepultura; fauciorum interea vulnera obligata, prædaque divisa. Inter cætera scrinium, ubi reliquiæ S. Vicentii reconditæ, in puppi Regiæ navis repertum; mox in Norvegiam translatum. Temporis aliquantum his extractum; mox repens fama Svenum in Sialandiam rediisse, reliquiæque classis universas eò confluisse, concitumque victum exercitum, haud falso vulgavit. Inter cæteros Finnus Arninus, jam Comitatus dignitate auctior, captus ad Regem, victoriâ quidem, sed intra moderationis terminos, lætum adducitur; quem Rex facundè affatur: *Hic jam convenimus, Finne, sed novissime in Norvegia, nec satis alacriter satellitum Danicum tibi astitit: grave Nordmannis, imo malum, te jam cæcum, tantum ut virum, secum ducere.* Tum Comes: *multa quidem mala Norvegi pati coguntur; id tamen pessimum, quod tu iis imperas.* Ad ea Rex, vitæ tibi donari, quantumvis indigno, cupis? Non, respondit Comes, *te cane arbitro.* Magnime ergo propinqui tui (is Regis filius ex nepte Comitatus Thora fuit) beneficio? ait Rex (is tum navis præfectus erat.) *Quæ catullo isti potestas in vitâ?* respondit Finnus. Ridens ad ea Rex, animique gratia ulterius irritaturus, si Thora neptis ejus daret? quærit. Tum Finnus; *an es illa præsentis?* Rege affirmante; nec ultra Comes præ ira sibi temperare potens; *haud mirum*, respondit, *te equâ præsentis strenuè memorasse;* alluist ad hypochondriam, qua se invicem equi in pugnam concitati dentibus impetunt. Notata hæc irati senis fatuæque mulieris protrusa in Reges convicia ad magnanimitatem moderationemque utriusque explicandam; quibus virtutibus maximos Cæsares Julios, Octavios, Tiberios, Vespasianos, Titos, totiusque Græciæ Principem Ciceroni dictum Epamniendam Tebanum, aliosque Principes his quoque celebres, æquarunt. Rex Finnum aliquantisper apud se detinuit: cum vero tristem, immitem, verbis etiam adeo asperum animadvertit, ut deliniri nullo modo posset, Svenum vero, cui se addixerat, honorificis verbis laudibusque extolentem; *Quandoquidem*, ait, *Finne, nec mihi mitigari sustines, nec propinquis assuescere liberum te ad Regem tuum Svenum dimittam.* Id vero sibi gratum respondit, eoque gratius, quod prius; *ad unum in beneficium reputaturum.* In Hallandiam itaque deductus effusus incolarum studiis excipitur. Pontanus captum quidem ab Haraldo, mox dimissum tradit, deinde apud Svenum quoque suspectari captum in Sveciam concessisse, ibique extorrem delituisset: quod unde habuerit, me ignorare confiteor. Certè nec veritati litat, virum omni ævo probatissimæ fidei, rarique candoris, jam senecionem, causam suspicionis præbere potuisse, vel Svenum, sapientissimum Regem, cui is famâ & experientiâ notissimus, sinistrum quid de eo suspicari potuisse, quem adeo ab Haraldo aversum novit, ut ei nullo modo reconciliari vellet. Sed quid Finnum ad extremum vitæ in Sveciâ ignobili otio conterendum compulit? an metus ab Haraldo, ad cujus gratiam reditus ei semper patebat? an arrogantia, sive pertinacia, cum gratiam ejus aspernaretur? Id, quia ab ingenio ejus haud alienum, si largiar, cur Sveciam Orcadibus prætulit? ubi gener ejus Thorfinnus Comitum potentissimus imperabat, qui fratrem ejus Kalfum suis impensis antea per complures hyemes sustentavit: certè imposuisse videtur Pontano hoc loco, quisquis ille fuit, cujus auctoritatem secutus hæc de Finno scripsit.

Peractis in Hallandia omnibus, Haraldus classem victricem Osleyam reduxit, domosque repetendi venia singulis volentibus data. Illuc Thorsolfus

rolfus Mostrobarbus Magnum Regis filium, de quò conclamatum erat, devexit; nam postquam Haraldus victoriâ potitus est, ipso infcio filius Magnus & Thorolfus Mostrobarbus, cæteris dormientibus, duabus navibus se à cæterâ classe subducentes, gloriæ cupidine accensi litus petunt, militæque exposito, ipsi duces prædatum eunt: incidentes autem in copias Danorum, magnâ suorum clade, amissis etiam navibus, adeo ægrè evadunt, ut Thorolfus Magnum à tergo sustinens vitæ periculo exemerit. Manè sequentis diei, cum nusquam comparerent, post aliquam moram, cum frustra eos expectâisset Haraldus, Osleyam petit, mortuos existimans. Jam redditum filium gavifus, remissâ pœnâ, verbis tantum corripuit, quod temeritate solidam alias victoriam corruperit, vanâ spe persuasus, Danos, protinus ac illos viderint, se dedituros, nec arma corripere ausuros. Hæc *Morkinskinna*, sed sola, habet. Hoc bellum ad fluentum Nizæ idem existimo, quod ad Glumstein gestum Part. I. Lib. IV. Cap. 7. conjectavi, quod hic iterum haut incommode repetitur.

Omen pugnæ aut indicium pridie quam Svenus advenisset, tale acceptum est. Cum Haraldus in terram expansiatus vidisset duos tumulos eximia magnitudinis, alium super petram ad marginem maris, alium paulò supra, erectos, quævisissetque quinam illic siti essent, nec esset, qui illius rei notitiam haberet, nocte proximè secutâ vidit vir quidam, nomine Sigurdus Hvitius, virum sibi per quietem astantem, cantilenamque modulantem, quâ prodidit, tumulum, quem petra sustineret, sibi, alium fratri Hialdo excitatum, prædicavitque sua fortia facta, monuitque postridie cruentum certamen instare, victoriamque illis portendi. Eadem nocte dormienti Biorno Bucko ejusdem Regis militi exhibuit se vir quidam habitu (ut postea compertum) haut dissimili ab eò, qui Sigurdo conspectus est, rhythmumque cecinit, quò se Hialdum nuncupavit, indicans se unâ cum fratre adversus hostes fortiter præliantem hoc in campo concidisse, instans certamen victoriamque ominatus, strageque futurâ gavifus, quam rarò nimis contingere questus est.

Jam reduci in regnum Haraldo Karius niger, cognatus Thiodolfi de Hvine, explicuit, quinam isti fratres fuerint. Hialdus nimirum & Siallus, de quibus libro cit. dictum. Svenus hyemem Nissanum bellum subsecutam domi remansit, Karlemque per nuncios cum uxore ejus evocatum, an se cognosceret, interrogat, & an prius viderit? Ille & in præsens nosse, & primò quidem sibi visum novisse respondit; Deo gratias agendas, quòd officium ipsi exhibitum in usus ejus verterit. Rex debitorem se ei, quoad vixerit, futurum testatus, primam remunerationem prædium, quodcumque in Sialandia proprietatis jure possidendum deligeret, futuram; deinde se in statum honoratiorem eum translaturum, modo uti sciret, pollicetur. Ille actis, ut par erat, gratiis, ut uxorem sibi quoque permitteret, petebat. Abnuitt Rex, quòd longè sapientiore melioreque dignus esset. Jussit itaque ut turgurium, quod antea coluit, illi colendum permitteret; prædiò deinde nobilissimo donato nobilem quoque uxorem procuravit. Is deinceps magni nominis vir factus est.

Prælium ad annem Nizam Kringla Jofrafskinnaque quindecimo à morte Regis Magni anno, Christi MLXII. Islandorumque omnes Annales gestum tradunt, cui *Fagurskinna* subscribit, *Morkinskinna* ut incertum præterit, *Hrochinskinna* duodecimum numerat, suffragante *Chronico Norvegico*, Danicis typis excuso: atque ita annum millesimum quinquagesimum nonum deposcit. Dissensus calculi ex quindecennali bello cum Danis

nis gesto ortus videtur, quod isti à morte Regis Magni numerantes soli Haraldo tribuunt, illi gesta Magni annosq; miscent.

CAP. VI.

DE FUGA REGIS SVENI: PACE INTER
REGES CONSTITUTA: PRÆLIO CUM COMITE
HACONE, EJUSQVE STRENUITATE.



Roximam hyemem, cum Haraldus ab hoc bello Osleyam rediit, ibidem quoq; transegit. Multi interea sermones de bello Nizano jactabantur, singulis partium notitiam sibi vendicantibus: & semel quidem cum ad discretæ ædibus domûs parietes plures simul compotarent, ortò de eadem re sermone, omnes unanimi consensu Comitem Haconem laudare, neminem ei comparandum asseverare, illum audacissimum, solertissimum, fortunatissimumq; decantare, ut qui singula cæpta felici eventu absolverit, ei denique victoriâ adscribere. Interea Rex in area sermone cum aliis inuito, cum tantas laudes Comiti ingestas auribus hausisset, accedens fore; *Haconis*, inquit, *nomen hic sibi singuli deposcerent*: deinde discessit. Eadem hyeme Comes Hacon in Uplandis, subjectis sibi provinciis, resedit, omnium studiis mirè cultus.

Proximo vere MLXIII. Osleyæ inter potandum quidam conflictus Nizani mentionem facientes, quis ibi maximam laudem promeruerit? inter se contendebant; plurimorum suffragiis Comes Hacon cum celebraretur, fuere tamen qui alios in illius gloriæ partem quoque traherent, etiam qui ei adæquarent. Cum quidam interfatus: *Utut sint*, ait, *qui fortiter pugnando ei adæquare mereantur; majorem tamen fortunam illo bello consecutus est, quam quivis aliorum*. Regerentibus, *id in ea præcipuum, quod plurimam Danorum classem in fugam egerit; Illud certè majus, respondit, quod Regem Svonum vitâ donavit, periculoque exemit, id enim mihi certò constat, relatores illo ipso, qui mandante Comite illum in continentem transvexit*. Id quamvis mutuâ fide comunicatum, ilicò tamen ad Regis aures dalatum, tantam ei curam Comitis in potestatem redigendi injecit, ut eadem nocte cum ducentis equitibus iter in Uplandas corripere, famam consilii celeritate præventurus. Postridie in obequitantes rusticos incidit, qui farinæ polentæque copiam in urbem devexerant. Inter Regios comites quidam, nomine Gamall, unum rusticorum, quem antea noverat, ferorim ductum, præmio impellit, ut per compendia viarum, quæ brevissima nosceret, ilicò ad Comitem Haconem properaret, eiq; denunciaret; Regem copiis, quas perspiceret, ad eum trucidandum contendere, cervicivivi ejus jam jam imminere; quippe innotuisse, subductum ab eo Regem Svonum, quem in potestate habuisset bellò Nizano. Mandata rusticus celeritate, quam necessitas præscripsit, alacriter executus, ad Comitem adhuc potantem, anteqvam cubitum itum esset, deveniens singula exponit; qui absque cunctatione cum domesticis omnibus mobilia omnia in silvas deferri curavit; iis deinde, ne uno quidem domi relicto, comitatus secessit, restaq; in Sveciam ad Regem Steinkelem profectus, ad eum per ætatem remansit.

Rex hoc actu præventus Osleyam reversus, inde per ætatem Thrandiam

diam petit, ubi in autumnum moratus Osleyam deinde rediit. Rediit & in Uplandas Comes, comperto Regem in Thrandiam profectum, & usq; ad reditum ejus remansit; tum demum in Vermiam deflexit, præfecturam sibi tunc à Rege Steinkele concessam. Affectâ hyeme copias haut contemnendis, quas Gothi Vermiqve suppeditabant, in Raumarichiam movit, canonesqve prædiorum tributaq; de Uplandis exegit, inde Gothiam petiit. Ibi ver exactum.

Interea Rex Osleyæ residens misit per hyemem ad Uplandos, qui censum tributaqve & multas pecuniarias conquirent. Ii verò responderunt, *singula Comitû Haconi se reddituos, quoad viveret, nec capitale crimen vel feudum commississe convinceretur.* Irritò itaqve negotiò exactores contumaciam civium sine quæstu retulerunt. Hâc eâdem hyeme nuncii inter Norvegos & Danos ultrò citrocq; comëantes, de pace consultabant, cumqve neutrius regni vel proceres vel populi à talibus consiliis abhorrent, ut Reges sine discordiis imposito pacem reducerent, obabant; (rarò eni n peregrinos Principes illam curam in se hic in septentrione recepisse istis seculis animadverto) effeceruntq; ut conventus Regum ad Albiam institueretur; ibi singuli magnâ classè copiisq; instructi convenerunt, profecti, ut mihi videtur, nî pax convenerit, decertaturi. Primò de damnis restituendis actum, quorum æstimatio ardua, ob eorum, qui passi sunt, multitudinem & gravitatem. Id cum diu paci adversaretur, utriusq; regni proceres, qui prudentiâ & integritate eminebant, omiſſis istis, eas pacis conditiones præscripserunt, *ut suum quisque regnum, antiquis limitibus circumscriptum, in posterum libera possessione teneret; capta, bellò durante, possessorem sequerentur sine restitutione, nec exinde vel Reges vel subditi se invicem læsissent.* Pax ista, *quamdiu ipsi imperarent, immota persisteret.* Hoc modò bellum utriq; regno funestum, mutuâ diuturnâq; sævitiâ & crudelitate exercitum, tandem optatâ pace finitum, quæ obsidibus & juramentis ab utrâqve parte firmata est, idq; annò à nato Jesu MLXII.

In Vika deinde remansit Haraldus, eâdemq; ætate in Uplandas ad contributiones, ut antea, colligendas exactores missi, eadem quæ prius rusticorum responsa retulerunt, nimirum se solutionem in adventum Comitû delaturos. Interea Comes in Gothia valido copiarum præsidio se muniverat. Ætate verò imminente Haraldus Konghella movit, ibi levioribus navigiis undiqve conquisitis, adverso flumine ad lacum Vænerem pervenit; nam ubi præcipituis delapsæ cataractæ impedimento erant, ibi navigia per terram ducta. Trajecto deinde lacu eo contendit, ubi Comitem præsentem esse ex certiore relatione cognovit. Is cognitò adventu Regis, cives latrocinii injuriisq; atteri non passus, in occursum ejus cum copiis Gothorum contendit. Interea Haraldus in stagnum quoddam naves deduxit. Inde copias in terram expositis, parte ad custodiam earum relicta, ipse cum paucis cohortibus, quæ equis utebantur, profectus est, parte majore pedibus incedente. Per saltus paludibus interspersis quoq; voraginibus infestos iter erat. His superatis in collem perventum; inde copiæ Comitû, intercedente palude discretæ, visabantur: utrâq; mutuo conspectu concitatæ arma corripiebant, à suis quæqve rectoribus in ordinem digestæ. Rex oportunitate loci superior suos considerare jussit, audacem Haconem & præcipitem, sine dubio eos ex inferiore loco impetiturum prædixit. Decidentem nivem intensum frigus seqvebatur, Gothi maxime infestum, quod veste se minus texissent; suos tamen Comes ab incurſu abstinuit, pugnam Nordmannos auspicari locoq; decedere præ-

optans. Vexillum, quod ei præferebatur, focer ejus Rex Magnus quondam possederat.

Dum mutuâ certaminis expectatione suspensi se invicem conspiciunt, supremus Gothorum judex, nomine Thorvidus, eqvo ad palum campo infixum alligato insidens, hac oratione milites accendebat: *Hic, ita me Hercules! validæ numero genereque copiæ confluxerunt: præstemus itaque nos viros, bonumque hunc Comitem ea alacritate sequamur, ut gratiam Regis nostri Steinkelis laudemque promereamur. Non dubito, quin Nordmannis, si nos impetant, unusquisque fortiter resistat: si tamen juventus fortè trepidaverit, cavendum ne ultra rivum hunc cedamus. Si tamen major metus, quod abominor, juvenes incesserit, ne ultra collem pelli nos patiamur.*

Eodem momentò exorti Nordmanni, concussis clypeis, militariq; clamore edito, ad pugnam festinantium speciem præbebant, loco tamen non deserto, Rege ita mandante; reddiderunt & Gothi: quò territus eqvus judicis, palum subitâ trepidatione excussum fortuito jactu capiti ejus impexit. Tum judex. *I, inquit, in malam rem, quisquis es Nordmannorum, qui infaustò hoc telò me vulnerasti:* concitatoque in cursum eqvo exemplum fugæ & trepidationis omnium primus iis, quos oratione confirmare cæpit, præbuit. Comes audito clamore, signo prælato collem protinus subiit, cum ex edito superfusi Gothis Nordmanni primo impetu alios ceciderunt, alios in fugam conjecerunt, ita ut subitâ trepidatione percussus à fuga retrahi non possent. Insequerantur Norvegi, nec diu, quòd serum esset diei. Interceptum Comitum vexillum, vestiumq; aliquantum collectum. Rex ad naves regressus, utrumq; signum sibi præferri jussit. Per angustam viam unius tantum eqvi capacem inter silvas procedebant, dubitantes an Comes occidisset: cum desubito vir è silva transversam prætervolans semitam, gesso vexillariò transverberato, vexillum arripuit, momentòq; se inde proripuit: quo viso Rex; *Vivit, inquit, Comes:* lorricamq; indui deposcens ad naves se convertit, visusq; est multis, recuperato tantâ celeritate audaciâq; vexillo, parem à promptitudine laudem, quam Haraldus à victoria consecutus, idq; ipsius Haraldii judicio, testantibus *Hrockinskinna* & *Morkinskinna*, quæ idem illud auro intextum, ad amnem Skotborgensem Regi Magno prælatum tradunt, sæpius Haraldus Regi à Ragnhilde, sed frustra, expetitur; quò in potestatem redacto gloriabatur. Ut verò recuperatum Haconi conspexit, nisi relato, vix lecto uxoris consortem futurum testatus est. Extat *Thiodolfi* versus, qui hæc confirmat. Reliquum noctis Rex Haraldus in navibus exegit.

Postridie manè constrictæ gelu aquæ navibus impervix, classem reditu intercluserant. In glacie igitur securibus demoliendâ egressi navibus pro se quisque certabant. Jamque tutum iter stratum erat, cum vir quidam celeri cursu se concitans, contractam ex nimio labore amentiam simulabat: quo viso unus inter ipsos exclamavit; *probare se hic, ut alias semper soleat, Halli Kodranicidæ industriam, in quarvis necessitate promptissimam.* Erat inter Magni Regis filii classarios Thormodus quidam Endridii (alii Asgeiris) filius, qui audito Kodranicidæ nomine, Hallum lethali vulnere percussit. Accurrentibus ad comprehendendum homicidam, glaciem desedisse perhibent, propèq; fuisse ut multi interirent, Magnum autem Regis filium in statione eum extremum recepisse, indeque statim navem solvisse, deinde in silvam dimisisse, satisfactionemque pro cæde obtulisse, Regem verò hóc factò adeò exasperatum, ut filium armis invasurus vide-

deretur, nisi intercessione amicorum, qui iram deprecabantur, se exorari passus esset. Uterque Hallus & Thormodus gentē erant Islandi, Hallus autem dudum sobrino priorem Thormodi, tunc admodum pueri, Kodranum occiderat, deinde Regiæ militiæ se addixit; nec eum Thormodus internovit, priusquam fatali hæc voce, quæ Kodrani interfector appellatus, prodebat. Exinde in Daniam profectus, inde Constantinopolim; ubi cum tauro ingentis magnitudinis caput uno ictu præcidisset, in Imperatoris militiam ascitus est.

Secundum expeditionem in Gothiam ad cives suos, qui obsequium Regi debitum in Comitem converterant, castigandos Haraldus in Raurmarichiam primo cum valida manu profectus, strenuè cum iis exoptulavit, quod tributa solvere detrectassent, hostem verò suum viribus ad regni pacem turbandam instruxissent. Graves igitur pænæ exactæ, provinciæ passim exustæ, funditusque vastatæ, alii bonis omnibus exuti, membra aliis luxata vel præcisa, aliis vita erepta, Inde in Heidmarchiam pari pænâ sævitum: Hadalandiam deinde & Hringarichiam eadem crudelitas pervasit; donec deditione factâ omnes & singuli ad obsequium redirent.

CAP. VII.

QVO AUTHOREM NARRATIO A SUPERIORIBUS DIVERSA EXPONITUR. GESTA REGIS HARALDI CUM COMITE HACONE IN GOTHIA: PÆNÆ DE UPLANDIS EXACTÆ.



HÆC *Morkinskima* longè aliter refert, cujus auctoritati hæc licet præferenda existimem, non tamen quæ illa affert, cognitu indigna videntur. Omittit autem omnia, quæ inter Regem & Haconem, interprete Finno, gesta retuli; nuptias autem Ragnhildis Regem ei obtulisse tradit, ob præstitam sibi strenuam bellò ad annem Nizam adversus Svedum, imentamque Danorum classem, operam. Nec tum Haconem Comitem factum, imò vix Regi innotuisse, quippe diuturnâ à patria absentia rebus piraticis, Finnò Arnino & Kettle de Hringanesia sociis, operatum, delatumque cum illis in Daniam, cum bellum ad Nizam instaret, Finnòque partes Sveni secuto, se Haraldo junxisse, decemque naves piraticas auxiliò ministrasse, redditò militibus suis facti ratione, nimirum Svedum, cum popularium omnium studia in se converterit, multitudine militum auxiliorumque abundare; Haraldum ex adverso pluribus invictum in arcto constitutum rectius sublevari. Partâ demum victoriâ Haraldum Haconem multis verbis laudatum sub discessum ad convivium Jolense postera hyeme se accedere jusse; ibi præmium laici auxiliî, aliis, quantumvis bene meritis, majus tamen meritoque condignum reportatum. Hac spe dimissum Uplandas repetisse, adque præstiturum tempus ibidem remansisse. Thrandiam deinde profectum honorificentissimè à Rege exceptum, lateri ejus assedisse, frequenti colloquio honoratum, ubi tum Ragnhildis in aula præsens. Interrogatum semel à Rege, quid in proximam æstatem decreverit? cum piraticam cognovisset, respondisse, rem saluti anime periculosam, eventusque dubii, exercitum ethnicismo darandæ notitiâ Salvatoris præclarum; Christianis verò indignum. Repli-

placuisse autem Haconem, id verò sibi apprimè necessarium; si enim propriis impensis absque tali quaestiu tot milites alendi essent, quot assumpserat, brevi patrimonium exhaustum iri. Svasisse deinde Regem, ut conjugio opereretur: Haconem autem respondiisse, satraparum filias se non expetere, Comitum autem se aspernaturas. Tum verò Regem, hoc unò se fidelem operam rependere posse regeßisse, si virginem ei toto regno nobilissimam jungeret; eam esse agnati sui Regis Magni filiam, quæ licet splendore generis eum in immensum superet, non tamen eà indignum videri, quippe qui virtutibus etiam Regibus comparari possit, multis etiam anteferri. Irrisum se tantæ fortunæ ostentatione existimans Hacon, amplum sibi futurum regeßit, si agnati Regis Comitum alicuius filiam opibus pollentem acciperet: Regem tantum aut ad minimum Comitum complexu dignam Ragnbildem, suâ sorte longè majorem, quæ tantas spes minimè capiat. Rex opulentiorum alium hauri consecuturum respondit; verum honores, quibus illum ornatum velit, in suâ esse potestate. Deinde Virginem adit, Haconemque multis nominibus commendat, recensitis multis & præclaris rei militaris facinoribus, ingenium ad maxima quæque natum, formæ staturæque decus, virium robur, & invictum adversus pericula animum; rebus dubiis solertiam, morum sva- vitatem, fandi que gratiam, & ad conciliandum sibi hominum favorem superiorumque benivolentiam miram dexteritatem, commemorat. Sva- det itaque, cum nullum toto regno parem habeat, ne ejus nuptias aspernaretur; ortum quippe Regio sanguine potentissimisque Comitibus, quos propiore gradu attingat: non igitur iniquum, ut, cum illa pariter sæminas omnes vel formâ vel genere, vel artium nobilissimorum usu & possessione, præster, ei quoque, qui inter juvenes præstantissimus, societur. Illa hauri se latere respondit, plurimis decoribus ornatum esse, privato tamen homini patrem suum, si vixisset, nunquam se fuisse juncturum. Ad ea Rex, dignitatis tantum in eo superiore gradum requiri, cetera nihil: illum verò se conferente adipisci posse. Ipsi autem providendum, ne ingenii pertinaciâ sua propinquorumque consilia contemnat. Hinc perspectâ Regis voluntate propositi- que constantiâ virgo: Quandoquidem, ait, apud te, Domine, constitutum est, ne Principum familiis innectar, accipiam conditionem. Rex, laudato consensu, illum quidem maritum habituram respondit, sed simul etiam dignitate Comitum. Jamque obtentâ virginis voluntate, singula, quæ intervenerant, Haconi refert, qui aliquantisper suspensus, quorsum Regis dicta tenderent, tandem ut vidit rem serio agi, magnas ei gratias egit, præfatus, non jam magis sui quàm Regis interesse, ut tanti fastigii virgo dignis nuptiis jungatur; memorem itaque promissi esse debere, cum nihil humile istius sorti conveniat. Atque ita Haconi à Rege, ipsâ sub hac conditione consentum præbente, desponsatur, finitoque festo Jolensi nuptiæ, Rege procurante, decenti apparatu & pompâ celebrantur. Inde cum uxore domum dimissus Hacon Vikam petit, ibique confidet, nondum adeptò, qui promissus erat, comitatu.

Exacto anno sub festum Jolense ad Regem pergit, amicæque excipitur. Idoneo deinde tempore promissam jam dudum dignitatem petit. Qui uxor eum comitata non fuerit? requirentè, negotia domestica exulabat. Tum vero Rex: an etiam pater ejus Ivar, aut etiam majores, Comites fuerint? quærit: esse tamen eum patre præstantiorem. Et jam improvisâ quaestione animo consternatus Hacon, gladio se accingens, abitum parat, instat tamen promissorum admonere, & quàm indignum Rege se fidei tesseram frangere, leonisque loco murem ostentare; quàm indecorum pronepti ejus, filia

filia quoque Regis, privato viro cobabitare; pſo quoque ipsam vanâ spe ludificare. Tum Rex, non ultra se eum detenturum: Comitatum frustra sperari respondit.

Abiit itaque Hacon infensus ob tantam injuriam. Domum redeunti obviam procedens uxor vultu hilari Comitem eum salutat. Negabat ille Comitem se factum; ne tamen fraude sua deceptam se existimaret, patriâ se proximus excessurum; agrosque allodialès possessionesque omnes & latifundia in ejus proprietatem translaturum profitetur. Abnuvit illa; nec tamen improvisum sibi testatur, Regem promissa dilaturum. Hyems deinde minori ejus erga maritum, quam antea, affabilitate transacta.

Primo vere Hacon, quid decreverit, visum sibi cum illâ communicare refert, *conquisitas sibi sex longas naves usui piratico: ne vero illi esset dederi, nec se deinceps in patriam rediturum.* Ad hæc illa; nullas discessu aut spontaneo exilio gratias a se promeriturum; nec tamen moraturam, si sibi cobabitare nolit. Sed nec eum mutationem morum tanquam animi ab eo alienati indicem rectè interpretari, neque enim culpam alienam ei imputandam: sed nec agrorum ejus curam illo absente se gesturam. Placuit ut iis distractis, quantum aris possent, compararet: quo peracto, sex illis myoparonibus, unâ cum uxore domo solvit; ante tamen abitum occiso villico Regis, villâque direptâ. Quod ut Rex cognovit, dixisse fertur; *damni quidem parum cede villici rerumque mobilium jacturâ illatum; illud multo magis æstimandum, quod vir tam strenuus mentem exuerit: penitere quòd propinquam suam ei fore creverit.* Nec mora, agros omnes, quos possiderat, nullâ venditionis habitâ ratione, sisco Regio addixit, reditusque collegit, idque antequam Hacon procul abesset; qui nihilo segnius, quos illis Rex præfecerat, de improviso adortus, singulos oppressit, villasque incendit. Inde in altum evehctus ab uxore interrogatur, quorsum tendat? piraticam professio, damnavit propositum, tanquam & impium & periculosum, quòd quantumvis strenuus, unâ tantum vitâ gauderet, ejus verò morte fortunam quoque suam mutatam, pudicitiaque jacturam vel certum periculum imminere, ne se piratæ abutantur, probrumque inferant. Svadet igitur, ut Regem Danie Svennum adeat, eique referat, se illi obligasse uxorem. In gratiam autem patris sui Magni procul dubio eum benigne excepturum; solere enim omnes, qui illum cognitione attingant, honorare, beneficiisque afficere, ad expiandum delictum, quod fidem datam ei non servaverit. Hacon suis quidem in illum meritis nihil confidendum, cum ad annum Nizam maximo eum damno affecerit; malè tamen illam elocatam, si præ formidine ipsum accedere recusaret. Vela deinde in Daniam vertit, paucisque comitatus Regem adit; quem ut cognovit, quærit, an & immemor illati sibi ad Nizam damni se etiam ultro adeat? Ad quæ Hacon: *Missus a Ragnibilde Magni Regis filia te accedo; ostensioque annulo, quem ipsi in fidei testimonium tradiderat, Magno quondam possessio, rem omnem ordine exponit.* Tum Svenus, indignè quidem Haraldus & omnino malè propinquam suam tibi viro tam malo junxit: nobis certè optata aderit: nec tamen nostra invitatio placebit, nisi te quoque recepto. In ejus igitur gratiam tres tibi conditiones patent, singule optabiles, utpote qui tui merito mortem non evaderes: aut nobiscum unâ cum uxore famulis duodecim instructus manebis, milites vero, ubi libet, colloca, aut nostro munere prædia tria accipies, simul ad custodiam limitum regni nostri obligatus; aut denique Asmundio Biorni fratris mei filio, qui Hallandiam nobis extorturus regni quietem ubique turbat, congregere, eumque ad me deferre: prætoriturus victorie Comitatum Hallandie obtinebis. Singula horum si recusaveris, recept-

receptus tamen tibi nullius injurie obnoxio intra regnum meum patebit, nec nobis ex ulla parte eam ob rem obstrictus eris, idque in uxoris tue gratiam. Tum Hacon; nimis breviter concluderis, Domine Rex, filium Regis indigno locutione, si congressum cum Asmundo defugerem; quod si is mihi fatalis erit, digniori te eam juncturum confido. Rege vero se eum milite instructurum pollicente, minime, respondit, sic enim illi, si vinceremus, decus victoria sibi ascribent, quod mihi solidum meorum auxilio vindicare gestio. Res autem Asmundi ita se habebant: Svenus Godvini filius patrem ejus Biornum inter Thingmannos in Anglia occiderat, Asmundum autem patruus ejus Rex Svenus educabat, tribusque navibus ad ulciscendum patrem instruxit. Cum autem Svenus ille, de quo ultio sumenda, vindictam morte prævernerit, Asmundus vires istas ad infestandos Danos convertit. Ter captus Svenoque traditus ter etiam dimissus est, nunquam tamen injuriam a subditis ejus abstinuit.

Ragnhildis deinde unâ cum marito ad Regem profecta, ambabus ulnis excipitur, ibique ad eum simul remanent, donec ad expeditionem contra Asmundum sex naves instruxisset: tum demum proventus, in eum decem navium apparatu ferocem ad ostium Sliæ incidit, haut ignarum quò præmio in se à patruo immissum. His itaque eum verbis accinctum jam bello, accinctus & ipse, affatur: *Oportet ut strenuè se gerat, quò comitatum mercabitur; rectius tamen alium huic operi Rex delegisset, quam te: an gesta tua ad Nizam oblitus est? Frustra, respondit Hacon, mihi id experiraris, quod Regi meo ibi militaverim, ejusque partes pro virili propugnaverim: decus hoc est, nec diffiteor. Illud vero scelus, quod indulgentissimum tibi patruum armis lacefferis, nec injuria finem imponere noveris, nec modum statuere: id scilicet illi educationis ingentiumque beneficiorum præmium, quod ego tibi hodie rependam.*

Mox haut segnius, quam minatus est, invectus, fortiter excipitur. Fit ingens prælium, virtus tamen Haconis & fortitudo præcipuam laudem meruit. Sternitur circa latera navium ab utraqve parte ingens multitudo, plures tamen ex Asmundi cohortibus, donec rarefcente prætoriam navis, quam Asmundus duxerat, agmine, Hacon excensus paruit. Intrepidè igitur magnò comitatu in navem se proripiens, ab utroque latere resistentes vel cædit, vel ad posteriora navis pellit, donec magnâ strage factâ Asmundus vivus capitur; quò visò, *inutilis domum, inquit, Regi nunquam offerri poterit, quam junctum capiti corpus istud;* subitòq; irruens capite eum multat, profectusq; cum parte spoliolum ad Regem omnia simul ostendit. Ut verò rubor genas faciemq; invadens haut obscura conceptæ animo iræ indicia prodidit, quamvis consuetam sedem Hacon repetere jussus est, tamen Regem his verbis affatus fertur. *Epidem victoriam hanc, laboresque in eam, & quicquid periculi insumptum est, mihi feliciter collocatum video, dum locò gratiæ, quam promeruisse visus sum, offensam incurre; tantum quòd periculo vitæ metuque in posterum te liberavi, ab illo capite, quòd multis indicis & insanabile se, & tibi implacabile, ostenderat, cessaturum demum, cum de te occiso triumphare posses, nec tibi amplius vel punire, vel veniam dare liceret. Præmium itaque, quod ipse proposuisti, cum commeruerim, ne reddere graveris, expeo. Rex fidem ejus factiq; rationem approbans, non tamen in præsens integrâ suâ amicitia frui posse testatus, provinciis, quæ hostium irruptionibus maximè expositæ essent, præesse jussit, deinde Hallandiam Comitibus titulo reddidit, quò cum uxore & familiâ concessit, quæ hoc augmento honoris sibi satisfactum ra-*

ta, majori deinde amore eum complexa visa est. Hacon deinde quoties Haraldum septentrionalibus regni provinciis innotentem cognovit, in Wicham prædabundus infusus, manubias inde spoliisque congesta domum devehere consuevit.

Quam hæc à superiore traditione dissentiant, conferenti obvium; nam & Scriptori huic Hacon nunquam Norvegiæ Comes fuit; nec bellum, quod in Vestrogothia cum Haraldō gessit, ex eadem quæ reliqui auctores statuunt causâ, ortum narrat, de quo suo locò. Cum autem plures sint, qui priorem traditionem confirmant, hic probè solus, qui repugnat, probentur se magis illorum asserta, eos quoque sequi placet. Qvis enim credat Haraldum invitasse privatum hominem ad nuptias tanti fastigii, propinquamque suam præmii ostentatione ad consensum illexisse, mox fraudari sustinuisse, ad concitandam in se tantum non omnium Principum indignationem, invidiam, & subditorum odium.

Quæ verò de Asmundo *Hrockinskinna* tradit, etiam autoritate *Sim. Dunelmensis* confirmantur, quantum ad patrem Asmundi, quem Biornum appellat, casumque à Svenno Godvini filio fraude latronis & scelere indicat, ad annum Salvatoris MXLIX. his verbis. *Interea Svanus Comes Godvini Comitibus & Gylthæ filius, qui relicta prius Angliâ, eò quòd Egrivam Leoniensis monasterii abbatissam, quam corruperat, in matrimonium habere non licuit, Danemarchiam adierat, navibus octo rediit, dicens cum simulatione, se cum Rege fideliter modò remansurum, cui Biorn Comes filius avunculi sui Daniæ Comitibus Ulfi Spraclingi, filii Ursi, ac frater Svani Danorum Regis, promissit se à Rege impetraturum, ut suis ei comitatus redderetur. Pacificatio itaque cum Imperatore Balduino Comite, Comitibus Godvinus & Biorn XLII. navibus Pevenesiæ Regis licentiâ sunt decessi, reliquam verò classis partem domum redire iussit, paucis secum navibus ibi retentis. Cui cum nuntiatum esset, quòd Osgodus Clapa cum XXX. in Ulpe jaceret, de navibus, quas remisit, quot pariter, revocavit. Osgodus autem uxore suâ, quam apud Bricge commiserat, recepta, sex navibus Danemarchiam rediit, aliæ verò East-Saxoniam advenientes prædâ circa promontorium Eadulsi raptæ non modicâ redibant. Verùm eas in redeundo sæva corripuit tempestas, omnesque submersit, exceptis duabus, quæ in transmarinis partibus raptæ sunt, occisis omnibus, qui in illis erant. Dum hæc agebantur, Svanus Comes Pevenesiæ venit, & consobrinnum suum Biorn Comitem cum dolo rogavit, ut ad Sandvicum portum secum iret, & ut illi promiserat, eum cum Rege pacificaret, qui consisus in consanguinitate, tribus tantum sociis assumptis, cum illo proficisci cepit. At ille ad Bosensham, ubi naves ejus erant, eum duxit, & in navem introductum, duris mox loris vinciri iussit, ac secum tandem habuit, donec ad hostium Derte veniret, ubi illò occiso, & in altam fossam projecto, terrâque obruto, dimiserunt illum. Sex naves, quarum duas paulo post ceperunt Heastingenses, & occisis qui fuerunt in iis, ad Sandwich conducentes obtulerunt Regi. Svanus verò ad Flandriam duabus fugiens navibus ibi mansit, quoad Vigornensis Episcopus Alredus illum reduxit, & cum Rege pacificavit. Svanum postea tradit paucitiam facti tam atrocis ductum de Flandria nudis pedibus Hierosolymam abiisse, indeque redientem, valetudine ex nimio frigore contractâ, in Licia mortuum: quæ causâ videtur, cur Asmundus ultione prohibitus ad Danos instantandos conversus fuerit.*

Expeditionem in Gothiam codices isti fufius describunt, nec ex hac origine quam cæteræ membranæ eam deducunt. Volunt enim post partem cum Svenno factam Haraldum Gothiam, partem regni Regis Stein-

kelis, armis infestâsse, eum verò de auxilio Svenum sollicitâsse, sed frustra, cum pacis fœdera excusaverit Svenus; dedisse autem consilium, ut Comitem Haconem, qui tum Hallandiæ præfuerit, in partem sollicitaret, Vestrogothiæ comitatu mercede, esse enim honorum appetentem, amplumque sibi ducere Hallandiam Vestrogothiamque duos, simul comitatus, ditione tenere, ad resistendum autem Haraldo aptiorem alium non reperiturum. Haconem deinde tantò præmiò adductum, Steinkeli suam operam addixisse, exercitumque ex utrâque Gothiâ mandatò Regis collegisse. Fuisse autem Steinkelem voluptati otioque deditum, obeso corpore, potatorem strenuum, qui pericula aliis demandare consueverit. His cognitatis Haraldum alacriorem, per ætatem delectum militum habuisse, promptissimum quemque armis vestique instructissimum apud se detinuisse, quò tenderet, dissimulatò. Sexaginta deinde naviculas in lacum Vænerem deduxisse. Inde ad Haconem transvectum, locumque pugnæ collem elegisse, nec Comitem eum temerè subiisse, sed quòd Gothos ex more negligentius amictos, si diutius frigerent, prælio inuites futuros animadverteret. Cohortes autem, quas Comes ipse duxerat, à veste, armis, munimentis corporis, adeoque omni apparatu militari instructissimas fuisse, illas impetum hostium non sustinuisse, ad primam impressionem vel suas vel fugatas. Has licet ab illis desertas, duce tamen Comite, quoad licuit, restitisse. Verùm dilapsis agminibus Gothorum Haraldò omninò imparem urgentibus Nordmannis cessasse, nec tamen prius quam occisò vexillario signum esset ereptum; quod eadem celeritate fortitudineque, quam retuli, receptum memorat. Cùm ad naves ventum esset, addunt, quòd cæteri non habent. Haconem mendici habitu eos ad prandium accessisse, spemque iis ostentâsse Comitibus capiendi, se locum ubi cum paucis comitibus delitesceret, monstrante; illectisque multis, gressus ægrè molientem, viam tamen monstrâsse, donec intra silvam ductos ad locum, ubi profundior viam truncus intercipiens, singulis molestè transeundus jacuisset. Ibi abditos in insidiis in eos immississe, nudatâque mendicâ veste, promissò se absolvisse testatum, iis ad Comitem, quem jam coram conspicerent, perductis; ubi plurimos eorum impedita viâ, cum reditu à trunco intercluderentur, occisos, paucos tamen elapsos, qui nuncii cladis ad Haraldum rediissent. Ibi constrictis gelu aquis, navibusque glacie obsessis reditu interclusis, emissos continuo, qui spoliis agrorum alimenta conquirent, semper quinque aut decem à præsidariis Haconis militibus interemptos. Sparso deinde rumore, Steinkelem cum exercitu properè adventurum, ab alia autem parte Svenum os amnis obstructurum, territum Haraldum securibus glaciem frangi iussisse. Cætera, quæ sequuntur de Hallo Kodranicida, eodem tenore, ut supra retuli, recensent. Executionis causam in Uplandos hanc afferunt; nimirum quòd Uplandi immunitates sibi à S, Olofo præ cæteris regni incolis concessas affirmâssent, tum, cùm ipsorum auxiliò adversus Comitem Svenum victoriam, reportâssent; jam verò sibi istud privilegium auferri indignati, tributa pendere noluisent: Haraldum autem æquali jure omnes regni provincias censendas existimâsse.

CAP. VIII.

REX AD ULFUM QVENDAM VIRUM,
 OPULENTUM CONVIVATUS AGRIS ET BO-
 NIS EUM SPOLIAT.



Actenus ea, quæ Haraldus vel in Dania vel Norvegia gessit ad publicum statum spectantia exposui, notata authori Kringlæ & Jofraskinnæ aliisque magnam partem; quæ verò sequuntur, ad privatos ejus mores ingeniumque explicandum faciunt: quibus ante novissimam in Angliam expeditionem hunc locum sine temporis ordine deligendum existimo, quo ausque gestorum publicorum confusione legi possint, maxime quod temporum momenta ab authoribus prætermissa appareant.

Ad Arnium virum opulentum inter alios Uplandos jam pacatos convivabatur Haraldus, cum Ulfus quidam, ab invidiosis divitiis Dives cognominatus, eum ad convivium invitavit, vir prædiorum quindecim nobilium possessor; instinctu magis uxoris, quam suo arbitrio, quin & illa metuens, ne Rex bona ejus diriperet, obsequiis & delinimentis sævitiam mitigandam existimabat. Ille contra ostentatione rei familiaris avaritiam haudquaquam irritandam statuit; paruit tamen voluntati consiliisque uxoris, id svadentis, quod sibi honorificum judicabat, & in præfens utile futurum. Rex morem se ei gesturum pollicitus, benignè dimisit. Domum reversus Ulfus convivium apparatu quam impensissimo instruxit. Vasorum potiorum magna vis & exquilitior delectus, suppellex reliqua mensarum, tricliniorumque ornatus ingens; omnia abundantiam commendabant. Rex ad præfinitum tempus accessit, hilarem se cunctis ostendens, genialiterque epulabatur. Die quodam inter convivandum; *Convenit, inquit, ut convivium hoc comitate & facetiis exornemus.* Uno ergo ore omnes, *nihil honorificentius hospiti contingere posse proclamabant, quam si ille convivas exhibere dignaretur.* *Historiolam nãque, ait ille, vobis narrabo, quam ab Haraldo Pulchricomo auspicabor.* *Filius ei inter complures alios Sigurdus fuit, cognomento Hrisus, cui filius Haldanus, cui cognominis alter, dignitate & officio Comes, ipsi Regi amicus fidus. Erat & Regi servus, nomine Almsteinus, singuli ætate pares.* *Procedente tempore Rex in morbum incidit, sentiensque lethalem futurum, Comitem arcesse, filiumque curæ ejus commendat, quod probatæ fidei vir se toto vitæ tempore sincere coluerit, nec aliud filio ab eo expectandum.* *Annuit Comes, ultimis Regis precibus haut refragari sustinens.* *Post obitum Regis Comes haut segnius quam promiserat promissa executus Haldano in administratione regni plurimum profuit, canonesque annuos ejus nomine collegit.* *Almsteinus etiam illo tempore Haldani Regis servus fuit, vir formâ elegantis, staturâ commendabili, ingeniique vigore singulari, rebus gerendis strenuus, omnes servos Regis præstabat, genere licet omnibus ignoto.* *Is operam suam in exigendis per triennium obventionibus Regis offerens, quod esset impiger, Regis & Sigurdo & Comiti à prima educatione familiaris, ad illud ministerium admissus est (hic observandum, à prima memoria villas in triennium in Norvegia locatas conductasque; id triennalis ille canon innuit, jam tunc in usu) Interea Comes moritur. In exigendis canonibus Almsteino diligentia non defuit, in inferendis regio arario fides desiderabatur. Exactò triennio ad pere-*
 gri-

grinas terras transfretans, quæstum hauri exiguum fecit, sortem tamen & lucrum sibi reservavit. Nec usus pecuniarum ignarus subditis Regis donis corrumpere sibi que affociare aggreditur, successu hauri irrito. Tandem cognitâ Comitâ morte, de nocte improvisus armatâ manu Regiam circumstans, flammâs tectis subjicit. Intra aulam cum Rege Comitâ filius erat; hi cognitio burmanâ injuriâ ignem excitatum, per hypogeum, quod ad hltvam ducebat, erumpunt, diebusque aliquot in solitudine transactis, tandem in Sveciam ad Comitem Haconem perveniunt, aule ejus hospitium efflagitantes; quibus accuratè inspectis, postulatis annuit, nullò tamen honore eos habuit. Triennium ibi exactum. Interea Amsteinus, incensâ aulâ, Regem Comitâ filios absumptos existimans, nullo resistente Regem se constituit; mox ad libidinem conversus, illustrium virorum uxores lecto suo sociat, remittitque supratas aut gravidas, invidiamque & indignationem civium tanta insolentia incurrit, qui jugum quidem intolerabile cervicibus excutere amabant, sed viribus destituebantur. Evolutò trienniò Comitem Haconem in Svecia Halfdanus cum Comitâ filio abituri accedunt, agunt gratias pro sustentationis beneficio. Is id quidem exile satis respondit: quamprimum enim eos penatibus suis receperit, probè, qui essent, se novisse perhibet, ideo essent dissimulasse, ne prævia fama eos in urbis esse disseminans, sollicitudinem servo incuteret; securum facillè opprimi posse; in illam spem trecentos armatos se iis suppeditaturum, monetque providendum, ut improvisi superveniant regnumque, recuperent, vinctamque de pessimo homine sumant. His auxiliis instructi celeritate famam prævertunt, nobiservati omnibus corona anlam cingunt, faucibusque subjectis ad deditionem singulos compellunt, ipse quoque Amsteinus vitam deprecatur. Halfdanus dignum pronuntiavit, qui, quod sibi machinatus est, ipse experitur; quod autem impari & ingenio & genere essent, se illius truculentiam imitari nolle, placere ut suæ sorti redditus, quoad vivat, servus esset; unversaque ejus progenies: tunicamque albam opere inertis factam gestandam cum servi nomine tradidit. Inde convocati ad comitia cives, mutatis dominis leti, quam miserum esset servili dominatione premi, hauri sine lacrymis commemorabant. Halfdanus itaque regnum regiumque titulum assumpsit, Amsteino in servitutem relapso. Multi ei liberi, tuque, Ulse, inter nepotes ejus unus, patre filio ejus satus. Mibi Halfdanus avus paternus est; vos autem ea, quæ Regum erant, surripuistis, quod hic conspicuum, tam in poculis quam alio apparatu. Assume itaque tunicam albam, quam avus meus Halfdanus avo tuo Amsteino tradidit, assume & nomen familiæ proprium, servusque in posterum esto; id enim in comitis, quæ memoravi, conclusum est, protinusque tunicam gesta, nam & illam Amsteinus eodem in foro accepit, gestavitque, evocateque eò singula liberorum ejus matres, liberos suos eodem habitu vestique induerunt, lege lata, ut univèrsa eorum progenies in æternum isto habitu, nota nimirum generis, dignoscatur. Mox mandatò Regio tunica alba profertur, simulque Rex versum hõc sensu fudit: Nõssi hanc tunicam? vaccam Regi debes; bovemque maturum Regi debes; porcum & anserem unam Regi debes. Deinde hoc distichon adjecit: Multa boninum technæ, nunc sum Regi (bona fortè foli intelligit) debes. Recipe jam hanc tunicam, quam tibi nuper obtuli, quam & parentes tui possederunt, nomen & honor em qualem tibi gesserunt. Ulso jocus Regius frigidus nimis visu Sest, propeq; erat ut tunicam reciperet, metu supplicii. Verum uxor propinque, quocunque tandem exitu, eum recipere vetabant, Regemque accedentes iram deprecabantur, & ne tantâ Ulfum ignominia afficeret, supplices orabant. Libertas permissa, dataque unica villa, cæteræ omnes singulaq; pocu-

pocula & apparatus universus, fisco Regio addictus, precibus uxoris & propinquorum, quicquid remissum est, imputatum.

CAP. IX.

DE HALDORE SNORRII FILIO
NARRATIO.

Aldorem Snorrii filium, quem Constantino-
poli carceri cum Rege inclusum, operam in interi-
mendo serpente fortiter locasse superius in vitâ Ma-
gni memoravi, eum in Norvegiam secutum nostri
scriptores memorant, magnoq; in honore apud eum
fuisse, cum hyeme, quæ mortem Magni secuta est,
Nidarosia resedisset. Vere autem proximo patriæ
eum post longam peregrinationem invensæ cupido incessit (tradit enim
Arngrimus Crymogææ Lib. II. genealogia XIII. ubi eum Heliodorum Snor-
ronis appellat) eum annos septemdecim Haraldo intersivisse cum in Nor-
vegiam rediret) Impetratâ deinde veniâ, Rex *quantum æris ei superesset?*
rogat. Ut præter vestes nihil cognovit; *malè igitur, ait, longa militia
multaque pericula collocata; ne tamen pater tuus te mihi de nibilo intervivisse*
(& is ante sedecim annos tunc exspiravit) *cognoscat, nave mercibus onusta
te donabo.* Gratum id Haldori. Paucis diebus interjectis quærit Rex, *an
& nautas conduxisset?* Is vero respondit, *omnes transitum ad peregrinas
terras anbelare: Islandiam in præsens ut minus quæstuosam refugere, itaque
neque navem, neque merces usui futuras vectoribus destituito; diuturno enim
bello, quod inter Danos & Norvegos duravit, mercium transmittendarum
securitate sublata, damna ingentia subnata, utramque gentem afflixisse; da-
mni reparationem inde quærendam, unde lucri spes maxima assulgeat; hinc
quamlibet terram Islandia prælatam, utpote viciniores remotiori, quæstuosas-
rumque mercium feracioris steriliori.* His cognitis Rex in crastinum for-
rum indicit, seroque, nec satis affabilis, accedit. Convenerunt, ut impe-
ratum, cives urbani, mercatoresque magnâ frequentiâ. Rex singulis
commeatu interdicit, quod certâ famâ cognoverit, *insusum in Vicbanma-
gno cum exercitu Regem Svenum, usum igitur navium hominumque sibi per-
quam necessarium: soli Haldori, qui patriam post longam peregrinationem re-
petere gestiat, nave non ita magna, navigationem permissam; præter volun-
tatem suam hæc fieri, necessitati quo duriori hoc magis parendum.* His di-
ctis conventum solvit. Sub vesperam accitus Haldor interrogatur, *nihil-
ne nautarum conductum? Tantum, respondit, consfluxum ad se factum, ut pe-
riculum esset, ne ades confringerentur.* Jubeat itaque, ut, quos conduxerit, te-
neat. Postridiè iterum omnes mercatores ad Regem convocantur; ipse
satis matutinus vultuque præsentis adest, exfurgensque: *Alia jam, inquit,
rerum facies quam quæ pridie; falsus enim rumor vanum nobis de periculo à
Danis tam propere instanti metum incussit: quo liberati, liberum etiam vobis
navigationis arbitrium permittimus; vos sub autumnum reduces, nobis ea quæ
pretiosa sunt afferre mementote, præter pretium nostræ quoque gratiæ compo-
tes futuri.*

Magno gaudio gratiarumque actione oratio Regis indulgentiæque
excepta est; Haldorque in patriam profectus hyemem ibi transegit; po-
stera æstate in aulam Regis rediit, verum haut pari ut antea studio & di-
ligentiâ

lgentiâ Regem coluit. Sæpe enim per vesperas, cum Rex cubitum iret, remansisse perhibetur. Haldoris confessores duo memorantur, alter Thorer Anglipeta, mercator celebris, qui pretiosis donis Regem sibi devinxit, interque primores aulæ receptus, jam senex, ætatisq; excusatione, (cum dimitti non posset) impetravit, ut potando ultra voluntatem suam ne fatigaretur, sive memoriales scyphi, sive alia pocula propinarentur. Alter Bardus, vir natione Uplandus, ingenio probò, nec grandi ætate, sed Regi in paucis acceptus. Evenit autem, ut dum hi tres invicem potarent, Haldorqve cornu grande & pellucidum mediotenus epotâsset, Thoreriqve redderet, ut superveniens Rex Haldorem his verbis objungaret: *Experimentum hominum tandem; tu quidem, Haldor, senem comptando dolis circumvenis, serisque vesperis prostibula scëlans Regem tuum deseris.* Siluit ad hæc Haldor, offensamqve decoxit. Quo animadverso Bardus primo mane Regem adit; quo viso Rex ait, *adeone matutinus? ita est,* respondit, *sed ad increpandum te, qui sine causa amico tuo & veteri satelliti dolosam computationem improperabas, cum poculum, quod Thoreri competeat, vicem ejus hausisti, reddiditque repletum, quod alteri porrigeret.* Id verò a veritate maxime alienum, quod scorta sequeretur: *ut vero diligentius tibi ministret, nos quoque optamus.* Rex se hoc compositurum, cum Haldorem alloqueretur, pollicitus est; id quod Bardus ei iterum retulit, fradens ne Regis verba ad animum revocaret, talium enim injurias magno animo ferendas.

Hoc tenore tempus ad festum Christi natale processit. Tum vero pro more, dum securitati festi cavetur, singulis culpis certæ multæ irrogatæ, inque indicem relatæ, publicèqve recitatæ. Quo vèro plures multarentur, Rex quodam festi die campani æris custodem munere allexit, ut signum à consuetâ horâ in aliam transferret. Multis hoc commento delusis, deqve improviso multati, eodem die in stipulis confidentes, pænalia pocula hauriebant, Haldore in propriâ sede remanente, cui nihilominus poculum appositum, cum haurire recusaret, Regi indicatur. *Bibes,* respondit, *me porrigente;* descendensqve loco Haldorem adit, poculumq; porrigit. Haldor assurgens *sibi non imputandum* respondit, *quod inreposito temporis signo ipse Rex procurabat.* *Bibes tamen,* ait Rex, *pariter ac alii. Poteris quidem tu,* respondit Haldor, *me ad pænale hoc poculum evacuandum adigere: ceritè Sigurdus Syr* (is pater erat Regis, Hringarichæ Regulus) *Snorrium Curionem* (pater is erat Haldoris, vir potens & sapiens) *invitum non compulisset;* recepitqve poculum & exhaustit. Rex vero tantâ morositate offensus discessit.

Octavo deinde festi die, qui novum annum auspicabatur, satellitum stipendia depensa sunt; argentum verò minus erat probum, plus æris, aut certè dimidium, admistum habens, cum probatissimum. (Monetam Haraldinam per cavillationem appellabant.) Haldor suam portionem sinu pallii receptam, ut minus probam aspexit, altera manu excutens in stipulas dejecit. Increpatus à Bardo, quòd in contumeliam Regis stipendium projecisse videretur, iramqve ejus sibi conscisceret, nihil movebatur.

Post natale Christi festum classem Rex ad austrialia regni profecturus curabat adornari, solo Haldore se ad expeditionem non accingente; quo cognito Bardus, *quid constituerit?* quærit: *domi se remansurum* respondit; *scire enim comitatum suum, ut cætera, Regem parvi pendere.* Adit itaq; Regem Bardus, nunciatqve, Haldorem profectioem detrectare: *prospiciendum ut parem ei alterum, qui puppim dirigat, substituat.* Rex *reinvitari ei jubet, ut eat;* similitates enim, quæ inter eos superficiales tantum futurar.

turas. His persuasus Regem secutus, navarchus, ut antea, constituitur. Quadam nocte cum ei, qui ad clavum sedebat, imperaret, ut cursum flecteret, Rex contra, ut rectâ pergeret, idque semel iterumque, imperiaque inter se hinc Regis illinc navarchæ contenderent, prevaluit, ut par erat, Regis; navis vero scopulo illisa, carinâ partibusque proximis inutilata, vectores aliis in terram devehendos reliquit (*Arngrimus* singulos nando ad terram pervenisse scribit) tentoria deinde fixa, navisque reparata; cum Haldor iterum abitum parat. Id cum Bardus ad Regem deferret, *nec injustam ejus querelam ostenderet, quod per monetam adulterinam mercede justa illum prius fraudasset, jam vero in contumeliam ejus navem fregisset, eo tantum sine, ut ludibrio aliorum exponeretur, tanquam navigandi imperitus, peteretque ut stipendium ei redderet, dignum enim argento defecato; Rex quærit, an & eò, quod satraparum filiis erogaretur, nec is contentus esse possit, tantamque in se contumeliam irritam habendam, quod stipendium in pavimentum projecit?* Bardus veterem potius eorum amicitiam, fideliumque ejus fortemque operam, tum etiam Regiam magnanimitatem, cui intractabile ingenium Haldoris probè notum, respicienda suggerens, pervicit, ut argentum defecatum obtineret; quò ad eum per Bardum relatò, monstratoque, *quanti Rex eum faceret, cum præteritis offensis nihil motus, cuncta, que postularentur, indulgeret; nec tamen sic Regi eum mitigare potuit, ut navarchiam Regiæ navis in se postea recipere vellet, alteram navem gubernandam sibi donoque dandam postulavit, modò Rex comite se uti vellet.* Bardus nimia indignaque postulari testatus, nimirum ut satraparum aliquis nave suâ ei cederet; cum vero à proposito eum dimovere non posset, iterum postulata ad Regem defert. Rex, ut obstinatum deliniret ingenium, satraparum unum Svenum de Lyrgia ad se vocat; eum virum generis nobilitate, tum etiam consiliis præclarum prædicat, *se itaque ejus præsentia indigere, ut secum, quid maxime conveniat, maturè consulat. In suam itaque navem recipiendum: se interea ejus navî alterum idoneum virum præfecturum. Svenus alios in eum diem consiliis ejus adhibitos respondit, nec se isti muneri idoneum, nec tanti honoris appetentem; quæritque; quem in suum locum destinaverit? Haldorem, ait Rex, Snorrii filium.* Id vero Sveno indignum visum, se, utpote satrapam, virum indigenam, nobilitate clarum, præfecturâ navis removeri, hominem autem Islandum substitui. Rex *haud inferiore eum genere in Islandia ortum, quam Svenum in Norvegia, respondit, nec adeo longum tempus effluxisse, ex quo ii, qui terram illam colerent, Norvegi fuissent;* pervicitque, ut Svenus Haldori cederet.

Paulò post, cum in tractu Osløensi Rex convivaretur, Haldorque inter cæteros aulicos in Regio triclinio accumberet, custodes navis singuli invidi renunciant, Svenum de Lyrgia se in undas projecisse, navemque abduxisse. Assurgens itaque Haldor quærit à Rege, *an ei constitum esset navem sibi, ut convenit, tradere?* Rex affirmabat, misitque sex naves, quæ Haldore duce Svenum persequerentur. Nec longè aberat, cum is resistendi spe destitutus cum singulis remigibus in terram proficiens navem persecutoribus capiendam reliquit. Affectâ ætate in Thrandiam reditum; Svenus verò causam omnem arbitrio Regis decidendam commisit. Fidei itaque suæ esse Rex credit, ut & illi consuleret, nec tamen Haldorem offenderet; cognitòque quòd Svenus pretiò ab Haldore navem redimere cuperet, Rex cum Haldore egit, ut in id consentiret, effecitque; sed ut Rex Haldori solveret; solvitque totum ad auri usque selibram, quam nec Haldor à Rege crebrò postulavit, nec Rex solvit.

Appetente vere Regi aperit, *sibi in animo esse patriam repetere; opus sibi paucillulò, quod de pretio navis reliquum esset.* Rex haut æquis auribus exigi audivit; nec tamen eum discedere prohibuit. Interea Haldor navem in fluvio Nide instructam, insulæ, quæ Brattcy appellatur, postea admovet. Omnibus paratis, ventoque ad votum spirante, armatis quibusdam suorum comitatus ipse armatus urbem sero vespere ingreditur, assumptisque comitibus Regium cubile solus intrat, suis sub contignatione foris remanentibus. Ingressu ipsius fit strepitus, quò Rex Reginaque somno exciti, quærent, *quinam de nocte ingrediatur? Haldor, inquit, adest, jam navigationi paratus, secundo quoque vento moram ulteriorem haur permittente, postulatque ut debitum reddas.* Rex id nunc fieri nequaquam posse respondit, *quod pecunie in lecto nihil; crastinâ luce se soluturum promittit.* Jam, inquit Haldor, *reddenda est, nec irritò negotio hinc discedam; novi enim quam te jam irriterem, quare nec tibi jam in posterum fidem habebò, sed nec ultra conveniam, utarque occasione hac, quæ mihi quam tibi commodior.* Visamque armillam, quam Regina gestabat, exposcit. Rex libram afferendam monet; *illud verò minimè necessarium, ait, si quid enim superat, in partem stipendii imputabo, hoc enim tempus dolos tuos non admittit.* Regina extrema verita protinus reddidit. Haldor actis gratiis valere eos jubet, & celeritate quâ potuit cum comitibus ad navem properans raptim vela sublevat. Interea Rex milites classicò convocatos in eos immittit. Tubarum sonus tumultusque totâ urbe perstrepsens etiam ad aures Haldoris pervenit; novissimè visæ tres naves remis velisque contententes, cum assequi non possent, re infectâ redibant.

Paucis post annis Haraldus, nunciis ad eum missis, pristinam illi dignitatem longèque auctiorem obtulit, si ad se redire non detrectaret. Haldor *nôsse se ingenium ejus, patibulum sibi paratum,* respondit. Postea cum senesceret Haraldus, postulasse fertur, ut vulpinas sibi pelles mitteret, quas stragulo lecti subducturus erat; ad quod Haldor respondisse fertur. *Nam ille jam senescit antelucanus; sic enim appellabat (verba sunt Arngrim) quod olim sat matutinis fuisset, & antelucano tempore rebus gerendis advigilans senescere dixit, cui jam à ferinis excurvis calor mutuandus esset.* De Haldore Arngrimus loco citato hæc adjicit. *Vixit occidentalis Islandia laudabilis civis in prædio Hiar-dorholt ad multam senectutem usque, ad annum MCLXIII, si in annalibus menda non est, anno MXLVII, quo Haraldus Sigvardus regnum Norvegiæ adiit, traditur Heliodorus XVII annos in exteris eidem Haraldò militasse. Anno igitur MXXX militiam illam ingressus fuerat. A quo ad MCLXIII sunt CXXXIII anni, quibus adde Heliodori adolescentiam, & videbis plusquam CXL annos complevisse. Ad quam etatem contulisse primum videtur corporis optima constitutio, sanitas & valetudo firmissima. Deinde nihilominus animi constantia & affectuum frani, nullâ ratione laxati unquam. Letis enim non gaudebat, nec ringebatur adversis: nulla res, nullum periculum frontem, cibi somnive modum Heliodoro mutavit, adeo ut quod de suo Cætone Lucanus, idem nostri de suo Heliodoro canere valuerint.*

Hec duri immota Catonis

*Secta fuit, servare modum finemque tenere,
Naturamque sequi*

Kringla tamen cateraque exemplaria omnia, quæ vidi, præter solam *Morkinskinnam*, hæc ut fabulosa prætereunt; innuunt tamen, postquam Haraldus in Norvegiam rediit, Haldorem ei minus acceptum fuisse. Verba eorum hæc sunt: *Haldor Snorri filius & Ulfus Uspaki filius, de quibus antea*

antea dictum, cum Rege Haraldo in Norvegiam venerunt, viri in multis dissimiles. Haldor staturâ corporis ingens, robore maximo, formâ insigni. Illud testimonium Haraldus ei perhibuit, quod inter milites suos unus fuerit, qui incidentibus minimè moveretur, sive pericula, sive læta nunciarentur, aut subita pericula supervenerint, nec letior, nec tristior; nec somno, nec cibo, nec potu ultra receptum morem indulserit. Fuit autem verbis parcus, sed asper & asperius, ingenio pertmax & rigidus: id vero Regi tunc displicuit, cum præclaris viris abundaret & officiosis. Parvo igitur tempore apud Regem mansit; abiit in Islandiam, prædiumque Hiardarholt incoluit, usq; senectam ad quam pervenit. Hæc verbis codicum retulit. Certè historia, quæ gesta Eyrbyggensium in Islandia describit, inter maximos patriæ suæ proceres fratrumque suorum (qui omnes viri celebres) maximum eum recenset. Equidem si tantum facinus, atq; hic describitur; in Dominum suum ausus esset, mirum Haraldum in eum occisores non immisisse, quod Regibus Norvegiæ in Islandos intra patriæ suæ limites constitutos haud infreqvens; tamen id in tantum virum, provinciæ suæ principem, satellitio domestico quotidie vicinorumque studiis stipatum, haut proclive. Sed nec ratione caret, Haraldum præstiti sibi fidei insignis documenti, cum ulro se carceris, unde nulla spes reditus, certa mortis, nec illius simplicis, quippe per bestias exequendæ, socium præbuit, memorem, maluisse offensæ, quantumvis atrocis, ultionem omittere, quàm eum in sua patria occultis artibus persequi. Ego fide exemplaris, quod citavi, hæc referenda existimo, lectorisque arbitrio, quantum his tribuere velit, relinquo, contentus *Arngrimum Jonam* hæc scriptis inserere non fuisse dedignatum; cujus prævia autoritas me quoque tuetur & animat, ut quod ipse retulit, nec ego omitam. Dubito tamen, an Annales, qui mortem Haldoris Snorrii filii ad prædictum annum referunt; hunc eundem Haldorem intelligant. Notant enim in foro generali Islandiæ armis certatum, ibique Haldorem Snorrii occisum, cum tamen alibi non legerim eum violentâ morte sublatum, sed nec ultra dubito. Tollit enim omne dubium *Stur-lungorum historia*, quæ in illo tumultu Haldorem quidem Snorrii filium, sed presbyterum, cæsum tradit.

CAP. X.

DE MANSVETUDINE REGIS HARALDI
IN ISLANDUM QVENDAM, ET SVENI MIRA BE-
NIGNITATE.

Oderationem Regis allatum exemplum declarat; lenitatem quod sequitur. Emerat in Grönlandia vir pauper, nomine Audunus, Islandiæ occidentalis quadrantis civis, eximiâ specie ursum, in quem reculam, quam possidebat, omnem impendit, quod reliquum erat, matri ad triennii sustentationem, intra quod rediturus erat, ante abitum erogabat. Hic adeò egenus erat, ut mercedem laboris à Thore renavarcho, qui Mæris habitabat, solâ vecturâ permutaret; quem deinde in Grönlandiam secutus, post hyemem ibi transactam, domum quoq; comitabatur; ursum verò donum Regi Svено destinabat, certus melius collocari non posse. Fit enim, ut ad liberalitatem Principum pauperes, sæpius

pius etiam divites, certatim accurrant, ingeniosis cōmentis lucro inde captando inhiantes. Jamq̄ in australia Norvegiæ, ubi tum Rex Haraldus præfens erat, devenit, cum fama urfi nivei ad Regem delata cupidine ejus comparandi animum ejus incendit. Arcessitus igitur interrogatur, *an & ursum pretiò, quò emit, ipse sibi iterum vendere velit?* negantem iterum Rex interrogabat, *an duplò? id enim justius, cum universam substantiam in eum rependerit:* id cum similiter negasset; *an ergò donare malit?* id quoque abnuentem rogat, *cui destinaverit?* donaturum se Regi Daniæ Sveno profitenti, *adeone, ait Rex, imperitus es, ut non mandaveris bella, quæis hæc duo regna inter se colliduntur? an tibi tantam fortunam spondes, ut quod aliis, quantacumque necessitate urgente, non procedit, id te feliciter expediturum existimes?* Id verò, respondit Audunus, *jam peius te, Rex. Quin ergò, ait Rex, permittimus, ut quò libet absque impedimento eas, fortunamque tentes, quæ in totum fortè non destituet. Tu modo redi, nobisque refer, qualiter Svenus ursum remuneraverit.* Id pollicitus dimittitur, pergitque donec in Daniam omni viatico consumpto devenisset. Et jam alimenta sibi feræque emendicabat, donec in villicum quendam Regis incidisset, nomine Akium, à quo petebat sibi feræque Regi dono destinatæ stipem, quò incolumis sisti possit. Is verò pretium exigens, nihil ejus necessitate motus, inque societatem doni ascisci cupiens, urfi dimidium exposcit, monstratò, *ut alimentis subveniatur, medià moriturum, frustra-que in iter tam longum arduumque impensas & molestias susceptas.* Quò animadverso, in hanc conditionem consentit, placuitque ut ambo simul Regem adiret. Eò cum ventum esset, Rex scopum itineris ejus exquiri; *Is Islandum se in Gronlandia præsentem ursum universis suis bonis emptum dono ei destinatum in Norvegiam prius, inde in Daniam, Regis Haraldii in castantum licentiam permissu, duxisse; jam verò donum animo minus, cum dimidium remque à principio, ut gesta est, ordine exposuit.* Quò cognito Rex ab Akio quærit, *verane essent, quæ peregrinus afferret?* affirmanti: *Exge, inquit, bone vir; tu, qui nostris prædiis dispensator præes, hominem peregrinum, tanto studiò ad nos honorandos contendentem, quò minus propositum perficeret, impedivisti; cum tamen Rex Haraldus, nobis jamdiu hostis, eum per regnum suum transeuntem liberum dimiserit, de consilio ejus certior. Crimine avaritiæ, ad injuriam nostram redundante, capitalem sententiam meruisti; exilio multaberis, nec unquam nostris te oculis objicies. Tibi verò, Islande, pares gratias habebò, ac si mihi integrum donaveris ursum: hic quoque apud me manebis.*

Interjectu temporis Audunum, discedendi veniam petentem, Rex quid proposuerit, siquidem præsentis conditionis tederet? quæsit. Romam iter destinasse professò, offensurum se dixit, nisi iam pio proposito: magnamque pecuniam in viaticum donabat, jussitque ut ad se absoluto itinere rediret, providitque ut peregrinantium societati insertus quàm cōmodissime proficisceretur. Verùm postquam Romæ, quæ necessaria, absolvisset, in reditu in gravem morbum incidit, eumq̄ diuturnum. Ibi viaticum omne consumptum, vestesque attritæ, pili quoque capite delapsi. Tandem indusio squalore obstituto, calvaster macilentusque in Daniam festò Paschatis revenit; nec Regem adire ausus, in angulo templi, cum is præteriret, delituit, pomeridiana sacra accedentem aditurus. Interea cum peregrinantibus extra aulæ parietes pro more vescebatur, perâ & baculo nondum depositis. Cum autem Rex cum satellitio splendide ornato, jamque

que à potatione ebrîo, templum ingrederetur, iterum accedere veritus, e-
ocq̃ magis, quòd se ludibrio ebrîis quàm sobriis majori futurum cogno-
vit, in regressu tamen Regi observatus est, simulq̃ metus, quò ab ac-
cessu suo præpediretur; itaq̃ ingredientibus stipatoribus, egressus Rex,
jubet, *ut si quis se alloqui cuperet, propiàs adeat.* Tum demum accedens
Audunus ad pedes Regis se prostravit. Rex manu erigere dignatus,
*gratum sibi reditum ejus testatus, quanquam adeò à se mutati, ut vix agno-
sceret; seque sequi jubet.* Quò viso, illicò satellites irridere occipientes
Rex inhibuit, *haut deridendum dicitans, qui anime suæ melius quàm illi
consulerit.* Lavari deinde jussò mox vestes præbitæ; post aliquantulam
moram Rex, ut ad se maneret, hortatus, dignitate se eum ornaturum da-
piferumq̃ constitutum pollicetur. Is actis pro tantis beneficiis benevo-
lentiæq̃ gratiis, malle patriam repetere respondit. Miratus Rex, *quò pa-
triam his conditionibus præferret?* exquiri. *Quia iniquum, respondit, me
honoratum hic in aula tua omnibus abundantem incedere. matrem verò in pa-
tria mendicari; jam verò exhaustum, quòd ad ejus sustentationem domo reli-
qui; præterit & tempus, quòd præsumi.* Motus tantâ pietate Rex. for-
tunatum futurum auguratus, hac solâ excusatione sibi satisfactum testatus,
ad se manere jussit, quoad mercatores naves pro more ad navigandum in-
struxissent. Eò cum tempus processisset, Rex quodam die ad pontes, sa-
tellitio comitante, & in his Audunò, expansiatus est, cum nautarum mul-
tudo in apparandis navigiis pro se quisque certaret, aliis Saxoniam,
aliis orientales terras, Rusliam, Finlandiam, Livoniam, aliis Sveciam,
aliis Norvegiam, comèrciis sibi destinantibus. Occurrebat interea quæ-
dam speciosa navis, in cujus apparatu nautæ distinebantur; cum Rex
quærit ab Auduno, ut placeat? laudanti ait, *hanc tibi in remunerationem
ursi dono; quò gratiis verborum quantum potuit elogio exequente, donec
omnia apparrata essent ibidem remansit.* Et jam navigaturus erat, cum
Rex eum affatus: *Relatione, ait, cognovi, quòd terra vestra importuosa sit,
navibusque periculosum, quòd litoribus propinquum est, mare: quòd si contingat
te naufragium pati, nihil superest monumentum aditi Regis Sveni, aut præ-
mium erogati in ipsum pretiosi doni: traditæque caligâ pelliceâ, argento di-
stentâ (Argrimus tantam summam fuisse tradit, quæ navis & mercium
eâ contentarum pretium æquaret) nec omninò egenus eris, ait, si forte amis-
sâ nave hanc conservaveris.* Sed nec hæc donasse contentus; si fortè, ad-
jicit, *horum quoque jacturam facias, quid tum conduxit tibi adisse Regem Sve-
num, minusque nobile in eum impendisse? detrectâq̃ brachio armillâ, (Ar-
grimus æqualis pretii refert) hac, inquit, retentâ non egebis, extabitque ad-
iti Regis Sveni aliquale monumentum; hanc tamen non alienabis, nisi alicui prin-
cipi viro te obligatum agnoveris; est enim Principibus dignum cimelium.*

Tantis muneribus supra cætera beneficia affectus Audunus Norve-
giam petit, mercesque exponit, memorq̃ve promissi Regem Haraldum
jubetur. Comiter exceptus inter satellites consistere, cumq̃ve iis computare
adit. Quærit interim Rex, *qualiter ursum rependerit Svenus? magnâ
humanitate, respondit, quòd accipere dignatus est. Id ego quoque fecissem,
ait Rex, sed quò deinde præmio? argento, ait; ad sacram peregrinationem
instruxit.* Tum Rex, *multos ille argento in illum usum aliaque instruere so-
let, licet munera ipsi non afferant. Quid his adjecit? Conditionem mihi obtulit
dapiseri, aliorumque honorum.* Egregiè id, ait Rex: *plura certè adjecit.
Navem dedit, iis mercibus onustam, quæ hic in Norvegiâ desideratissima. Ma-
nificum donum, ait Rex; quòd ego quoque dedissem. Adhuc plura quærit.*

Caligas, inquit, pelliceas argentò distentas, me, si navis jacturam facerem; posse indigerem. Præclare hoc, respondit Rex, & supra me; nam repente visus essem datâ nave, meque obligationis nexu liberâsse; plurane? inquit quærere. Armillam banc, quam gesso, ne, si forte utrumque, navem & argentum, amitterem, egeus ut antea essem, vetuitque ut alienarem, præterquam viro principi, cui me beneficiis obstrictum reputarem, quem ego jam coram intueri videor: te nimirum, Rex, qui me liberum dimisisti, cum utrumque licuit & usum mihi eripere & vitam. Rex donò alacriter acceptò, muneribus egregiè, antequam discederet, ornavit, qui eadem æstate patriam repetivit, inter fortunatissimos deinde habitus. Ab illo, nescio quis, sed hujus scriptoris tempore celebris in Islandia vir, Thorsteinus Gidæ filius, prognatus dicitur.

Tantum Regis mansuetudinem beneficentiamque; parcius forsitan Audunus eo præsentem ingenue pudore præpeditus laudibus exulit, ne aures ejus oneraret. Haraldo verò cum exponeret, probè monstravit, quàm intelligeret, quantum ipsi deberet; repensum enim munus rectè æstimavit, tum cum accipere tantus Princeps dignatus est, magis etiam cum dimidium integrò mensus voluntatem donantis respexit. Cætera quò admirationem Regi augeret, sigillatim prudenter exposuit, quorum singula non in partem remunerationis, sed beneficio imputanda sapienter judicavit. Non egent muneribus Principes, nec pecuniâ aut mercibus iis, quæ abundant, beneficia eorum à privatis rependuntur, nec rependi hoc modo vel sperant vel optant: agnitione, gratiarum actione, commemoratione, debita laude, studiis, obsequiis, traditione famæ, tam ad cœcos, quàm posteros, rependuntur. Nihil horum in Auduno omissum, nec scio an amplius quid Sveno obtingere potuisset, quàm ingenua Haraldi & Regis & hostis confessio, quâ primum liberalitatem ejus in omnes celebravit: deinde quòd se ab eo hac virtute victum confiteretur. Tum etiam prosperæ famæ in peregrinâ disitaque gente promulgatio, & tot seculorum decursu incorrupta conservatio, inde in omnes gentes dispersa, & apud singulas optata perpetuitas; quorum ne minimam quidem partem ea, quæ erogabat, vel retenta, vel ad quæstum collata, præstare potuissent.

CAP. XI.

DE ISLANDO QVODAM, QVI GESTA
REGIS HARALDI IN EXTERIS AULICIS EXPONERE SO-
LEBAT, ET ALTERO CÆCO, STUFI KATTI FILIO, PRÆSA-
GIOQUE REGIS DE GISSURE ISLAN-
DÆ EPISCOPO.



Alterum mansuetudinis Haraldi exemplum in altero Islando, cujus nomen non exprimitur, tale refertur. Is juvenis alacer inter famulitiam aulicam recipi postulavit, professus historiarum notitiam. Admittitur eâ conditione, ut quoties Rex imperaret, unam historiam recitaret. Id cum ad festum natale Salvatoris penè duraret, adeò se acceptum reddidit, ut aulici purpurati vestes illi, Rex quoque arma daret. Paucis vero ante festum diebus capiti contristari; quòd animadvertens Rex causam insolitæ tristitiæ quærit; cumque non exprimeret, collegit defectu historiarum

arum universo festi tempore narrandarum laborare; nam ad id usque tempus thesauros suos liberaliter singulis vesperis singulis poscentibus erogando se exhausterat. Id confessus Regi, *unam tantum historiam residuam refert, sed quam exponere metuat, quod nesciat an rectè perceperit: eam gesta ejus in exteris complecti.* Rex illam sibi jucundissimam futuram, se verò eam in partes digesturum, ut quoad festum illa quoque duret, pollicetur, jubetque ut alacriter recenseat, sive eum errare contingat, sive minus, se tamen dissimulaturum. Primo festi die narrationem auspicatur. Fuere inter aulicos, qui temerarium judicabant, gesta Regis ipso præsentè exponere; alii verò id ut Regi gloriosum probabant. Ipse Rex attento animo recitata exceptit, alios quoque arrectis auribus auscultari cupiebat, sed parvo singulis vesperis tempore: deinde ad compositiones celebrandas itum. Festo Epiphantias, cum finita esset historia, Rex eum per vesperam arcescit (meridiano enim tempore recitatum est, ut credo, vel inter vel statim post prandium). *quæritque, cuperetne scire, ut sibi narratio placeat? Is vereri se, ne offendisset, respondit. Rex spe felicitus recitatum ait, quæritque unde didicerit? Forum Islandiæ, seu comitia gentis, que semel quotannis celebrantur, se quotannis adire solitum refert, partesque singulis annis didicisse, donec omnem hauserit, idque recitante Haldore Storrii. Non igitur mirum, ait Rex, ita perceptam, id quod tuas res promovet: datisque ei muneribus mercibusque ita instruxit, ut in posterum profecerit.* In primis notatu dignam se offert consuetudo veterum, qui tam intra privatos parietes, quam in publicis confessionibus, præclarorum virorum, in primis Principum, gesta celebrabant. Verum haut diffiteor, historiam illam longè diversam fuisse ab ea, quæ superest, à nobis antea exposita.

Tertium mansuetudinis exemplum Islandus quidam, vir cæcus, sed genere nobili, nomine Stufus, exhibet. Pater ei Thordus, cognomine Kattrus, seu felis, avus Thordus, proavus Glumus Geirinus, Haraldus Græfeldi Norvegiæ Regis aulicus latelles, qui ipsum carmine celebravit, avia paterna Gudruna Osvifi filia, Ulfi Stallarii amita. Hic in Uplandas delatus ibidem hyemavit; quò Rex omnibus improvisis cum suo comitatu advectus, cum cæna appareretur, cænaculum solus ingressus, cæcum illum ex Islandia profectum cognoscit, nomenque ejus edoctus (truncum autem denotat) continuò in jocos effusus paternum quoque exquiri; quod cum Kattum, quod selem significat, dici percepit, vultum in risum solvens, nec illò proprium ejus emendari regeffit. Arridentem Stufum, causamque reddere jussim, cum non expressisset, ipse Rex quæsiturum fuisse, ubi porcus, cujus pater ejus nomen gereret (*Syr enim porcum denotat*) conjectabat, id verò verbis exprimere veritum. Stufus rem acutè tetigisse confessus est. Adhibitus deinde mensæ, decem inde odas, quas *floct* appellant, à se ipso factas recitat. Interrogatus, *an et drapas nosceret? totidem ac flockos*, affirmavit, alacriterque recitabat, adeò ut Regi, qui & disertum eum poetam & virum sapientem judicabat, se probaret. Interrogatus, *cujus ergò è patria profectus esset? hereditatis propinquitatis jure delatæ causâ*, retulit; literasque à Rege ad præfectum provinciæ, ubi boni mortui custodiebantur, impetrabat: deinde in aulicorum numerum afixus est. Ubi notandum, Regem id sine aulicorum consensu permitti non potuisse, primò, cum Stufus postularet, respondisse; fortè quòd cæcus esset. Id verò deinde facillè obtinuit, credo annitente Ulfo Stallario, cui Stufus in tertio gradu lineæ inæqualis junctus erat. Hic idem Stufus Regem mortuum exquiritò carmine celebravit.

Vifô Giffure Isleifi primi Islandiæ sedis Skalholtensis Epifcopi filiô, laudanrium voces tali fuffragiô confirmâffe perhibetur Rex Haraldus: *tria ex illo procudi poffe, vel ducem piratarum, vel, fi ingenium fpectetur, Regem, vel etiam Epifcopum; id quod futurum auguraretur, & quidem magnâ cum laude officium illud gefturnum; quod ille verus vates conjeçtabat.*

CAP. XII.
DE ODDO OFEIGI FILIO, EINARE
FLUGA, ET HALLO, SNÆGLU-HALLO-
DICTO.



Oddus autem Ofcigi filius, vir quoque Islandus, haut pari gratiâ Regem noviffimè reliquiffè fertur. In Finnmarkiam enim feu catu feu fponde delatus, nautas non inhibere potuit, quoniam merces cum Finnis permutarent, id autem Regio mandatò fevere vetitum eft: videturque Regulorum tempore mos ille obtinuiſſe, obſervatus deinde ab Haraldo Pulchricomo & ejus ſucceſſoribus, ut commerciorum jus ſoli ſibi Reges reſervarent, uſumque aliis certâ ſummâ manciparent, vel per præfectos exercerent.

Præfuit tum Halogenſi præfecturæ vir ſtrenuus Einar Flugá, Harechi de Thiotta filius; qui, dum Thiottam prætervehitur Oddus, ſcapham expedit, recogniturus an prohibitas merces veherent. Oddus, ipſe quidem criminis imunis, veritus tamen, ne nautæ ipſò inſciò vetitarum mercium comparatione deliquiſſent, ut ſibi caverent, ſingulos monuit. Non enim omnium rerum commercium interdictum; ferinæ exuvia pretioſiores exceptæ ſunt. Igitur dum Einar inquisitioni imoratur, plenis illi velis navigant, faſciculisque de induſtria implicatis evolvendis, ſumibusque ſolvendis eum detinent, donec longius eveçti, quàm ut tutum ei eſſet ulterius progredi, eum deluſum iratumque dimittunt; qui quam primum domum rediit, Regem per nuncios de dolo Islandi illius, quem tamen Rex probè novit, ante etiam (ut tunc moris) hoſpitiò receperat, certiore loco. Qui quantâ temeritate indignatus, obſervari navem juſſit. Cum ad locum, ubi is tunc remanſit, per quem publicum iter erat (Mitoa appellatur) præteriret, ipſe Rex veritatem ſuper his explorari jubet. Verum conſilio Thorſteini, Thoreris Canis cognati, qui tunc in aula Regis erat, Oddus liber evaſit; cæterum cum eodem autumno in remunerationem auxilii delectos eqvos, ſingulos colore rubro, júbis albis, Thorſteino mitteret; is Regi, ut doli hujus conſcius prius ſuſpectus, malè conſuluiſſe ſibi amicum queſtus, quòd quæ ſibi antea imputaſſet Rex, jam certis indiciiſ feciſſe convinceretur. Adit itaque Regem, ſalutationem Oddi deſert, eqvos monſtrat, miſſosque Regi nunciat. Commotior inde Rex, *denudè ſe ab iis deludi: non ſibi miſſos ait, ſed præmium perfidiæ illi datum; propèque erat, ut capite plecteretur, eò magis, quòd Biarkeyenſis familiæ, fratricidæ Regis Thoreris Canis propinquus, condonatum familiæ crimen novo ſcelere exulceraret.* Sed interceſſione amicorum aulâ tantum ejeçtus eſt.

Iſte Einar Flugá adeò potens & ſuperbus fuit, ut more Thambaskelferis agrè ſe in ordinem cogi pateretur, effrænſis inſuper, adeò ut ſine ſatis-

tisfactione multos levi de causâ occideret (ad quæ Rex, ut ubique in septentrione mos erat, connivebat) jam verò Regem accedens tanto honore exceptus est, ut à latere Regis collocaretur. Sub adventum ejus aulicus quidam confessori suo, viro genere septentrionali insulæ illius quadrante oriundo, jam quoque in aulicorum numerum recepto, nomine Hallo, exponit, *quàm potens, arrogans, & iniquus Einar iste sit, ut qui ad cedes procrævis satisfactionem omnem defugiat. Atqui, respondit Hallus, si meum propinquum occidisset, satisfactionem extorquerem.* Id verò ultra vires aulico visum. Cum aliquantisper inter se contenderent, caput suum Hallus, ille anulum pignori deponit: (manet etiamnum in Islandia hæc formula, si contendatur, *deponam caput meum*: nec nisi inter plebejorum fecem præsci moris reliquias agnosco.)

Quodam die cum à prandio potaretur, quærit Rex de statu commerciorum per Finnmarkiam: cui Einar, deprehensam sibi navem Islandicam, aditamque, sed inquisitionis impatientem, nautis ad resistendum se parantibus, vim quoque adhibitam. Certatum acriter, unò præsertim singulare fortitudinis specimen exhibente, cui si reliqui pares fuissent, haud facile superatam fuisse; ejus mortem deditionem secutam. Quò audito Hallus locum suum repetit, valde tristis. Confessor causam inquirit; *propinquum suum ab Einare occisum queritur, jamque assuljuram occasionem exigendæ satisfactionis*: dehortatur alter contractumque rescindi, quàm ut tanto se discrimini exponat. Negat Hallus, posterâque die Einarem adit, ipsius confessione propinquum ab eo causum sibi constitisse refert, peritque ne multam denegat. Einar vicissim quærit, *an sibi eam fortunam sperderet, quam nemo adhuc consecutus esset; nunquam enim eadem multâ expidisse, sed nec porro facturum: quòd si ipsi satisfaceret, statim reliquos inde exemplum sumpturos.* Hallus penes ipsum futurum, quantum daret; etiam paulum sibi solatio futurum. Einar his ut desisteret, abiretque, postulabat. Paruit Hallus, confessorumque tristior accedit, exponitque scissitanti denegatam multam. Is *id sibi prius constituisse affirmat: se gratiam pignoris facturum, modò ne ultra fortunam periclitetur.* Adhuc semel se sollicitaturum refert, aditque iterum, & jam nihil nisi minas reportat, si ulterius persistat; *jure quippe casum, utpote qui inquisitionem armis prævertere aggressus fuerit.* Abivit itaque Hallus, socioque retulit, præter minas se nihil lucratum. Et jam alter illum seriò dehortari ab ulteriore expeditione, sequæ pignus remittere testatus est. *Non satis,* respondit Hallus, *expertum, nisi tertio.* Et jam Regem Einare præsentem adit salutatque. Rex *quid expetat?* quærit. *Somnium,* inquit, *Einar, ut aliquâ ex parte ei satisfacias. non enim peni si habet quid faciat; unum carmen ignominiosum pecuniariò damno molestius, si, ut fieri solet, memoriæ mandetur, infixum deinde ad omnem posteritatem transit: nec hoc somnium est, quòd exposuit, sed propositum, quòd certè exequetur.* Carmen imprecatorum iis quoque noxium fuit, qui te potentia superiores fuerunt; neque enim exempla desunt. Einar monitis Regis se obsecraturum pollicetur, jubetque ut eum, qui sibi à rationibus, adeat, tresque marcas argenti accipiat. Hallus gratias egit, sibi que satisfactum pronunciavit, aditque pecuniarum ministrò argentum exigit; quatuor mar-

cas marfupio contineri dixit, porrexitque. *Tres*, ait Hallus, *depromes; cetera retine.* Iis acceptis Einarem adit, iterumque gratias agit; quærit autem Einar, *num totam crumenam exhauserit? Non sic*, respondit Hallus, *mibi impones, ut furto me implices; novi enim technas tuas.* Id ita Einarem destinasse postea compertum est, quo furti crimen intentando (non enim observatum frictè, quo modo acciperet, an traditum, an secus, modo contrectasse alienum, licet haut invito dominò, convinceretur) capitis anquiret. Conversus inde ad confessorem lætus, quid lucratus sit, exponit. Is pignus simul lucratum pronunciavit. Id vero ipsum habere jubet; *neque enim pignoris amore certamen institutum, sed experimenti gratiâ, an & possibile pecuniariam multam illi extorqueri: sed nec hanc causam se attigisse, nullum enim suorum propinquorum ab illo unquam occisum.* Fuit autem Hallus è joculariorum genere, ad omnia audax recensque, pœtæque insignis. Cum primum è patria navem ad Agdanesiã appulisset, dum Thrandiam peterent, habent in sinu obvias aliquas naves longas, videntque in puppi draconis virum rubro pallio; qui eos inclamans quærit, *quis navem dirigat? ubi proximo vere fuerint? unde solverint? ubi appulerint? & ubi proximam noctem degerint?* Tum Hallus; *director navis Sigurdus; in Islandia hyemavimus; à Gasis (locus est) solvimus, ad Hyttram appulimus; in Agdanesia noctem peregimus.* Tum vir è dracone (is fuit Rex) nomine Agdius ille vos stuprabat? *nondum*, respondit Hallus: *nobiliores deperit, & te quidem, Domine, hac vespera exspectat.* In famulitium Regium receptus, carminum jucunditate mirum quàm Regem exhilaravit: nam & Rex in arte illâ excellebat, tum naturæ geniò, tum etiam artis peritiâ.

Mox inter illum & Thiodolfum pœtam celeberrimum orta æmulatione. Regem ad committendos eos accendit; petebat autem Hallus à Rege, *ut carminis, quod in ejus laudem composuisset, aures præbere dignaretur.* Rex an & carmen prius fecisset? quærit. Negabat Hallus. *Id ergo tantum tibi existimas*, ait Rex, *cum multis celeberrimorum pœtarum carminibus celebratus sim? Sed quid tu consulis, Thiodolse? Tibi quidem*, ait Thiodolfus, *consilium dare nescio, Hallo autem bene.* Rex, *quid id?* quærit, *inquit, tibi mentiat; fecit enim carmen de vaccis, quas in Islandia custodiebat, quod Kolla carmen appellabatur.* Rex *car ergo negaverit se carmen fecisse? Quid, inquit, nullius momenti sit.* Recitabat deinde Regio jussu. Quò finito; *plura*, ait, *debent recitari, carmen quoque quod Thiodolfus in Islandia fecit, cum cinerum custos eas esseret domo.* Rege de veritate quærente affirmabat Thiodolfus, quòd paupere patre natus necessitati paruisset, fratribusque & sororibus auxiliatus, quò maturius ad ludos redirent. Rex id quoque recitari voluit. Auditò utroque, Halli prætulit, materiæ tamen defectu Thiodolfi excusabat. Thiodolfus Hallum mordacem virum pronunciabat, *ideoque bonum pœtam; id tamen et neglectum, quod patrem non ultus fuisset.* Quid tibi, ait Rex, *cum auct, multo patre? Pactiones*, respondit Hallus, *fœdera & contractus apud nos sancta; tenellus puer eram, dum occideretur, mei pupilli nomine tutores pacificati sunt, acceptâ satisfactione, cujus partem accepi; periit itaque jus ad vindictam.* Rex id suffragio suo cum probasset: *At*, ait Hallus, *neminem atrociorum vindictam de patris sui interfectore, quàm Thiodolfum, sumpsisse novi. nam eum non solum occidit, sed etiam edit; cum enim vitulum enudicasset pater, ducturus domum, funem, quo illum traxit, collo suo appendit; devolutus inde per precipitium suppedaneo destitutus, vitulo, ne rueret, resistente, gula fractâ periit.* Tum Thiodolfus accensus irâ gladium stricturus videbatur.

Rex,

Rex, cum prior hanc litem moverit, æquum esse dixit ut se quoque placabilem ostendat, reconciliatosque esse iussit.

Hallus ob promptitudinem carminum, tum etiam arguta parataque responsa, gratus erat Regi; Reginae autem Thoræ ob obsceniores jocos, instinctu Regis in illam jactos, admodum molestus. Exemplum, licet crudius, codex tamen Flat: hoc affert. Tenuit Rex securim deauratam, bracteato manubrio, cujus extremitatem argenteus circulus (hoitur) ornabat; quam ut Hallum intentius observantem animadvertit, quærit an placeat, & an aliam meliorem viderit? Illud cum affirmasset, hoc autem negasset, an stupro mercari sustineat? quærit. Condonandum tibi, ait Hallus, si quo pretio accepisti, etiam vendas. Verè dixisti, ait Rex, eodem tu quoque accipies: donò accepi, donò posside. Reginam increpante liberalitatem in eum, tantum ob aculeata dicteria, obscenaque verba; quæ tamen in alios, qui fidei strenuamque operâ plura meruerint, deficiat: liberam sibi rerum suarum dispositionem permittebam Rex ait: se quidem ambigua ejus verba in deteriore partem non interpretaturum; arcessitoque Hallo, jubet ut Reginam ambiguo carmine celebret. Tum Hallus spurcissimo versu eam omnium complexu Regis (quem turpissimè descripsit) dignissimam cecinit. Illa vero exacerbata occidi eum jubet. Rex autem vim ei inferri vetat: laudasse enim Reginam, quòd sola se digna fuerit; posse alias in ibori consortium recipi, si eas quoque dignas duxerit ipsa Regina. Plura de Hallo, sed singula scurrilia, codicibus notata scribere non attinet; hæc tantum ad ostendendum ingenium Regis, facetiis etiam procacioribus, jocisque scurrilibus, verbisque prætextatis deditum, suffecerint.

CAP. XIII.

PLURA DE JOCULARIBUS REGIS FACI-
TIS CUM PERSONATO PISCATORE, THIODOLFO
POETA ET BRANDO ORVIO, SANATIONE CUJUSDAM
PUELLÆ, SUPPLICIOQUE SUMPTO DE TRYG-
GVII REGIS INTERFECTORE.



Omnem poetasque Rex Haraldus in primis amavit, rhythmicque faciendis vel audiendis plurimum delectabatur, adeo ut cum semel classe vectus in piscatorem ignotum incideret, eumque inclamarat, quæreretque, an versum fundere posset? imperitiam excusanti imponeret metricè se affari, se etiam versu responsurum; quem cum peritissimum deprehenderet, in navem receptum ad certamen secum invitavit, annuloque aureo donatum accendit. Adhibitus & Thiodolfus, mox quoque indignatus carmine suo à Rege reprehensò, cum allud reponere juberetur; substitit, peritoremque alterum quærere iussit. Sex extant versus illò tempore facti, in his unus Thiodolfi, qui reprehensionem meruit. Non igitur mirum, Islandos, quorum complures in arte illâ excelluerunt, iis temporibus Regibus magnatibusque in deliciis fuisse. Piscatoris indigentiam Rex donis sublevarurus, comperit esse virum divitem & strenuum, qui bello Stiklastadensi S. Olafò meruerit, idque deposita exterior vestis monstrabat; animi enim gratiâ piscatum ibat, cognitò Regem præternavigaturum: mox in comitatum ejus assumptus est. Notatum quoque quòd

quòd cum semel per plateas cum Thiodolfo exspatiaretur, inciderit in pel-
lionem & fabrum ferrarium. Thiodolfo itaque imperavit, ut altercatio-
nes illorum carmine complecteretur: indignam materiam virosq; rege-
renti, alienas personas iis induci iussit, alteri Thoris, Geirraudi (*Saxo-
ni Geruthi*) alteri. Quò factò, perfonas mutari voluit, præliumq; cum
Sigurdi Fafnericidæ & Fafneris personis describi. Binæ extant cantilenæ,
quæ hæc celebrant. Hæc, cum ad monstrandum, quàm poësi deditus
fuerit, tum præcipuè ad evincendum, quæ de Sigurdo Fafnericida hodiè-
que extant, illis temporibus pro certis habita fuisse, cætera nihili, ascri-
bere placuit.

De Brando autem Orvio verba Arngrimi, quem ille Barderum no-
minat, inseram. Dicit enim, quòd cum *Haraldus de Islandi* cuiusdam li-
beralitate (*Bardero nomen fuit*) multa audisset (*qui ex honesta mercaturâ
rem faciens, id temporis fortè in Norvegia subliterat*) eundem adit, ac pri-
mam quidem pallium optimi generis sibi donari petit, id quòd facillè obtinuit.
Deinde securum deauratam nibilo difficiliùs impetrabat. Tertio etiam tunicam
pretiosissimam petenti Regi Barderus concessit, sed manicarum alterâ abscissâ.
Rex nihil iratus, donantis animum rectè interpretatus est; quòd nempe eò sa-
clò immeret Barderus, esse Regem quasi unimanum; unam sc. habere manum,
quæ ad accipiendum parata esset, non item alteram, quæ ad dandum vel re-
munerandum.

Erat quoque Haraldus in morbis dignoscendis sagax habitus. Ingi-
biorgi enim, virgini genere, (pater ei Haldor erat magnâ in re) opibus,
morum & ingenii dexteritate nobili, perpetuâ secum familiaritate; quo-
ties ad patrem diverteret, & assiduò colloquiò conjunctissimâ; consilio
usque fanitatem profuit, hoc modò. Intumuit ei venter: prægnantis
familiaritas cum Rege ex eo suspicionem præbuit; mox etiam famam di-
spersit. Progressu verò temporis, cum ultra gravidarum speciem excre-
sceret, consultus Rex infesta ore imprudenter hausta eam nutrire conse-
cit. Svasit itaque, ut lodice sublata ad locum, ubi ex edito aquarum stille de-
ciderent, duci eam pater curaret, provideretque ut guttæ sensim ori ejus in-
stillarentur; quas absorbi vetuit, futurum ut stribundus monstruosus ille, quem
aleret, fetus aquis provocatus eatenus proderet, donec parte priori armo-
tenus exertus scindi bipartitò possit. Interea cruciatu virginis tormentaque
solito graviora insuper habenda, ancipitem eventum expectandum, periculan-
dum nihilominus, Sanctoque Oloaso supplicandum, accuratèque observandum,
ut pars anterior omnis amputetur, ne ejus quicquam iterum descendat in al-
vum, eam quippe solam venenatam, reliquam haud nocivam. Ordine, quem
præscriperat, observato, occisus vermis sæctusq;: relata puella domum
femimortuâ. Postquam aliquantisper convalescisset, arcessitus Rex, jam vir-
gini exofus, quippe quæ aucti tantum cruciatu memor, id consilio ejus
imputabat, nec responsum ejus expressit. Id quod Regi admirationem au-
xit, donec palam de crudelibus ejus in se consiliis quæstâ, excusationem
accepit: melius consulere nequivisse, ad perniciem declinandam, non inten-
dendam, consultum, presentemque statum priore multò distantem, quid profe-
ctum esset, monstrare; sperandum in dies meliorem, adque ultimum integram
sanitatem; votumque ei injunxit nuncupandum, de canendo *Beati im-
maculati*, & septem psalmis, præsertim festis B. virgini sacris. Postea sa-
nitati restituta est. Visâ deinde virginum excellentissima à satrapa quo-
dam ambiabatur. Consultus Rex abnuït: mox suspicionem incurrit mi-
nis honestæ cum ea conversationis; quam se probè dilutum professus est,
fine

sine sibi soli notô. Monasterio deinde, nec ipsâ, nec patre repugnante, adscriptam Deo dicavit. Ubi verô illud monasterium illis temporibus, aut à quo fundatum, eruere nequeo: nec tamen dubitandum, unâ cum Christianismo introductum.

Fortè quodam tempore Haraldus ad locum, ubi Tryggvius Olafi Tryggvini filius pugnâ cum Sveno Alfifæ filiô occubuit, delatus, in terram animi causâ expatiatus incidit in virum, qui eodem bellô Tryggvio militaverat: quem tristiore observans, quo suo merito contristaretur? quærit: *neque enim à se læsum meminisse. Nullo quidem tuo, Domine, respondit, meritô: Principum tamen aspectus semper mihi præterita renovat.* Causam referre iussus: *Hic, inquit, bello interfui novissimè Tryggvii Regis miles, cum is occubuit; recitatoque ordine belli; illud, inquit, me angit, quod sceleratis rustici cujusdam manibus, qui hic hodieque habitat, interemptum suspicor.* Non, respondit Rex, *mirum, illo seculô terre hujus incolas cum multis molestiis confictatos, ubi tantum nefas admissum; nec putem Tryggvio mihi que dissimilia ingenia fuisse.* Colonus tanti sceleris suspectus, iussu Regis tormentis subjectus, tandem quoque confessus, mox patibulo suffixus crimen expiavit, receptusque in comitatum probus ille miles, qui invictâ constantiâ fidem cum fortuna domini non mutavit, sed eô usque perseveravit, donec supplicio ficarii indignam domini mortem ultus est. Quicquid in Dania, quicquid in Norvegia Haraldus, sive privatim, sive publicè, gesserat, codicibus MSS. notatum, nec manifestæ falsitatis convinci potest, hucusq; retuli. Ultima rerum ejus in Angliam expeditio superest, jamjam describenda; quam priusquam aggrediar, præmittenda videtur rerum Anglicarum à tempore Horda-Knuti brevis delineatio.

CAP. XIV.

QUOMODO HARALDUS GODVINI FILIUS AD ANGLIÆ SCEPTRA PERVENERIT: EJUS INGENIUM: PROPECTIO IN NORMANNIAM: SINISTRA FAMA; ARS IN EA A SE AMOLIENDA: CONTRACTUS CUM DUCE NORMANNIÆ; JURAMENTUM MOX RESCISSUM: STROPHA IN CONQVIRENDO REGNO ET CELERTAS. PONTANI EXPOSITIO.



Ostquam Edvardus Regis Ethelredi filius ad Angliæ sceptra pervenit, Godvinus Cantix Comes ei, quòd ingenio esset simplici mitiqve, & omninò à cædibus abhorrente, filiam suam Egitham, nostris Gydam, matrimonio sociavit, quo potentiam sibi suisque conciliaret, umbram verò majestatis nomenque inane ipsi relinqueret. Uxor ei non Thora Knuti Regis soror, ut quidam Scriptorum Anglici putant, aut filia, ut statuit *Knygibon*, sed Gyda Comitum Ulfi Sprakaleggi filia, testibus præter *Knytingorum* historiam nostrorumque Scriptorum unanimum consensum *Ad. Bremensi*, eorum temporum æquali, Lib. II. cap. XLVII. ubi ait: *Ejusque Ulfi sororem copulavit Canutus Magnus alteri duci Godvino.* Et *Simone Dunelmensi Hist.* de rebus gestis Anglorum ad annum MXLIX. ubi Gytham eam appellat, & Comitum Ulfi sororem haut obscure monstrat his verbis: *Interea Swanus Comes Godvini Comitum & Gythe filius*: paucisque interje-

etis *Bjornum* Comitem *Ulfi* filium, *Spraclingi* *Urfi* filium, fratrem *Svani* *Danorum* Regis avunculi ejus filium appellat. Si ergo *Godvini* filius avunculum habuit *Ulfum*, sequitur *Godvinum* sororem *Ulfi* duxisse. Tradit autem *Henr. Knygibon* *Godvinum* ex posteriore uxore (priorem enim *Canuti* Regis filiam falso tradit, eamque filias prostituisse fabulatur) hos liberos sustulisse, *Haraldum*, *Toftium*, *Wilnothum*, *Gurt* & *Leofricum*. Eorum igitur matrem *Gydam* fuisse convincitur. Ex his *Haraldum* *Edvardus* ad aulica ministeria adhibitum pocillatorem primum fecit, tandem præfectum palatii creavit. *Godvini* autem originem *Partis* *bujus* Lib. I. C. XXII. ex *Knytingorum* *Historia* fuse exposuimus; fraudem & immanem in *Alfredum* Regis *Edvardi* fratrem sævitiam in *historia* Regis *Magni* C. II. Exitum scriptores nostri uno tenore describunt, & *Polydorus* quidem *Virgilius* his verbis. *Godvinus*, inquit, nullo consilio effugere potuit meruum supplicium; porro non intercessere multi dies, cum *Haraldus* filius, qui *Regium* poculum miscebat, *Eodvardo* præsenti dedit bibere, & forte uno pedem de offenso penè lapsus, auxilio alterius pedis se a casu recepit; stetitque, vix nequaquam effuso; tum pater qui cum Rege discumbebat, nunc, inquit, frater fratrem juravit. Ad hanc vocem, etsi per jocum emissam, *Eodvardus* turbatus animo (nam in mentem ei venit subitus interitus *Alfredi* fratris) in *Godvinum* conversus ait. Sic mihi meus frater auxilio fuisset, si per te licuisset. Tam homo facinorosus, iram Regis veritus, capit sese excusare, *Divinumque* *Nomen* ad innocentiam declarandam, jusjurandum adjiciendo, perinde quasi cum ignavum ageret, appellare, dicens: si unquam, Rex, quicumquam in necem patris tui aut in te machinatus sum, precor ut Dei nutu istud panis frustum me illico strangulet. Quæ ubi dixerat sumpto pane subito præclusis faucibus suffocatus, ac ita parricidium morte compensavit. *Simon* autem *Dunelmensis* de gestis Regum *Anglia* ad annum Christi *MLIII.* hæc aliter memorat. Eodem, inquit, anno, dum secunda *Paschalis* festivitatis celebraretur feria, *Wintonie* *Godwini* Comiti, solido Regi ad mensam assidenti, suprema evenit calamitas, gravi enim morbo ex improviso percussus, mutus in ipsa sede declinavit, quod filii ejus, *Comes Haraldus*, *Tofti* & *Gyri* videntes, illum in Regis cameram portabant, sperantes eum post modicum de infirmitate convalescere. Sed ille exers virum, quinta posthæc feria vitam decessit *XVII. Cal. Maij*, & in veteri monasterio sepultus est: cujus ducatum suscepit *Haraldus* filius ejus, & ejus comitatus datus est *Algaro* *Leofrici* Comitis filio.

De hujus Comitis duobus filiis, *Haraldo* & *Toftio*, cum hanc historiae partem spectent, plura dicenda sunt. Erant in *Haraldo* jam inde à pueritia permulta tum corporis tum animi ornamenta, forma egregia, & cui non minus dignitatis inesset, quam gratiæ, præcipuum corporis robur, docilitas ad omnes artes, armorum & equitandi peritia ingens, quæ res faciebant, ut mirificè ab omnibus, & præsertim ab *Edvardo* Rege, diligeretur. Post obitum patris *Godvini* veniam à Rege petebat proficiscendi in *Normanniam* ad Comitem (ita *Radolfus de Diceto* aliique: Ducem alii vocant) *Wilhelmum*, repetendosque propinquos suos, fratrem nimirum *Wlnothum* & *Haconem* *Svani* fratris sui filium. *Polydorus Virgilius* pro *Wlnotho* *Toftium* substituendum contendit; quos Rex obsides sibi a patre *Godvino* in gratiam recepto datos in Ducis custodiam tradidit, fidei in posterum certa pignora. Annuit quidem Rex, neque aliter potuit, mortuò eò, cujus fides istis pignoribus obligabatur, auguratus tamen, suò totiusque *Angliæ* damnò profecturum, quod *Simonis Dunelmensis* verbis exponere placet.

Hoc, inquit, non fiet per me: verum tamen ne videar te velle impedire, permitto ut eas quò vis, & experiaris quid possis: presentio tamen te in nihil aliud tendere, nisi in detrimentum totius Angliæ regni & opprobrium tui; nec enim ita novi Comitem mentis expertem, ut eos aliquatenus velit concedere tibi, si non præscierit in hoc magnum proficuum sui. Ascendit itaque Haroldus navem, quæ tempestate valida ejecta, cum omnibus, quæ secum ferebat, in Pontivum fluvium, qui Maja vocatur, a Domino terra illius pro ritu loci captivitati illius addicitur. Constrictus ergo Haroldus quemlibet è vulgo promissa mercede illectum clam ad Comitem Normanniæ dirigit, exponere quid illi contigerit. Hoc ille audito, pròtinus festinato per nuncios mandat domino Pontivi Haroldum cum suis ab omni calumnia liberum sibi quantocius mitti, si pristina illius amicitia amodo sicut hucusque vellet potiri. Sed cum ille hominem dimittere nollet, iterum a Willielmo in mandatis accepit, se necessario Haroldum missurum, alioquin certissimum sciret, Willielmum Normanniæ Comitem armatum pro eo abducendo cum suis usque novissimum quadrantem Pontivum quantocius aditurum. Talibus ille exterritus mittit virum cum sociis, qui a Willielmo multum honorificè suscipitur, & audito, cur patriâ exierit, bene quidem rem processuram si in ipso non remaneret, Willielmus respondit. Tenet ergo virum aliquot dies circa se satisque humanum se ac familiarem ei exhibuit, ut huiusmodi re animum ejus in suos conatus alliceret. Cui tandem aperuit, quod in mente habuit. Dicebat itaque Regem Eadvardum, quando secum juvene olim juvenis in Normannia demoraretur, sibi interposita fide sua pollicitum fuisse, quia si Rex Angliæ foret, jus regni in illum jure hereditario post se transferret. Et subdens ait. Tu quoque si mihi te in hoc ipse amministraturum spondideris, & insuper castellum Dofris cum puteo aque ad opus meum te facturum, sororemque tuam, quam uni de Principibus meis dem uxorem, te ad me, tempore quo nobis conveniet, destinaturum, necne filiam meam te in conjugem accepturum promiseris, tunc & modò nepotem tuum, & cum in Angliam regnaturus venero, fratrem tuum incolumem recipies, in quo regno si favore tuo fuero confirmatus, spondeo, quia omnia, quæ à me rationabiliter tibi petieris, obtinebis. Sensit Haroldus periculum undique, nec intellexit, quæ evaderet, nisi in omnibus voluntati Willielmi acquiesceret. Acquevit itaque. At ille ut omnia rata forent, prolatis sanctorum reliquiis ad hoc Haroldum perduxit, quatenus super illas jurando testaretur, se cuncta, quæ convenerant, inter eos opere completurum. His ita gestis Haroldus recepto nepote reversus est patriam, ubi vero quid acciderit, quid egerit, Rex percunctanti narravit; nonne dixi tibi, ait, me Willielmum nosse, & in illo itinere tuo plurima mala huic regno contingere posse? Magnas in hoc tuo factu culamitates presentio genti nostræ venturas, quas concedat mihi, queso, pietas superna in diebus meis veniant. In brevi post hæc obiit Rex Eadvardus.

Hæc Dunelmensis de itinere Haroldi in Normanniam. Radulfus de Diceto post reditum Haroldi Eadvardum intra paucos dies in fata concessisse similiter tradit. Brompton hæc ad annum imperii Edwardi XIV. refert, qui est æræ Christianæ MLVI, qui obitum ejus decennio antevvertit. Radulfus tamen de Diceto iter Haroldi in Flandriam destinatum refert, & Haroldum à Gvidone captum anno MLXIII. Gvidelmus autem Gemeticensis tradit, Eadvardum hæredem fecisse Willielmum Normanniæ ducem, Roderbertumque Cantuariorum Archipræsulem in Normanniam ad declarandum illud primò missum, deinde Haroldum Godvini filium ad homagium ei præstandum ablegatum. Adscribam quoque ejus verba ex Historiæ Normannorum Lib. VII. Cap. XXXI. Eadvardus, ait, Anglorum Rex, disponente Deo;

te Deo, successione prolis carens, olim miserat Willelmo Duci Rodbertum Cantuariorum Archiepiscopum ex regno à Deo sibi attributo, illum statuens heredem. Deinde Haraldum cunctorum suæ dominationis Comitem diutius & bonore ac potentia maximum Duci destinavit, ut & de corona sua fidelitatem faceret, ac Christianò more sacramentis firmaret. Qui dum ob hoc negotium venire contenderet, velificatò fretò ponti Pontivum appulit, ubi in manus Widonis Abbatisuilla Comitis incidit. Quem idem Comes captum cum suis confestim in custodiam trussit. Dux autem ut hoc comperit, missis legatis violenter illum extorsit. Quem aliquandiu secum demorari fecit, & in expeditione contra Britones adduxit. Deinde Dux, postquam Haraldus fidelitatem sibi de regno pluribus sacramentis firmavit, Adelizam filiam suam cum medieta Angliæ regni se daturum eidem spondidit. Postremò ipsum cum multis muneribus Regi remisit, & pulchrum adolescentem Vulnotum fratrem ejus obsidem retinuit. Kringla hæc aliò tenore codicesque alii nosstrates referunt. Æstate quadam, inquit, Rex Haraldus in Bretlandiam (fortè Britanniam Armoricam: nam & ea pariter ac Cornavia illis Bretlandia usurpatur) nave profecturus, obortis ex adverso ventis, late in oceanum actus tempestate periculosa Norðmanniæ appulit Rothomago, comiter à Wilhelmo Comite cum omni comitatu exceptus in serum autumn: ventis haut remittentibus, mari inaccessò remansit. Affecta autem æstate placuit ut hyemem ibi transigeret. In folio ab alio latere Comitis ipse, ab alio uxor Comitis, mulier formâ singulas, que unquam visa, præstans, resedit, interque potandum amicè semper colloquebantur. Comite verò pro more cubitum maturè eunte, Haraldus longò decinceps tempore cum ejus uxore sermones semper serebat. Quodam verò tempore monet Haraldum subitatum jam Comitem, quid tantò per vesperas tempore inter se colloquerentur, requisivisse. Haraldus verò respondit, se quidem eum de omnibus certiore facturum, posteroque die colloquium Comitis, uxore consiliariusque presentibus poposcit; quo dato: Plura, inquit, negotia hic mihi expedienda, quam bucusque publicari; filiam enim tuam uxorem ambio. Id sæpius uxori tue significavi, quæ & mihi tanta se rei interpretem proxenitamque apud te futuram pollicita est. His auditis, consiliarii quoque causam ejus apud Comitem promovebant, tandemque ei virgo desponsa; quòd tamen minorennis esset, nuptiæ in aliquot annos dilata. Alius codex in duodecim menses dilatas perhibet. Codex Flat: ut et Morkinskinna, Wilhelmo Gometicensi in eo suffragantur, quòd Rodbertus Cantuariæ Archiepiscopus, deinde Haraldus Godvini filius ab Edvardo ad Ducem missus fuerit, & eum sibi hæredem constituerit; adjiciunt deinde, suspectum impudiciæ cum Comitissa ad amoliendam infamiam consilium invenisse filia expectandæ: interpositò deinde Sancti Othmaris scriniò fidem sacramento firmasse, eum acquisitione regni nunquam impediturum. Primo autem vere (verba sunt Kringla) magna benevolentia dimissus Haraldus in Angliam ad Regem Edvardum rediit, nec exinde Normanniam ad nuptias. uti convenerat, repetiit. Rexit Edvardus Angliam annis XXIII. (Simon Dunelmensis & Radulfus de Diceto menses sex & dies viginti septem addunt) morboque decessit Londini nonis Ianuarii, sepultus ad eam Sancti Pauli (secundum Morkinskinna 6. Januarii) quem Angli inter Sanctos colunt. Septimo Haraldus Godvini filius suffragiis Anglorum in Regem electus, octavo in æde Divi Pauli solenniter ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo consecratus est. Kringla id ipso Epiphaniæ festo factum refert, cui Radulfus de Diceto in Abreviationibus Chronicorum suffragatur, qui & adjicit, eum sibi successorem ipsum Edvardum elegisse. Kringla tradit, Rege in articulo mortis confi-

stituto, cum paucis Haraldum præsentem adfuisse, inclinatoque ad morientem capite, mox ad astantes conversum, hisque verbis allocutum: vos *hujus rei testes eritis, quod Rex me Regem constituerit totius Angliæ.* Mox exanimem Regem lecto elatum. Eodem die conventum celebratum, actumque de successore; productos tunc testes, qui Edvardum novissimè eum regni hæredem constituissè præsentès audiverant, sineque morâ Haraldum Regem renunciatum, & ipso festo Epiphaniàs consecratum, mox proceres populumque Regiò eum obsequiò coluissè, fuisse enim intra aulam ministrorum primum, thesaurisqve Regis præpositum. *Pontanus* electionis rationes concisè & nervosè *Rerum Danicarum Lib. V.* exponit, cuius verba haut negligenda videntur. *Agebatur, inquit, hic annus humane salutis millesimus sexagesimus sextus, cum Edvardo quoque Angliæ Rege Edithæ marito sine prole defuncto Haraldus Godvini ex Thyra (perperam) sorore Ulphonis Canuti Magni sororii filius, Regiæ domus Major, & qui, ut ante est indicatum, vivo adhuc Edvardo universam in se regni administrationem transferat, regnum præpropere occupare conatur.* Et paucis interjectis: *Eum igitur Haraldum ut præverteret, hinc Tofto frater, illinc Galliæ Normanni, omnem adhibuerunt lapidem; itaque ancipiti cura de novo & legitimo Rege substituendo populus proceresque distrabebantur. Solus supererat è viridi Saxoniorum stirpe Edgardus, cognomento Eibelingus, Edmundi Ferrei lateris è filio abnepos (mendum est typographi, legendum nepos) sed ille cum etate esset inferior, quam ut rebus gerendis par videretur, & ingenium quoque peregrinis moribus miscuisset, utpote in Ungaria apud Pannones natus, matre Agatha filia, Regis Salomonis, qui terrarum suarum erat disjunctior, quam ut adolescentem auxilio et consilio juvare posset, Anglis minus erat gratus; quibus nihil videbatur antiquius, quam si Regem sibi è suo quasi corpore acciperent.* *Quocirca Haraldum modo nominatum pacis & belli artibus florentem respicere ceperunt. Et licet ille una tantum imagine, a parte nimirum matris Thyris (Gydæ) esset nobilis (ego ne illam quidem imaginem agnosco, quæ à sorore sororii Regis defluxit) cum pater ob raptus & proditioes variè haberetur infamis, benigno tamen alloquio, comitate, liberalitatè, bellicaque virtute, maximam sibi apud populum gratiam conciliaverat, adeo ut omnibus planè heroicis virtutibus instructissimus, & ad Anglicum instaurandum imperium quodam modo natus videretur. Sperabatur præterea Danos, qui præcipue Britannis terrori erant, Haraldò Rege creato illis in posterum futuros equiores, quod eum à Thyra (Gyda) Svenonis Danicæ Regis amita (alii magno errore Gydam nominant & sororem fuisse Svenonis tradant). (hoc quidem falsum. Nominis Githæ veritas supra propugnata est) natum constaret, & si qua aliunde vis fræe externa sive domestica oboriretur, civium benevolentia & nobilium cognatione atque affinitate satis munium judicabant, præsertim cum Morcari & Edvini fratrum, qui inter potentissimos habebantur, sororem haberet conjugem, excepto quod ei Edricus, insuper vir excelso animo & auctoritate summâ, propinquitatis vinculo esset conjunctissimus. Commodum etiam Anglis accidit, quod eodem tempore Svenò rebus domesticis à bello præterea adversus Vandalos ac Slavos unâ cum genero suo Slavie Principe Godeschalco, de quo dictum modò, implicaretur, & Gvilielmus in litore proximo Nordmanniæ cum Rege Francorum Philippo funem contentiois duceret. Credebatur enim Edvardus, cum exul apud Normannum ageret, conceptis verbis regnum Gulielmo promississe, si absque prole decederet, et ad illud promissum præstandum se deinde sacramenti religione quasi sponsorem obligasse Haraldum; cum è Normanniâ captivus fratrem quoque ob fidem re-*

ciperet, addita etiam hac conditione, se Normanni filiam in uxorem ducturum, unde Normanno regnum deberi oportere plurimi existimabant, tum ut fidem liberando, bellum, quod imminere prospiciebant, suis a cervicibus averterent, tum ut Angliâ Normanniam vicinam adjungendo, respublica sub tanto Principe non modo in formam ampliorē exurgeret, sed multo quoque firmior ac stabilior redderetur. Verum Haraldus omnes omnium deliberationes incidit, qui nihil sibi cunctandum ratus, eo ipso die, quo Edvardus sepulturæ est traditus, imperium præter plurimorum expectationem arripuit, & diadema sine inaugurationis solemnibus ipse sibi imposuit. Quo facto Ecclesiæ antistes, quasi religionis violator, hanc leviter irritavit. Quo itaque offensam illam obliteraret, & sceptrum sibi firmaret, ad rem sacram promovendam ac monasteria passim exornanda totum se contulit, Edgarum Ethelingum, quem Oxoniæ Comitem creaverat, reliquosque nobiles omni benevolentia complexus est, popululum magna tributorum parte sublevavit, vim magnam pecuniarum in pauperes effudit, denique alloquendi comitate, audiendi lenitate, decernendi equabilitate, cbaritatem unâ cum auctoritate sibi circumponere undique allaboravit. *Knygibon* tamen de eventibus Angliæ Cap. XVI evocatum à proceribus Angliæ ob crudelitatem ejus & lasciviam Vilhelmum Normannum prodit, mox tamen subjicit aliorum relationes, his, quæ Pontanus retulit, consentaneas, quæ & plures ad stipulatores habent. Atque hæc de Haraldi moribus artibusque in asserendo regno, jureque Vilhelmi Normanni ad id repetendum, ad sequentium cognitionem præstruxisse suffecerit; ad fratrem ejus stilum vertam, indolisque ejus effigiem ex delineatione Scriptorum Anglicorum ostendam: quò præmissò cætera persequar.

CAP. XV.

TOSTII MORESET INGENIUM EX
SCRIPTORUM ANGLICORUM TESTIMONIIUS MONSTRATUR.

Rat is à pueritia sevitiæ deditus. Cum enim, Rege Edvardo soceroque ejus Comite Godvino ad mensam sedentibus, cum fratre Haraldo pueriliter luderet, hîs in pugnam adeo crudelem verso, ut Haraldus, qui vehementius in eum irruens utramque manum capillis ejus inseruit, prostratum suffocaturus protinus videretur, ni ab intercurrentibus inhibitus fuisset. Quid de iis futurum esset conjectans Edvardus, conversus ad Godvinum; nihil, inquit, aliud in his nisi simplicem vel ludum puerorum aut pugnam contemplaris? Longe aliud mens meæ mihi dicitur: emensis quippe puerilibus annis, cum in virum uterque profecerit, utriusque pectus adversus invicem livor aduret, & primum circumventionem insidiisque privatis, quasi ludere videbuntur, ad ultimum fortior infirmoerem proscribet, rebellantem prosternet, & prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit. Hæc Ailredi Abbatis Rievallis, qui de vita & miraculis Edvardi Confessoris scripsit, testimoniò verbisque retuli. Anno Christi MLV. fortissimo Northumbrensi Comiti Seward, qui Orcades infesto dracone à se occiso liberavit, surrogatus est, viro adeo strenuo, ut cum mortem imminere sentiret, hic verbis, teste Bromtone exclamaret. O quantus pudor est me in tot bellis mori non potuisse, sed ut vaccarum morti cum dedecore reservarer! Induite me lorica mea impene-

trabili, præcingite gladio, sublimate galeâ, scutum in leva, securim auratam mibi ponite in dextera, ut sic militum fortissimus modò militis moriar, nam ita decet militem desungi, & non ut bos occubans enervari. Cuiusque, ut præceperat, honorificè esset armatus, spiritum exhalavit. De cuius origine plane eadem Bromton, quæ Saxo de Comitibus Ulfi, Regis Sveni Efridii patris, fabulas veteres securus tradit. Uxor Toftio Judith Balwindi Comitibus Flandriæ filia, cuius soror Mathildis Vilhelmo Duci Normanniæ nupsit. Toftii operâ Egelvinus Dunelmensis ecclesiæ Episcopus constituitur anno MVII, Romam autem cum Aldredo Eboracensi Archiepiscopo anno MLXI profectus, minis Nicolao Pontifici maximo pallium, quod ei denegaverat, extorquet, dictitans, parum metuendam longinqvis nationibus Papæ excommunicationem, quam propinqui sic deriderent latrunculi, futurum ut Rex Angliæ, cognitâ Papæ iniquitate, sancti Petri tributum subtraheret. Anno autem Edvardi XV. qui æræ Christianæ MLVII est, Haraldus & Toftius Valliam domuerunt, indigenis eò compulsis, ut occiso Rege suo Griffino caput ejus ad Haraldum deferrent, ipseque alium in Regem constituerit. Eodem anno, teste Bromtone, cum Haraldus Regis scypho vinum infunderet apud Wyndesore, Toftius æstu invidia, quod se, qui tenior esset, magis diligeretur, percitus, præsentè Røge in crines ejus involavit, conflitabantque invicem manibus capillisque: unde Rex eorum perniciem & infortunium instare prædixit.

Tantæ (verba sunt Bromtonis) servicie fratres illi suere, quod cum nitidam villam alicujus conspicerent, dominatorem totamque ejus progeniem interfici juberent, ut sic possessionem & dominium obtinerent, prout illi quidem, qui justiciarii regni erant. Tofti igitur a Rege & fratre suo Haraldo furibundè discedens ad Herfordiam, ubi frater suus maximum re Corrodium paraverat, festinavit, ubi omnibus ministris fratris sui primò detruncatis, singulis vasis vini, medonis, cerevisiæ, pigmenti, moraci & ciseræ, crus, humanum caput, aut brachium imposuit, mandavitque Regi ut ad festum suum properans, cibos salatos sufficienter inveniret, alios secum deferri curaret. Rex ergo eum ob scelus adeo infinitum relegare & exulare præcepit. Postea vero Northumbrenses hæc audientes, Tofti consulem suum, qui multas ei cedes & clades intulit, fugaverunt, & thesauris & armis ejus in Eboraco captis, omnem familiam suam tam Dacos quam Anglos peremerunt. Marcherum filium Algari consulis super consulatum illum statuente, qui cum gente illa & cum hominibus Lincolnie Northymbamie & Derbyæ usque ad Hamptoniam pergens, Edwino fratri suo contra eum cum hominibus consulatus sui pluribus Britannis obvieni, ibi obviavit. Northumbrenses tunc Haraldum consulem, qui ad eos ibi venerat, ad Regem cum aliis secum nunciis destinârunt, precantes ut dictum Marcherum habere possent Consulem super eos. Quod Rex concedens, Haraldum ad hoc confirmandum usque Hamptoniam eis remisit. Ipsi vero interim prædantes, comburentes & occidentes, provincia illi nullatenus pepercerunt. Sed cum petitionem suam obtinuisent, multa milia secum adducentes, illam partem regni multis annis deteriore reddiderunt. Tofti vero & uxor à regno se arvertentes cum Balduino Consule Flandriæ biemarunt. Hæc Bromton: qui deinde tradit Toftium anno Regis Edvardi XVIII, Christi MLX. cum Alredo Eboracensi Archiepiscopo Romam profectum. Restitutus itaque Toftius Edwardo adhuc vivò videtur, id quod nostris scriptoribus magis favet, ut mox ostendam.

Henricus Knyghton, eandem historiam referens in Flandria usque ad mortem exulasse tradit. Simon Dunelmensis cædem quidem Griffini ad annum

MLXIV. exilium autem Tostii ad proximè sequentem refert; alias quoq̃ causas aufert, nec fratris Haraldi iram aut offensam in eum vel Regem, sed fraudem cædesq̃ve innocentium civium, exactionum acerbitatem, quibus concitati, nec à Rege Edvardo, nec Comite Haraldo, persuaderi ad reconciliationem cum Tostio potuerant. *Post festivitatem*, inquit, *Michaelis Archangeli* (anno MLXV.) 5. non. Octobris feria 2. Northymbrensis ministri *Ganielbarn*, *Dunstanus filius*, *Agelnothes*, *Gloineorn filius* *Heardulfi cum ducentis militibus Eboracum venerunt*, & pro execranda nece nobilium Northymbrensiū ministrorum *Gospatrici*, quem Regina *Egitba* germani sui Tostii causâ in curia Regis quarta nocte Dominicæ nativitat̃ per insidias occidi iussit, & *Gameli filii Orni*, & *Ulfii filii Dolsini*, quos anno præcedenti Eboraci in Camera sua sub pacis federe per insidias Comes Tostius occidere præcepit, nec non pro immensitate tributi, quod de totâ Northymbria injustè acceperat, eodem die primitus illius Danicos *buscarlas Amundum* & *Ravensheartum* de fuga retractos extra civitatis muros, ac die sequenti plusquam ducentos viros ex curialibus illius in boreali parte fluminis *Humbra* peremerunt, crarium quoque ipsius fregerunt, ac omnibus, quæ ipsius fuerant, ablatis recesserunt. Omnes fere debinc comitatus illius in unum congregati Haraldo *Vest-Saxonum Duci*, & aliis, quos Rex rogatu Tostii pro pace redintegranda ad eos miserat, in Northamptonia occurrerunt, ubi prius & post apud *Oxenfordam*, die festivitatis Apostolorum *Simonis* & *Jude*, dum *Haraldus* & complures alii Comitum Tostium cum eis pacificare vellent, omnes unanimi consensu contradixerunt, ac eum cum omnibus, qui legem iniquam statuere illum incitaverunt, exlegaverunt, & post festivitatem omnium Sanctorum cum adiutorio Comitum *Edvini de Angliâ* Tostium expulerunt, qui mox cum uxore sua *Balduinum Flaudrensium* Comitum adiit, & apud Sanctum *Audomarum* hyemem exegit, & iussu Regis *Morkarus* Northumbriæ est præelectus Comes. Post hæc Rex *Edvardus* paulatim ægrotare cepit. A pietate & liberalitate in Divum *Cuthbertum* unâ cum uxore à *Simone Dunelmensi* laudatur, qui tamen hæc de eo scribit.

His Anglorum testimoniis ingenium Tostii causaq̃ve belli, quod adversus fratrem suscepit, toti Norvegiæ luctuosissimi, nostratum relationibus præmittere visum est, tum ut utrisq̃ve inter se collatis lector quæ veritati magis lident cognoscat, tum ut constet, qualis vir Tostius fuerit, à quo præcipuè per Norvegiam procerum aliorumq̃ve Principum familiæ promanârunt. Jam ea, quæ nostri scriptores communiter, & si quæ peculiariter, tradunt, referam.

CAP. XVI.

TOSTII IN CONCITANDO IN FRATREM BELLO PROCESSUS ET ORDO, ET RATIONES, QUIBUS HARALDUM AD ILLUD IMPULIT, DESCRIBUNTUR.



Illos Godvini, Edvardo regnante, totâ Angliâ potentissimos fuisse constat: Tostium verò toti militiæ, senescente Edvardo, regniq̃ve custodiæ & omnibus Comitibus præfectum volunt. Cognitõ autem, fratrem Haraldum præproperè diadema capiti imposuisse, solenni q̃ve inaugurationis ritu ab Archiepiscopo consecratum, Regemq̃ve consonâ factionis suæ

suâ voce declaratum, id adeo indignè tulisse fertur, ut actum illum univ-
 versum protinus rescindere moliretur, ratus se ætate superiorem (id quo-
 que Bromton, cæteris reclamantibus, tradit) nullâque ex parte fratre mi-
 norem, ab electione iniquè excludi, quam non aulicæ factionis, sed pro-
 cerum totius regni arbitriò instituendam censebat, quorum censuræ se quo-
 que subicere gestiebat. Verùm negabat Haraldus, se, qui loco solenni so-
 lio Regio impositus esset, mox unctus & in Regem consecratus, regnum
 deinde abdicaturum; pervicitque consensu populi & vi fautorum regni,
 quos universos in potestate habuit: perspectâque fratris pertinaciâ, ne po-
 tentiam prudentiæ, procerumque favori, quibus insigniter pollebat, jun-
 geret, vires ejus accidendas ratus gradu eum movit, omni que omnino
 imperiò, quod præ cæteris Comitibus habuerat, abrogatò, in ordinem
 redegit; qui germano fratri subjici impatiens, a quo astu tantum, non
 jure, vinceretur, cui multorum etiam opinione rectrice prudentiâ præ-
 ferretur, relicta patriâ cum familiâ satellitioque universo Flandriam pe-
 tebat, ubi parvo tempore moratus in Frisiam concessit: inde in Daniam
 ad amittinum suum Regem Svenum profectus auxilium ejus implorat. Rex
 Comitatum ei in Dania ad dignitatem tuendam satis idoneum offert. Præ-
 tulit autem Angliam Toftius, atque ita respondit. *Quod si auxilium mihi
 ad recuperandum jus meum dignitatemque ferre gravaberis, nihilominus
 ego, quicquid in me virium est, si exemplo avunculi tui Knuti Magni exerci-
 tum in Angliam transportaveris, totum in usum tuum effundam. Multi mihi
 in Anglia propinqui, multi amici, & confederati, multæ vires, quæ suc-
 cessus prosperos regni que Angliæ possessionem sibi pollicentur. Tantò, ait Sve-
 nus, avunculo meo Knuto Seniore minor sum, ut vix Daniam à Nordmanno-
 rum insultibus tueri possim, cum is Danne hereditatem (quod notandum)
 creverit, Angliam bellò, ancipiti ab initio fortunâ & prope desperatâ, acqui-
 siverit, Norvegiam autem sine armis: magis itaque me ignavia nostra, quam
 illius strenuitate, metiar. Tum Toftius: quandoquidem spe, quam de te tan-
 to viro ad necessitatem nostram sublevandam fovi, destitutor, illam forte ami-
 titiam queram, quæ magis immerita, illum Principem, cui major ad ardua
 periclitanda, quam tibi, animus. Alii ita respondisse tradunt. Propinqui
 nostri hostes se nobis exhibent; eorum itaque hostes nostri propinqui erunt: at-
 que ita à Svenno haut satis æquo animò discessit.*

Inde in Norvegiam profectus, Regem Haraldum, tum in Vicha con-
 stitutum, adit, rerumque suarum statum omnem ordinemque exponit,
 quantò a fratre injuriâ affectus, quò non jure modò ad regnum spoliatus, sed
 etiam dignitate prope exutus, ad Principum auxilia circumficiendâ coactus
 fuerit, monstrat, opemque ejus ad amissâ recuperanda postulat. Haral-
 dus Nordmannos haut probaturos expeditionem in Anglos, eo tantum sine,
 ut illis ibi pareant, qui & ob fidem non satis integram à quibusdam traducan-
 tur. Tum Toftius: Verumne quod in Anglia relatum audivi, agnatum tu-
 um scilicet Regem Magnum per legatos ab Edvardo Angliam jure hereditario
 morte Horda-Knuti ad se pertinentem vi federis sacramentique inter eos fa-
 cti repetivisse; quò eam perinde atque Daniam sibi vindicavit: eamne igitur
 vindicabis? Cur ergò, respondit Haraldus, non vindicavit! si ejus erat? Tu
 quoque cur eam partem Angliæ, quam possidisti, non tenuisti? Et tu quidem,
 respondit Toftius, cur Daniam non tenes, perinde atque antecessor tuus Ma-
 gnus? Non est, ait Haraldus, quod Dani de nobis Nordmannis gloriantur;
 multa enim damna propinquis tuis intulimus. Tum Toftius: Si tu mihi re-
 ferre non vis, referam ego tibi, quæ causâ fuerit, cur Daniam vindicare ne-
 qui-

quivisti. Magnus enim Daniam ideo nactus est, quod in eum procerum omnium studia propensa essent. Tu vero iis obstantibus obtinere non poteras. Eadem de causa Magnus Angliam bello non impetebat, quod nosceret Edvardum ab omnibus Regem expeti. Tu vero si Angliam acquirere cupis, me annitente potissimum procerum partem tibi adjunges; solo enim titulo frater Haraldus me superat, cetera parem. Constat omnibus, nunquam in septentrione duces tibi parem natum: id vero admirantur, cum quindecim annos pro imperio Danie dimicaveris, Angliam, quæ patet, abs te negligi: nec jure destitueris, cum in eam perinde atque in Daniam, justus Magno hæres, quippe patruus, fratris filio successeris.

His accuratissime perpensis, vera esse, quæ Tostius suggererat, Rex animadvertit: juris enim facultatem, exequendi facilitatem, præmia impenfa, parem gloriam ostendi: singula ad ornamentum sui conspirasse, quæ nisi ab ignavo negligi nullo modo possent, post exactiorem deliberationem reputabat. Post crebra deinde colloquia in proximam ætatem expeditio ad Angliam oppugnandam conclusa. *Morkenskimma* tradit Tostium homagium Haraldo præstitisse, sequæ ad partes ejus omni conaminibus sustentandas, promovendas, expeditionisqve societatem sacramento obligasse: Haraldum vicissim ad partes regni tanto majores, quanto plus ipse proficeret, ipsius imperio subjiciendas. Atque hæc belli in Angliam, quam *Polydorus Virgilius* ignorat, causa prætendebatur. Adjicit præterea, esse qui memorent, Tostium misisse ad Haraldum Guthormum Gunnhildis Regis sororis filium, patre Ketille Kalso de Hringanesia genitum, qui oblatione Northumbriæ eum ad expeditionem invitaret, fide sacramento firmatâ, Guthormoqve Norvegiam repetente, ipsum in transmarinas terras Galliamqve ad affines suos invisendos concessisse. Quod licet ab Anglorum traditionibus non abhorreat, ab aliis tamen impugnatur. Scribit enim *Simon Dunelmensis*, quod anno MLXV. post festum omnium Sanctorum Angliâ in Flandriam concesserit, Comitumqve Flandriæ Baldvini adierit, totamqve hyemem apud Sanctum Audomarum exegerit, anno autem sequente non multo post 8. Kal. Maij, seu 24. Aprilis, quò cometes per universam Angliam, totumqve, ut alij putabant, orbem visitarit, mutationis mox secururæ nuncijs, Flandria rediens ad Vectam insulam classem applicuerit, & postquam insulanis tributa stipendiaqve expressisset, discesserit, circaque ripas maris, donec ad Sandicum portum venisset, prædas egerit. Cognitò autem, Regem Haraldum, qui tunc Londini morabatur, classem non modicam & equestrem exercitum congregasse, ipsum Sandicum portum classe correpturum, metu ejus Lincolniam petiverit, ibique villas complures incenderit, hominesqve multos neci dederit, donec à Duce Merciorum Edvino & Morkaro cum exercitu advolantibus extrusus, Regem Scotiæ Marcolmum adierit, & ad eum per totam ætatem manserit. Quòd autem Normanniam Gallicam petiverit, *Vilhelmus Gemeticensis Historia Normannorum Lib. VII. Cap. XXXII.* his verbis tradit. Porro Dux (Villielmus Nothus) Tosticum in Angliam misit, sed militia Haraldus mare servans eum abegit. At ille non valens salubriter Angliam introire, neqve Normanniam, quia ventus obstabat, redire, Haraldum Herfagam Norvegiæ Regem adit, ipsumqve suppliciter, ut se juvaret, rogavit, ipse vero precanti Tostico libenter acquievit. Liqvet hinc ipsum Haraldum adisse; neqve enim verosimile, eum statuisse tantam rem per Guthormum expediti posse, quem si præmissum tantum dixisset, rem à verisimilitudine haut alienam auctor *Morkinskinna* pro-

prodidisset. Totam autem hyemem ad S. Audmarum exegisse familiam ejus crediderim, ipsum interea in Nordmanniam, inde Daniam Norvegiamque profectum, inde Flandriam repetivisse, tandem etiam in Scotiam ad comparanda auxilia concessisse, deinde Flandriam repetivisse, unde classem viresque eximias duxit, cum se Haraldo in Anglia conjungeret; nec horum quicquam ullam absurdi speciem habet. Illud difficilius conciliatur, quod ultimis Edvardi annis Comitibus totius Angliæ præpositus totiusque militiæ Dux fuisse nostratibus perhibetur, & tunc in Anglia præsens, cum diademate caput suum cinxit Haraldus; quem tamen in Flandria jam proscriptum Angliæ scriptores præter Bromtonem asseverant. Quod si Bromtoni fides, qui exilium illud in annum regni Edvardi XV. Christi MLVII, profectionem autem Romam cum Archiepiscopo Aldredo in eisdem Regis annum XVIII, Christi MLX. refert, certè restitutus tunc in integrum videtur Tostius, annisque sequentibus ad tantos honores, quos nostrates memorant, promotus, temporaque confudisse Anglici Scriptores videntur; id quod ex adducto loco *Simonis Dunelmensis* patet, qui ob offensam Northumbrensi, quam Rex Edvardus rogatu Tostii compositurus per fratrem ejus Haraldum proceresque reliquos frustra fuit, regno pulsus est. Non ergo ob offensam Regis, nec offensam fratris cædesque inaudita crudelitate in ministros ejus perpetratas, tunc exulabat; quæ hoc loco suggestisse suffecerit. Ad ea, unde digressi sumus, redeundum.

CAP. XVII.

APPARATUS EXPEDITIONIS: ULFI
STALLARII MORS ET ELOGIUM: CURA CORPORIS S. OLAFI: SOMNIA OMINOSA: EXPEDITIO: BELLA,
REGISQUE ET TOSTII CÆDES DESCRIBUNTUR.



Postquam Haraldus arma in Angliam transferenda conclusit, sine mora singulis provinciarum præfectis certum navium militumque numerum colligendum injungit, dimidiumque totius regni robur, terrestres navalesque copias educit, tantumque virum collectum (ut constanti omnium assertione constat) quantum nunquam antea ad unam expeditionem, ne celebrem quidem illam, Olafi Tryggvini novissimam, ad pompam quam prælium adornatam, quamvis nec ei imparem, si dolus affuisset. Et jam de eventu tanti apparatus passim, propèque in singulis domibus, maxime tamen in aulâ, crebro sermone disquisitionum. Alii peritiam Ducis longo usu jugique experientiâ comparatam, corporis inexhaustas vires, animique incomparabilem alacritatem, prudentiam, tantamque inter pericula solertiam, ut in arena consilium quoque suppeteret: præterea fortune constantiam, quâ illi nihil injuriam videretur, gesta insuper per tot orbis partes Herculeâ, sed & robur delecti exercitus, jactabant. Alii contra Angliam populis drottem, præsidio militum è multis regionibus, maxime tamen iis, quibus Danica lingua in usu esset, selecti, quod Thingmannorum præsidium appellatur, defendi, quorum singuli duobus, vel præstantissimis, Norvegis jure viderentur præferendi. Quod cum Ulfus Stallarius audiret, verum fecit,

cit, qui nec hodie codicibus excidit, quò significabat, *aliter se juvenilibus annis bello affoevisse, quàm ut unum Thingmannorum formidaret.* Is hoc eodem vere vitâ defunctus, illud testimonium Regis, cum à funebri pompa, cui ipse interfuit, rediret, consecutus est: *Hic, inq̄uebat, jacet, qui probissimus & Domino fidelissimus fuit.* Ingenium ei à populari suo Haldo- re Snorrii filio, periculorum omnium militiæqve sociò, ex parte diver- sum: fidus uterqve & strenuus, sed lepidus & svaviloquus Ulfus; simplex uterqve, sed sine austeritate Ulfus; ambo sapientes, hic sine arrogantia. His virtutibus Haraldum sibi adeò devinxit, ut Reginæ Thoræ sororem Jorunam, Thorbergi Arnini filiam, ei jungeret, ipsumqve Stallarium crea- ret, jureqve satraparum, redituqve duodecim marcarum, dimidiâ præ- terea satrapia intra Thrandiam (Fylki vocant) proprietatis jure possiden- dâ donaret; nec ullum Islandorum ad tantum honoris culmen in Norve- gia provectum legisse memini, præter Kollum, qui Vikæ Episcopus fa- ctus est, idqve literarum beneficiò; quamvis memorentur, quibus aditus ad paria patuit. Taceo Comites in Norvegia quidem creatos, sed in Is- landiam missos. Fuit tamen Ulfus extra conjugium natus, quod illis tem- poribus in vitio non erat. Liberi illi ex Joruna Johannes Robustus de Rasvello, & Brigida mater Sauda-Ulfi, cui filius Petrus Byrdarfeinn, pa- ter Ulfi Flys. Johannis Robusti filius fuit Erlendus Himaldius, Eyfsteinii Archiepiscopi fratrumqve ejus pater. Post mortem Ulfi solus Stytkar Stal- larius fuit: antea ambo officio isti præfecti sunt.

Primò vere Toftius in Flandriam navigat, ad excipiendas copias, quæ eum Angliâ discedentem secutæ sunt, tum etiam eas, quæ postea accesserunt, ut & eas, quæ in Flandria comparatæ sunt. Haraldus autem classis universa copiæqve Solundis comparuere. Ipse paratis omnibus, an- tequam Nidarosiâ solveret, scrinium S Olafi accessit, aperuitqve, præ- sectisque capillis & ungvibus iterum clausit, clavemqve in fluvium Ni- dam projecit, nec postea apertum perhibetur, usqve ad tempora Magni Regis Haconis filii & Archiepiscopi Jonis, teste Hrockinkinnâ, quæ hoc addit. Quod enim ex relatione *Petri Claudii Undalini in descriptione Nor- vegie Part. I. L. II.* tradidimus, longè post Scriptoris hujus tempora con- tigit. Quo verò sine Haraldus claves projecerit, nemini constat: cor- ruptionem sensisse credi posset, nî post tot deinceps annos incorruptum deprehensum esset; nam an aliud identidem ungentis delibutum substi- tutum fuerit, haut inmeritò dubitatur. Certè cum hæc Haraldus faceret, e- lapsi sunt à cæde S. Olafi anni XXXVI. Kringlæ XXXV. Illa enim an- no à morte ejus ad hoc extremum fratris officium æquat, totius vitæ e- jus spatium.

Inde classem omnem copiasqve Rex in australes provincias dirigens accessione provincialium semper auxit; donec in ducentas circiter ma- gnas naves coaluit, præter lembos onerariasqve. quæ victualia vehebant. Plus quingentis magnis navibus Angliæ appulisse Scriptores Anglici tra- dunt, præter classem, quam Toftius adduxit. *Marianus Scoius* numerum ad mille extendit, forsitan Toftii unâ comprehensens, & onerarias, quæ alimenta simul transportabant. *Bromton* tamen & *Knygibon* trecentas tan- tum Haraldo, quadraginta Toftio, tribuunt. *Camdenus* ducentas memo- rat. Filio Magnò custodiæ regni matreque Thorâ domi relictis, Olafum in expeditionis societatem assumpsit, uxorem quoque Elisabetham filiasq; ex ea susceptas Mariam & Ingigerdem. Thorer verò de Steige fornitiò monitus domi remansit. Multa ibi mala omnia, quæ sinistra portende- bant,

bant, observata: gravitas inusitata in Rege, cum cymbam prætoriam petiturus ingrederetur; somnia insuper portentosa, quorum tria notata. Primum Gyrdærius cujusdam Regiæ navis nautæ. Hic in statione ad Solundas visus est sibi è Regia nave, ubi se constitutum credebat, videre magnæ molis fœminam, Trollorum unam, in adjacentem insula consistentem, quæ aliâ manu clavam, aliâ excipulum, seu paropsidem, tenebat, totius verò classis oculis subjectæ singulis navium puppibus prorsive cordices conservant, internecionem Regii exercitus haut obscure figurantem. Alterum Thordi, qui navem haut procul à Regiâ administrabat. Is classem Regiam ductu Regis terræ, quam Angliam esse certò conclusit, adnavigantem, explicatamque in continente indigenarum aciem conspicatus, cumque utrinque multis hastis signisque erectis bello se accingerent, Anglorum ordines fœmina giganteæ stature lupo insidens præcedere visa, lupus autem humanum cadaver ore cruento gestans dentibus laniare; quò devorato, aliud rictui ejus injicere deglutendum, quò similiter absumpto unum post aliud: excepitque Thordus, quod præcinebat, Haraldo funesti augurii carmen, quod *Th. Bartholinus Antiqq. Dan. l. II. c. VIII. p. 426.* inseruit, & ad unguem explicuit, ibi evolendum. Morkinskinna minus ad fidem, non per somnium, sed singulas fœminas singulis vesperibus re verâ visas, hæc è propinqua stationi rupe decantasse, ut opinor, fabulatur. Memoratur & tertia visio, ipsi Haraldo per quietem oblata, antequam Nidarosiâ proficisceretur. Fratrem enim S. Olafum vidit, versumque quem ipse modulatus est, memoriæ mandavit, sensu tali: Olafum Crassum famam victoriis latè sparsisse, se, quòd in patria remanserit, sacrâ cæde occubuisse: vereri ne Haraldo mors imineat, exercitui excidium: Deum tamen neutrius causam. Complura tunc somnia, varia etiam prodigia memorabantur, pleraque infesta minitancia.

Tandem Norvegiâ mense Augusto solvens cum maximâ classis parte Hiallandiæ advectus, reliquam ad Orcades delatam paulò post secutus, paululum ibidem substitit: ubi relicta Regina Elisabetha cum utraque filia. Ipse assumpto in expeditionis societatem utroque Comite Paulo & Erlendo, Comitis Thorfinni, qui tunc rebus humanis exemptus est, filii, in Angliam pergit, ostiumque (ut placet Anglis) Tinæ fluminis invectus (nostri Clivelandiæ advectum tradunt) in terram copias educit, nulloque resistente provinciam illam populatus sibi subjecit; deinde oppidum Skardaburgum (ita quoque *Bromtoni* appellatur. Scarborough posteriores vocant) oppugnat, civibus fortiter resistentibus. In rupe, quæ supra, ingens incendium excitavit, demissisque inde magnæ molis arboribus truncisque, latè per vicos sparso igne, tandem universum oppidum flammis corripuit. Anticipiti malo circumventi oppidani, hinc flammis, inde hoste urgente, cum nec ædificiis simul & vitæ succurrendi ratio supereretur, post magnam suorum cladem salutem pacti, dedunt se fortiori. Universâ deinde classe in austrum directâ, cum Hellignesiam ventum esset, cives ad se suaque defendenda concurrentes vim opponebant, sed victi Nordmannis prædæ fuerunt. Humbram deinde celeberrimum flumen invectus Haraldus, Usam, quam recepit, adversis fluctibus ingreditur; cui duo Comites Morkarus & Valthiofus de Hundaton, seu Hundingsdonia, (*Morkinskinna* fratres eos facit, Godvini Comitis filios, Regis Haraldus fratres, utrumque perperam; major enim Anglicis Scriptoribus in his, quæ certius scire poterant, fides & authoribus) Eboraco cum ingenti exercitu, quem

quem à primo Haraldi adventu undiq̄ comparârunt, profecti occurrunt; quibus visis Rex in terram conscendit, aciemqve instruit ordine longo à ripâ amnis ad superiora, palustrem usqve voraginem latam & aqua plenam, extendit. Ad ripam vexillum Regis: tenuissima ad voraginem acies fterit. In eam partem prælatis signis in vesti Comites. Norvegi autem fugæ specie ad voraginem conversi, illos ad persequendum pelliciebant; instabant igitur iis, quos fugere existimabant. Eodem momentô Haraldus, canentibus tubis signô datô, tantâ alacritate in Anglos, qui ad voraginem provecti sunt, impetum fecit, ut resisti nullo modo posset. Effusè igitur fugientes, alii in flumen, maxima pars in voraginem dejecti, dum gladios telaqve hostis devitare student, vel absorbentur, vel hastis conficiuntur; tantaqve cædes pavorqve in voraginem se præcipitantium fuit, ut plenam cadaveribus siccis pedibus milites super mortuorum cumulos transirent. Ibi Morkarum concidisse nostrates imperitè scribunt, adducto in testimonium Steini Herdisis filii carmine; quod tamen inde non elicio. Scriptores autem Anglici, quæ deinde gesserit, & quali morte occubuerit, luculenter describunt. Walthiotus fugâ elapsus Eboracum petivit. Celebratur hoc bellum carminibus poetarum celeberrimorum, Thiodolfi, Arnoris Comitum pœtæ, & Steini Herdisis filii, qui odam in laudem Olafi Haraldi Regis filii, qui postea regnavit, confecit, eumq̄ huic prælio interfuisse memorat. Extant aliquot è singulis versus, unus præsertim eorum evincit, cum Walthiofo & Morkaro pugnatum esse: Edvini, quem Anglici memorant, nulla ibi mentio.

His omnibus præliis Toftius, qui è Flandria cum classè, uti convenerat, copiisque haut modicis Haraldo, cum primùm litoribus Anglicis allaberetur, occurrit, interfuit. Præliatum cum Comitibus feriâ, quæ festum Mathiæ, quod illo anno in diem Jovis incidebat, præcessit; die enim Mercurii gestum est. Nec fefellerunt Regem promissa Toftii, nam ingens amicorum ejus propinqvorumqve conflatus ad eum quotidie, ex quo in Angliam devenit, fiebat, magno ipsius comodo. Vicinæ itaqve provinciæ imperio Regis se subiciebant; qui verò detrectabant, fugam prætulêre.

Inde Rex ad oppugnandum Eboracum se accingens, ponti Stanfordiæ exercitum admovit. Verùm cives prælii superioris successu territi, desperântes urbem adversus eum defendi posse, qui peritissimos fortissimosqve duces, numerô longè superiores, fudisset, missis legatis, se urbemqve in ejus potestatem dedituros sponserunt. Die igitur Dominicâ extra urbem, qui de conditionibus agerent, ad eum missi sunt. Singulis ad pactionem deductis, civium pars magna ad conventum effusa obsequium ei adixit. Dati obsides primariorum urbis civium filii, quorum delectum Toftius, qui singulos novit, habuit.

His ex voto fluentibus, magnô gaudiô ad naves reditum, reditusq̄ ad urbem pro arbitrio Regis ordinandam, novoqve magistratu instruendam, in sequentis diei mane decretus. Verùm eâdem, quâ recesserant, vesperâ Rex Angliæ Haraldus cum imenso exercitu superveniens effusis civium studiis excipitur. Mox clausæ portæ itineraqve præfidiis sequepta, ne nuncius adventus ejus ad Norvegos perveniret. Eadem nox Regibus, Angliæ in urbe, Norvegiæ in nave exacta.

Die Lunæ postquam jentatum esset, Haraldus tubæ signo, quod se ad urbem recipiendam comitari vellent, evocat. Duæ partes ex singulis centuriis electæ, tertia ad naves relicta, cum Olaso filio Regis Comitibusq̄ Or-

caden-

cadensibus & Eysteino Orrio fratre Reginae Thoræ, quem præ omnibus satrapis Rex maximè dilexit, generumque sibi filiaque Mariæ maritum destinavit. Regi autem Toftius se cum suis cohortibus adjunxit: cumque tranquillo cælo serenantis Solis radius aër incalcesceret, ne loriceis gravaretur miles, placuit iis relictis, clypeis, gladiis, gestis & galeis instructos excendere: multi quoque arcus gerebant. Omnes magnâ lætitiâ proficiscebantur. Ut verò urbi appropinquabant, vident copias haut parvas, ab urbe sibi obviam procedentes; id quod excitatus pulvis monstrabat. Propius deinde accedentes, clypeis loriceisque instructi apparebant. Tum verò Rex subsistens Toftium arcessit, *quæritque, hostesne videantur? Is hostes quidem videri; nec tamen certum, cum & amici sui propinque esse possent, gratiam Regis clementiamque deditone imploraturi, ejusque partibus se adjuncturi.* Inhibitâ itaque copiâ in eodem loco remansit, donec excrescens multitudo, loriceis micantibus glaciei speciem præbens, justum exercitum prodidit. Tum Rex; *consilio opus est, inquit, hostes enim indubii adsunt, & profectò duce ipso Rege. Svasit igitur Toftius, ut protinus ad naves remearent, sumptisque loriceis, parteque ad naves relicta in societatem belli revocata, vel cum hoste configerent, vel, si id præ numero minus videretur, navibus se protegerent, ad quas equitibus accessus esset præclusus.* Rex male respondit, *tres suorum celerrimos actutum ad arcessendas reliquas copias mitti, modo adfuturas, cognitò periculò suorum: se interea Anglos eâ promptitudine excepturum, ut de ignavia queri haud possint.* Toftius se *consilii ejus hic, ut semper aliâ, acquieturum* respondit: *nec sibi fugam præ alius cordi.* His ablegatis, signa erigi Rex jussit. Friereichus quidam vexillum Regiæ cohortis, Landeydam dictum, ferebat. Prælatum & Toftio vexillum, Rex aciem suam ordinavit, inque longum spatium extenuatam diduxit, extremis alis ita curvatis, ut se invicem contingerent, orbemque spatiosum facerent, pari ubique densitate, clypeis confertim se undique supernè quoque excipientibus. Intra orbem præsidium Regium, delectus toto exercitu miles. Ibi & vexillum. Alio loco Toftius cum suis cohortibus vexilloque constitutus. Hac ordinatione equitatis ratio potissimum habita est, quem magno impetu adequiturum, citò quoque retrò cessurum, Rex conjectabat. Regia Toftiique agmina, quocumque necessitas vocaret, subsidio destinata. Ibi & jaculatorum manus; quæ arcubus terla vibrabat. Primi ordinis manipularibus, ut hastarum manubriâ terræ impactis mucrones equitum, iis verò, qui in acie ante eos collocati erant, equorum pectoribus adigerent, incurstantesque averterent, mandatum. Id quod *Kringla* ordine inverso refert; hos enim equitibus, illos equis foediendis delectos exponit.

Non sefellit Haraldum, quòd duce ipso Angliæ Rege tantus exercitus regeretur. Ingens ibi vis equitum peditumque conflata, pariter in ordines digerebatur. Regem interea Norvegiæ, dum aciem obequitans ordines lustraret, magnâ staturâ equus, colore nigro, sed albâ in capite maculâ notabilis, quò vehebatur, subito prolapsus, præcipitem in terram effudit; qui protinus in pedes se propiciens, *casus, inquit, prosperum iter portendit.* Quò animadverso, Haraldus Angliæ Rex a Norvegis, quos in exercitu suo habebat, quærit, *an magnum illum virum cerulea tunica indutum, galeaque fulgenti ornatum, qui equò excidisset, noscant?* Respondentibus Regem esse Nordmannorum, *vir quidem, ait, ingens, majestatemque præ se ferens; jam verò, ut spero, fortunâ destitutus.*

Viginti deinde equites ex acie Anglorum, singuli loriceis equis ca-

taphraci, stationibus Norvegorum obequivitant, quorum unus aſſâ voce quærit, *an & Comes Toſtius in acie eſſet?* Quo conſtitente: Haraldus; inquit, *frater tuus ſalutem dicit, pacemque tibi Northumbriamque univerſam offert, & quò minus pacificationem abnuas, tertia totius Angliæ parte tibi ſe ceſſurum pollicetur.* Tum Comes: *longè hoc aliud quàm injuria & contumelia, quâ autumnò ſuperiore affectus ſum: quod ſi tunc iſtæ conditiones fuiſſent oblata, multi, quò jam interierunt, vixiſſent, ſtatusque Angliæ melior eſſet, quàm in præſens: ego certè, me quod attinet, his conditionibus acquieſco.* *Quid autem Regi Haraldò pro impenſis & labore offert?* Id quoque reſpondit eques, *edicti mandavit; ſpatium nimirum terra ſeptem pedum, aut tanto amplius, quantò homines alios ſtaturâ excedit.* Itaque Regi nuncia, reſpondit Toſtius, *ut ſe ad bellum præparet: neque enim in Norvegiam nuncius vel fama referet, Toſtium, deſertò in Angliâ Haraldò, hoſtibus ejus ſe aggregaſſe: communi potius conſilio omnes egregiis auſis cademus, aut Angliam expugnabimus.*

Remaneantibus cum hoc reſponſo equitibus, quærit Haraldus, *quoniam vir iſte tam diſertus fuiſſet?* Ipſe, reſpondit Toſtius, *Rex Haraldus.* Id vero, ajebat Rex, *nimis diu nos latuit: ed enim inter ſtationes noſtras procectus erat, ut facile fuerit præcavere, ne is in poſterum noſtrorum cladis nuncius foret.* Tum Comes: *Verè quidem, domine, nimis imprudenter tantus Princeps periculo ſe objecit; potuiſſet etiam fieri, quod dicis: cum tamen pacem mihi magnamque imperium offerret, indignè feciſſem, ſe prodito eo, vitam ipſi eriperem, quam ipſum mihi malle.* Tum Rex Norvegiæ ad ſuos converſus, *vir quidem iſte, inquit, ſtaturâ parvus; ſed ſtapedi fortiter inſiſtebat, verſumque fecit hoc ſenſu.* *In aciem progredimur absque lorice, aciem ce-ruleam gladiatorum excepturi: fulgent galeæ: non mea proſtat (ſcilicet lorica) ornatus noſter ad naves jacet.* Erat ei lorica, Emma dicta, ad mediam ſuram pertingens, adeo firma, ut gladiis impervia iſtus omnes refutaret. Mox recolens verſum, *cev incertem aut meticuloſum improbat, ſublitutoque alio ſummi artificii audaciamque ingenerante; Non, inquit, irquiebat, nos ſonitum armorum formidabimus, id enim Hildis in præliis fieri præcipiebat, meque olim virgo in bellis animoſum eſſe juſſit, ſublimique vertice ſidera ferire.* Notatum & carmen Thiodolfi pœtæ, quod reſoluit, ſeqve, ſi vel maximè Regem illo bello occidi contingeret, ſemper filiis ejus ſe ad hæſurum vovit. Fuit & alius Islandus, nomine Brandus, in acie Regis, qui oblato corporis ſui munimento (Bryuſtiact vocant) quò Rex deſtitutus erat, laudatus a Rege, virque bonus pronunciatuſ, ſe ipſum munire juſſus eſt, eodemque bello occubuit.

Et jam canentibus ſignis cruenta pugna exorta eſt, Anglico equitatu in orbem ſe invehente, nunc unam aciei partem, nunc alteram carpente; ſed repulſus peditum jaculatorumque telis parùm proficiebat; nam licèt acriter ſe inferrent equites, ſtatim tamen recedebant, donec Norvegi, ut præceptum a Rege, ſtabili gradu obnixi, iisdem veſtigiis immoti inhærebant. Videntes autem quòd ſegnius adeqvitarent, moxque ſe inde recipere, fugere interpretati, inſtandumque territis rati, ordines laxabant; quo animadverſo Angli, ab omni parte ſe inſuſtentes, hæſtis jaculisque & equitatu nudata munimento latera maximè urgebant. Quo viſo Rex Norvegiæ inter confertos ſe inferens, ubi prælium maximè fervebat, pugnam magnâ alacritate ciebat. Iſto concurſu multi ab utraque parte occubuerunt: donec omnis periculi oblitus, in medium hoſtium agmen longè à ſignis ſuorum invectus, ab utroque latere obſtantes ambas

bus manibus cædebat, tanto impetu, ut prope fugam Angli essent, cum nec lorica nec cassides ictibus obstarent. Sed dum hac alacritate pugnat, ictus per tonsillas telò guttur penetrante exanimis humi sternitur. Ejus casu cohors univèrsa, quæ eum secuta in hostes se inferebat, concidit, præter illos, qui se in stationes iterum receperunt, vexillumque referabant. Quod cum Toftius ex clamore ab Anglis sublato animadvertit, ad vexillum Regis se conferebat, pugnamque restituit: aliquantisper tamen pars utraqve substitit.

Interea Rex Angliæ Toftio cum omnibus superstitibus pacem offert. Verùm Norvegi quasi unâ voce reclamantes, aut *victoriam se reportaturos* minabantur, aut *circa Regem suum occubituros*. Mox bellum denuò recruduit, Toftio magno animo dimicante, singulisque mutuâ exhortatione sese animantibus: non tamen diu duravit, cum pauci fessi & sine munimentis corporis, impetû magis quàm viribus obstinati, ad mortem ardore magis quàm ratione pugnantes affluenti multitudini diu resistere nequiverent. Ibi quoque Toftius magnâ gloriâ cecidit.

Eodem momentò Eysteinus Orrius cum parte exercitûs, quæ ad naves relicta erat, lorice armisque instructâ, sed lassitudine prope confectâ, supervenit; longâ enim viâ lorice æstuque gravati processerant. Is erectò vexillò Regio, pugnam tertio omnium acerrimè instauravit; tantò impetu, ut si parùm ultra anniti potuisset, Angli in fugam versi essent. Verùm cum fessi prælium repetissent, nec ab impetu se temperassent, nec loricas ultra sustinere possent, iis abjectis, nuda corpora ictibus præbebant. Concisi itaque prope ad internectionem delati sunt, adeò ut penè universos nobilitatis Norvegicæ flos illo bellò perierit. Cecidit & Eysteinus Orrius, qui procellæ, quam is novissimè excitavit, nomen deinde dedit; (audit enim in posterum *Orrii procella*.) vir sanè insignis, ab strenuitate, humanitate, & liberalitate commendatissimus; quam vir quidam Islandus Thorvârdus Krakunef deprædicat, qui Regem Haraldum velò donaturus, cum parùm ebrium offenderet, ad recipiendum percellere nequibat, Orrio quantumvis intercedente; quòd cum ipse aspernatus non esset, invitat donatorein ad se per hyemem invensendam, inciditque in eum fortè vernò tempore patriam repetiturum, domumque cum comitatu deducit; tridui convivio excipiens. Primò die togam donat lymbis aureis; titulo visitationis: tunicam aliò eximiam, titulo remunerationis: tertio die annulo aureo, titulo discriminis, quòd minus ei honorificum fuisset sibi donare quàm Regi. Deinde velum, quòd esset affabrè ornatum, Regi jam ultrò laudanti donabat. In multam vesperam prælium duravit, multi quoque tenebrarum beneficiò elapsi sunt. Elapsus inter præcipuos Styrkar Stallarius Regis, vir egregius; æquum enim consecutus ad naves perrexit; interulam tantum lineam indutus, galeaque testus, & gladiò armatus. Jam verò, postquam remiserat æstus, nocturno gelu rigescente, ipse quoque sedatâ lassitudine refrexit, incidens in rusticum, vehiculò incidentem, tunicam ejus licitabatur: quò abnuente, ed quòd unum ex Norvegis agnoscere sibi videretur, id enim sermonis indicib constare. Quid ergò, aiebat Styrkar, si is essem, faceres? Occiderem te, respondit, jam verò impedior, gladiò idoneo destitutus. Tum Styrkar. Quandoquidem tu me occidere non potes, experiar, an te possim. Mox gladiò cervice ejus præfectâ, tunicam arripit, conscensoque eqvò ad naves properat. Consentit Marianus Scotus ad hunc annum, Norvegos lorice destitutos concisos; Haraldus, inquit, Rex Nordmannorum mille navibus venit in Angliam mense Septem-

Septembri, regnaturus, qui Eboraci in autumnno 1100. sacerdotes Anglos occidit. Araldus verò Anglorum Rex cum 7. aciebus bellicis statim pervenit illò, Araldum imparatum absque lorice invenit & bello occidit. Lanienam illam Sacerdotum, cujus hic meminit, Henr. de Knyghtbon de eventibus Angliæ l. I. cap. XVI. quoque memorat, sacerdotum tamen numero ad centum usque imminuto, laicorum verò substituto. *Iste Haraldus*, inquit, *Noricus in adventu suo iter dirigit versus Eboracum, ubi veniens centum clericos & milia laicos occidit: sed Rex Anglorum superveniens cum septem legionibus virorum fortium obtinuit victoriam.* Id verò nostrates planè prætereunt; nec ignorare potuissent, si unquam factum esset, cum complura hæud perfuntoriè describant: quin & tradunt Eboracum nunquam bellò captum. Plures Anglicorum sunt, qui hujus lanienæ non meminerunt. Jam ea, quæ retulimus, cum quorundam eorum traditionibus conferemus.

CAP. XVIII.

QVO LOCA QUÆDAM SCRIPTORUM
ANGLICORUM SUPER HIS, QUÆ TRADIDIMUS, EXECUTIUNTUR.

Imon Dunelmensis Historie Dunelmensis Ecclesie Lib. III. Cap. XV. hæc scribit. Anno Dominicæ incarnationis MLXVI. piissimus Rex Edvardus, XXIII. regni sui anno, Nonas Januarii defunctus est, pro quo Haraldus regni solium ascendit, sed parvo tempore gubernavit, ingruentibus enim undique adversis, contra fortissimum Regem Norvigensium, primo per duos Comites, sed mox terga vertentes, deinde per se ipsum non longè ab Eboraco iniiit bellum, ibi quidem victoriâ positus, sed inde divertens contra potentissimum Normannorum Comitem, qui jam in Angliam cum multo exercitu advenerat, dimicavit, sed cum toto pene Anglorum exercitu occubuit. Idem de gestis Regum Anglorum ad eundem annum, hæc clarius describens, postquam Tostii res declarasset: Adveniente itaque festo natiuitatis S. Mariæ, victu deficiente, & classico & pedestris exercitus (Haraldi scilicet Godvini, Tostio oppositus) domum rediit; quibus gestis, cum classica manu prævalida, sc: quingentis magnis navibus, Haraldus Harvager Rex Norreganorum, frater S. Olavi Regis, in hostio Tine fluminis improvise applicuit, ad quem Comes Tostius, ut prius condixerat, sua cum classe venit, & citato cursu ostium Humbre fluminis intraverunt, & sic adversus cursum Use fluminis navigantes, in loco, qui Richale dicitur, applicuerunt, & Eboracum gravi pugna obtinuerunt. Quod ubi Regi Haraldo immotuit, versus Northymbriam expeditionem properè movit. Sed priusquam Rex istuc veniret, duo germani Comites, videlicet Edvinus & Morkarus, cum ingenti exercitu in vigilia Sancti Mathei Apostoli feria quarta in boreali ripa Use fluminis, juxta Eboracum apud Fulford cum Noreganis prælium commiserunt, & in primo belli impetu viriliter pugnantibus multos prostraverunt. At postquam diu certatum est, Angli Norreganorum impetum non sufferentes, hæud sine parvo detrimento suorum terga cedere, multoque plures ex illis in fluvio demersi fuerunt, quàm in acie cecidere, Norregani vero loco dominantur juneris, & obsidibus D. de Eboraco sumptis ad naves repedarunt, relicti in ea de suis CL. obsidibus. Verum quinto post hunc die, id est VII. Cal. Octobris, feria II. Rex Anglorum Haraldus, nullis

*multis millibus pugnatorum, armis bellicis instructorum, Eboracum veniens, & Norreganis in loco, qui Stanfordsbrige dicitur, occurrens in ore gladii Regem Haraldum Comitemque Tostium, cum majore parte sui exercitus occidit, & plenam victoriam, licet acerrimè repugnatum fuisset, habuit, filium autem ejus Olavum & Comitem de Orcado Paulum nomine, qui ad naves custodiendas cum exercitus parte fuerant dimissi, redire liberè permisit. Parùm hic author à nostrorum traditione recedit: locum diemque pugnae, tam cum Rege Angliæ, quàm Comitibus, eundem quem nostri describit, eundem utrobique eventum, absorptos flumine plures pugna cum Comitibus, quam perinde ac nostri describit. In Comite Valthiofo dissentit, & Morkari morte. Ad posterius antea responsum. Sed quis nostris author fuit, eum fuisse Valthiofum de Hunthintonia? Eboracum magnâ pugna captum putavit *Dunelmensis*, cum tamen conditionibus receptum sit, datis obsidibus: certè post hanc pugnam receptum est. verum post aliquot dies, id quod nostri distinctius tradunt: tracta autem cum Comitibus, aut certe altero de deditionis conditionibus, *Dunelmensis* explicat, quibus tamen Morkarum haut interfuisse credo, cum nostrates eum præliò cæsum crediderint: de quo quid Anglici Scriptorum tradant, postea referam. *Ailredus* autem *Abbas Rievallis de vitâ & miraculis Edvardi Confessoris* sibi non constat, Victoriam quidem miraculis Edvardi adscribit: verum Norvegiæ Regem una scapha evasisse, titulò: quod de duobus filiis Godvini Comitis Rex prophetaverat, pag: m: 394 tradit his verbis. *Nam Tostinus ab Haraldo fugatus, cum paulo post ipse in regnum successisset Edvardi, comitante se Rege Norvegiæ Haraldo, cognomento Harfager, multâ classe cum exercitu multo, contra fratrem pugnaturus applicuit in Angliam, contra quos aciem producens Haraldus victor extitit, Tostinus in bello prostrernitur, Rex Norvegiæ lapsus fugâ in unam navim cum paucis se recepit. Nisi forte id de filio Haraldî Olofo, qui postea regnavit, intelligendum sit. Nam postea, titulò: de victoria Regis Haraldî per beati Regis merita, pag: m: 404. Regem Norreganorum Haraldum, fratremque ejus Tostinum, cum penè toto eorum exercitu prostratos asseverat. Addam locum ex *Bromtone* pag: 958: & 959. *Interea Tostius Comes, ait, frater dicti Haraldî cum 40 puppis de Flandria veniens Vectam insulam stipendis & tributis multavit, & circa ripas Cantie prædas egit. Sed dum fratris sui Haraldî apparatus timeret, Lyndseyam per mare & Humbram rediit, in qua villas incendit, & gentem trucidavit, donec per Duces Merciorum & Northumbriæ extrusus Malcolmum Regem Scotorum per mare adiret, cum quo per totam æstatem morabatur. Interea Rex Norreganorum Haraldus Hæresag frater Sancti Olavi Angliam expugnat, & sibi subdere anhelans cum plusquam trecentis puppis in hostium Tine fluminis applicuit, ad quem Tostius Comes, sicut condixerat, suâ cum classe advenit, & sibi gaudenter protinus se subdebat. Deinde ambobus per Humbram usque ad Eboracum venientibus, duo germani Comites, Merciorum scilicet & Northumbriæ, Edvinus & Morkarus, sive secundum quosdam Marcherus, cum eis juxta urbem viriliter & valide pugnaverunt, cujus pugnae locus in australi parte adhuc ostenditur civitatis, Edvino & Morkaro glorioso Martis omine in fine devictis, sed tunc tamen obsidibus interim intrinque datis. Quinto post hæc die Rex Haraldus superveniens, iis apud Stanfordsbrige cum manu valida obiavit. Pugna igitur acerrimè inceptâ, cum à summo mane usque ad meridiem horribiliter ruentes utrinque perseverarent, numerus Anglorum maximus Norvagenses cedere, sed non fugere compellebat. Ultra flumen igitur repulsi vivis super mortuos transeuntibus magnanimi ter resisterunt. Quidam vero Norvagensis, famâ æternâ dignus, super pontem restitit,***

stitit, & quadraginta Anglos securi cedens electa, usque ad boram diei novam solus omnem Anglorum exercitum detinebat. Tandem quidam novem ingressus, per foramina pontis inter celanda jaculo eum percussit. Transseuntes igitur Angli Regem Norreganorum, & fratrem Regis Haraldum Tostium, & totum fere eorum exercitum, quamvis acerrimè esset repugnatum, in ore gladii interfecerunt. Olavum tamen filium Haraldum Norvegiæ Regis, & ducem Orcadum, paucis obfidibus & juramento acceptis, cum viginti navibus redire in patriam permiserunt.

Certè hujus viri virtus cum nomine haud exiguo famæ ejus damno nostris præterita est; ex hora diei tamen haud obscure colligitur, id contigisse, cum Eysteinus Orrius bellum novissimè renovaret; nec absurdum, eum ipsum Anglos tantisper sustinuisse, cum valde memorabilem procellam excitaverit; singulos quoque Norvegorum de cienda pugna, quam momentis, quæ inciderunt, observandis, ipsum quoque Thiodolfum, sollicitos fuisse. His plura cum nec Radolfus de Diceto, nec Henr. de Knyghton nuper citatus, nec alii de hac pugna habeant, superfluum erit eorum verba transcribere. Quæ de Morkaro, quem nostri occisum tradunt, rectius addam. Interest enim nostratium errores suorum cognoscere, idque sequi, quod majore autoritate fulcitur. Radolfus de Diceto in abbreviationibus Chronicorum ad eundem annum tradit, & eum & Edvinum ad Aldrenum Eboracensem Archiepiscopum, Clitonemque Edgarum tum quibusdam aliis prælio contra Ducem Wilhelmum (de quo mox plura) se subduxisse, postea se ei dedisse fidelitatemque jurasse. Bronton ad annum MLXX. ad stipulante Henrico de Knyghton, latiusque explicante, deinde rebellasse, deditionem iterum fecisse, sed mandato Regis occisum esse; unde nostrorum error facile patet. Quod verò Rex Angliæ Haraldus, cognito adventu Comitis Normanniæ, Olafum filium Regis Haraldum, cum utroque comite Orcadensi, Erlendo reliquisque exercitus benignè dimiserit, nostri quoque authores testantur. De ingente verò illo auri pondere, quod Scriptores inter prædam Haraldo Angliæ Regi obvenisse testantur, quantum duodecim juvenes cervicibus vix sustinere possent, altum apud nos silentium; fides tamen Anglis in eo habenda, tum quòd id optimè scire potuissent, constetque proceres ob retentos à Rege thesauros mox ab eo alienatos; tum etiam, quòd nihil de auri copia, quæ penes Haraldum, nimium istà famâ fingi potuerit.

CAP. XIX.

CONTINENS HARALDI STRENUI NORVEGIÆ REGIS ELOGIUM: UBI VIRTUTES EJUS SUMMATIM RECENSENTUR, OBTRACTATIONES REFELLUNTUR.



Unè finem habuit Haraldus Strenuus, Norvegorum Regum, non sui tantum seculi, sed omnis etiam ante se ætatis & memoriæ, sapientiâ, experientiâ, prudentiâ, gerendorumque promittuntur celeberrimus. Severiore imperii licentiam nobilitatis, quæ lenitate & conniventia Magni increverat, prudenter coercerat, singulosque processu tem-

poris

poris in officio continuit, nec sibi obloqui passus est, nec magis opes subditorum æquo animò tolerabat, utpote fomitem luxuriæ, licentiæ & fastus inmodici, imperantibus inprimis noxii: & quamvis opum cupidissimus esset, magnâ tamen liberalitate eas erogabat; nam in muneribus profusus fuisse perhibetur, bello adeò strenuus, felixque, ut fulmen Septentrionis appellatus sit; cognomenq; inde, quo Strenuus, & ab adductiore imperio imperiosus usurpatur, reportaverit: quod interpretatione pravâ alii Crudelem, alii Malum verterunt; quod si eam explicationem reciperet, certè poëtæ, qui carmina illi offerebant, illâ appellatione abstinuissent. In consiliis capiendis & celer & providus, adeò ut subito periculo ingruente id eligeret, quò melius illo articulo aliud suppetere nequivisset omnes postmodum judicabant: alto animò, gloriæ imperiique cupidus; periculorum contemtor.

Corpore fuit vasto, staturâ quinque cubitorum, robore ingenti, laborum vigiliarumque patientiâ singulari, amicis fidus, hostibus insensus, formæ majestate insignis, barbâ capillorumque flavo, myrtace longo, superciliorum aliò paulò superiore, utroque pilis raris, pedibus manibusq; magnis, sed decentibus, facetiis jocisque deditus. Nunquam è prælio fugerat, sæpe tamen ingruente periculo, cum se viribus imparem animadvertit, effugium quaesivit. Nihil de juventute ejus ante bellum Stiklandense proditum auctores perhibent, deinde gestorum ejus partem minimam. *Fit id idè, ait Kringla, quòd nobis de iis parùm constat, tum etiam, quòd ea literâ mandare nolumus, quorum exactam cognitionem non habemus, licèt aliâ quædam audierimus; maluimus enim nostris addi posse, quàm necessario dem.* Magna ejus vitæ pars carminibus variis continetur, quæ Islandi aut ipsi aut filii ejus obtulerunt, idè illis magnopere, imò universæ genti, præcipuè favebat, magisque quàm ullus alius Regum Norvegorum, quantumvis faventissimus. Nam maximâ annonæ caritate gentem affligente, quatuor naves farre oneratas eò navigare permittit, statutò modico pretiò singulis ponderibus magnis, quæ Skypund vocant, ne ultra ducentas panni Islandici ulnas venirent. Permisit etiam pauperibus, modò viaticum ad iter per oceanum comparare possent, liberum in suum regnum transitum, id quod toti insulæ magno fuit emolumento; nam levatâ annonâ redierunt anni frugiferi. Campanam etiam magnam templo, quòd in publicis comitiis exstructum est, ad quod frater ejus Olafus materiam ædificii donaverat, ipse quoque donavit. Extant & ista in illa terra liberalitatis ejus monumenta, compluraque alia, quæ munerâ ingentiâ, quævis eos; qui inde ad illum profecti sunt, orrabat; testantur. Sagaciter enim prævidit, illius gentis ingenii famam suam, sicut antecessoriam suorum, aliarumque gentium principum, æternitati consecrari, utpote quibus gesta principum præ aliis nationibus in numeros artificiosos redacta celebrare familiare esset: fortè etiam perpexit, linguam eorum mutationi, quòd aliis gentibus parùm miscerentur, minus obnoxiam; materiam verò, quam carmina illa complecterentur, aliis gentibus exoptabilem.

Magnus Rex templum S. Olafò exstrui curaverat in loco, ubi corpus ejus supra urbem unâ nocte reservatum est, non tamen perfecit; quod deerat, Haraldus supplevit. Palatium præterea lapideum in vicinia exstruxit, nec ad umbilicum perduxit; excitabat quoque à fundamento templum B. virginis, prope locum, ubi corpus fratris primam hyemem in arenâ sepultum quiescebat, magnæ molis ædem, tantaque firmitate cal-

ce coagmentatam, ut confringi vix posset, cum Archiepiscopus Eysteinus eam destrueret; quoad basilica ista perfecta esset, reliquiæ S. Olafi in templo ei dicato conservabantur. Ad templum B. virginis, prope flumen aulam Regiam ædificavit, quæ & ibi tempore authoris Kringlæ steterat, palatium verò, quod prius exstruxerat, in sacrem ædem vertit; Sanctoq; Gregorio consecravit. Sanctum Adalvardum Sveciæ Episcopum ad se invitavit, conspectoque miraculo, magnificè donatum dimisit: id quod *Joh. Vastorius in Vite Aquilonia p. 37.* his verbis describit. Deinde à Rege *Haraldo Norvegiæ (Dni Olai Martyris, olim Regis, germanus, frater is erat)* invitatus Adalvardus in Norvegiam navigavit, & inter alia religionis officia, cum ad tumulum hominis ante sexaginta annos defuncti ab incolis perduceretur; cadaverque adhuc integrum, quasi eò die sepultum, stupente populo spectandum exhiberetur; Episcopus in spiritu cognovit, eum excommunicationis maledicto illaqueatum teneri. Erat autem is *Sigfridus Piratarum Dux,* (ut liquidò compertum habebant indigenæ) qui Senioris Libentii tempore in diæcesim Bremensis Ecclesiæ populabundi incesserant, quos idem Pontifex anathematis gladio à communione Sanctorum præciderat: cumque interposita prece Pontificis Adalvardi absolveretur, mox solutus in cinerem recidit. Ab eunti Rex tantum pecuniæ dedit, quantum trecentis captivis Christianis sufficit redimendis. Notatum & judicium Haldoris filii Bryniolfi, Cameli, viri sapientis, & inter procerum spectatissimos honorati. Dixerat enim; cum S. Olafi & Haraldi ingenia alii inter se comparantes dissimilia judicarent, se utriusque asæctum & impensè dilectum similiora non cognovisse; utrumque sapientem, auno fortem, & in periculis intrepidum, severum & in penis exigendis rigidum, imperiique & opum tonquivendatum cupidissimos, nec aliorum consiliis obnoxios. Olafum ad plantandam Christianam religionem, bonosque mores ingerendos, crues suos ad obsequium coëgisse, prævaricatoresque graviter punxisse; id verò proceres indignatos crues contra eum conceitasse; inque proprio suo regno occidisse, inde sanctum factum. Haraldum verò, quò imperium & gloriam consequeretur, quoscunque posset, sibi subjungisse, id eò in alieno regno concidisse. Ambos moribus quotidianis cultis & ad magnificentiam factis. Ambos peregrinationibus claros, rebus gerendis strenuos, & consiliis excogitandis sagaces, inde ubique celebres & claros.

Infatigabilem ejus industriam *Ad. Bremensis* in naturæ secretis investigandis, nostratibus neglectam (fatentur enim, minimam gestorum ejus partem notatam) non omisit; operâ enim satraparum suorum *Ganund & Wolf* (duos enim viros pluralis numerus monstrat, de quibus tamen dubitat, ejusne an Danorum satrapæ fuerint) maris Baltici quantitatem lustrari captam, ipsum verò ultra Thylen Septentrionalis oceani latitudinem navibus perscrutatum, tandem caligantibus ante orâ deficientis mundi finibus, immane abyssi baratrum retroactis vestigiis vix saluum evasisse; quò loco eum, uti erat, experientissimum appellat; meritâq; laude effert. Alio loco convitia intonans crudelitatem & tyrannidem ei improbat, quam his verbis *Lib. II. Cap. XVIII.* describit. *In Norvegia, inquit, res magnæ gestæ sunt illò tempore, quò Rex Haraldus crudelitatis suæ omnes tyrannorum furores excessit; multæ enim per illum ecclesiæ virum dirute, multi Christiani ab illo per supplicia sunt necati. Erat autem vir potens & clarus victoriis, qui prius in Græcia & Scythiæ regionibus multa contra barbaros prælia exercuit; postquam verò venit in patriam; nunquam quietus fuit à bellis, fulmen septentrionis fatale malum omnibus Danicis insulis. Ille vir omnes Slavorum maritimas deprædavit regiones. Ille Orchadas insulas*

sue subiecit ditioni. Ille cruentum usque in Islandiam extendit imperium; itaque multis imperans nationibus, propter avaritiam suam & crudelitatem omnibus erat invisus. Serviebat etiam maleficis artibus, non attendens miser, quod sanctissimus germanus ejus talia monstra eradicabat à regno, certans usque ad sanguinem pro amplectenda Christianitatis norma; cujus egregia merita testantur hæc miracula, quæ quotidiè fiunt ad sepulchrum Regis in civitate Thronæpni. Videbat hæc ille derelictus à Deo, nihilque compunctus; oblationes quoque ac thesauros, qui summam fidelium devotione ad tumulum fratris sunt collati, ipse Haraldus unâ manu corradens militibus dispersit, pro quibus causis Archiepiscopus zelo Dei tactus legatos suos direxit ad eundem Regem, literis suis tyrannicas ejus increpans præsumptiones; specialiter verò ammonens de oblationibus, quas non liceret in usum cedere laicorum, et de Episcopis, quos contra fas in Anglia vel Gallia se contempto fecit ordinari, per quem autoritate sedis Apostolicæ jure consecrari deberent. Ad hæc mandata tyrannus commotus in iram, legatos Pontificis sretos abire præcepit, dicens nescire se, quis sit Archiepiscopus aut potens in Norvegia, nisi solus Haraldus. Et alia plurima deinde fecit & dixit, quæ superbie ejus proximam intentabant ruinam. Nam & Papa Alexander confestim, missis ad eundem Regem literis, præcepit, ut tam ipse, quam Episcopi sui, vicario sedis Apostolicæ dignam exhiberent subjectionis reverentiam. Et ecce rescriptum literarum. Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Haraldø Nordmannorūm Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Quia adhuc in fide rudes exististis, & in Ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, oportet nos, cui totius Ecclesiæ commissum est regimen, Divinis ammonitionibus vos frequentius visitare. Sed quia ob longarum viarum difficultatem per nos hoc agere minimè valemus, sciatis nos Adalberto Hamburgensi Archiepiscopo, vicario nostro, hæc omnia firmiter commisisse. Prædictus itaque venerabilis Archiepiscopus, legatus noster, suis nobis conquestus est epistolis, quòd Episcopi vestræ provincie aut non sunt consecrati, aut data pecunia contra Romanam privilegia, quæ suæ Ecclesiæ sibi que data sunt, in Anglia vel Gallia pessimè sunt ordinati. Unde ex autoritate Apostolorum Petri & Pauli vos ammonemus, ut sicut Apostolicæ sedi reverentiam subjectionis debetis exhibere, ita præfato venerabili Archiepiscopo, vicario nostro & vice nostra fungenti, vos vestrique Episcopi impendatis. &c.

Has Archiepiscopi calumnias, Adalberti nimirum, hominis vanissimi & superbissimi, si flocci fecit Haraldus, mirum non est. Ecclesias multas diruisse nusquam alibi legas; donaria S. Olavo à devotis hominibus collata corradere, inque militum stipendia convertere, è re ejus non fuit; id enim si fecisset, peregrinos à regno ditando avertisset. Nihil tamen inde tyrannicum concluditur, si ad res necessarias converterisset, quod ad instruendorum sacrificulorum luxum factumque aliàs deputari prævidebat. Christianos multos ab eo per supplicia necatos nemo nostratum annotavit, & ne unum quidem; nam quòd *Henr. de Knyghon, Mariannus Scotus, & Sigbertus Gemblacensis*, Eboraci ab eo factum referunt, refellitur tam à nostrorum relatione, quam inde, quòd plures Anglorum Scriptorum illud omittant. Maleficis artibus inserviisse nullam fulcitur auctoritate: affectum id videtur ob continuas victorias, perpetuamque felicitatem & fortunæ constantiam: nullam tamen victoriam his artibus partam nostratès notarunt, qui gestis ejus vel interfuerunt, vel curiosâ indagazione exquisiverunt. Vapulat hoc modo Sverrir, inclytus illè Norvegiæ Rex, similiter à coævo suo *Wilhelmo Neobrigensi* traductus: Maritimas Sclaviæ civitates omnes ab eo expoliatas, licet id quoque nostris

omissum, vix tamen diffiteor, cum id Scripior ille optimè potuerit nosse; nec tamen id sine causa factum existimo. Jus enim, quod Magnus in Jomsburgum Sclavosque Daniæ respectu prætendit, ipsum quoque sibi vindicasse non caret ratione. Quid si Danis se quoque adjunxerunt? Extendisse imperium in Orcades vitio caret, utpote clientelari jure Norvegiæ subjectas, humanius tamen cum Comite Thorfinno, qui eum ultrò accessit, egit, quam S. Olafus; nihil enim ei, utpote hospiti & affini, expressit, sed maximo honore muneribusque cultum dimisit liberum. Cruentum usque in Islandiam extendisse imperium, longè falsissimum: melius enim nostratibus id quam *Ad. Bremensi* constare poterat. Beneficiis eos effusisque muneribus sibi devinxit, honoribus ornavit, sine ullo imperandi studio; idque partim ob expertam tam in fratrem S. Olafum, quam se ipsum, invictam eorum dubiis & desperatis rebus fidem, quam famæ posthumæ præsidium; quod ab illis sibi pollicitus est, tantò fratre sincerior, quòd domi libertati eorum non sit insidiatus. Hæc non satis perpendit *Arngrimus Crymogææ Lib. II. genealog. XIII. editionis Hamburgensis p. 171.* ubi crudelitatem in plurimos exercuisse non est veritus scribere; exemplò proponens Ottonem Oseigi filium, imperiò Regis ab aulicis occidi jussim. Continetur id narratione de Hemingo, quam ad calcem hujus libri apponam. Quòd verò Episcopos in Anglia ordinari fecerit, hæc demum vera & genuina legationis & calumniarum causa. Hinc illæ lacrimæ! Rectè igitur & regiè Haraldus respondit: *nullum se Norvegiæ Regem præter se ipsum agnoscere*; novit enim Pontificum factum, novit scelera, novit regnum, veriùs tyrannidem, quam sibi præstruxerant, etiam in Reges, Principes, ipsumque adeò Romanorum Imperatorem, in quem paulò post excessum Haraldi Hildebrandus ille, qui sub Gregorii Septimi nomine Pontifex, vulpes verfutissima & lupus infestissimus, in eum diem inaudita infandaque ausus, crudeliter executus est, ejusque successores, ipsius vestigia secuti, cæli sibi & inferni orbisque totius possessionem vindicabant. Haud igitur imprudenter sibi suisque successoribus consuluit: *Litem Archiepiscopus intendebat, quod Episcopus ex Anglia & Gallia accesserit; vitio creatos, quia non ab Archiepiscopo Hamburgensi. Sed quid ei, quid Romanæ sedis cum Norvegis, quos ad Christianam Religionem nunquam perduxerunt? nimirum qui Ansgarii tempore & deinceps Archiepiscopatu Hamburgensi subjecti sunt; quis autem subjecit? Pontifex Romanus & Cæsar; quo jure? fortè quò Alexander Sextus novum orbem divisit. Nullus in hanc subjectionem Regum Norvegorum consensus ullum juris titulum ipsis tribuit, sine quo tamen jus acquiri nequivit. Ex Anglia Olafus Tryggvinus Episcopum Sacerdotesque conscripsit, cum religionem primò plantaret; nec tamen idè se aut successores suos Angliæ mancipavit. ad presbyteros inde perpetuò evocandos; id enim sui juris esse voluit, quos constitueret & unde vocaret; nec id legi Christi adversatur, qui discipulos suos increpavit, quod prohiberent eum, qui in nomine ejus demones ejecit. Licet in vinea Christi operari Romano Pontifice inconsulto. Nec Haraldus ideo Ecclesiarum desertor habendus, quòd arbitriò hominis extranei Episcopos non constituit, cum tamen eos aliunde fumeret, nec eas desertas esse pateretur. Video tamen etiam ejus tempore duos, Tolf & Sigvardum, ab Archiepiscopo Adalberto creatos, Asgautum & Bernhardum à Papa. Thrandiæ Tolf præfectus est, ipso Adamo teste, ubi catalogum Episcoporum, qui eos præ-*

cesse-

cesserant, recenset. His Meinhardum & Asmundum *Lib. III. cap. XLIV.* adjungit; nec scio an illi ad Norvegiam referri debeant. De Biarnvardo Botvis[is] seu literato, in fine vitæ Magni retuli, quod ob dissidium eum Rege in Islandiam concesserit, nec prius quàm post excessum illius in Norvegiam redierit. Causa autem dissidii nos latet. Quinam ex primis Osloensium Episcopis illius tempore vixerint, aut ex Thrandensibus à Petro Claudio memoratis, definire nequeo. Non videtur Haraldus Papam Alexandrum Secundum, virum Mediolanensem, ignorasse, aut consuetum ejus cum Cádalo Parmensi in campis Neronianis, victoriamque de eo armis partam: qui tamen pariter ac Alexander à præsulibus Longobardiæ & Germaniæ habito conventu Basileæ in præsentia Cæsaris Papa electus est: unde versus circumferebatur:

Cadalus in Parma, Parma fuit arcus & arma:

Cadalus occubuit, Parma ruina fuit.

Nec constitutionem ejus, quæ vetuit, ne quis beneficia Ecclesiastica ab ullo laico acciperet. Cavendum itaque sibi vidit à machinationibus ejus, qui armis papatum quæsit, bullisque supra fas extendit, ne ipse Norvegiæ imperator externum imperium, sui que successores in æternum acciperent, quod ab antecessoribus absolutum, non minus in res Ecclesiasticas quàm seculares, ordine successionis ad se devolutum agnovit. Diversa enim Norvegiæ & Daniæ conditio hic spectatur; hanc enim Imperatores, ut Romanæ Ecclesiæ advocati, suis impensis, laboribus, periculis, ad Christi & Romanæ Ecclesiæ obsequium non uno tempore reduxerunt; suprema inde rei ecclesiasticæ jura non immeritò sibi vindicantes, ut in Ottonibus patet. Reges autem Norvegici, non Romanæ sed cælestis curiæ advocati, negotium religionis susceperunt, propriis impensis periculisque promoverunt, in quod hujus quoque Regis frater sanguinem vel impendit, vel impendisse vitus est, etiam miraculorum testimoniò. Hi ecclesias fundarunt, dotarunt, aut dotandas curarunt, absque ullo Imperatorum Romanorum aut Pontificum auxilio, imò & consiliò; nam quod Haraldus Gormius Daniæ Rex orsus in Vika fuit, Comes Hacon universum destruxit. Optimo igitur jure Episcopus pastoresque, undecunqve voluerunt, conquiverunt, quos vel suis vel subditorum lege definitis sumtibus sustentarunt. Idem illis jus in Orcades, quas Olafus Tryggvinnus Christianas reddidit, ecclesiasticasque personas ad opus tam necessarium perficiendum providit; quod enim Comes Sigurdus deinde præstitit, ipsius imperio factum est. Quod igitur quis per alium facit, ipse facere videtur. Clientelari igitur jure etiam illam imperii partem Comites, qui proximè successerunt, obtinuisse videntur. Nec ideo vel Scotis vel Anglis in ecclesias illarum quicquam juris partum, ut pastores inde peterentur, quos annuis redditibus aut civium liberalitate aluerunt: liberum enim illis tales undecunqve vellent conquirere. Idem de Færeys statuendum. Non igitur Haraldus spreto Romanæ sedis aut Archiepiscopatus imperio vel jure ideo in fide infirmus, aut in disciplina ecclesiastica claudicasse recte infimulabatur, sed potius imposturam formidasse, suumque jus, ut debuit, asseruisse.

Ex adductis nihil occurrit, quod tyrannum eum faciat, nedum talem, qui omnes tyrannorum furores supergressus dici possit. In Danos sævum fuisse, nec temperamento in bello usum, concedo, sed id in hostes, ut terrore injecto facilius deditionem facerent. Idem Davidi Scotorum Regi usui venisse videmus, quem tamen *Buchananus* summis laudibus extollit:

bello enim Anglis illato truculentissimum describunt Scriptores Anglici, nec tamen tyrannus ideo audit. Nec immeritò Danis infensus erat Haraldus; quorum vi & machinationibus frater occisus; ipse in exilium actus, gens Norica omnis promissis decepta, mox ludibrio quæstuique habitata. Jam vero patriam suam posteritatemque patriæ eorum accessione in perpetuum aucturus, pertinaciter oppugnandos laceffendosque censuit, ut si subjugare nequiret, vicem tamen redderet. Verum à vi superiore causæque humano ingenio imperviâ pervicacia illa successusque provenit: factus enim Danorum retundendus erat, quo se quoque homines esse agnoscerent. Idem cum ab iis, jam satis punitis, ad Haraldum Norvegosque transit, imminentem pœnam ultionemque eorum, quæ crudeliter in eos admissa, secum quoque vexit. Hinc malo suo genio actus Angliæ infelicia signa intulit, ut suo suorumque excidio Regem Angliæ, jam quoque pœnæ maturum, ad resistendum Duci Normannorum, cui imperium Angliæ destinatum, post acceptam à Norvegis ingentem cladem, impari redderet, simulque Ducem ipsum aut Haraldi Regis matrem liberosque opibus suis, Imperatoribus Constantinopolitanis per fraudem surreptis, crasseque, quæ ad Daniam vastandam, multosque innocentes exspoliandos, cædendos, injuriisque vexandos, usus est, instrueret; atque hæc Deo adscribenda; secus quod humana prudentiâ prævideri poterat, nihil ab eo neglectum animadverto, si novissimè temeritatem Tostii sapientissimis consiliis non prætulisset. Classem, comæatum, militem, omnia instrumentisissima transvexit, dissidia procærum Angliæ, autoritatem factionumque Tostii & potentiam perspexit, ipsum rerum locorumque peritissimum præsentem habuit, & quidem auxiliis Flandriæ instructum. Nec dubitandum, constitisse ei de Duce Normannorum, quem ab alia parte Angliam ex constituto adortum facile ex Normannicis Scriptoribus colligi potest, qui scribitur Tostium ab eo cum cassè ad infestandam Angliam missum, vi potentiore prohibitum in Norvegiam concessisse. Malcolmum quoque Scotiæ Regem in partes sollicitatum constat. Verum accidit ei, quod fortissimo Gothorum Regi Totilæ; qui novissimo sibi quoque exitiali præliò militem suum, neque armaturâ, neque re ullâ alia parem fecit hostibus, tradente *Procopio*; nimirum Deus, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Quantum bellum Norvegi illo die Anglis fecissent, si lorice instructi fuissent, id quod fecerunt documento est, præsertim ultima illa ab Orrio renovata dimicatio, quæ propè victores fuerant, ni abjectis lorice, quas lassitudine confecti ulterius ferre nequibant, hostium telis se integumentis nudatos exposuissent. Quin & ab initio hostium impetus Norvegi sustinuisent, si pressis vestigiis, hastis, ut præceptum erat, equites equosque avertere contenti, ordines non laxassent. Nam & idem Anglis cum Duce deinceps pugnantibus evenit, suo quoque exitiò; ut libro sequenti explicabo.

Scripti quæcunque de vitâ gestisque & exitu Haraldi notata inveni, etiam leviora, interdum quoque suspecta, sed fide librorum; non tamen quicquam deprehendi, quod tyrannidis notam vel nomen ei possitingere. Kalfum quidem Arninum perfidè occisum fateor, si id consilio magis Regis quam casu factum est: sed persuasus fortè erat Haraldus, fidem hæreticis non esse servandam, utique nec proditoribus. Suo igitur exemplo aliorum fidem examinare debuisset Kalfus, nec à Rege, cujus fratrem occiderat, quemque ipsum patriâ exegerat, majorem fidem exigere, quam is Domino suo, eidemque Regi, honorum, opum, totiusque secundum Deum

um incrementi auctori præstitit. Quid de cæde Einaris Thambaskelferis censeam, jam dudum dixi. Certè intolerandis injuriis, non sponte, provocatus ad eam processit, viâ, quam necessitas monstravit, ne ipse ab eo subverteretur.

Quam grata Regis hujus memoria apud Islandos longo tempore manserit, vel hinc apparet: quòd Thordus Kakalius, Sigvati Sturlæi filius, Islandicæ factionis princeps, navali prælio cum adversario Kolbeino juvene in patriâ occidentalis quadrante anno MCCXLIV navium virorumque numero longe inferior congressurus, inter alia pia vota, quibus Numen cæleste propitiandum statuit, vovit se impensas in Missam pro animâ Haraldî per integrum annum celebrandam erogaturum; procul dubio beneficia in cives suos, favoremque & gratiam singularem, manibus ejus repensurus: id quod Deo acceptum, ipsique ad salutem profuturum, post centum septuaginta annos à morte ejus pro certo sibi perfavisset, indeque victoriam spe præsumsit.

APPENDIX.

DE HEMINGO ASLAKI FILIO.



Atus est Hemingus in Halogix prædio celeberrimo Torgis, etiam ante conditam Monarchiam præfectorum Reginum, hodieque eorundem vicariorum, habitationi delecto, patre Aslako, colono valde opulento, famâque sapientiæ celebri; nec dubito quin satrapix præfectus fuerit, licet inter colonos hic referatur; nam interdum etiam præfecti sic appellantur. Fratrem Hemingus habuit Biörnum, ætate grandiore, viribus conspicuum. Ipse à teneris staturâ, viribus, aliisque naturæ dotibus supra ætatem æqualiumque sortem admirandis, à patre in diffitas aqvilonis partes, ad rusticum quendam solum cum uxore, familiâ liberorum servorumque expertem, educandus ablegatur.

Procedente tempore Rex Haraldus aqvilonares provincias, & in his Halogiam, visitans, convivii procerum excipitur. Cumque Torgas accessit, centum comitantium ministerio instructus, in triclinium oblongum, tapetibus magnificè instratum, clypeis & armaturâ splendide exornatum, introducit, lautisque & solennibus epulis accumbit. Inter præcipuos ministros recensentur, Nicolaus Thorbergi Arnini filius, uxoris Regis frater, summæ dignationis & intimæ admissionis; Islandi quoque reliquos, quorum præcipuus Haldor Snorrii, reliqui Bodvar Ekdjarni, Arnoris Anicidæ, seu Kellingarnefi, nepos, Finnius Kiartani, Hiortus Olafi, Oddus Oseigi, & Thorarinus Nefiulfi, filii: procesitque totâ die convivium, mutuâ convivoris alacritate, & convivarum hilaritate hospitaliter, Postridie peractis sacris, Rex Aslakum arcessit, rogatque an cognitas habeat leges, quas frater suus S. Olafus tulerit; eum enim à juris peritiâ passim celebrari. Ille vero istam gloriam sibi nequâquam arrogare respondit. Tum Rex: quid autem de iis sanciverit, qui filios suos occulte educarent? rogat. Ille ignorare se testatus est usquam vetitum, ne liberi pro parentum libitu enutrirî possent. Atqui, respondit Rex, aliud meo codice continetur; id enim sub exilii penâ bonorumque publicatione prohibetum est. Interrogan-

roganti Aslakō, qui tanta severitate? Nullus, regessit Rex, illius ad regniciviumque defensionem usus est, qui latet; ei etiam insidias struere proclive, à quo nemo sibi cavere potis est. Id cum nihil ad se attineret Aslaksus respondisset; Imo vero, ait Rex, relatum mihi est, te occultæ educationi filium tuum seposuisse. Requisito delatore; Rex affinem suum Nicolaum Thorbergfilium indicavit. Exigente deinde hospite ab eo, num id detulisset, negabat sibi convenire resellere, quæ Rex sibi impingeret; præsertim cum aliquid retulerit. Nec enim se dememinisse, cum decem annorum puer Torgis versaretur, fuisse ei filium, nomine Hemingum, sexennem, se quoque tunc, licet omnium iudicio pro illa ætate viribus & agilitate commendabili, longe tamen & in omnibus superiore, domique mansisse, cum inde discessisset, quid exinde de eodæctum sit, exquirere nequivisse. Tantum, nec ultra, de eo Regi a se relatum. Rex, ubi is jam esset, expromere iussit. Aslaksus vera illum retulisse confessus, cum autem septemnis esset, mente repente captum, mox à se ad Finnos ablegatum, ubi jam sit, sibi non constare retulit. Rex se in præsens discessurum pronuntiavit, annumque vertentem absuturum; quo exacto, eodem tempore, quò abiit, se rediturum. Tum vero ut filium, sive mentis compotem, sive amentem, & si mortuum, ejus tamen ossa sistenda imperat: atque his dictis discedit.

Anni sequentis autumnò præfinito tempore redit, pariqve hospitalitate excipitur. Cumqve noctem exegisset, filium requirit. Regerenti patri, mandatum memoriâ excidisse, offensus Rex, non pro merito penam de eo se hac vice exacturum refert, post duos autem menses rediturum: tum vero ei curandum, ut filium exhibeat; certa qve iræ indicia in discedente apparuerunt. Jamqve Rex, ut minatus erat, rediit, miraqve alacritate & instructissimis epulis excipitur; qværenti autem de filio, cum ne tum quidem adductum cognovit, integrum ei futurum affirmat, moram arcesitu ejus differendo, quousque libeat, interponere: se interim cum universo comitatu ad eum mansurum, nec inde recessurum, priusquam omnem substantiam consumserint; nec deinde aut eum, aut filium ejus, plura convivia instructuros. Hac necessitate compulsus Aslaksus, ministrum suum Kalfum, quindecim comitiibus instructum, ad locum Snösem naviculâ ablegat, jubetqve ad promontorium Framnesiam eam deducere, relictisque ad navem decem, quinque reliquis conitatum descendere. Tum vero in angustum tramitem perventurum, in processu semper patientiorem, donec quadridui itimere in vallum rupibus & sylvis clausam proveherentur; ibi incisuros in tugurium, quod vetulus quidam & vetula incolant, nec plures ibi occururos. His profiteri mandat, unde missi essent; Hemingo vero per noctem fortè redeunti salutem suam dicere, seque ad eum arcessendum à patre missum: sed integrum ei futurum ac absentiam patri fratriqve necem machinaturam.

His mandatis instructus Kalfus imperata exequitur; cumqve ad prædictum rus pervenisset, magnam sollicitudinem nutritiis incussit, veritis quorsum evocatio ista tenderet; de nocte vero redeuntem Hemingum salutant, cujus inusitatum magnitudinem miratus patris nuncius, cum habitum aliquantisper contemplatus esset, (rubra enim chlamyde amictus erat, fasciâ aureâ frontem, capillis in humeros demissis, revinctus) tandem accedit, adq; eum arcessendum se à patre missum nunciat. Ille, nec id præproperè: se tamen, ubi esset, remansurum respondit. Ut vero mandatorum seriem, sicut imperatum erat, expositam cognovit, craftinâ luce eos abire iussit; nec se ulterius expectandum, si ad navem istis paratis

tis non compareret. Iis jussa exequentibus, cum jam ad navigium pervenissent, illum é montibus rapido cursu pandis vectum trabibus conspiciunt. Sciscitantes quando domo egressus esset, cognoscunt unius diei antemeridiano tempore, quod ipsis quatuor dierum iter conficiebatur, emensum. Inde nave simul profecti Torgas matutino tempore deveniunt, cum finitis sacrorum solennibus Rex pranderet. Tum verò Hemingus Regem accedens honorificè salutat, Rex, *an is Hemingus esset?* quærit. Confidenti. *Nolim, inquit Rex, istum bovem videre, cujus tu Hemingus es.* Allusit ad nomen Hemingur quod cutem bovis, quæ à femoribus pedes ad talos usque tegit, denotat. Ille non semper nomina rebus convenire respondit; se vero cognitâ ejus voluntate eò profectum, totum ad arbitrium ejus nutum voluntatemque conversum, quò iram à patre deprecaretur; sed nec usquam fugiturum, si sibi quoque necem pararet. Rex *an & artes aliquas calleret?* interrogabat. Sic, respondit Hemingus, *nutritiis meis visum est, quarum tamen experimentum alibi nullum edidi. Tibi vel exigua vel nulla videbuntur. Unam tamen ex iis memorabo, cujus certamine cum quocunque jusseris contendere paratus sum.* Professus autem est illam, quâ per subjectas plantis tabulas cursus super obducta nivibus derupta festinatur. Rex se prius ludicra ejus exercitia inspecturum, examinaturumque, quid pretii iis statuendum, respondit. Ille Regi; qui præirent, deligendos monuit, se quantum eos assequi posset, experturum. Fuit insula sylvis passim confita, lucisque frequens. In unum horum Rex progressus hastam campo per mucronem demissam impegit. Mox sagittam arcu emissam in sublime directè conjecit, tanto artificio, ut decidens in hastilis fastigio figeretur. Imitatus Hemingus, suam vicissim in ejus sagittæ apicem intrusit. Iterum igitur Rex in inusitatam longitudinem hastam vibravit, Hemingus quoque suam in tantum ultra, ut hastilis ejus extrema in Regiæ hastæ alam inciderent. Tum vero Rex suam in tantum spatium conjecit, ut neminem assecuturum omnes præsentis consensu judicarent, ipse quoque Hemingus iis assentiretur. Rex ut omisâ assentatione, quantum viribus eniti posset, ostendere jussit; qui statim obsecutus, longè ultra jaculatus est. Mox Rex cultrum in arbore quadam figens, ex ingenti intervallo telum manubrio intorsit. Tum vero Hemingus sagittas suas, aureis circumdatas filis, expedit; quibus visis Rex superbum eum pronunciaivit. Ille *haudquaquam suis impensis, sed donò se illas accepisse, nec ornamenta detracturum* respondit. Mox unâ earum cultri Regis capulum collineans simul dissecuit. Tum vero Rex valde excandescens arcum ita sinuabat, ut cornubus se tantum non contingentibus spiculum intra musculum exiguum gracilemque impelleret. Ad quod cunctis stupefcentibus, Hemingus adhuc longius jaculatus exigua nuci arundinem adegit. Quò irritator Rex, eandem fratris sui Biorni vertici imponere jussit, nec ex breviori distantia excutere, suæ, ni exequeretur; vitæ excidiò. Ille *agnoscere se* respondit, *eam in ejus esse potestate, se tamen nihilominus illud experimentum omisurum.* Tum vero Biornus fratri metuens, ut mandatum exequeretur hortatus est, potius quam ut inevitabili fato se subiceret; *vita enim, quatenus liceret, conservandæ præceptum divinitus datum.* Is igitur rogato fratre, an & immotus constiturus esset, si periculum faceret? ubi eum de sua constantia confirmasset, ad destinatum locum se contulit, Regemque ut juxta fratrem staret, postulavit, observaretque, an scopum ritè collinearet. Ille vero abnuvit, illamque curam Oddo Oseigi filio mandavit. Hemingus igitur se fraudis omnis noxæque immunem contestatus, infelicis eventus culpâ in

Regem retortâ, mucronem jaculi signô crucis consecravit, feliciterque & sine ulla fratris læsione nucem dejecit. Quo visô, quærit ab Oddo Rex, an nucem excussisset? affirmanti, *se quidem certamen in presens quiete interpuncturum* pronuntiavit: *videri tamen ejus testimonium favorabile.*

Postero die à jentaculo cum suo comitatu Rex ad litus processit, Hal-doriquæ Snorrino denunciât, se delegisse eum; ut nando cum Hemingò contendens eum ad mortem usque fatigaret. Ille etiam fortiores peritioresque in eo defecturos respondit. Bodvari itaque Eldjarni filio illam provinciam mandat. Ille verò respondit: *etiamsi omnium, qui presentes ibi essent, vigor penes se unum esset, nec tamen se ei preevaliturum.* Affinem ergò suum Nicolaum cum eo contendere jubet. Ille, dubio quantumvis eventu, imperio tamen se obsecuturum affirmavit. Quò cognitò Hemingus assensit, testatus illum esse virum, cum quo potissimum eertare liberet. Uterque ergò, vestibus abjectis, exercitio se accingunt. Nicolaus quærenti, immergendi an natandi experimentum placeret? tum demum illud aggrediendum, cum hòc se vicerit, respondit. Mox ingressi simul undas, longè à litore enaverant, cum Nicolaus istam dimicationem supra vires suas animadvertens, quæsit, an etiam longius provehi statuerit? Illo verò id affini Regio haud periculosum regeente, renaturum se retulit, moxque convertit, cum Hemingus ultra tenderet. Veterum cum in reditu defectum viribus adversarium, deque vita periclitantem attendit, accessit, opemque obtulit, ægréque admissus zonam ejus apprehendit, secumque ad terram deduxit: ipse saxo in litore infidens remansit. Interim Nicolaus rigentibus membris fatigatus ad Regem rediit. Cui super exercitii processu requirenti, nihil se de eo relaturum respondit, nisi adversarii humanitas suam superasset temeritatem. Tum verò ipse Rex vestem exuere cæpit. Quò cognitò, pater Hemingum accedens, instans periculum renunciat, svadetque ut in sylvam se proripiens iræ Regis se procius subducat. Ille refutato consilio, *veniat, inquit, si ad ei cordi; adversa enim se aquila unguibus impetent.* Mox Rex in fluctus se veste nudatus projicit, inque Hemingum magno impetu irruit, aquisque subito immergit, mersumque sub undis ultra conspectum detinet, æstuantis pelagi fluctibus utrumque obruentibus; donec tabescente luce, obortisque tenebris, Rex ad litus enavit, resumptaque veste in diversorium rediit, tanto irarum æstu, ut nemo illum auderet alloqui: nec minora tristitiæ indicia præ se ferebat. Et jam de Hemingo omnes opinabantur, mæstusque pater & familia totâ orbitatem suam ejusque fatum tacitis suspiriis lugebant, cum accensis in triclinio luminibus, ipse omnibus improvisis accedens, cultrum in gremium Regis deposuit. Omnes in certamine ereptum judicabant.

Mane sequentis diei, Rex illinc in continentem profecturus jubet Hemingum sequi. Per montis excelsi devexa via ducebat in angustam semitam, infra quam præruptæ rupes in mare usque dimissæ, supra jugum ingens, nec in crepidine æquum, præter hanc eandem semitam. Jubet itaque Hemingum trabium vehiculò per declivia decurrere. Is ineptam humum nivibus magnam partem cassam, glacie verò obduratam lubricamque, excusabat. Id verò cum surdis auribus exciperetur, experimentum artis, per obliquâ montis, nunc sursum deorsumque, nunc transversim pervolando, non sine ingenti spectantium admiratione & propè stupore edidit. Hæc eum aliquoties ostendisset, adit Regem, finemque imponi postulat. Is unum tantum specimen superesse testatus; quò peracto nihil se ultra ex-

acturum, præcepitq; ut ex ipso jugi supercilio provectus, in fastigio rupis, supra quam ipsi stabant, modo posset, fixis vestigiis cursum sifteret. Tum Hemingum, exitiale mandatum questus, *quandoquidem se neci destinasset, posse eum hoc aliter & sine dilatione exequi.* Rege id protinus impetraturum, ni pareret, pronunciante, *exiguam tantum mortis moram induciasque hoc spectaculo indulgeri testatus, cum tamen homini nullam respicere lege naturæ fas sit, etiam se hic necessitati pariturum* respondit. Tum vero pater, qui Regem quoque comitatus erat, accedens, omnia sua bona pro incolumitate filii obtulit. Frustra id, cum Rex eum sibi datâ occasione nec parciturum responderet. Oddus autem Oseigi, execratus crudelitatem, Hemingum adit, seqve ostensurum testatur, quam de vita ejus sollicitus sit: tradiditqve ei sudarium, quò S. Stephanus, dum lapidaretur, oculos obvolvitur, utq; eò accingeretur, ivalet, *quippe alexipharmacum jumentis, quocunque morbo oppressis, expertissimum, cui tamen non esse plusquam aliis linteis pretium statuendum, ni ipsum a præsentis periculo liberaret. Si autem evaderet, meminisse velit, non sibi datum, sed bonâ fide restituendum, etiam si se invicem non iterum conspicerent.* Is studii ejus & benevolentiam mercedem exiguam quidem sperandam, nequaquam tamen minorem nihilò futuram, affirmabat. Nemo colloquia eorum assecutus est. Exinde in fastigium montis provectus Hemingus ad Regem in subjectâ rupis margine consistentem, affinis sui Nicolai, aliorumq; à tergo stantium amplexibus fuscitum, immensis sæpiusq; repetitis saltibus ruit, ipsumq; unâ secum rapturus, rubram togam, quam induerat, sed nodò exsolverat, apprehendit, atqve ita per prærupta devolvitur. Quò viso Rex: *En, ait, discrimen inter moriturum & victurum.* Tum Oddus non ultra se continere potis: *Nec tamen si idem vobis fatum, idem etiam hospitium obtingisset, respondit. Quale ergo, ait Rex, mibi auguratus esses? splendidum illud, quod Hemingus consecutus est, regessit non desugerem; existimo autem Christum nolle tantam lætitiâ Diabolo contingere, ut te hac vesperâ exciperet.* Non minus certè, respondit Rex, tibi indulgere nequeo, quam disversorii cum illo societatem. Jusitq; ut pronus eum de rupe deicerent. Tum Haldor, si morti quoque eum destinaverit, omnibus Islandis, qui adessent, simul moriendum, respondit, *nec tamen adeò impunè, quin præsentium aliqui in societatem traherentur.* Rex in illius gratiam vitam ei proximam hyemem permitti, liberumq; verno tempore in patriam reditum: deinde tota se eum Norvegia proscripturnum. Oddus, *quæ bona in se contulerit multa esse, magnoque præconio digna, testatus est, jam verò nequam deprecaturum, quò minus ab eo discedat, moxq; abiit.* Rex ad alia convivia concessit.

Jam ad Hemingum redeundum. Postquam præceps per proclive montis proruerere cæpit, vehementior aura laxam inflans vestem, sudarium acuminato saxo affixit, ubi ille animi impotens tantisper pependit, donec se colligere possit. Tum verò secum reputare cæpit, Deum, cujus providentiâ se eò conjectum adhuc incolumem statuebat, æqvè facillè se inde extricare posse: invocatoqve ejus auxiliò vovit, omne se patrimonium ejus honori dedicaturum, trifariamqve divisurum, unam partem S. Olaso, alteram religionis causâ peregrinantibus, tertiam S. Stephano daturum, eamqve portionem Oddo Oseigi traditurum, seqve Romam ad limina S. Petri profecturum: oravitqve Deum, ut quemadmodum Rex se jam morientem visus sibi sit vidisse, sic quoque sibi supremis ejus adesse permitteret. Hæc cum densas inter tenebras elocutus esset, lux ex improvi-

provisio oborta est, visusque vir circa derupta progrediens, qui eum subito in rupis cacumen transtulit, his deinde verbis affatus. *Adest hic Rex S. Olafus, in auxilium tui propensus. Nolui enim Regem Haraldum ratione vite tue reddendâ aggravari. Vota certè tua singula reddes: etiam Romam proficiscere, aliudque nomen, quoad Haraldus vivit, assumes, Leifumque appellabis. Etiam id quod expetivisti, impetrabis, nimirum ut præsens eum morientem spectes. Malè autem tibi rependis, si ad ejus necem multum contuleris.* His dictis cum luce in sublimem raptus disparuisse visus est. Mox navicula præsens occurrit, qua remis Thorgas usque statim contendit, accedensque templum, multa ibi lumina contemplatus, patrem fratremque orantes offendit. Quem ut ex insperato adesse viderant, an revera ille, an & spectrum adesset, dubitant; quibus cum omnia hæc exposuisset, hyemem apud eos omnibus clam exegit.

Vere proximo bonis omnibus, uti voverat, distributis, in Angliam ad S. Edvardum Confessorem transit, ibique trientem, quem S. Stephano deputavit, dum Româ, quò profectus est, rediret, deposuit. Oddum deinde nunciis in Angliam evocat: qui domo navigans Orcades primò petivit, inde Angliam, Londiniqve eum accedit. Ibi benignè exceptus hyemem exegit, discessurusque duas campanas ex pecunia illa conflatas, quam voti religione constrictus Hemingus S. Stephano dicabat, accepit, reliquamque partem, ad ligna ad ædificationem templi ejusdem, quod in prædio ejus Melis, in provincia Midfiordensi, quæ Septentrionalis quadrantis paræcia est, exstruendum curavit. Recepit & sudarium, quod hujus Scriptoris tempore illic quoque reservabatur. Jamque ex Anglia discedens, patriam repetiturus, adversis ventis in Norvegiam actus, portum Eikundarsundam (Eggersfund) intrat, ibique aliquot noctes detentus est, cum Rex Haraldus, qui eum proscripserat, quinque navibus eò provehitur. Qui cognito ejus accessu, navibus in ordinem longum per stationem collocatis, ipsum inclusum obsidet. Ipse interea in terra suum tentorium figit. Tanto tam improvîso periculo territos nautas ipse consolatur, memorando in longè præsentius discrimen conjectum Hemingum divinâ ope incolumem evasisse: monstratum sibi exemplum ab eo capiendum. Vovet itaque se ædem sacram Melis, uti ipse præceperat, exstruendum, & præter pecuniam in eam ab ipso collatam, etiam Ecclesiam institutum, inque ejus dotem, quicquid navis veheret, erogaturum, jubetque singulos, ut aliquid de suo in illius usum voveant. Quò impetrato ventus repente defecit. Ipse se exauditum interpretatus, sine mora anchoram solvit, velaque tollit. Id quod iis, qui in terra consistebant, risum movit. Levi deinde aurâ incrementem quæerunt, in litus ne ad naves Regias suam esset impulsurus? Verùm ille inter singulas suam dexterè dirigens, altum ingressus, feliciter in patriam domumque pervenit.

Extant quædam de Hemingo, postquam in Angliam pervenit, quædam etiam de S. Edvardo, ut & Comitis Godvini filiis, Wilhelmoque Baftardo, haud fide digna, quæ tamen libris membranaceis non continentur, & ideo describere superfedeo; quædam etiam, quorum exitus ommissus est. Famâ tantum circumfertur, cum Rex Haraldus Norvegiæ Rex in Angliam aciem novissimè instruxisset, rogatum Hemingum à Rege Haraldo Godvini filio, ut ipsum jaculò peteret, abnuisse autem religione promissi S. Olaso dati territum; promississe autem certo indicio se eum monstraturum. Mox sagittâ tegmen, quo mysticem aureo colore insignem velaverat, nudasse,

dâsse, exinde alium telô eum jam satis notatum confecisse: quod tamen ex oda, quæ superest, non colligitur. Mihi pleraqve fabulæ quàm historiarum propiora videntur, idque his rationibus, quas compendiosè exponere suffecerit, inducto. Quis enim credat patrem, ob præsumtum in filio parvulo vigorem aliquando ad invidiam proveceturum, eum ab hominum commerciis in abditum & longè remotissimum tugurium relegaturum? cum apud cultiores gentes, Danos Anglosq; melius institui posset. Fuerit colonus ille omnium usitatarum artium peritissimus, incomparabilis, alter Thurrafröstius, qui Sigmundum Bresterinum omnia exercitia docuit: vix tamen ad montanos Finnos patrem, Christianæ professionis hominem, eum ablegaturum crederem. Legimus quidem Gunnhildem Regis Eirici Blodoxii uxorem, sed ethnicam, ad dæmoniâs artes percipiendas ad Finnos fuisse missam, sed tunc cum talium possessio in maximo erat pretio; jam verò lege sub gravissima pæna supplicii vitata. Nicolaus Thorbergi filius, Regis uxoris frater, nusquam alibi quàm hic occurrit, nec inter liberos ejus alibi memoratur. De Oddo Oseigi antea Cap. XII. relatum est, quòd Regem offenderit, nec postea ipsi reconciliatus fuerit; unde ergò illi ad eum regressus, aut si hæc offensâ illam præcesserat, quomodo jam proscriptus in Norvegiam rediit? Ut nihil de miraculo S. Olafi, quod hic refertur, dicam. Cur illud tam propinquum, inter alia anxie conquisita, etiam Constantinopoli huc relata, in *Breviarium Nidarosense* congesta, exclusum est? Ex vera tamen origine hæc emanasse indeo mihi persvadeo, quòd adhuc in Norvegia cantilena quædam, in hodiernam linguam transflua, circumferatur, quæ hæc exponit, cujus versus intercalaris: *Kunden I saa vel paa Justen Hæst udride!* id est, *poteritis & vos tam peritè Cimbrico equo vehi*; ubi cuncta de nuce fratris vertici excussa, de cultro Regi erepto, de nandi certamine cum Rege Haraldo instituto, & rapido per montana cursu, casuque è præcipitio, paucis variatis referuntur; quædam etiam, illius & superiorum seculorum poetis consuetudine familiari, qui lectorem ludibriorum miraculò exhilarandum statuerunt, obscuro sensu & involutò schemate exponuntur. Hic enim Rex Haraldus & Hemingus, natandi certamen exercentes, ille in cetum, hic in piscem se transformasse perhibentur. Unde fabulosa historiis passim inserta, quem sensum recipiant, facile colligitur; de quibus magno judicio Olafus Petri in suæ *Chronographiæ Svedicæ* proœmio his verbis disserit, quæ in Latialem linguam transferre haud pigebit. *Conspicuum est, inquit, majores nostros Græcorum Romanorumque morem circa fabulas secutos fuisse. Nam cum quis aliquid fortiter magnificèque gesserat, id carminibus, odis cantilenisque celebrârunt, fabulisque & reconditi sensus verbis exornârunt, quos frygdæ seu amatoris & aliis atque aliis nominibus appellarunt, magnisque præconiis eos, de quibus eas composuerunt, extulerunt. Eos enim, qui injuriosos homines, qui alios violentiâ impetu opprimere solebant, de medio sustulerunt, Kemper & Jemninger, id est athletas & juris restitutores appellârunt, quemadmodum Græci suos strenuos & vegetos viros, qualis Hercules, & idgenus plures heroas. Illos vero, qui tyrannidem exercebant, omnes injuriis afficiebant, sineque respectu opprimebant, jetter/ reser/ troll/ gigantes, collossos homines, & prodigioso incremento monstròse auferentes nuncupabant. Quòd vero tales tyranni loca munita incolere consueverunt, sedes eorum & arces Berg: rupem, ipsos rupicolos, ferasque eorum uxores angitur, gigantes, aut similibus vocabulis traducebant, id quod veteres odae de Bernii historiâ aut fabula clarè monstrat. Cumque crudeles & immanes homines describerent, tru-*

ces, grandes, monstrosos, turpes eos finxerunt, licet ab aliorum hominum forma non discrepant, quos insuper propter eandem truculentiam & sevitiam, urfos, serpentes, draconesque commenti sunt; eos autem, qui tales occiderunt, maximis laudibus extulerunt, utpote qui urfos, draconesque & id genus monstra sustulerint, quod singularibus certaminibus seu duellis fieri consuevit. In de aeterna nominis fama, gloria, perpetuaque adorea, eos consecuta est. Plura non exequar, cum suffecerit præsentis exemplò ejus sententiam confirmasse, super sensu eorum, quæ de monstroso habitu & transformatione eodem Hemingo cantilena, quæ nescio quid describit: nihil enim ejusmodi in antiquitatum reliquiis de iis, quæ ibi canuntur, extat. Tradit autem eum femina giganteæ, monticolæ monstrosæ formæ & exactæ ætatis, amorem simulantem, nuptias ejus expetivisse, illam vero imperato gaudio perfusam, ad amicos convocandos illic profectam. Hemingum interea speciosissimam virginem, quam illa captivam tenebat, cum ingenti auri cumulo abductam, trabaliqve pedum vehiculo impositam, volatili celeritate ad sua devexisse. Intercalaris versus artificio ejus testimonium perhibet, qui ita Danicè sonat: *Hemingus den unge hand kunde paa stiene vende: id est, Hemingus juvenis novit pandis asseribus vebis.* Vix mihi pervadeo ruricolæ illius uxorem, quæ eum nutrivit, quòd montana & abdita incoletet, hic intelligi. Quicquid sit, certum est, talibus allegoriis veterum cantilenas repletas esse, ex quibus antiquissimæ historiæ collectæ sunt & contextæ. Quod si his de Hemingo fidem tribuendam quis existimabit, simul Haraldum tyrannum judicabit; ego non item. Fateor quidem magnum hic crudelitatis exemplum occurrere, sed non tantum, quod illum statim tyrannum faciat. Si enim, ut hic habetur, lege prohibita erat talis educatio, non caruit culpâ pater, quam ir crimen contumaciæ postea extendit, cum bis monitus jussu Regis contempsit. Filius quoque rusticâ audaciâ concitam Regi iram, quam lenire quovis modo intererat, stolidâ contentione auxit. *Imperitia enim, ut loquitur Thucydides, conjuncta cum modestia, utilior est quàm peritia cum immodestia.* Actum tyrannicum hic non inficio; qui tamen Haraldum protinus tyrannum non facit, nedum eum, qui omnes tyrannorum furores supergressus sit. Verùm, ut dixi, hæc inter ea, quæ ei afficta sunt, reputo.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ

LIBER SEXTUS,

DE MAGNO ET OLAFO, HARALDI STRENUI FILIIS.

CAP. I.

DE MAGNO SECUNDO ET OLAFO TERTIO NORVEGIÆ REGIBUS, REBUSQVE ANGLICIS POST CÆDEM HARALDI STRENUI HARALDI GODVINI LONGA PROGENIES DESCRIBITUR, UT ET VARIE ISLANDORUM TRADITIONES.



Haraldo in occidentem movente, Magnus regis titulo in administrationem regni à patre suffectus, mox etiam, antequam se hæredem sentiret, successit, regnavitque nemini obnoxius, cum adhuc se paternæ Majestatis reverentiâ coercendum credit, integram hyemem. Interea in Anglia post cædem Haraldi Tostiique rerum ingens vicissitudo, præcox gaudium Regis, publicamque gentis lætitiâ, spemque securitatis in posterum, in luctuosam calamitatem subito mutavit. Nam cum functus bello Eboracum concederet, ibique inter suos victoriâ lætus pranderet, tristis repente venit nuncius, Vilhelmum Normanniæ Comitem classem ingentem loco, qui Pevensea (nostratibus Helsingiaport) appellatur, applicuisse, copias innumeras in terram exposuisse, castellumque apud vicum Hastingsum exstruxisse. Hic jam subsistendum, dum ordo hujus rei ab ipsa origine plenius explicatur.

Expositi superiori libro diversas relationes de itinere Haraldi, cum jam privatus esset, in Normanniam ad Comitem Vilhelmum; alii enim à Rege Edvardo missi ad constituendum eum hæredem in regnum Angliæ; alii spontè ad evocandum fratrem suum propinquumque, qui obsides

des Edvardo à patre dati ibi custodiebantur, profectum. Omnes eodem tempore fidem suam Comiti obligâsse ad regnum ei subjiendum tradunt: jam verò, cognitò mortuo Edvardo, Haraldum promissi jurisjurandique inmemorem, se ipsum Regem constituisse. Comes jus suum ad regnum duplici vinculo, consanguinitatis nimirum (se enim in tertio gradu lineæ inæqualis invicem attingebant) & pacti, haud negligendum ratus, proceribus consulentibus, protinus legatos ad Haraldum mittit, qui promissorum & sponsonis admonerent, simul regnum repeterent. Ille re deliberatâ respondit his verbis, *Radulfo de Diceto referente. Soror mea, quam juxta conditum expetitis, mortua est: quod si corpus ejus, quale nunc est, vult Comes habere, mittam, ne judicer sacramentum violâsse. Castellum Dofris, & in eo puteum, quæ, licet nesciam cui, explevi. Regnum, quod necdum fuit meum, quo jure potui dare vel promittere? si de filia sua, quam debui, ut asserit, in uxorem ducere agit, super regnum Angliæ mulierem extraneam, inconsultis Principibus, me nec debere, nec sine grandi injuria posse adducere noverit. Reverfus nuncius responsa retulit domino suo; quibus ille auditis; iterum ei amica familiaritate mandavit, quatenus aliis omissis, servata fidei sponsonis, saltem filiam suam uxorem duceret, alioquin promissionem successionis regni armis sibi procul dubio sciret se vindicaturum. At ipse nec illud quidem se facere velle, nec hoc formidare, respondit. Alii Wilhelmi filiam Haraldum in pactis desponsam, quæ quasi firmamentum sponsonis erat, fati ereptam tradunt.*

Ad bellum apertum jam omnia spectare cæperunt. Haraldus classem instruit, milites confcribit, præsidia per litora locis apertis disponit, & ad vim Normannorum propulsandam, quæ usui viderentur, omnia parat. Wilhelmus interea rem cum ducibus subinde comunicat, quos alacres ac gestientes spe plenos vidit. Pecuniæ autem in tantum bellum conflandæ ratio difficilior videbatur. Nam in publico Ordinum Normanniæ conventu, cum de arario proponeretur, responsum est, *opes bello, quod contra Gallos gestum, ita accisas, ut si novi ingruerent motus, vix sua defendere pares essent: sua potius tuenda, quam aliena invadenda. Bellum illud & si justum, minus tamen necessarium, & in primis periculosum videri. Præterea Normannos neutiquam teneri peregrè in militiam proficisci.* Dux istis acceptis, quod publico conventu non poterat, alia ratione obtinere instituit; opulentissimum quemque seorsim ad se arcescit, blandè alloquitur, ut aliquantulum in hoc bellum conferrent, petit. Illi, quasi jam certamen esset juvandi Principis, prolixè promittunt, promissis statim in tabulas relatis. Vis pecuniæ omnium opinione major citò coacta est. His rebus confectis, opem & auxilium à vicinis Principibus, Andium scilicet Pictonum, Cneomanorum & Bononiæ Comitibus petit atque impetrat; nec defuit focer ejus Baldevinus de insula Flandriæ Comes: nam præter copias Tostio concessas, Wilhelmo præterea ea lege suam est operam atque auxilium pactus, ut ipse omnesque post illum Angliæ Reges trecentas in annos singulos argenti selibras, seu marcas, Flandriæ Principibus dederent. Philippum etiam Gallorum Regem adit. Verum cum ille è re Gallorum minimè existimaret, ut vicinus Normannus, cujus jamtum spectam habuit potentiam, Angliæ accessione adaugeretur, non tantum opem non tulit, sed etiam ab invadendâ Angliâ deterruit. Wilhelmus nihil magis ab incepto dimoveri poterat, communiter præsertim atque alacrior redditus Alexandri Romani Pontificis autoritate, qui causâ probatâ, sacratum vexillum in victoriæ ac regni omen transmisit. Itaque classe ac

ac copiis quàm maximè potuit comparatis, ad portum S. Valerici juxta Somæ fluminis exitum ventum secundum expectans aliquandiu substitit, Haraldus, qui jam dudum adventum ejus, sed frustra, præstolarus fuerat, exercitum dimittere, classem subducere, & litus relinquere constituit, tum rei frumentariæ inopiâ coactus, tum quòd Flandriæ Comes per literas significaverat, Wilhelmum eò annò nihil moturum: cui facile credit, quia anni tempore navigationem præclusam existimaret, instante jam æquinoctio.

Dum hæc animò agit, improvissâ necessitate belli, quòd Haraldus Norvegiæ Rex intulit, exercitum revocare adactus est. In quo dum occupatur propulsando, Wilhelmus idoneam tempestatem nactus, sub finem Septembris naves solvit, & leni vento provectus salvis omnibus ad Pevenseam in Suth-saxonia accessit, nudoque potitus jam litore, ut spem suam suis præcideret, navibus ignem injeicit, munimentòque positò, quòd suis receptui esset, ad vicum Hastingum progressus, & ibi quoque alterum excitavit propugnaculum, præsidiumque imposuit. Hic belli causas divulgari curat, ut scilicet ulcisceretur mortem Alfredi cognati sui, quem unà cum plurimis Normannis Godvinus Haraldipater sustulerat, ut persequeretur injurias Haraldus, qui cum Robertum Archiepiscopum Cantuariensem in exilium ejecerat, tum regnum Angliæ sibi delatum, conculatâ sacramenti religione, occuparat; suos autem, ne hostiliter Anglis de populationem inferrent, edictò vetuit.

His ad Haraldum quàm celerrimè perlatis, omnibus modis id egit, ut primo quoque tempore Normanniam exciperet; quocirca & nuncios quaquaversus dimittit, ac suos obtestatur, ut in fide maneat, contractisque undique copiis magnâ celeritate Londinum properat, ubi illum legatus à Wilhelmo adit, qui cum regnum pluribus repeteret, parum affuit, quin Haraldus præcipiti irâ percitus legato manum intulerit. Ac protinus suos vicissim ad Wilhelmum legat, qui insolentius comminarentur, nisi quàm primum in Normanniam se reciperet. Hos tamen facili responso magnâque humanitate ille dimisit. Delectum interim Londini Haraldus habet, resque suas superiori contra Norvegos prælio admodum attenuatas novo exercitu ex nobilibus & aliis, quos patriæ amor ad commune periculum propulsandum evocarat, firmat. Inde in Sutfexiam, mare Gychâ nequicquam remorante, ducit, & animo abfirmato, vix sex millia pass: à Normanno, castris in planitie positis, confedit, quò etiam confestim suum advovit exercitum Normannus. Primum exploratores utrinque submissi. Qui ab Angiis erant, omnia, sive veri ignorantia, sive mentiendi libidine, Normannorum multitudinem apparatus & disciplinam, supra fidem extulerunt, adeo ut multi Haraldus auctores essent, ne se pugnandi aleæ committeret; admonentes, *dubium esse Martis eventum, & victoriam à fortuna sæpius quàm à virtute venire, ac denique cunctationem esse præcipuam discipline militaris partem.* Erat & frater Haraldus, nobis Gyrdur, Anglis Gyrrh, bellicis operibus clarus, qui ab omni sacramentò immunis, Haraldum monuit, *ut ipse quiescens ipsi exercitum concrederet;* (id quòd nostri scriptores quoque memorant) *se enim nullo Ducis juramento obstrictum, pròinde nec celum in se irritaturum; nec se boni fratris, nec fortis Ducis officio defuturum;* quæ tamen Haraldus, utpote cum dedecore suo conjuncta, minus æquis auribus accepit. Wilhelmus autem ut ostenderet se à sanguine & cruentis consiliis esse alienum, mittit inter-nuncium, qui Haraldus conditionem proposuit, vel regno prorsus cederet,

ret, vel sub Normanno clientelari jure se regnare agnosceret, vel singulari certamine secum decertaret, saltem ut Romani Pontificis judicio de Angliæ imperio se sisteret. Sed Haraldus, quasi sui impotens, nullam conditionem amplexus, postridie, qui II. idus Octobris erat, pugnandi se copiam facturum respondit.

Inde luce primâ, quæ secuta est, acies utrinque instrunt. Haraldus in primo agmine Cantianos (quibus veteri instituto exercitus frons debebatur) cum bipennibus constituit, altero agmine ipse cum fratre, mediterraneis Anglis & Londinensibus, constitit. Normannorum verò aciem primam ducebant Regerus Montegomericus & Fitfosbernus. Ea constabat ex equitibus Andegavensibus, Cneomanis, Britonibus, quorum plurimi Fergento Britoni militabant: mediam, quæ est Pictonibus & Germanis constabat, Galfredus, Martellus, & Germani regebant: extremum agmen Dux ipse claudebat cum robore Normannorum suæque nobilitatis flore. Sagittariorum verò cohortes ubique erant immixtæ. Normanni non incondito sublato clamore bellicum canentes agmina moverunt, primumque sagittarum grandinem undique immittunt: quod genus pugnae ut Anglis novum, ita omnino terribile erat, adeo enim dense recidebant, ut in mediis copiis habere hostem viderentur. Deinde in primum Anglorum agmen præcipiti impetu incurfant; hi autem, qui locum, quem ceperant, corporibus tegere, quam cedere destinârunt, omnes connixi fortiter hostem magnâ cum clade avertunt, illi autem denuò irruunt, horrendoque frepitu utrinque acies impellitur. Jam collato pede, quasi vir viro congregaretur, acriter aliquandiu pugnatum est. Angli autem conferti, & quasi hærentes, impetum sustinent, adeo ut multis vulneribus acceptis jam recessuri fuissent; nisi wilhelmus, non ducis magis quam militis munere fungens, suâ autoritate inhibuisset: hæret itaque pugna, & equites Normannici quam concitatisimi immittuntur, & supernè vi sagittarum Angli quasi obruantur, agmen tamen non perumpitur. Haraldus enim intrepidus Ducis munia obiens suis ubique præstò erat. Nec minus parte alia wilhelmus, qui cum uno aut altero eqvo suffosus, verâ virtute vincere non potuit, ad artem se convertit, suis imperat, ut receptui canant, & gradum, servatis tamen ordinibus, referant. Angli jam terga dedisse rati, & victoriam præ manibus esse, ordines laxant suos, incompositique hostibus instant, quasi certâ jam & exploratâ victoriâ, cum illi reductis improvise agminibus, de integro signa inferunt, & palantes Anglos adorti & circumfusi stragem maximam edunt. Plurimi inter fugam pugnaeque consilium oppressi, plures autem editiore locum occupantes, conglobati, & mutuâ adhortatione firmati, præsentibus animis diu resistunt, quasi locum laudabili morti elegerint, donec Haraldus sagittâ caput tranverberatus unâ cum fratre cecidit. Tum Edvinus Morkarusque, & cæteri, qui cædi superfuertant, tempore cedendum rati fugâ sibi consuluerunt, (alii pugnae interfuisse negant) cum ab hora diei septimâ ad crepusculum usque continenter esset pugnatum. Desiderata sunt hoc prælio Normannorum plus minus sex millia, Anglorum vero longè plures.

Tantâ potitus victoriâ wilhelmus, decretâ supplicatione in primis Deo Optimo Maximo honorem habuit. Postero die cum suos humo mandasset, Anglisque idem permisisset, ipse Hastings regressus est, ut quid deinceps factò esset opus, consilium iniret, & militem prælio fessum simul reficeret. Haraldus mater adeo se lamentis dedit, ut vix solatium admit-

admitteret, intimisque precibus filiorum cadaveribus à victore impetratis ea Walthamiae tradidit sepulturae curavit. Edvinus Alghitham sororem, quæ & Regina & uxor Haraldi erat, in regni remotiores partes dimisit. Saxo addit, filiam Haraldi cum duobus fratribus in Daniam ad Svenum profectam, atque ibi postea, ipso adminiculante, nec memore paternarum ejus injuriarum, sed solo consanguineæ pietatis amore ducto Rethenorum Regi Woldemaro, qui & ipse Jarislaus à suis est appellatus, nuptui traditam, namque ex ejus deinde filia Magni Voldemari illustrissimam profapiam, quam Annalium Norvegorum conditores hoc ordine explicant. Regis Haraldi Godvini filia, nomine Gyda, nupsit Valdemaro Rusfiæ Regi, filio Jarisleifi ex Ingigerde Sveciæ Regis Olafi, cognomento Sveonis, filia. Valdemari ex Gyda filius Haraldus Rusfiæ Rex, cui uxor Kristina Sveciæ Regis Ingii Steinkelis filia; eorum filia Malfridis & Ingiborg. Malfridis nupsit primò Sigurdo Hierosolymipetæ Norvegiæ Regi, deinde Eirico Eymunio Daniæ Regi, (quod & Saxo Lib. XIII pagg: 243 & 245 testatur.) Sed Ingiborg soror ejus Knuto, cognomento Lavardo, seu protectori, Obotritorum Reg & Slevici Duci, qui postea Sanctorum collegio accessit. Eorum liberi magnus ille Danorum Rex Valdemarus Primus, filia Christina, Katarina, & Margreta (*Claudius Lyschander* his duobus omisissis Pornellam & Juditham recenset) Valdemari Primi Daniæ Regis uxor fuit Sophia filia Valadi (Uladislai) Poloniæ Regis, ex uxore Rikiza Burislavi Vandaliæ Regis filia (*Pontanus Rikitzam Bugislai* Poloniæ Regis filiam facit, Sophiam autem Valdimari Ruthenorum Regis Richisa matre natam.) Liberi eorum Knutus & Valdemarus Daniæ Reges, & Rikiza uxor Eirici Sveciæ Regis, Knuti filii (quam Eiricus Olai Historiæ suæ Lib: III pag: 56 anno Domini MCCXX obiisse tradit, consentiente Iohanne Magno Lib: XIX cap: XII) Christinam accepit Magnus, qui postea Cæcus dictus est, Norvegiæ Rex, (quod & Saxo Lib: XIII pag: 245 innuit) Catarina cessit conjugio Gaizæ, credo Hungariæ Regis, si, ut tradit Hvitfeldius, eorum filius fuit Bela Rex Hungariæ, qui eo nomine tertius anno MCXXXIII. Rex factus, hæc sibi tempora vendicat: quod Antonius Bonfin: Rerum Ungaricarum Dec: II Lib: VI pag: 264 confirmat Margaretam in uxorem duxit Stigus Hvitaldedus: eorum liberi Nicolaus & Christina uxor Caroli Sveciæ Regis Svercheri (nostratibus Sörkveris) filii (Hæc Saxo Lib: XIV pag: 305 Iohannes Magnus Lib: XIX pag: 699 Nyetlingorum Historia cap: XCIII, Fagnrskinna pag: 78. Loccenius pag: 78 confirmant. Errat igitur Chronici Norvegiæ editio Danica pag: 378, quæ Christinam Valdemari Regis Daniæ filiam statuit,) Eorum filius Sverkerus etiam Sveciæ Rex. Caroli Sverkeri Sveciæ Regis filii mater fuit Ulfhildis (quod etiam Saxo tradit *Lib: XIII pag: 244*) Haconis filia, Finni nepis, Harechi de Thiotta, ejus qui Sancto Olaso consanguineo suo bello Stiklastadensi se opposuit. Ista Ulfhildis primò nupsit Nicolao Daniæ Regi, deinde (ut tradunt) Ingio Hallsteini filio, Sveciæ Regi (quod quam non consistat, infra in vita Regis Sigurdi Hierosolymipetæ cap: IX perspicuè monstrabimus.) postremò Sverkeri Koli filio, etiam Sveciæ Regi. Hæc, secundum nostrorum scriptorum traditiones, tanta tam illustris profapia ab Haraldo Godvini filio promanavit, quæ etiam in præsens seculum extenditur. Sed ut captam absolvam narrationem, ab ea, unde diverti, redibo.

Proceres regniqve primates populum, ne animum desponderet, admoment, consiliaqve de republica conferunt. Archiepiscopus Eboracensis, cives Londinenses, & clasarii (quos Anglorum idiomate bothe-care-

les appellat *Vigorniensis*) Edgarum in Regem levandum, bellumque cum Normannis redintegrandum censuerunt, Edvinus & Morcarus de imperio sibi occupando clandestina consilia agitarunt. Episcopis vero & præfulibus, aliisque, qui Romani anathematis fulmen extimescebant, consultius videbatur deditioem facere, & omisâ dubii belli fortunâ fatis cedere, quæ jam in manus Normanni Angliam quodammodo tradi derunt. Vilhelmus interim Hastungas præsidio firmans, infesto agmine Londinum petere constituit; verum ut latius sui metum inferret, & à tergo omnia securâ redderet, partitis copiis, per Cantii territoria Suthsexiam, Suthreiam & agros Beriensæm & Suthantonensem pervagatur, vicos ac ædificâ incendit, prædasque agit, ac tandem transmissis ad Valsingfordiam Thamesi terrore omnia complet. Quæ dum fiunt, in incerto habuere proceres, quidnam consilii caperent, nec adduci poterant, ut positis simultatibus communi animo recipublicæ prospicerent. Cumque se multi ex urbe subducerent, Archiepiscopus tamen Eboracensis Alfredus, & Vigorniensis Antistes Volstanus, aliique præfules, unâ cum Edgardo Edthelingo, Edvino Morcaro victori Normanno ad Brehamstadam occurrunt, obsidibusque datis in fidem & deditioem se permittunt, Normannus vero ubi Londinum advenit, ingenti lætitiâ & festis acclamationibus exceptus Rex salutatur, atque inde sub octavum Kalend: Januarii Regio ibidem diademate solenniter insignitur. Eratque absoluta jam in Britannia Anglici regni periodus, quæ à primogenitis è Cimbrica Chersoneso in insulam accessu annis sexcentis & septem definita, univèrsam in Normannos Rolonisque Norvegi posteritatem imperium eo temporis momento transfudit.

Preluxius quàm pro rerum Norvegicarum, quibus jam innotamur, modo, hæc maximè verbis *Pontani*, ex Historia Danica excerptis, exposui, qui undique collecta in unum locum singula per auctores sparsa rediegit, narrationum varietate neglectâ. Alii enim tradunt corpus Haraldæ exanime afflictissimæ matris precibus negatum. Scribit enim *Odericus Vitalis*, quod oblatum ab ea par pondus auri respuerit Vilhelmus, indignum ducens ut ad libitum matris sepeliretur, cujus ob nimiam cupiditatem innumerabiles alii sepulti jacerent: ut & alia quædam ab his diversa. Cum tamen Scriptores, quos sequor, singuli describant, sed concisè, quomodo Vilhelmus ad regnum pervenerit; nolui & ego lectorem illius exactiore cognitione fraudari, quem simul longiore labore levandum duxi, cum quæ author hic collegit, è variis Scriptoribus conquirenda sint. Sed nec ea, quæ nostri quoque afferunt, licèt absurda falsaque, prætereunda duxi. Quæ de Morcaro tradunt Angli, qui hæc melius nôsse poterant, dudum subverterunt; tradunt autem Vilhelmum, comperto Haraldum Godvini filium sceptrâ Angliæ invasisse, classis magnam copiam exercitumque comparasse: quò verò die urbe ad naves proficisceretur, accessisse eum, cum jam equum conscendisset, uxorem; quâ visâ, calcaribus pectus ejus tantâ vi perfodisse, ut exanimis concideret. *Morkinskinna* accessio eo petivisse tradit, ne bellum Haraldæ inferret, ipsum verò præcipiti irâ æstuantem haud sincero animo hæc postulari respondisse, adactisque calcaribus equo, caput ejus collineasse, illam verò præcipiti casu collapsam exspirasse; consternatis omnibus, variisque sermonibus tam grave infortunium lugentibus, respondisse Vilhelmum; magnam quidem calamitatem incidisse, fortè tamen haud immeritè, videri enim fidem conjugalem fregisse. Mox ad classem profectum, Episcopoque Odone fratre suo comitatum in Angliam transmississe,

fe, fibiqve singula, quæ calcasset, miro successu subiecisse; fuisse autem staturâ grandî, robore insigni, bellô audacem & prudentem, crudelem simul ac sapientem, fidem utilitate coluisse. Haraldum verò, cognitâ hostili Ducis Wilhelmi irruptione, properè ei occursum, in australes Angliæ partes Helsingiæ portum usque reliquias exercitûs nuperâ clade accisi duxisse, novoque delectu supplevisse. Svasisse tunc Gyrdîr frater Regis fertur, ne bello Haraldus interesset: se nullo illi sacramentô obligatum de victoria desperare non posse; id verò iniquis auribus Regem accepisse, regessisseque, se intra latebras delitescere non convessisse, dum alii Marte contenderent. Mox prælium ab utraqve parte pervicacissimè gestum in longum tempus extractum. Quo verò religionem Haraldò incuteret Wilhelmus, Scrinium, quo S. Othmaris reliquiæ condebantur, quo tactô quondam iurandum ei Haraldus detulit, vexillo suo alligandum curavit. Illô verò visô, quævisse fertur; quidnam id esset, quod vexillo appenderet? (plures enim vexillum, cui tanta moles appensa, gestasse videntur) Cognitô deinde serinio S. viri, ad vindictam isto consensu provocati respondisse: *Sic periculum an evademus?* Ibi postquam pertinacissimè pugnatum esset, concidit Haraldus cum fratre Gyrdere.

Oddus Monachus prope finem Historiæ Olafi Tryggvini tradit; nocte, quæ bellum secuta est, à rustico quodam inter stragem cæteram inventum Regem, nec agnitum. Rusticum deinde vestibus eum nudatum ab alio, inter mortuorum cumulos jacente, graviter increpatum domum recessisse, accessitaque uxore rediisse, plaustrôque impositum, licet nomine dissimulato, ab habitu tamen indiciique certioribus pro Rege agnitum, domumque deductum, vulneribus crebris, non item gravibus, sauciatum, profusio sanguinis, fatigatione moleque cadaverum pressè adhærentium prope confectum, curâ deinde eorum sanatum; postera verò nocte inter mortuos ab hostibus quæsitum, nec inventum. Postea exemplô Olafi Tryggvini anachoreticam vitam amplexum secularia resignasse, à quibusdam deinde inter Sanctos habitum, postremô à Rege Wilhelmo corpus ejus solenniter Londinum transportatum, Regumque sepulchris illatum.

Codex Flat: in tractatu de S. Edvardo Confessore col. 853 ab amicis suis inter strages mortuorum inventum sanatumque refert; oblata deinde auxilia ad regnum recuperandum abnuisse, vitamque anachoreticam sectatum ad tempora Regis Henrici Senis produxisse perhibet. *Gyraldus Cambrensis in itineraio*, eum vulneribus valde confossum, oculoque sinistro sagittâ orbatum, ad partes Cestriæ victum evasisse, ubi sanctâ conversatione vitam anachoreticam in cellâ S. Jacobi juxta Ecclesiam S. Johannis feliciter consumasse author est *Henr. de Knygibone Lib. II. cap. I. de eventibus Angliæ*. Meminit etiam *Bromton* ad eundem annum, licet veriore sententiam afferat, prælio occidisse, corpusque mortui matri à victore anxie efflagitanti missum, & apud Waltham in Ecclesia, quam ipse in honorem S. crucis extruxerat, sepultum. *Ailredus autem Abbas Rievallis de vita & miraculis Edvardi Confessoris*, titulo: quid de duobus filiis Godvini Comitis Rex vaticinatus sit, sub finem; *Eodem*, inquit, *annô Haraldus ipse regnô spoliatus Anglorum, aut miserè occubuit, aut, ut quidam putant, penitentiæ tantum reservatus evasit*. Nec de Comite Valthio nostro Scriptores Angliæ subscribunt, nam præterquam quòd illum & Morkarum Godvini Comitis filios agnoscunt, ut supra innui, huic quoque prælio interfuisse volunt, interque fugientes evasisse; incidisse autem eodem vespere in cohortes quasdam Wilhelmi, quæ visô eo in sylva quercina

cina se abdiderint. Centum fuisse memorantur. Subjectis autem Vilhelmo ignem sylvæ, singulosque incendiò illius involutos unà conflagrâsse. Id Kringla testimonio Thorkelis Skallii Islandi, qui Valthiofo militavit, & quidem versu producto, asseverat. Consentiant *Fagurskinna* & *Morkinskinna*. *Codex Elat*: Valthiofum cum centum suorum flammis sylvæ subjectis à Vilhelmo incensum tradit. Sed reliquorum de Valthiofo relationes referam. Tradit *Fagurskinna*, postquam Vilhelmus Rex constitutus esset, Valthiofum impetratâ securitate ad Regem profectum non veniam modò præteritorum impetrâsse, sed etiam humaniter habitum, Comitatum Northumbriæ, quem antea gesserat, recuperâsse, benignèq; dimissum, literisque Regis sigillòque munitum, cum in solitudinem quamdam provectus esset, exortos equites duodecim, cum multis famulis missos à Vilhelmo ad interficiendum Comitem, ipsum verò munimentis corporis destitutum, ilicò eqvo defiliisse, strictoqve gladiò aliquantisper restitisse; tandem in potestatem à pluribus armatis redactum, in insuloq; percussore, statim ei Regiqve ignovisse, indusioqve sericò equitem donâsse, prostratoqve in terram corpore, manusque crucis in formam extendisse, mox capite mulctatum. Sangvinem deinde ejus multis medicinam attulisse, esseqve Valthiofum verè sanctum. Hæc ab eodem Thorkele Thordi Skallii, seu Calvi, filio accuratè expõsita, qui miles Valthiofi fuerit, citatus author tradit, extatqve carmen ab eo factum. Verùm nihil aliud inde colligitur, quàm circumventum à Rege Valthiofum, fidem suam secutum, eumqve suum dominum fuisse profiteretur, quò meliorem neminem moriturum, nec cædes in Anglia Vilhelmo imperante subitò desituras auguratus. Illud mirandum, siquidem illi militavit, non scivisse poetam, quis pater Valthiofi fuerit, si id modò ex ejus relationibus rectè haustum est. *Kringla* priusquam ad Vilhelmum Valthiofos pervenisset, inmissos in eum duos villicos cum agmine famulorum in tesqvis, quæ ad boream ponti Castellii adjacent, quantumvis accitu Regis ad fidem firmandam adventem captum & decollatum, interqve Anglos sanctum haberi.

Ab his multum Scriptores Anglici discrepant. Tradunt enim Valthiofum Sivardi fortissimi Northumbriæ Comitis filium Northumbriæ Comitem fuisse, restitutum à Vilhelmo interjecto temporis annò MLXXV, ab aliis seductum contra eum conspirâsse, pœnitentiâ inde ductum, eò in Normanniam aditò crimen confessum, denegata veniâ suppliciò affectum, à Lanfranco tamen Archiepiscopo sanctum & beatum pronunciatum, teste inter alios *Radolfo de Diceto*. Suspicio itaqve Thorkelem poetam ei quidem militâsse, huic verò prælio non interfuisse, tantum ex aliorum relationibus hæc hausisse; nec aliam ob causam perfidiam Vilhelmo obiectam, quàm quòd spe clementiæ ejus deceptus Valthiofos suppliciò affectus est, iudicio autem Lanfranci sanctum deinceps habitum: vel etiam poetæ relationem non verè exceptam, deceptum enim fortè cecinit, quòd fiducia clementiæ, quæ pœnitentiæ haud absurdè impendi debuit, deceptus periiit. De Comitæ Wilhelmi uxore Mathilde impudicitæ suspectâ, æque Comite occisâ, quòd nostrates afferunt, pariter autoritate Scriptorum Anglicorum Normannorumqve convellitur; cum constet piissimam fuisse, publicâqve solennitate Londini annò MLXXVII coronatam. Ab his dissentit, quòd in *Excerptis Otiorum imperialium* extat, *Historiæ Francorum Francisci Duchesne Tomo III. pagina 370. Jam nunc, inquit, ad Reges Anglorum enumerandos veniamus, ab eo tempore, quo regnò Britonum prostrigatos Saxones Anglorum regnum susceperunt,* illud

illud celebre vetustissimumque majoris Britanniae nomen in Anglia nuncupationem transfuentes. Verum quia opus nostrum ad utilem protractionem ducere superfluum esset, ac varia otio plenum omisis multis Regum ac regni permutattonibus per Regulos ac generationes clarè venientes, nunc ab ipsa Anglia, nunc à Dacia procedentibus Regibus, omisso Canuto strenuissimo Rege ejusque sequacibus ad sanctissimum Regem Eduardum veniamus, cujus fidem & scientiam leges, quas scripsit, sancta testantur, & miracula cotidiana loquuntur. Hic in die Apparationis anno Domini MXL. caelos ingressus, sub sancta confessione heredem reliquit Araldum nepotem, virtute corporis incomparabilem, moribus ingenuum, militiâ singularem, cujus tanta erat magnanimitas, quod omnia terrena sibi subjicienda credebat, & secundum mentis quantitatem successiva ipsi prosperitas arridebat. Dum pueriles ageret annos, ex mandato Regis avunculi sui apud Ducem Neustriae, quam vulgus Nordmanniam nominat, educatur, eo quod apud nobilissimos Anglos usus tenuerit filios suos apud Gallos nutriti ob usum armorum, & ad linguæ nativæ barbariem tollendam. Erat Duci illi filius spurius, id est Guillelmus nomine ex subinducta illius civis cujusdam filia genitus, eo consilio, ut quoquo modo soboles ex eo Normannis nasceretur. Cum ergo more juvenulorum in curia bares Angliæ & filius Ducis essent confederati, tandem venit eis in mentem, ut Araldus sororem Guillelmi acciperet in uxorem & Reginam, & è converso Guillelmus Haraldus sororem in conjugem juraret Ducissam, utroque pro suo tempore pacta se servaturos jurantibus. Mortuo igitur sanctissimo Rege Edovardo Araldus regnum suscepit, & defuncto Duce Guillelmus Ducatum Neustriae partim quibusdam cum Rege Francorum pactitionibus obtinuit. Mandat ergo Dux Regi, ut secundum pristina jurata & uxorem suam recipiat, & Duci non neget, quorum utrumque detestatus Araldus, cum apud castrum Doroborniam in scapha per mare spaciandi causa faceret secum paucis vecturari, tandem subito flatu adveclus in Flandriam, commentatus est se ad Ducem venisse, ut uxorem pollicitum acciperet & daret promissam, gaudenter exceptus, & ad Ducem veniens spondet firmiter complere promissa, ut ducat sororem Ducis in Angliam, ubi suæ redditus potestati converteritur in arcum prævum, spretoque toties iterato jure jurando, in tantum ex privilegio cinguli militiæ evehitur in superbiam, quod omnia tentans, & demanla causa nullam capiens dissidentiam, cum Scotis pugnam aggreditur, & dum inter atrocita vulnera hinc inde insicta victor existit, audit Ducem Normanniae convocatis auxiliariis ex nobili stirpe Francorum partem meridianam Angliæ intrasse, & contemptum suum & verecundiam illatam ultore ferro vindicare. Comperiens talia Rex Araldus, ut erat audacissimus, vix aligatis vulneribus, nuper in pugna contractis, occurrit inconsideratè Normannis, exercitu suo non expectato. Ejus adventum sentientes Normanni, de paucitate dissisi, de strenuitate Regis fidentes, aggerem pro muro faciunt, & cum instaret dies sabbati, voto perpetuo se suamque posteritatem obligarunt, quod in perpetuum carnibus die sabbati abstinerent, si de manu fortiorum sine damno liberati, secundum justitiam cause suæ victoriam reportarent. Miserrator & misericors Dominus, qui justos exaudit & humiliat, sicut vulneratos & superbos, quos inter primos insultus paulisper contrivit, in fine cum paucitate victores facit. Araldus utrum fuga sibi consuluerit, an in praelio ceciderit, ad hoc dubium reliquit. Dato igitur populo in dispersionem, Regeque evanescente, Dux Normanniae Londoniam adveclus, in Regem provebitur, sorore Araldi in uxorem ducta: & hinc prodit Guillelmus Rex Anglorum per nuptias, & Dux Normannorum per paternam successionem. Hic post

post multos cum Anglis singulares conflictus potens bellator, justus princeps, & in omnibus tam modestus quàm strenuus, tres filios reliquit, Regem Guillelmum, Robertum, cognomento Curtambosam Ducem Normannorum & Henricum.

CAP. II.

OLAFUS REGIS HARALDI FILIUS IN ORCADES EVADIT, TOSTII FILII OLAFUM IN NORVEGIAM SECUTI GRATIA REGIS POLLENT: EJUS IN SKULIUM LIBERALITAS: SKULII PROGENIES. CORPUS HARALDI IN NORVEGIAM RELATUM: SVENUS BELLUM FILIIS HARALDI MINATUS CLASSEM INSTRUIT, ILLI VICISSIM SUMAM: TANDEM PAX AFFINITATE RESTAURATUR: MAGNI MORS, FILII EJUS HACONIS NUTRICATUS.



Um tantâ fortunæ vicissitudine Anglia concutitur, Olafus Haraldus Strenui filius, impetratâ discedendi veniâ à Rege Haraldo, qui se, ut Angli tradunt, sacramentò ad Angliam deinceps non invadendam obligavit, viginti tantum de universa illâ classe navibus cum Comitibus Orcadensibus cladisq; reliquiis Rafnsëyrâ solvens, Orcadibus eodem autumno allabitur. Ibi cognitum filiam Haraldus Regis Mariam, quam cum matre alterâqve filiâ discedens reliquerat, eodem die, eadem horâ, eodem temporis articulo, quò pater in Angliam cæsus est, subitâ morte concidisse. Hinc opinio, eâdem, quâ pater, animâ informatam, duobusque corporibus unum eundemque spiritum suffecisse. Fuit autem virgo patri perquam similis, formâ exsuperanti, sapientiâ eximiâ, fide in amicos constanti. Nostri quidem Scriptores dimissum ab Haraldo Angliæ Rege Olafum, præstitò sacramentò, impetratâqve tantillâ navium classe, omninò silent. Tradunt enim, cum primùm fama cædis Haraldus exercitusque ad naves pervenerit, solvisse litore, id quod etiam veri speciem habet, si modò venti faventes discessum permittebant. Non enim videntur Angli tantam classem in promptu habuisse, nec statim adeò propinquam, ut abitu eum repenti prohibere possent. Cum tamen Angli hæc scribant, aurique copiam, quam navibus Haraldus non videtur extulisse, describant, quæ in prædam cessit, proinde iis fidem hic non derogabo. Hyems in Orcadibus transacta est.

Chronicon Manniæ tradit Godredum Crovanem, natione Islandum, Haraldus Nigri filium, post cædem Haraldus Norvegiæ Regis (cui militaverit) fugâ elapsum à Serrico Rege Manniæ honorificè susceptum, bis deinde bellum Mannensibus intulisse, totiesque victum tertio eos subjugasse, vastatamque totam insulam inter exercitum suum & reliquias Mannensium divisam, illis australem, his æquilonarem partem concessisse, eâ lege, ut neutri ullam partem jure hæreditario sibi vindicarent. Inde factum, ut tota insula solius Regis esset, & omnis reditus ejus ad ipsum pertineret. Subjugasse deinde Dubliniam & magnam partem de Laynester, Scotos vero ita perdomuisse, ut nullus, qui fabricaret navem vel scapham, ausus esset plusquam tres clavos inserere. Regnasse autem sedecim annos, mortuum in insula Yle. Hunc ego Islandum minimè agnosco, cum in eorum

rum memoriis nulla ejus fiat mentio; cum tamen expeditiones Regis Haraldī accuratē descriptæ sint. Irlandum fuisse existimo.

Primò vere Olafus, assumptâ novercâ sororeque, in Norvegiam transiit, statimque unâ cum fratre Magno Rex constitutus, orientalem regni partem tenuit. Secuti duo Comitis Tostii filii, Skulius & Ketill, cognon-entò Krokus, viri genere sapientiâque insignes, Olafoque in primis cari. Ketill in Halogia sedem fixit, Rege splendidum ei conjugium providente; unde nobilis deinceps prosapia pullulavit. Skulius administrationi aulæ regniqve adhibitus, Regias vices obiit, verbaqve pro Rege in publicis conventibus deinceps habuit, quòd eloquentiâ & prudentiâ polleret, esseqve vir negotiis gerendis idoneus, Rege verbis parco, nec dicendi Svadâ instructò: nutritius Regis deinceps audivit, tantâ in gratia, ut integram provinciam, qualem Reguli polyarchiæ tempore habuerunt, donò ipsi offerret, cum universis redditibus Regiis, juberetqve, quæ maxime placeret, eligere. Ille benevolentiam agnoscens, æbnuvit tamen, quòd donationem viderentur successores Regis rescissuri, cum parva munera diutina locupleti non propria esse consueverint, ut Thrasylbulus dicebat. Elegit itaqve optima quæqve prædia, urbibus, ubi Rex residere solebat, festaqve Narali Christo consecrata celebrare, vicina, prope Nidarosiam, Bergas, Oslyam, Sa-psburgum, Konghellam, Tunsbergam, instrumentoque Regio possessionem eorum adeptus, ad posteros suos per multa secula transmisit. Nactus & uxorem amittinam Regis Gudrunam Neffteini filiam, ex Ingiride Sigurdi Syris & Asta S. Olafi & Haraldī Regum parentibus natam. Eorum filius Astolfus de Reinio, cui uxor Thora Scaptii Augmundii filii, eorum filius Guthormus de Reinio Bardi pater, Regis Ingii & Ducis Skulii avus, Margaretæ Regis Haconis senioris uxoris proavus: à quibus Regum Norvegorum posteritas ad nostrorum aliorumq; potentissimorum cœvorum Principum tempora promanavit.

Nondum integer annus à cæde Haraldī Strenui effluxit, cum Skulius in Angliam ad corpus ejus repetendum missus, est, faciliqve Vilhelmo tunc rerum potiente (quem Haraldō confæderatum videri alibi innui) impetravit; inqve Norvegiam magnâ pompâ, haud vix ipsius exiguo honore, devexit, id quòd ejus apud Reges gratiam, cæteroquin florentissimam, multum auxit. Sepultus est Haraldus magnâ solennitate Nidarosiæ ad templum B. Virginis, quòd ipse exstrui fecit. Jam verò, ait Morkinskinna, ad Elgijetur jacet, dignum enim visum est, ut ad eam adem quiesceret, quam ipse ædificavit. Eysteinus autem Archiepiscopus illinc ad castos homines eum transferendum curavit, quòd magnas possessiones loco isti comparavit: possessionibus præterea, quas ipse donabat, magnoperè commoda sedis istius auxit. quæ verbotenus ex libro ipo transcripta, nec alibi observata, inserui.

Secundùm cædem Haraldī Svenus Daniæ Rex fædera pacis cum illo contracta ultra ejus vitæ terminum extendi posse negabat; neque enim inter regna, sed Reges tantum, pacem factam, personis alligatam, nihil ad successores pertinere. Liberatus quippe tanto hoste, re Norvegicâ attritâ, facilè à juvenibus tot annorum jacturam repeti, gloriam quoque novis successibus resarciri posse existimabat. Et ne verbis tantum minas intentare videretur, classem exercitumqve totâ Daniâ collectum educit. Nec filii Haraldī ad sui defensionem segniores, & illi regno defectu indicto, in occursum illius properârunt; metum tamen per internuncios, de pace incusserunt, quæ conditionibus iisdem, quæ inter patrem eorum Svenumq;

convenerunt, offerebant; nec sine virium suarum ostentatione, minisq; ni acciperetur, belli haud contemnendi; *neque enim Haraldum in totum mortuum, nec omnes Norvegos in Anglia concidisse*, memorabant. Res ad colloquium consveto Regibus loco Konghellâ deducta in pacem iisdem, quibus prius, conditionibus, desivit; firmata & amicitia affinitate, nuptiis Ingigerdis filiaë Sveni, Olaso sociataë. Non igitur mirum, Sveni auctoritatem apud generum in Norvegia plurimum valuisse, illoque efflagitante prædicatores ad rem Ecclesiasticam promovendam in Norvegiam ab eo missos. Id enim intelligit *Ad. Bremensis*, cum *Lib. III. Cap. XVI.* ait: *Illò tempore clarissimus inter Barbaros fuit Sven Rex Danorum, qui Reges Nordmannorum Olaf & Magnum constrinxit magnâ virtute*; quod tamen ulterius, quam retulimus, nostri Scriptores non extendunt. Quod verò *Lib. II. Cap. XII.* idem author scribit, *Svenum Magnò Bonò S. Olasi filio in navibus mortuò regnum Norvegiæ adeptum fuisse*, ex iis, quæ memoravimus, falsitatis convincitur. Extant multi versus, qui monstrant filios Haraldî Strenui blanditiis minis admixtis pacem ad eandem formam, quæ patris tempore facta est, reduxisse. Verùm annò sequente, cum Magnus biennium à morte patris, primam hyemem solus, reliquum tempus unâ cum fratre, imperâset, ignis sacri specie, quæ erysipelas Græcis appellatur, tactus vitam cum morte comutavit, relicto filio parvulo, nomine Hacone, spei optimæ puero, cui Thorer de Steiga educationis officia præstitit. Iste Magnus, utpote duumvir, Norvegiæ Regibus annumeratus non est, uti nec Magnus Erlingi Skackii filius, quòd genere paterno à profapia Regia esset alienus. Idem hoc Magnus Haconis filius, qui Legum Reformator dicitur, arguit, dum se Magnus Quartum proficitur.

CAP. III.

SOLUS OLAFUS SCEPTRIS NORVEGIÆ
POTITUR: SVENUS DANIAE REX CLASSEM IN AN-
GLIAM TRANSMITTIT: CODICIS FLAT: RELATIO DE PRIN-
CIPIBUS ANGLICIS ORIENTIS IMPERATOREM OBSIDIONE
LIBERANTIBUS, NOVASQUE SEDES CONSEQUITIS,
EXPONITUR.



Magnò Haraldî filio fati crepto, totius regni jus possessioque more seculi istius ad Olafum Annò MLXVIII. pervenit: Haconisenim Magni filii, quòd puer ad imperandum inhabilis esset, ratio nulla habita. Eodem annò Sventus Rex Daniaë, Principum Anglorum, sævum Vilhelmi imperium quovis modo excutere molientium, sollicitis precibus, speq; auxilii invitatus, instructissimam classem in Angliam, ducibus filiis suis Haraldò & Knuto, fratreque suo Asbiorno, Episcopo Christiano, & Comite Thurkillo (quem ego existimo fuisse Comitis Haraldî filium ex Gunnhilde Regis Vortgerni & sororis Knuti Regis filiaë, quæ prius Haconi Comiti Eirici Norvegiæ Comitis filio nupsit, deinde Haraldò; produnt autem filiorum ejus nomina Thurkillus & Hemingus, fuisse illum Comitem Haraldum Comitis Thorkelis Proceri filium; suspensionem suggerente *Simone Dunelmensi Hist. de gestis Regum Anglorum* ad annum MXLIV.) ablegavit. In his etiam Norvegorum copias fuisse *Ordericus Vitalis* ad hunc annum

annum nos docet, dum eos recenset, qui tam eos quàm Danos præcedebant, cum Eboracum accederent; impetratas ergò ab Olofo, qui tum regnabat, in militiæ societatem.

De his *Simon Dunelmensis*, cum quædam, quæ annò sequenti V. Kal. Febr. gesta sunt, enarrasset, ita scribit. *Quò annò*, inquit, *ante navitatem S. Mariæ, Svani Regis Danorum filii, Haraldus, Canutus & patruus eorum Osbernus, & Episcopus eorum Christianus, Comes quæ Thurcillus, ducentis quadraginta navibus de Danubio venientes in hostio Humbræ fluminis applicuerunt, ubi eis Clito, Eadgarus, Comes Walthenus & Marlesven multique alii cum classe, quam paraverant, occurrerunt; affuit & Cospatricus Comes cum totis viribus Northymbrorum, unanimiter omnes contra Normannos congregati. De quorum omnium adventu Episcopus Eboracensis Archiepiscopus Aldredus valde tristis effectus in magnam decidit infirmitatem, & decimo anno sui archiepiscopatus III. idus Septembris, feria sexta, ut Deum rogaverat, vitam suavit, & in ecclesia S. Petri est sepultus. Octavo post hunc diem, scilicet XIII. Kal. Octob. sabbato, Normanni, qui castella custodiebant, timentes ne domus, quæ prope castella erant, adjumenta Danis ad implendas fossas castellorum essent, igne eas succendere ceperunt, qui nimis excrescens totam civitatem invasit, monasteriumque S. Petri cum ipsa consumpsit: sed ultione Divina citissimè vindicatum est in iis gravissimè; nam priusquam tota civitas esset combusta, Danica classis supervenit feria secundâ, & hinc Dani illinc Northymbrani expugnantes, castella eadem die infrégerunt, & plus tribus millibus ex Normannis trucidatis, Willhelmus Malet, qui tunc vicecomitatum gerebat, cum sua conjuge & duobus liberis & Gilberto de Gant aliisque perpaucis vitæ reservatis, naves Dani cum innumera manubiis, suasque sedes repeterunt Northymbri. Quod ubi Regi Willhelmo innotuit, exercitum mox congregat in Northymbriam esseratò properavit animò, eamque per totam hyemem devastare, hominesque trucidare, & multa alia non cessabat agere. Intera nunciis ad Danicum Comitem Osbernum missis, sponsondit se clanculo daturum illi non modicam summam pecunie, & permissurum licenter exercitui suo victum circa ripas maris rapere. Eâ tamen conditione interposita, ut sine pugna discederet peractâ hyeme: illo autem auri argenti que cupidus, non sine magno dedecore sui petitis concessit.*

Ordericus Vitalis magis quidem elevat, potentiam tamen Sveni Regis admodum celebrat, auxiliaque à Polonis, Frisiis, Saxonibus, imò ab ipsa Lutetia, confluisse tradit; imò à gente ethnica, Thoris Odiniq; cultui jam tum deditâ, populosissima quidem illa, sæpius à Sveno devicta, tandem etiam subjugata. Vandalos intellexisse videtur. Norvegos inter hos non numerat, ita tamen de iis scribit, ut fati constet, non interfuisse modo, sed magnam copiarum partem constituisse. *Dani*, inquit, *Eboracum accedunt, nimisque incolarum contubernio aucti sunt. Gualleus enim (Valthaus) Gajus Patricius (Gospatricus) Marius, Svenus (Marlesven) Elavenius, Archibillus, & quatuor filii Caroli antesignani erant, & Danos Northvniigasque præcedebant. Castelliani obviam eis inconsultius exeunt, & intra urbis mœnia infeliciter configunt, non valentes resistere multitudini. Omnes aut interimuntur aut capiuntur, castella desolata patent.*

Nec silent nostrates sollicitatum ab Anglis principibus, novas res molientibus, de auxiliis Svenum: addunt tamen, missum ad eum a Vilhelmo Godvinum Juniorem, Baldvini Comitis filium, celebri Episcopo comitatum, cum ingentibus muneribus, quibus pacem emeratus sit, iterataque aliquot annorum spatîo singulis annis munera; nec alia de causa Da-

nos Svenum Angliæ Regem Horda- Knuti sanctique Edvardi successorem constituisse. Principes autem Angliæ cum se auxilio ejus frustratos animadvertissent, nec à se impetrare possent obsequium, quod ei deferrent, venditis allodialibus agris trecentas quinquaginta naves exercitumque comparasse, ducibus tribus Comitibus, octoque Baronibus, præcipuo tamen Comite Sivardo de Glocestria, Angliam solvissè, transmissoque oceano, promontorium Mathiæ prætervectos Gallæciæ allapsos: indefretum Gaditanum inventos; quò superato civitati primariæ, quæ Septa appellatur, appulso, eam magnâ pugnâ in potestatem redegisse, magno ethniconum numero occiso, prædam ibi auri argenti que majorem, quam eò devexerunt, partam vim opum ingentem. Inde Majorcam Minorcamque expugnasse. In Siciliam deinde vela vertisse, ibique cognovissè Constantinopolim terrâ marique à barbaris obsesam, Alexio Comneno Imperatore, sed nuper ad sceptra evectò. Spè igitur emolumenti, honorumque ingentium, haud incertâ erectos, si imperatori succurrerent, (scivisse enim Nordmannos jam longo seculorum decursu, qui militiam Imperatorum secuti sunt, ad summos honores pervenisse) eò classem omnem copiasque direxissè, pervenissèque ad urbem de nocte, pleno orbe lunæ, improvisoque classem hostium invasisse. Factam acrem pugnam, nec tamen longam. Anglos enim confertim se in hostium naves, nihil tale expectantes, inferentes, terrore latè per stationes sparsò, unam post aliam, occisis vel fugatis propugnatoribus, interceptissè, donec multiplicato metu, pars navium in fugam dilapsa, pars classiariorum in castra provecta, inopinatam hostium multitudinem, cui resisti nullo modo posset, advectam nuncios; omnes formidine percultos secum in fugam rapuisset. Postera die qui in urbe obsidebantur, castra hostibus vacua, classem, quæ obsidione eos presserat, amotam, recentem, habitu diversam, successissè animadvertentes, eos accessissè, summoque honore in urbem ad imperatorem deduxissè, invitatosque, ut in præsidariam aciem tuendo imperatori se legi paterentur, urbes regionemque postulassè, quam sui juris ab omni onere liberi incolerent, quòd aliorum potestati Comes Sigvardus subjici infra suam sortem duceret: partem in præsidariam Imperatoris aciem delectam, partem dimissam, monstratamque terram, trium dierum navigatione caurum versus Constantinopoli distantem, subjectam prius imperio, jam vero armis ereptam, concessamque ab Imperatore libero jure, si subigere possent. Eò Sivardum cum maximâ exercitus parte, quibusdam principibus, parteque copiarum præsidio Imperatoris relictis, trajecissè, expulsisque incolis universam incoluissè, Angliamque appellasse; similiter urbibus, quas occupabant, & iis, quas ipsi statuebant, nomina urbium Anglicarum aptassè. Ibi Londinum, Ibi Eboracum, aliorumque principalium oppidorum nomina resuscitata. Quòd verò codicem Pauli, qui Constantinopoli in usu, fastidiverint, accessitos ex Hungaria viros ecclesiasticos, qui sacra obirent; eorum posteros ibi deinde habitasse.

Hæc quamvis fabulosa, originem tamen ex vero habent. *Ordericus* enim *Vitalis* ad annum Christi MLXVII. scribit Anglos gravissimis præsectorum Regiorum injuriis, exactionibus, contumeliisque oppressos, legatos ad Svenum Regem Danorum misissè, poscentes ut regnum Angliæ armis repeteret, quosdam autem ultero in exilium abivissè, quò se ab injuriis Normannorum liberatis, simulque auctis opibus, bellum illis denuo inferrent; partem autem eorum, pulchro juventutis flore vernantem, longinquas regiones adiissè, & militiæ Alexii Imperatoris Constantinopoli-

tani se audacter obtulisse; contra quem Robertus Wiscardus Apuliæ Dux arma sumserat, benignèque exceptos Normannorum legionibus oppositos fuisse, cepisseque Alexium urbem, quæ Chevetot dicitur Anglis, ultra Bizantium condere; sed nimium infestantibus Normannis, eos in urbem reduxisse, eisque principale palatium cum Regalibus thesauris tradidisse. Hac itaque de causa Saxones Anglos Ioniam expetisse, ipsosque, & eorum hæredes sacro imperio fideliter famulatos esse, & cum magno honore inter Thracas, Cæleri & senatui populoque caros, usque nunc (tempore quo hæc scripsit) perstitisse.

Quam hæc à nostrorum traditione de sedibus à Græcis assignatis dissentiant, vel lippis patet. Fit enim plerumque, ut ii, qui de rebus a sua patriâ remotioribus scribant, cum ab aliorum relationibus pendeant, etiam multa falsa literis prodant, quod credulitati, non malignitati, adscribendum, atque ideò condonandum. Ex tamen utrisque, quas modò attuli, inter se collatis traditionibus patet, haut exiguum hominum numerum spontaneum sibi indixisse exilium, cum patriam armis repetere collectis opibus in animo esset, tum quòd pars ea, quæ Constantinopolim se contulit, legionibus Normannicis opposita fuerit. Adde quòd tot annos in itinere illo, procul dubio haut otiosa, transegerit, ab anno (si auctori fides) seculi istius sexagesimo septimo, ad octogesimum secundum, qui imperii Alexii Comneni Secundus erat: docentque assignatæ in Ioniâ sedes quantis se copiis effuderint; nostris tamen istis viribus Regem Wilhelmum iterum bellò aggredi potuisse. Nec sanius est, quòd de liberato obsidione Imperatore nostri tradunt. Volunt enim urbem ab ethnicis obsessam. Sed hæc tantum uno loco in iis, quæ Scriptores *Codicis Flati*: undique compilârunt, vitæque S: Edwardi adjecerunt, leguntur; quæ omnia saniora nostra documenta ignorant.

CAP. IV.

SVENUS DANIÆ REX LEGES DE SUCCESSIONE IN IMPERIUM IMMUTAT, MORITUR. OLAFI NORVEGIÆ REGIS AULÆ STATUS ET MAGNIFICENTIA DESCRIBITUR, EJUS LIBERI.



Nno regni Olafi nono, æræ Christianæ MLXXVI, obiit Sventus Daniæ Rex, III. Cal: Martii. teste, præter, nos fratres, *Simone Dunelmensi de rebus gestis Regum Anglorum*, qui eum literis bene imbutum tradit. *Elnothus* septuagesimum quartum annum adducit, eumque sequitur liber, qui *Eirico Pomerano* describitur: in utroque ex scriptoris vitio numerus corruptus videtur, nam octodecim annos regnasse & *Elnotho & Anonymo* alii perhibetur, princeps civium suorum studiis mire cultus. Freqventi enim forò, luculenta oratione, actis pro longo obsequio gratis, permitti sibi petebat, etiam contra leges, successorem sibi ex filiis legere, quem vellet; velle autem eum, qui illis maximè conducere. Quo permissò edixit: *Haraldum* quidem ætatis privilegio cæteris præferendum, virtute *Knutum*, qui gestorum gloriâ imperandi que peritiâ dudum se commendasset. His adjecit, ut singuli filiorum suorum Regi mortuo substituerentur, observava-

ta etatis prerogativa, legereturque natu maximus. In utrumque consensum est; artibus tamen Comitibus Asbiorni (quem Eydina Jarl nostri appellat, fortè Eydana Jarl (Danicarum Insularum Comes) svasu amici ejus Eyvindi Bifru (quem Ælnothi Piponem existimo) soceri sui, Haraldus prælatus est, quamvis regno minus utilis.

Interea Olafus altâ pace securus cives suos variis comodis beavit; jus enim foro, securitatem possessionibus, reditus agris, viis comœrcia reddidit, & studiose conservavit, unde locupletes cives justè partis sine ullius injuria, sed & invidiâ, affluebant. Ejus tempore urbes magna incrementa cæperunt, quædam etiam de novo fundatæ. In his Bergæ, quæ secundum Nidarosiam brevè opulentissima facta est: sive illa à rupibus, seu monte, cui subjacet, nomen sortita est, seu annonæ facilitate, quæ veteri lingvâ bítotq / Biotgvin, ut in membranis scribitur, usurpatur; quæ statim opulentissimorum virorum confluxu ædificiis aucta, brevè etiam repleta, comœrciis extraneorum è variis transmarinis regionibus affluentium in immensum crevit. Ibi à fundamento magnam basilicam lapideam struxit, quam Christo dedicavit; multum tamen ad ejus perfectionem desiderabatur: alteram quoque ligneam perfecit. De hujus urbis præfatio sequentia reperi. *M. Absolon Petrus*, quondam SS. Theologiae Lector Bergensis, in suo tractatu de Norvegia, tale futuræ urbis præfagium memorat; nimirum quòd tempore Regis Haconis Adalsteini alumni, qui Alrekstadas inhabitabat, circa sinum Bergensem, aliis *Sagruvis*, id est, pulchrum sinum, aliis *Hasselvit*, id est, corylinum sinum, nuncupatum, pecora pastum ire consueverint, auditaque sapius intra terræ viscera, tanquam magni hominum confluxus colloquia, Regem verò, cum id ex aliorum relatione percepisset, veritum ne id aliquid mali portenderet, à viro quodam sene monitum, nihil sinistri inde metuendum, cum præhunciet, urbem aliquando comœrciis florentem isto situ constituendam: quam prædictus auctor circiter centum abinde annos ibi factam computat, annò nimirum nativitatis Christi MXC, qui nostrò calculò à morte Haconis Adalsteini alumni quadragesimus supra centesimus est. Nos verò cum perìodum vitæ & imperii Olafi non usque adeò longè extendi alibi probaverimus, in anno urbis hujus conditæ veteres errasse statuimus; non tamen dubitantes, quin regnante Olaso sit posita. *M. Edvardus Edvardi*, Scholæ Bergensis Conrector, in suo tractatu de Berga Norvegorum, hæc aliquatenus variat. Refert enim quòd tempore Magni Olafi filii, ejus credo, qui Bonus appellatur, circiter quadraginta annis ante facta fundamenta urbis, incoluerit Alrekstadas vir nobilis & fatidicus Gizur Gudbrandi filius, qui cum ex opilio-ne suo, qui jumenta circa sinum Bergensem lætis pascuis luxuriantia custodivit, didicisset, auditos ei varios instrumentorum musicorum concentus dulcesque melodias, vaticinatus fertur, ibi aliquando urbem populosam exituram.

Diverforium præterea ligneum ingentis capacitatis Nidarosia ædificavit, pluraque alia in diversis urbibus; prius autem mutua compotationes inter duos compotatores in usu erant. Tunc Nidarosia campana illa ingens *Bæatbot*, seu *urbis ornamentum*, dicta, convocandis conviviis adhibita est. Illi collegæ lapideam ædem S. Margaretæ sacram ædificarunt. Primus fornacibus triclinia ornavit Olafus, pavimenta quoque lapideus stravit, ut idem hybernis æstivisque temporibus cænaculorum vultus esset, sedesque mutavit. Ab ultima memoriâ per Norvegiam, Dani-

niam & Sveciam usus invaluit, ubi villæ Regiæ nobilissimæ, tricliniaq; amplissima, in usum convivorum apparatus erant, ut scamna secundum parietum longitudinem à dextra & sinistra Extenderentur, inque medio illius, qui soli obvertebatur, solium Regium excitaretur, supremæ dignationis sedes, ideoque solii nomine decorata; in quo Regina Regi ad sinistram affidebat: ab utroque latere, tam in ordine virorum, quam fæminarum, honoratiores habitus sunt, qui solio propiores considerant: infimi, qui ad fores: erant autem binæ, in transversis parietibus sibi invicem oppositæ. E regione solii Regii scamnum aliud parieti similiter affixum; in medio ejus locus uni è primoribus, prudentiâ & ætate præstantissimo, quiq; Regibus à consiliis fuerat (tales enim Reges in aula sua fovere consueverunt, ad parentum majorumque suorum mores statumque priscum facilius agnoscendum) assignatus, istaq; sedes solium minoris dignationis appellatum. Ad dextram fæminæ, sinistram viri, ordine sedebant. Solenne tunc proceribus, iis qui oppositas sibi sedes tenebant, propinare; pocula autem à ministris, circuitò focò, qui in medio pavimento ardebat, circumferebantur. Rex quoque cum eo, qui ipsi oppositus erat, symposium exercebat. Is honor amplissimus. Testis hujus moris luculentus versus Arnoris Comitum Orca-densium poëtæ, cujus distichon adhuc superstes: se enim quotannis oppositam Comiti Thorfinno sedem tenuisse eiq; propinasse testatur. Cornibus animalium Rex Haraldus, & qui eum præcedebant, usi, quoties amicorum vivorum seu mortuorum memoriam celebrabant, quibus in opposita mensa libuit, propinabant, rituque priori circumlata cornua per ministros tradiderunt. Hunc morem Olafus interpolavit, in convivalibus tricliniis celsioribus scamnis seu pulpitis ad transversum parietem erectis, solioque Regiò in medio collocato. Adstabant qui à dapibus ante mensam, Regique & singulis convivis honoratioribus pocula promebant, totidem candelis accensis: lychnuchi quoque singulis proceribus singuli adstabant: unicuique dapifer adjunctus. Sella Stallariorum ultra trapezam solio obversa, ubi alii quoque proceres considerant. Trapezam appellatam credo parvam mensam (in qua aurum potorium argenteaque suppellex) utriusque mensæ interjectam, unde comensalibus ambarum ministrabatur.

Olafò imperante symposia in urbibus celebrari cæpta sunt. Tunc quoque vestes ad luxum factæ, tibialia fastuosa, pedibus astricta, vel aureis annulis furas ambientibus connexa, tunicæ lateribus filò astrictæ, manicis angustis, quinque ulnarum longitudine, quæ filis ad humeros usque implicatæ contrahebantur. Usus quoque altiorum calceorum (nescio an cothurni) serico vel auro insutò superbientium, introductus. Auctus & in duplum aulæ splendor ministrorum numerò. Purpurati prioribus Regibus sexaginta, emissarii triginta: utrisque totidem additi. Præter hos alii sexaginta in aula sustentati, qui singula, quæ ad aulam arbitrio Regis aut præfectorum requirebantur, advehebant & emebant, necessaria conquirebant, vel alia munia obibant. Interrogatus à civibus, cur præter leges, aut priorum Regum consuetudinem, comitatu majore, conviviis, quæ coloni, quoties provincias lustraret, instruebant, excipi vellet? respondit; *non id eorum onere & incommodo fieri, sed necessitate: se enim tanto patre minorem, ut quòd ille in negotiis regni expediendis novaginta aut centum ministrorum operâ effecerat. id nisi totidem adjectis efficere non posse. Sed nec se tanto satellitio terribiliorem futurum.* Hauktadis cele-

celebri Ranarichæ, seu districtus Bahusensis, prædiò plurimum residebat. Suscepit ex concubina Thora Johannis (aliis Arnii Lagii, seu parvi) filiâ, filium, nomine Magnum, qui postea imperavit, Nudipedem deinceps, tandem etiam Bellicosum, appellatum, formâ insignem, patri tantum secundum, magnæque spei puerum. Sororem suam Ingigerdem, aliis Ingeridem, Olaso Sveni Daniæ Regis filio, qui & Daniæ Rex postea factus est, conjugem dedit. Præcessit eum in imperio Knutus, post mortem cruentam indigetum catalogo insertus: inter quem, & Olasum Norvegiæ Regem digna affinitate, necessitudo intercessit.

CAP. V.

EIGILIS BORGUNDARHOLMI PRÆFECTI IN MERCATORES NORVEGOS NEFARIA CRUELITAS: EJUS GENUS, STRENUITAS, FERITAS ET PÆNA.



Laso regnante, navis quædam Norvegica, mercibus magni pretii onusta, in Daniam provecta, fretò Sundico superatò, Borgundarholmo allapsa, nullam ulterioris navigationis vel fortunæ suæ famam, sed nec particula ulla litoribus appulsa indicium reliquit. Inde diversa hominum judicia conjecturæque; nec Olasus suis desuit, quò minus nunciis Daniæ Regi Knuto, ut sedulâ inquisitione fata illius inquireret, significaret. Nec is petitis refragatus, aliquot navibus Borgundarholmum conspicuo comitatu profectus est. Præcipui comitum, frater ejus Benedictus, animi corporisque robore juxta inclytus, fratres præterea duo, nobilitate illustres. Svenus & Asbrandus, à matre Thorgunna Thorgunnæ filii denominati (illa autem filia erat Vagni Akini) uterque Regi in paucis cari. Insulis non propè Borgundarholmum adnavigabant, cum Rex, ut navem uni admovent, jussit. Litus deinde majoribus lapidibus stratum dum lustrant, Rex locò quodam saxa præ cæteris rubentia observans, causam à comitibus exquiri; quibus Regem id sagacissimè perspecturum regerentibus; *vestigia*, inquit, *ignis haud modici hic agnosco. Hic forid locus explicabit, quæ de Eigile animus jam dudum prælagit. Ignem verò haud casu hic delapsum, sed ab hominibus suscitatum patet; quò verò sine, mox explorabimus.*

Ad horum faciliorem intellectum, qualis ille Eigill fuerit, quem tanti sceleris haud falso suspectum Rex habuit, hic oportune explicabo. Pater ei Ragnar, vir opulentus, prædium Ragnarstadas, diæcesis Ripensis in Jütia, incoluit, carus Regi Svenno, dum vixerat, fidusque satelles. Eigil autem vir insignis, staturâ & robore excellenti, pugil summis tantum comparandus, nec bello inferior. Hic Axio cuidam, duodecim Regiis Borgundarholmi villis præfecto, mortuo successus est. Id verò memorabile, quòd cum primum illum præfecturam à Rege Knuto postularèt, Rex eum his verbis affatus fuerit. *Magnus quidem vir, præfeditque personam vultu gestuque representans, intrepidusque videris; an ab omni parte fortunatus, non item liquet* Tribus villis suæ potestati reservatis, cæterarum præfecturam ei tradidit. Is autem magno animò nihil humile spirans, longè supra antecessorum suorum consuetudinem, famulorum satel-

satellitumque numerum augere, magnificentiamque profusâ liberalitate ostentare: ad quam sustentandam piraticâ singulis ætatis magnas opes conquirere, quas per hyemes universas satellitio familiæque prodigaliter alendæ impendit: & quamvis provinciam ab hostium irruptione strenuè propugnaret, prodigalitate nihilominus & piraticæ studio Regi displicuit. Monitus igitur, ut numerum militum minueret, licet se pariturum promitteret, tamen in cæpto persistit. Evenit autem, dum ætate quâdam octodecim navibus Vandalorum agros rapinis incurfaret, ut agrestis turbæ confluxu navali præliò fortiter exciperetur. Acerri- mo igitur conflictu, conscensa prætoria hostium nave, duce ipso manibus suis cæso, victoriam reportabat. Verum ad ultimam prope defatigationem redactus, aqvam ad sitim tantum non feralem existigendam poscit; cum autem fractis strepitu belli tumultuque dolis vasisque singulis, aqvam ex alveo navis, humano cruore cadaveribus effuso, majori ex parte mistam, galeâ exciperet, cum pura non suppeteret, nec vitam nisi restinctâ aridissimâ sibi conservare posset, plenis eam faucibus in se ingerebat. Igitur quantumvis onustus spoliis, applausum, mistum tamen supillatione, domum retulit: utrumque per totam Daniam sparsum etiam ad Regias atres pervenit. Multis fortitudo viri laudata, Regi ferina rabies tacitè, pluribus palam, reprehensa, adeò ut inde *Blod-Eigill* id est sanguisuga appellaretur. Domi cum parum perhoratus esset, Regem adiit, comiterque exceptus, omnem expeditionis suæ ordinem interrogatus exposuit, nihil eorum, quæ gesta erant, dissimulans; quem deinde seorsum ductum Rex interrogat, *verumne esset, quod sibi de eo relatum, humanum scilicet cruorem sorbuisse?* Ille fictum negabat, sed *abstinere se ab istiusmodi illo tempore negavisse, lassitudine sique penè consecutum.* Rex homine Christiano rem indignam commissam, nec culpam minorem, quam si carnem humanam coctum vel tostam comedisset. *Minora delicta sibi non impunita: illi tamen fidelis opera intuitu, gratiam ejus, quod in se deliquisset, facturum;* ceterum monere, ut quamprimum sacerdoti hæc confiteatur, ut propitiatus Deo absolutam criminis impunitatem consequatur. Eigill mandatis se pariturum promittit, Regemque ad convivium invitat, futurum præfatus, ut fortunæ suæ remedium ejus accessu quoque affluat. Rex morigeraturum se ei promittens, magno comitatu proximâ hæmeme eum accessit. Triclinium ibi universum clypeis ornatum, ædesque Regionum palatiorum æmulæ, apparatus omnis ferculaque & potio magnificentiam ostentabant. Triduum ibi cum magna hilaritate convivio celebratò, discedenti Regi mûnera largiter, nec infra cæteram ambitionem data. Tum demum Rex quærit, *an quod monuisset, executus fuerit?* Oblivum se hucusque respondit. *Ne id itaque diutius differret,* Rex iterum adhortatus, hilari animò & in Eigilem propenso discessit. Ille veris initio more solito piraticam aggressus, manubis spoliisque agrestium vel navigantium ditatus, autumnò domum rediit, Regem tamen non adivit; id verò Regi, præter piraticæ studium, spretis edictis toties repetitum, displicuit.

Accito igitur Eigile, quærit Rex, *an & hæc ætate mariâ mariumque infestâisset?* consistentem increpat, paganorum moris tenacem, Christianorum negligentem; nec mandatorum suorum observantem pronunciat: vetatque in posterum impium exercitium, jubetque ut familiam imminuat, nec supra sortem genibus se efferat: *relatum quippe sibi Regio more vivere, satellitio stipari, greges famulantium alere; his sustentandis prope omnia quæ*

habeat impendi, iis conjunctis aliena rapi, eorundem querelas ad se delatas. Incerè secum agendum, si sibi famulari vellet. Ceterum, inquit, delictumne jam toties monitus expiasti? Tum commotior Eigill; quotiescunque id repetiveris, scias tamen mihi meas res maxime curæ. Ad ea Rex respondit: Vereor, Eigillne id, quod de te primò cum te viderem auguratus sum, nimirum non ex omni parte fortunatum futurum, jam ad eventum properet; itaque cum consilium meum, ad tuam prosperitatem datum, tam præfractè spernas, nec mihi in posterum ministrabis, nec rerum mearum curam geres. Id vero in arbitrio Regis futurum respondit Eigill, nec se famulitium ejus aut præfecturam expetere; miraturos tamen alios, sipari ac antea decore suis propriis impensis domum, nec paucioribus domesticis, sustentet. Rex vanam istam superbiam respondit: grandiorum se caprorum colla sibi subdidisse: minus illum quàm se damnum, nexu famulitiù dissoluto, sensurum. Jam vero iterum auguraris, ei aliquid obventurum deterius, quàm in eum diem de eo immotueris. Hic mutæ benevolentæ finis erat.

Nihil Eigill, licèt ab officio remotus, de solita magnificentia remissit: quin & pluribus in famulitium assumtis, quàm Regiã præfecturã non indigeret, ostentabat. Sed cum nec, ut antea, piraticã opes compararet, admirationi fuit, sumtibus assiduis rem familiarem non exhauriri. Hinc Regi, auditò navem Norvegicam ad illas oras delatam, nullibi deinde visam, oborta suspicio, ad sumtus Eigilis instruendos exspoliata, & ne indicium erumperet, occisos nautas. Jam verò tosta incendio saxa, locò minus idoneò, & diurna impendia supra quàm usus privatus exigeret, incensam navem arguere visa, Regem ad ulteriorem inquisitionem convertebant. Eòdem igitur vespere, quò Rex ad insulam illam delatus est, fratrem Benedictum comitatu centum virorum ad prædium Eigilis misit, qui in medias usque noctes cum satellitibus potare solitus nec jam cubitum iverat, cum repentè Benedictus superveniens domum armatis cinxit. Ut verò hostibus obsessam animadverterunt, vim vi propulsaturi arma capiunt. Sed Benedicto deditionem postulante, cogniti resisti non posse, primus Eigill se in eorum potestatem dedit, captusque statim ad Regem perducitur, relictis fratribus Sveno & Asbrando ad custodiam domus, egressuque prohibendos, ne ullus comitum aut satellitum elaberetur. Prior Rex Eigilem affatus; *Jam quidem, inquit, longum tempus effluxit, ex quo te novissimè videram. Velim autem id, quod præsens est, nostris quoque congressibus fore novissimum. Id quidem, respondit Eigill, penes te; non tamen ideo princeps melior aut Rex major habebis, quod me innocentem occideris. Mihi verò, respondit Rex, ea cura ratioque Deo reddenda incumbit: tibi certè nec fastus, nec doli in posterum proderunt; captivus es, confitebère itaque, quantumvis probrosum, quicquid in hanc navem nautasque admisseris. Nos à te occisos omnes, navem incensam, spolia in rem versa, quibus te tuosque nimis diu sustentaveris, statuimus, tibi que tantum scelus imputamus; non vana ducti conjectura, cum locus ipse nobis inspeclus sit, patrati sceleris index. Quò auditò, Eigill subterfugii locum nullum reliquum agnoscens, tot suorum consciis, ut silentii constantiam à singulis, si stricte examinarentur, frustra sibi polliceri possit; Navis, inquit, de qua questio, ad insulam, quam lustrasti, appulsa, æstu resurgente in litore stetit, neque enim Norvegi natura loci cognita erat; nos autem, qui iis insidiabamur, subito exorti, omnes antelucano tempore in vincula conjecimus, navem spoliavimus, deinde nautas simul cum ea exussimus, ne ullum rei præter rubentia saxa indicium extaret. His auditis, Rex sententiam procerum requi-*

quisivit, qualis in tantum scelus pœna esset irroganda? Multi inter eos, Eigilem arcâ consanguinitate contingentes, pecuniam pro redemptione ejus arbitriò Regis definiendam offerebant. *Non sic*, respondit Rex: *non tanti in Deum sceleris reum me faciam, ut in gratiam hominum sententiâ iniquissima tam sceleratos nebulones supplicio eximam. Crimen capitibus commissum esset, uno fraudulenter occiso; jam verò tot homines occidisse, merces eorum furtò sustulisse, usque se sustentasse, quid meruit? In causa adeò octiosa infenso Regi nemine obloqui aulò, Eigill in sylvam ductus patibulo suffigitur. Inde Rex ad prædium ejus profectus variis pœnis socios sceleris afficit. Alii occisi, alii membris truncati, alii in exilium acti, omnes pro gradibus sceleris plexi sunt, nemo impunitus relictus. Cæterùm acerbitas pœnæ necessitudinem odia in Regem concitabat, magnâ enim autoritate divitiisque pollebant, traxeruntque secum magnam nobilitatis partem, quorum dictis plebs audiens exemplum quoque sequebatur.*

CAP. VI.

KNUTI DANIÆ ET OLAFI NORVEGIÆ
REGUM AMICUS AD KONGHELLAM CONGRESSUS,
DELIBERATIO DE EXPEDITIONE IN ANGLIAM, EJUSQUE
APPARATUS. KNUTO PÆNAS DE DANIS SEVERIUS EX-
ACTURO SEDITIO ORITUR, QUÆ EJUS EXI-
TIO FINIEBATUR.



Interjecto tempore Reges, Daniæ Knutus, Norvegiæ Olafus, ut constitutum erat, Konghellæ convenerunt. Inter alia magni momenti negotia Daniæ Rex mentionem iniecit de expeditione in Angliam adornandâ, paribus utriusque regni impensis; suas singulis causas esse, ut vires opesque conferant; sibi regnum majoribus bello quæsitum, longoque tempore detentum, a peregrina sevaque dominatione liberandum, suisque posteris restituendum; vindictam patris illi nimè negligendam, Si se ducem gerere Olafus velit (id enim consultiissimum) auxilia se ei navium militumque missurum: quod si se ducem mallet, idem ab eo posci. Postulata Regis Olafus benignè interpretatus, in commune, nec temerè, consultum judicavit. Id tamen, inquit, discrimen inter nos conspicuum, quod cognatos tuos majoresque fortuna in tantum sustulerit, ut periculosissimâ longi temporis certaminibus, indigenis possessoribus, variis vicissitudinum procellis afflictis, tandem etiam solo dejectis, universum Angliæ imperium suum fecerint, strenueque defenderint, adque posteros feliciter transmiserint: meus vero pater quum idem tentaret, ilico casus occubuerit. Quanto ego illo minor sim, probe scio; nec minus novi, quàm sint illi, qui regnum meum hodie mecum incolunt, suis parentibus, & propinquis, quos in illius expeditionis societatem fatalis necessitas aggregavit, inferiores. Constat enim omnibus, nunquam tanta sollicitudine duces, nunquam milites, nunquam classem, & Norvegia educitam, nec tanto imperatore. Temerè igitur mihi, experientie paternæ partem minimam affecuto, robore quoque tanti apparatus destituito, illam facilitatem sponderem, qua ipse excidit. Te duce majorum fortunam redituram sperandum. Nec ego deficiam; navium enim magnarum sexaginta classem, delecta ex aula provinciisque juvenute, pari fide & alacritate, ac si

me ipsum sequerentur, me apparatusum, auspiti ductuque tuo dirigendam polliceor, ad communem utilitatem. Knutus parem spe sua & expectatione magnificentiam hoc promissio ostensam testatus, honorificam eum commendatione extulit. Post longam deinde de variis regnorum Regumque commodis dissertationem, mutua benevolentia, muneribus ultro citroque, tanquam instituto magnificentiae certamine, collatis, quisque suas sedes repetivit.

Eadem hyeme Knutus est singulis Daniæ partibus militem exquisitissimo delectu conscribi curavit. Socius itineris frater Ericus, qui postea regnavit, morumque suavitate & publici commodi, tum etiam popularitatis studio privatorumque gratia, Sempe Boni cognomen meruit (id *Eygodi* proprie denotat) procerumque præcipui. Proximo vere, ut in sinu Limafordo omnes comparent, edictum. Illuc & classis Norvegica, ut præfinitum, apparatu promissis respondente, tractata. Aderat & Danica, ingentem exercitum vehens. Solus Rex moras necebat; missis tamen nunciis mandabat, ut se paulisper expectarent, post septem enim dies adfuturum. Tandiu Regem opperiebantur. Exinde, cum tædio longioris uno in loco moræ plebs tumultuari cæpisset, habito consilio, placuit proceribus mitti ad Regem nuncium autoritate conspicuum, quo certiores fierent, quorsum mora ista tenderet. Olafus frater Regis ad id destitutus, precibus eorum adversabatur; excusabat intractabile Regis ingenium, in cæptis expediendis pervicax, precibus suspectæ fidei civium insensum, suis quoque magis irritari. Ad ultimum cum diu reluctatus esset, rogatu amicorum exorari se passus, idoneo comitatu ad Regem profectus est: sed alioquin prohibitus, iussu ejus coercitibus coercetur, dieque postera in Flandriam ad focerum Regis Comitem, non, ut habet *Knytingorum historia*, unde hæc describimus, Baldvinum Robertum, defertur, cum mandatis, ne eum unquam est carcere, nisi suis nunciis id referentibus, dimittat. Multis tantum rigorem in tanti fastigii virum, fratremque, sed inauditum, admirantibus, respondit Rex; *nolle se ei publice crimina intentare, nota ea Deo; notiores quoque multis, qui pro se essent, quam sibi, Olafum: augurari tamen, post modicum tempus appariturum qualis esset.* In Flandriam delatus turri exquisitâ custodiâ observatus includitur. Moræ Regis ansam præbuit rumor repente de Wandalorum apparatu exortus, Daniæ incurсандæ proposito, sub titulo vindicandæ cladis, rapinarum, damni que ab Eigile illati. Ne verò nudatum præsidio regnum injuriis rapinisque gentis ethnicæ exponeretur, placuit legatos ad eos dirigere, qui pacem illos colere juberent, referrentque, quam supra vires eorum certamen molirentur: nullum a se periculum iis metuendum. Septem dies ad reditum nunciorum destinati; iis exactis cum non redissent, Rex præter spem detinebatur. Erat tamen omnino expectandum, quoad de securitate civium suorum certior fieret.

Interea qui Olafum ad Regem proficiscentem comitabantur, ut captum eum vinculisque constrictum cognoverunt, metu percussis fugæ similem reditum ad exercitum habentes nunciant, quæ evenerant, adjecit, non in posterum Regem expectandum, neque enim venturum. Rari exempli facinus edidisse visus est, fratre, causâ non cognitâ, vinculis & custodiæ mandato, nulla ejus culpâ, metu tantum ne eum ordines regni se abdicato substituerent, quod imperio aptior videretur; certè si ita fieret, populum terrore sævæ dominationis liberaturos, remque publicam felicem futuram. His acceptis cuncti valde afficiebantur, cœuntes.

tesque ad concilium proceres, quid factu opus esset deliberant; alii sævum Regis imperium detestati, amissam libertatem, quoad ille regnaret, querebantur; alii, & ii longè plures, hostilia crepabant. Quò cognito, omnis multitudo concitata missionem postulavit; placuit & magnatibus eam rapi. Norvegi autem hortabantur, *ne tantum scelus committerent, ut exultu imperii reverentiâ Regem destituerent.* His infensiores Dani; *quandoquidem, ajunt, in famelico isto ovili expectare iis liberet, nec se eos moraturos.* Ipsi sumprâ licentiâ dispersi, ad suos quisque penates summâ festinatione properabant. Iis dilapsis Rex superveniens, solam Norvegorum classem residuam offendit, cujus ductores eo adito salutatoque, paratos se profiterentur, quocumque se dirigeret. Ille multa laude fidem eorum constantiamque & obsequium extollens, magnas exhibuit grates; muneribusque eximiiis ad Regem Olafum missis, datâ venia ad mercaturam exercendam, singulos benignè dimisit. Danis autem infestus, Sialandiam magnis copiis petit. Ibi legati, quos in Vandaliâ milit, redeuntes retulerunt; nihil illis pace acceptius; ejus usu impetrato gratias actas, munera insuper honorifica missa; metu apparatus ejus classem pro defensione patriæ adornatam, nullo Daniam infestandi consilio, si pace frui liceret. Liberatus igitur eorum metu Rex, à Danis pœnas sprete imperii cum severius exigeret, concitatis in se proceribus plebeque, Odinsyæ celebri Fionix urbe in æde S: Albani VI. idus ulii feria septima, anno, secundum nostrates, Christi MLXXXVII. cum fratre Benedicto, aliisque trucidatur, postque mortem albo Sanctorum inseritur, Daniæque patronus in cælesti curia à mortalibus constitutus miraculis claruit, multis deinde seculis impensè cultus.

His consentanea est *Simonis Dunelmensis Historia de gestis Regum Angliæ* ad annum MLXXXV. Vilhelmumque Angliæ Regem vires ad resistendum ei totâ Angliâ excivisse tradit: in anno mortis ejus nobis quoque consentit, qui septimo supra millesimum octogesimum supplicio affectum narrat. *Elnothus* sextum refert. Meminit etiam *Henricus de Knygibon.* In anno dieque & hebdomadis feria *Florentius Vigorniensis* nostro per omnia suffragatur; quod quoque ejusdem anni litera Dominicalis F. quæ feriam septimam ostendit, abundè tuetur. Quod si biennium inter hæc, quæ descriptimus, & mortem ejus intercessit, decimis introducendis infutum videtur. Dissentit ex parte *Saxo* à *Knylingorum historia* in seditionis descriptione; multa etiam *Elnothus* præterit, quæ illa fusius, nec forsitan minus verè, explicat.

CAP. VII.

REGIS KNUTI ERGA CIVES SUOS
RIGOR A PRINCIPIO REGNI EJUS
DESCRIBITUR.

On ignoro, me hoc loco, quod etiam aliquoties obtingit, in leges Historiæ peccare, dum plus justo à rerum ordine declinans peregrina Norvegicis infero. Verum cum Scriptores nostri, tum à *Saxone*, tum ab aliis, in hujus seditionis causis processuque describendis aliquatenus dissentiant, iisque, imo plerisque, hucusque incognita referant, tantum abesse puto, ut lectorem his exponendis offendam, ut amaris potius diverticulis eum reficere videar; præsertim cum gestorum Olafi, nullis

lis unquam bellis impliciti, historia valde jejuna, magnum tamen annorum spatium conficiat. Knutum quidem ob pietatis studium sollicitamque morum religionisque emendandæ curam anxie celebrat, sed ita, ut legendi facile constet, nimio rigore cives suos in se concitâsse. Cum enim primo sceptri compos esset, in publico foro his eos verbis affatum perhibet: *Vos Dani eam gratiam fratri meo Haraldo reddidistis, quod vobis lenitate & humanitatis officii plurima indulsit, ut cognomine contumelioso Dei, id est mollem cotem, eum appellaretis. Id ego vobis jam rependam; durum quippe me silem; cautemque asperam experiemini.* Mox fidem minis facturus, navibus Hallandiam petens, eqvos rusticis injunxit, ad iter per provinciam instruendum. Id cum insolens non esset, nec author notâset, ni comitatu legibus non satis congruo institutum fuisset. Itaque agrestium unus exurgens negabat onera legibus inusitata rusticos subituros; magno murmure cæteris dictis ejus assentientibus. Ut primum silentium fuit; bene quidem, ait Rex, *jura vestra propugnatis: sed nec mea vos imminutos spero, nec enim aliud petam, quam ut ea, quæ mea sunt, mihi quoque illibata permittatis.* Consentientibus omnibus, *Pascuis itaque publicis,* ait, *quæ porcis pecoribus sagmandis usurpatis, vos in posterum probibeo; quæ enim Regum propria.* lis vero cum nec carere possent, nec negare, quod patrimonio Regum adjecta fuerint (quæ tamen *Sveno Aggonis & Saxo* à *Sveno Admorſæ* barbæ à populo redempta notant) postulatæ Regis facile subscriptum. Occisus quoque, qui causam rusticorum Regi obstinatus oraverat.

Ad Scaniam inde profectus Rex multa inusitata imperavit. Uno igitur ore, sed absque advocato; Regi obloquentes, legibus se regi, onera legibus congrua imperari expetebant. Rex prudenter eos, exemplo *Hallandorum* edoctos, neminem unum ad obsistendum sibi subornasse: neminem itaque unum plectendum. Ceterum se postulare, ut sua sibi permitterent. Quo concessio: *Notissimum,* ait, *inculta omnia in patrimonio Regum esse; mare quoque inter inculta haberi. Usum itaque piscandi in freto Sundico vobis interdico, ni singula, quæ necessitas exigii, in vos recipiatis.* Atque ita necessitate compulsos ad consensum præbendum adegit. Nec *Elnothus* exactorum Regiorum injurias fileat, adaucta staterarum pondera, rerum singularum pretia iniqua æstimatione pensata, unciæ valorem vix solidi pretiô, judicia perversa, nobiles juxta ac ignobiles vi & injuriâ oppressos; tandem etiam his injuriis & insolentiâ cives exacerbatos memorat. Tali metu *author vitæ Knytingorum* proceres plebem concitâsse innuit, & certè qui res Danicas propius inspexerit, mirabitur Danos populari tumultu præter morem in illum Regem exarsisse. Regicidia enim iis omnibus seculis penè ignota. Haraldum quidem Hilditannem tollere de medio voluisse traduntur; sed tædiô tantum senii ejus, rebus jam gerendis inutilis, ipsi gloriæ avidissimi, se retrahi se patiebantur, promissa belli, post hominum memoriam celeberrimi, ad intermissum fortitudinis exercitum recolegendum indictione; cujus memoria nec hodie exolevit; sed procerum istud molimen clam plebem fuit. Conjuratorum gladiis *Eiricus Glippingus*, fratris *Abelis* scelere alter, sanctus & ille; neuter plebis seditione sublatus est. Talibus igitur minis in ipso regni primordiô terrii ordines regni, mox ministrorum injuriis, quas *Elnothus* recenset, exagitati, haud sine causa omnia Regis voluntate imperiôque fieri existimabant; tamque pertinaciter id sibi persuadebant, ut nec ecclesiasticorum concionibus, nec miraculorum evidentia, inde se abstrahi paterentur; nec *Saxonis* quidem tempore, seculô proximô, à posteris eorum mentibus

tibus opinio ista facile posset evelli. Dignè enim periisse Regem, sed pium lachrymis evasisse, dicebant, intentionem ejus avaritiæ quàm religioni propiorem existimantes. *Cujus erroris, ait Saxo, non parvas postmodum pœnas pependerunt, sed & posterì paternam redolentes irridiam, sanctitatis ejus fortunam non moribus sed lacrymis imputant, presentique incredulitate præterito sese errori implicant, neque adduci possunt, ut ipsius beatitudinem deposito odio sincerè æstiment.*

CAP. VIII.

SEDITIONIS EXORDIUM. SVENUS ET ASBRANDUS A REGE MISSI, EAM NEQVICQVAM EXSTINGVERE TENTANT. PROCERUM PRÆCIPUUS TOLIUS OCCIDITUR, VILLA REGIA DIRIPITUR, VILICUS CÆDITUR. REX IN FIONIAM SECEDIT. CONFLUXUS SEDITIONOSORUM AUGETUR.



Exordium seditionis adversus Regem Knutum tali tenore à nostris describitur. Postquam domos quemque suas dilapsos Rex comprehendit, Fioniam terribili comitatu petit, conventus celebrat, accusationem spreti imperii intentat, fratrem Eiricum causam à plebe in auctores transferentem ægrè audit, sibi soli pœnarum decernendarum arbitrium deposcit, nulloque contradicere auctò obinet, rigidèque in irrogandis multctis pecuniariis exercet, sine ullo delinquentium discrimine. Inde in Jutiam transmittit, impensis, quibus iter sustentetur, rusticis imperatis, omnes ad causam dicendam curiatim convocat, gravesque multctas irrogat; magnà enim comitantium catervâ stipabatur, & in his multorum potentissimorum nobilissimorumque virorum præsidio, in quibus frater Eiricus, quem Sialandiæ Comitem constituerat, & Benedictus, eminebant, fratresque Svenus & Asbrandus Thorgunnæ filii, fratres item duo Palnar & Blachmar, Reginæ Edlæ adoptivi fratres, viri insignes robustique, Regisque magna gratiâ sublati.

Et jam fama Regis, pœnas tam severè exigentis, totam Jutiam pervadens, etiam ad extremam provinciarum Vendilam pervenit. Hæc extrema præfecturarum ejus, quæ promontorium Skagam attingit, Hjarandæ sœla appellatur (inde oppidum Hjoring nomen sortitum colligo. Hjarandi autem nomen est proprium virorum, àque uno eorum provincia nomen antiquitus procul dubio contraxit) pauper respectu reliquarum Daniæ satrapiarum. Hic nati sunt Comes Asbiornus, Endima-Nari dictus, & Eyvindus Bifra, de quibus antea pauca, mox plura dicenda: remanseruntque domus illorum conspicuæ, quæ Asbiorni & Eyvindi sicut appellabantur, auctoris hujus tempore. Provinciæ præfecti à Rege duo constituti sunt, alter Thordus Skorius, alter Tolar Verpill (contextus quidem historiæ *Saxonis* non recipit, ut eisdem esse putem, quos ille Hortain & Tostonem, cognomentò Peculatorem, appellat: nominum similitudo, cognominisque, quod peculatorem verterat, sensus non dissuadet) Hi cognito propero Regis adventu, pœnarumque severitate, malè sibi metuentes, consilia conferunt.

Mox Thordus Skorius, frequenti conventu indicto, plebem universam,

fam, opulentiorum singulos, vel autoritate potentiores convocat. Ibi de adventu Regis certiores facit, exactionumque acerbitate, *qua jam universam Jutiam Fioniamque oppresserit, procerum multos de medio sustulerit, latâ sententiâ, quæ jure casus pronunciaverit, quibus satisfactionis solatiis propinquæ simul cum illis orbarentur; alios absque causâ in exilium egerit, omnes in servitutem redegerit. Idem in eos constitutum: si tamen viros se exhiberent, nihil ab eo metuendum, nullius quippe bonis viri satellitio succincto, nec id sine causâ, cum sapientia destitutus, avaritiâ insatiabilis, piratam quam Regem moribus exprimat. Eius imperio durante actum de libertate. Se quod attineat, certe, quantum in se esset, imperium ejus cervice sua excussurum: idem aliis faciendum. Putribus certe paludibus, voraginum obstaculis, sedes eorum munitas, nec transitum properum metuendum, si sibi ipsi non deessent, sed nec domi adventum ejus expectandum. Exquisitâ deinde eorum voluntate, cum omnes consiliis, quorum prudentiam sæpius experti essent, se parituros affirmarent, pignora fidei pretiosiora omnium cimelia reddi sibi jubet, secus metuendum, ne, dum phaleratis verbis vel mimarum metu eos Rex circumvenire aggrediatur, ut se derelicto ad eum transeant, consilio pessimo, tantum ut permissio penarum arbitrio, sævitie ejus aliorum exemplo velificentur, seque ipsos truculentie ipsius deditos suppliciiis subjiciant: non defuturos illi criminum titulos, quibus crudelitatem coloret.*

Primus Tolar Verpill nomine plebis respondit; *recte eum & magnò in populum meritò isthæc disseruisse. Omnibus enim firmiter constitutum, iam impius Regis conatibus se opponere, deditioemque abnuere. Placere igitur, ut omnium, qui adsint, regimen Thordus, quippe prudentissimus, in se suscipiat, nec quenquam dilabi patiatur, deducatque, quò visum fuerit. Hæc cum omnes constanti assensu approbassent, ad fluvium vendam magnum (fortè Rinam) copias omnes ducit, Regem aut ejus satellites vado, ubi transitus, prohibiturus. Quò cum perventum esset, cognoscunt per exploratores Regem haut procul inde abesse; divertit enim in prædio quodam, nomine Sævarendi seu finis maris, in interioribus sinus Limahordi, id quòd nominis explicatio monstrat. Illuc speculatores mittunt, exploratum, quantis copiis succinctus toti Jutiæ minetur. Horum omnium incitatus Rex, à prædio Sævarenda exactores in Vendilam ad mulctam iis irrogandam Svenum & Asbrandum sexaginta virorum comitatu miserat. Ad anteriorem fluvii ripam devenerunt, cum in alterâ confluum magnum populi, specie exercitûs se in ordines componentis, observant. Laudat alacritatem Svenus, quod ultro in occursum eorum tendentes, mulctæ nomine irrogatas pecunias deferant, suosque labores præter spem sublevent: se igitur, commendatis eorum studiis, Regem iis mitigatum pollicetur; Asbrando suspectum sibi istum congressum respondente. Tolar Verpill, qui unâ cum Thordo Skorio in ulteriore ripâ singula eorum verba audivit, respondens, veruit, *ne tam præcoci gaudio sibi blandirentur, neque enim alia, quam mereantur, tributa relaturus; monstro enim simile, quòd sibi persuadeant, ad servilem conditionem universum populum, vanis eorum terrore mentis adigi posse: minas in ipsorum caput redundaturas: jubetque, ut transito amne, modo audeant, se aggrediantur.**

Svenus à fratre Asbrando cum à transitu retrahi nequiret (videbatur enim sibi Regia mandata parum gnaviter executus, si nihil ultra verba tentaret) in medio amnis vado lapidibus telisque obruitur, quævis loricæ subito ruptæ corporibus tuendis inutiles nudos eos ictibus exponebant. Igitur post accepta vulnera, cum tantæ multitudini se objicere summa demerentiæ frater animadverteret, invitus & reluctans equumque calcantibus

urgens,

urgens, arreptis habenis, ab eodem, quippe longè robustiore, reduci-
tur. Mox ad Regem profecti, exortam seditionem nunciant, instabat-
que Svenus, ut protinus, collecta undique magnâ reliquorum civium
manu, in rebelles duceret; *inaudium quippe illos, totius futie vilissimos, tan-
tos spiritus sustulisse: exemplum itaque in eos memorabile, quo alii à talibus
ausis absterreantur, statuendum. Rex meruisse quidem eos; quæ ardor Sveni
impetusque svaderet; cæterum aliud consilium sibi capiendum, quàm armorum
cum suis certamen; nuncios potius ad eos demò mittendos, cum mandatis ut
domos repetant, deinde ad se veniant, discordiasque reconciliatione compo-
nant.* Ei rei delectus vir quidam, genere moribusque primæ nobilitatis,
nomine Tolius, sexaginta comitibus instructus. Interea Thordus Skorius,
Tolar Verpill, Sveni Asbrandique vestigiis insistentes, continuò eos ad
Regem regredientes seqvebantur. Mox audito tumultu omnes quæqva ver-
sum transibant, eis se aggregabant, omnia, quibus indigerent, affatim præ-
bentes. Concitaque subito ingens multitudo ad locum, ubi Rex diversa-
batur, properabat. Certior & Skorius de nunciis ad se à Rege missis, le-
gationem irritam reddere conabatur.

Pervenerat tunc Tolius ad urbem quandam, numerumque sedi-
tiosorum, qui tunc transibant, cogniturus, cum paucis turrim con-
scendebat. Thordus autem Skorius, cognitò nunciorum Regiorum
in urbem adventu, copias subsistere jubet. Iple cum magno numero
ingressus, quærit, *an quis ibi à Rege missus ad eos esset?* Mox Toli-
us quærit, *quid sibi copie iste velint? an & seditionem parent, patriam-
que tumultibus involvere? ausurum vel eum vera consiteri.* Rectè, respon-
dit Skorius, *hec collineasti; dicam enim tibi, nihil moratus, quòd Regi
ingens amicus sis; non dissolvemus conventum hunc, priusquam Regem con-
venerimus, modò nos expectare ausit: deinde procurabimus, ne in poste-
rum ei, quæ novissimè incidunt, referendi copia fiat. Gravi penâ, respon-
dit Tolius, dignum propositum, exituque, uti par est, exitiosum; quin
consilia ad honestiora flectitis, Regemque dignâ reverentiâ obsequiisque coliti-
tis, quippe imperio aptissimum, potentiâ inclytum, fide invictum, moribus
incomparabilem, sapientiâ insuperabilem, liberalitate præclarum, singulis
virtutibus totius regni hujus cives longe præstantem. Exitus quippe decla-
rabit, veriora eorum testimonia esse, quæ justis eum laudibus celebrant, quam
qui conquisitis calumniis vituperant. Ne vero de clementiâ ejus ambigatis,
ad spem veniæ vobis offerendam missus sum, ut et omnibus, qui adversus eum
deliquerunt, tantum ut clementiæ ejus, ut par est, vos vestraque commit-
tatis. Leges juraque antiqua se observaturum pollicetur, nec ultra illum
vestrum gravaturum: obsequium, fidem & auxilia tantum modo requirit.
Vos itaque providete, quid vobis dignum, quidque maxime in rem futurum;
multitudinis viribus abundatis, successu adversus eum destituumini, quòd &
plures desituti fuerunt, vobis quidem longè potentiores. Divinorum itaque
mandatorum reverentiâ, vestraque tum publicæ tum private utilitatis re-
spectu, temerè cepto consilio maturè desistite, turbam congregatam dimit-
tite, pacem Dei Regisque & veniam exorate: haut difficilem me sponsore ex-
periemini, cum primum vos penitere animadvertet; mos enim ei delinquen-
tibus, cum misericordiam implorant, parcere, & quanto graviore offensa,
tanto paratiore veniæ. Nec ego in intercedendo pro vobis deficiam, si meis
verbis precibusque hæc dederitis.*

Vix finem dicendi fecit Tolius, cum Thordus Skorius vetabat, *ne
verbis illius fidem haberent, viri astuti, ab astuto Rege ad eos circumvenien-*
Tom. III. Eee dos

dos subornati, quo dissipatos facilius ad pœnas rapiat. Erant autem multi, qui, laudatâ ejus oratione, utilia svasisse judicantes, animum ad moderationem appulerant. Quô animadversô Skorius, gnarus quanto in periculo esset, si studiis multitudinis, in sola inconstantiâ constantissimâ, destitueretur, raptam ex adstantis manu hastam in Tolium in fenestra turris conspicuum conjecit; quæ penetrato corpore medium eum transvolavit. Mortem ejus licet multi ægrè ferrent, impigrum tamen ducem publicæque causâ patronum vindicemque alacriter Sævarendium usque sequebantur, opulentam villam Regiam, cui villicus Regius præfectus; quô occiso, eam diripuerunt. Ibi cognitum, Regem in Fioniam, manu haud validâ, trajecisse. Nunciis itaq; in reliqvas provincias missis, nobiles undiqve & potentiores cives evocant, hortamentis ad occasionem talem arripiendam, quæ potestatem ad ulciscendas tum suas injurias, tum etiam propinqvorum, uberrimam suppeditet. Mira res visa, tantas turbas ab infimâ fortis provincia de improvîso excitatas. Quòd autem proceribus Regis severitas exorta esset, fræno quàm calcaribus indigebant: singuli domibus egressi, infestæ turbæ se adjungunt. Multi in his principes viri, inter quos Asbiornus Eydinorum Comes & Eyvindus Bifra, quorum propinqvi haud pauci inter agmina Thordi Skorii fuerunt. Et jam paucis diebus tantus nova molientium confluxus factus est, ut numerus iniri neqviret.

CAP. IX.

SEDITIONIS CONTINUATIO ET
REGICIDIUM.

Ac rerum vertigine omnibus se Ducem majoribus auspiciis Asbiornus Eydinorum Comes, Regis quondam Haraldi focer, præbebat. Hic Randarosiâ (vulgò Randers) ab ostio fluvii Gudæ, (quod antiquitus Raund dictum suspicor) eos deduxit. Ibi aliquot dierum mora infinitum affluentium numerum multum insuper adauxit. Rex interea in Fionia de cæde Tolii, seditionum confluxu, viribus, rabie, seq; invadendi consiliô, certior, sub gravi pœna cives omnibus provinciis in auxilium suum evocat. Cùm autem constans omnium responsum acciperet, se neque ei contra populares suos, nec illis contra eum militaturos, Reginæ per nuncios mandat, ut mobilibus pretiosisque omnibus convasatis in Flandriam ad patrem suum assum, tō filio Karle, (Carolo) properè concedat.

Jamque perduelles navigia, quibus fretum transmitti posset, idonea Randarosiæ comparârunt, cum Comes Asbiornus omnibus convocatis monstrat; *numerò quidem virorum in immensum eos Regem superare, quò tamen intutum eum aggredi, utpote animò, consiliò, pugnantium acerrimorum præsidio fortiozem: artem viribus addendam. Placere itaque virum aliquem solertem ad eum mitti, qui consilia ejus omnia viresque exploret, ipsisque referat.* Singulis consilium probantibus, sed profectioem ut periculosa plenam alex defugientibus, sibi Comes eam deposcit, Eyvindôq; Bifra copiis omnibus præposito, ipse paucis assumtis, unicâ nave fretum trajicit, omnibus protinus seqvi jussis. Nec Bifra mandatum neglectis, Regi

Regi quippe infensissimus. Jam enim concitatum supra modum plebem infestâ oratione magis effecerat, omniqve studio providit, ne morâ longiore injectâ fortè respiscerent. Travecti itaqve omnes Fioniam veniunt. Verùm dum ad transeundum Randarosiâ fumâ velocitate cuncti se accingerent, Thordus Skorius socio suo Tolari Verpili suggerit, ut se cum suis inde subducant, domumque redeant; tantos enim proceres captis aspirâsse, seque seditioni immiscuisse, ut non sit, quòd sibi in posterum quicquâ auctoritatis polliceantur; nec tamen nihil actum, neque enim desituros, nisi peractâ, quæ publicæ omnium privatæque singulorum salutis maximè conducet, nece Regis. His mutuo consensu probatis, dum singuli certatim transitum accelerant, omnibus in tanta turba & festinatione inobservati ad sua cum omni comitatu pergunt. Interea Comes Asbiornus Regem adit, officiosq; salutât: sine tamen responso exceptus his verbis eum affatur. Non dubito ad aures tuas, ô Rex, pervenisse, exortam in te seditionem, quæ tantum increvit, ut nobilium quoque potentiores ad se traxerit: nec meis interfuisse negabo, sed consilio acta eorum, vires, & quorsum tendant, penitus cognoscendi, ut certa tandem tibi possim asferre. Evulsit apud eos Dei Divorumque, evulsit Regis metus & reverentia: sordent illis salubria consilia, nec jam diutius differre poteram, quin te adirem, auxiliumque, quantum in me est, offerrem, studiumque & operam profiterer. Requirit enim officium meum atque conditio, ne te unquam, nedum in tanto periculo, deseram. Consilium itaque sapiens tibi & in puncto capiendum erit. Rex fidem dictis adhibens, omnium opinione melius se hoc statu gessisse confitetur: esse enim virum sapientem: ut itaqve aliquid in medium consulat, postulat. Tum verator, consulere tibi quidem nescio, quæ tamen maxime videntur conducere, edicere teneor. Præsidium tibi in præsens delecti quidem viri, sed pauci, præstant, multitudini impares, præstat cedere tempori, partesque alias regni, que populo magis abundant, petere, unde auctus viribus adversus perduelles exercitum ducere possis, proditoresque plagis ad frugem reducere. Consilium quidem salubre, sed ad præstruendam fidem ad secretiora datum, Comes Eiricus multiqve procerum laudabant. Verum Benedictus nunquam se subditorum metu fugam capturum respondit: id se unicè svadere, ut Comes protinus caperetur, nec virus deinde dimitteretur. Mirari Regem verbis ipsius fidem habere, quem sciret virum esse perfidum, dominique proditorem. Rex consilium ejus in tantum placere respondit, ne hostes fugiat: exitum Deo committi. Asbiorno autem imperat, ut adeat perduelles, suoque nomine reconciliationem iis offerat, juraque se unicuique sarta tecla servaturum secundum leges Danicas, litem vero cuique, si intenderet, iudicio bonorum virorum, nec tamen rusticorum, subiecturum polliceatur. His negatis citò ad se redeat, fidemque, quam præferat, re ipsa impleat, jubetque meminisse quo nexu sibi obligatus sit, qui servdum, quod teneat, beneficid suo possideat. Multis quidem fidem ejus suspectam, se nihil præter boni viri officium ab eo expectare; ibi itaque ad reditum ejus permanurum. Ille se cum auxiliis quantis posset subito rediturum promittit, si consilia sua & pacificationem aspernarentur: inflexoqve corpore Rege salutato, serò diei ex urbe Odinsæ, ubi Rex cum universo satellitio per noctem hospitabatur, discedens ad suos redit.

Et jam seditiosa factio, transito freto Medalsartino, Fioniam conscendit: quam allocutus Comes refert, Regem illis jam oportunum esse, indicatqve locum, ubi noctem agat. Illi lætitiâ exultantes ad fluvium urbi proximum, Kalsa nominatum, mane sequentis diei solerecens orto perveniunt.

Ibi Comes concione habitâ, docet, ut Regem, quemadmodum ab ipsis postulatum era, adierit, & consilia ejus viresque exploraverit: cognovisse autem nihil mite, nihil æquum ab eo expectandum: minustantum pœnarum, cum primum occasio se offerret, spirasse, nec unquam verbis in cives ferociorem auditum. Videri tamen satis proximum, quod consilii expers, quo se verat nesciat; id verò antea in illo nunquam observatum; esse enim virum sapientem & sagacem, jam vero milite destitutum: nibilo minus omnia sibi polliceri, tantquam fortunas civium armatorum solo mentis impetu ipse inermis incomitatusque invasurus. Hanc igitur occasionem omni alacritate arripiendam; se quidem cum suo satellitio arma ei omnium primum illaturum, nec esse virum, qui in inferendâ nece trepidet, id enim necessitatem exigere. Nullos in tanto casu proceres, qui non damnis vel ludibrio ab eo affecti sint; aliorum enim agnatos, cognatos, vel affines occisos. Parum quidem adhortationem suam profecturam, si hæc dememinissent. Si tamen tantus torpor incesserit, ut ultionem talium negligendam existiment, certe pericula ab eo, si jam dilabatur, expectanda, haut negligenda; idem certum, si in minoribus delictis puniendis rigidum se exhibuerit, in crimine perduellionis puniendò omnes creditatis vires exerturum, id verò se non expectaturum. Opus esse alio Rege, qui in omnibus rebus modum teneat.

Magno assensu Eyvindus Bifra orationem Comitis excepit, salubria consilia laudando, pœnarum, quæ singulis immineret, acerbiter, si jam Regem evadere paterentur, plurimis descripsit, monuitque, nihil in clementiâ ejus, postquam se apertos hostes professi essent, reponendum. Sibi constitutum, quicquid ceteri facerent, armis eum invadere; prælagire autem, conatum haut irritum futurum. Inde unus post alterum exurgentes, mutuis hortamentis se invicem concitabant.

Interim procedente die Rex sacris interfuturus, templum accedens quærit, quid ipsis de perduellibus constet? Relatum, trans annum conventum habere. Id si in nostram perniciem, respondit, certe amicus noster Asbiornus adesset, nobisque indicaret. Benedictus nihil unquam boni ab eo expectandum respondit; valde enim erratum, cum is dimissus esset. Id verò Rex improbabat. Celebratâ missâ, cum nunciatum esset, transito amne omnes ad urbem magno impetu contendere, Rex consilium exquisivit, nequæ enim amplius dubitandum quorsum tenderet. Svasit itaque Eiricus, ut ipse consensu celeri eqvo eodem momento se subduceret; illam borulam ad salutem suffecturam; salvò illò omnia salva. Rex negabat se salutem eorum perniciæ questurum, quam se subducto certam prævideret; male se hostibus dedere, quo ipsos conservet; se enim occiso acquieturos. At Benedictus; immortale dedecus, prodito Rege, aut se præsentem sine pugna occiso, dictitans, universos ad societatem vel periculi vel mortis cum Rege inmundam, armaque intrepidè capienda, alacri oratione accendit. Omnes igitur ad fores templi, quod ligneum, multis fenestris vitreis intercisum, ad irruptionem prohibendam se conferunt.

Interea Rex ante altare in genua procumbens, peccatorum veniam multis lachrymis à Deo exposcebat, exurgensque pallium pretiosum, aurò grave, Phrygioque opere elaboratum, exuens, sacerdoti, qui sacra celebrabat, donat, deposcens ut oraret pro iis, qui illo die occumberent, tam suarum quam hostilium partium. Ipse editâ peccatorum omnium exactissimâ confessione, veniam omnibus, qui se oppugnarent, finire largitus est. Ad altare deinde confidens corpus interioremque thoracem sericum pretioso pallio velavit; vocatoque Sveno Thorgunnæ filio,

baltheum miro opere elaboratum, cum cultro pari ornatu pretioque, quæ gestabat, ei dedit; prædicens *non ulteriorem sibi ejus donandi copiam futuram*: jussitque ut utere ur, nec distraheret nisi in loco. Is acceptum sibi statim annectens, actis gratis, vitam suam illo die conservaturum vaticinatur. Rex *Deum illam servaturum* respondit: *se quoque augurari, incolumem ex illo tumultu evasurum*. Mox accepto psalteriô Davidis hymnos recitabat. Eodem momento rusticorum cohortes incondito clamore & impetu ad templum se proripiunt, vociferantes, *ut ubicunque invisus cælesti Numini hostis Knutus se absconderet, latebris egrederetur*. In mediis foribus templi stabat Benedictus, rubram tunicam pretiosam loricâ textit: extrema vestium thorax sericus sine manicis erat: galeam gestabat auratam, clypeumque rubrum, cui eqves aurô illitus. Ab alio latere Comes Eiricus cum fratribus Sveno & Asbrando, ab alio reliqui fratres Palmar & Blakmar. Rusticorum clamorem Benedictus objurgatione exceptit, *sensuros minatus, triturando frumento aut lacte coagulando non in præsens occupari, nolent ita exultare, nec adhuc victoriam in manibus*: provocavitque si quis cominus accedere auderet. Mox undique exorti templum impugnabant; fortius autem resistentibus Regiis, cædes cladesque in perduellas incubuit, ne unô quidem Regiorum cælo. Id diu cum tenuisset, monitore, Asbiorno Eydinorum Comite, vitrea fenestræ concussæ, mox telis omnisque generis missilibus perviæ. Cumque non ultra protegerent, multi crebris ictibus, sagittarumque & lapidum grandine, vel fauciatî sunt, vel omninô occubuerunt. Dum præcipua oppugnatio ferveret, rustici exclamabant; *vicem vacce tibi, Knute, vicem bovis, vicem equi tibi reddo*. Videns autem Benedictus nudatos suæ partis homines parietum præfidiis, omnes ut se intra chorum reciperent, monuit; ipse mediis, foribus hostes aditu prohibens memorabilem pugnam edidit. Verum agricolæ in templum se magnâ mole infundentes, premebant propugnatores. Ibi accerrimè ab utrisque pugnatum: & quamvis multos Regiorum mors oppresserit, multò tamen plures factionis rusticanae cæsi sunt: tantaque intra parietes templi cædes facta est, ut sanguis ad talos usque pertingeret.

Interea Asbiornus multo agmine templum circuibat, ubiq; strenuus hortator ad rem fortiter gerendam, & ubi idoneus locus vel occasio se offerret, monstrator industrius. Medio pugnae ardore ictu lapidis per fenestram jacti supercilium Regis ruptum undam sanguinis effudit, quam pelvi, ne vestes contaminarentur, exceptit; ipse interea, ut prius, lectiôni psalmodum intentus. Ille impetus Regiorum, sed magnâ fortitudinis laude occumbentium, cæde in primis funestus fuit; nullius tamen principis occasu nobilitatus.

Et jam ab utraqve parte cessatum est, mutuâque quiete se reficiebant, intermissam paulisper pugnam mox acrius instauraturi, cum Benedictum clypeo in foribus innixum, nec dum saucium, sed lassitudine debilem, Eyvindus Bifra, togâ holosericâ amictus, per fores ædis ingressus accedit, copiamque adeundi Regis postulat, pacis se oratorem simulans; *ad quam civis post tantam cladem, ad majora damna præcavenda, proniores esse; nec se dubitare, quin ipse Rex amicâ compositione finem seditioni exoptet imponi*. Negabat Benedictus aditum ei, utpote homini vaserimo, ad Regem patere; *sed nec reditum ad suos, aut incolumitatem vitæ consecuturum fuisse, nisi se inermis accessisset: sine scelere occidi suo merito posse, jam verò inermem non sine dedecore*. Rex auditô postulatô, intromitti ad se jubet; sæpè utilem operam navasse, nec dissidendum, quin utile quid in

præfens afferat, suo fuorumque beneficiò ad magnos honores euectum. Benedictus pariturum se Regi, etiam prævisâ, quæ subsequutura sit, penitentia, respondit. Intromissus itaque Eyvindus Regem cernuus salutatur, qui coniectis in eum oculis nihil respondit; ille verò, demissâ humeris togâ, pugione, quem nudum sub ea occultabat, Regem medium transfodit. Is ad parietem se reclinans Deo se comendavit, ilicoque exspiravit. Eodem momento Eyvindus aram conscendit, per fenestram, quæ supra, vitro defectam, evoluturus, cum inter incurfantes Benedictum aliosque velocissimum Palmar per fenestram se jam exerentem, quamvis loricatorum, bipartitò tamen concidit, adeò ut pars anterior extra fenestram decideret, posterior intra sacrarium.

CAP. X.

DE PUGNÆ RELIQUIIS, REGICIDISQUE
MIRACULOSE PUNITIS. KNUTI REGIS ELOGIUM.

Omnitâ Regis cæde dissensus inter milites ejus exortus alios ad salutem fugâ quærendam, cum non esset quem porro defenderent, perpulit. In his Comes Eiricus fuit. Alios mistus iræ dolor ad ultionem Regis etiam cum propriæ vitæ jacturâ exequendam accendit. In his frater Benedictus, Palmar & Blakmar fuerunt. Eiricus cum suis per australes fores elapsus fratrem se sequi jubet; *ad cladem aggravandam, non Regem ulciscendum, facere dicitans, si prohi omnes occumbant.* Benedictus *neminem se ulterius morari* respondit, *se pugnam fugæ prælaturum, eumque valere jubet, donec in regno celorum iterum conveniant.* Evasis itaque Eiricus cum paucis, aut in tantâ multitudine inobservatus, aut si observatus, tantis tamen omnium studiis cultus, ut nemo ei manus inferre sustineret. Verùm Benedictus, abjectò clypeò, gladiò ambabus manibus feriens, è sacrario in medios hostes proventus, aut resistentes fudit, aut cedere compulit, ingentemque intra ædem sacram stragem fecit. Eodem animi corporisque vigore Palmar & Blakmar secuti, inter confertos viam sibi ad fores usque templi per cæforum cadavera straverunt. Eò cum ventum esset, ab omni agmine undique circumfusò impetiti, post editam Hercule dignam pugnam societate funerum Benedicto junguntur; reliquis omnibus deinde paritum, inque his Sveno & Asbrando.

Authores seditionis cuncti divinitus plexi memorantur. Thordus Skorrig in reditu è Randarosia, dum pontem quendam transfret, eqvò excidens, ilico sopitus. Tolar Verpill vivus computruit, à vermibus exesus. Comes Asbiornus, cum, dilapsis ad sua perduellibus, ad fretum Sundicum iter vertit, sed in diversorio, ab inusitata magnitudinis foricibus impetitur, sed solus; quæ eum quoque in navem persequuntur, faciem ejus dilacerant, tandem etiam ad interneconem devorant. Publicatum per Dantiam prodigium, quàm invisum Deo scelus cæde Regià commissum esset, fidem fecit.

Fuit certè Knutus multis nominibus laudandus princeps, Daniam enim ab infestationibus Kurlandorum, vicinarumque gentium, Haraldi Heinis tempore usitatis; liberavit etiam maria, sublatis piraticis, comercii

ciis secura reddidit, capitali supplicio in omnes, five indigenas, five extraneos, animadvertens, qui furti, cædis, piraticæ, aut hostilis invasionis vel direptionis convinceretur. In eos, qui manu, vel pede. vel quovis membro hominem mutilassent, pœnam talionis sancivit, evicitque, ut nemo intra regnum ejus auderet furari. Si quis domo apertâ digressus quicquam, vel si equum non coërcitum furto surreptum amisisset, damnatum è Regio fisco repetere tenebatur, actio autem furti pœnæque exigendæ jus Regi cessit (Rolfum vel Rollonem primum Normanniæ Ducem imitatus videtur; ille Frodium, seu Frothonem, Saxoni Tertium, Daniæ Regem. Magnus autem Lodulus, Sveciæ Rex, latas ab his leges in suam patriam felicis successu induxit.) Quod sine personarum discrimine, proprio tandem exitio stetit. Atque hic expeditionis illius luctuosus exitus fuit.

CAP. XI.

DE OLAFO KNUTI FRATRE, IN REGNUM REDUCTO.



Nuto Regi furentis populi seditione, ut dictum est, sublato successit frater ejus Olafus, a caritate annonæ, quæ toto ejus imperii tempore Daniæ afflixit, Famelicus appellatus; quem Saxo fratre Nicolao vade pro ejus redemptione à Danis dato, atque Comite Flandrensi recepto, liberatum vinculis, quæ frater in se receperat, scribit. nostro auctore & Arildo Hvitfeldio eum ex parte secuto, hic tamen dissentientibus. Is enim Svenum & Asbrandum populi rogatu in Flandriam profectos, annitente quoque Regina Edla, certa auri summâ promissâ (triginta scilicet auri selibris) inque eam fide suâ interpositâ, carcere insuper & catenis in se receptis, eum liberâsse tradit. (Pontanus, ut et Hvitfeldius, Svenum Thrudsonium appellant, nostrisque consentientibus Ascheri Archiepiscopi Lundensis patrem fuisse perhibent; Estritium alium, qui nobis Asbrandus. De Nicolao nostris alium silentium) Adjicit deinde Olafum postea beneficii tanti immemorem, tantum affuisse, ut numeratâ pecuniâ suam eorumque fidem liberaret, ut iniquis etiam auribus audiret mentionem lytri à propinquis eorum fieri. Regessisse enim, lautè eos apud Comitem vivere, magnâque in gratiâ, meritorum in Knutum Comitemque gratâ memoriâ: indignos autem Flandros, qui se vinculis oneratum contumeliâ insuper affecissent, ut eorum commodis velificaretur. Integram hyemem in carcere, tenui cibo parceque præbito, detentis perhibent, ipsâ Reginâ Comitis filiâ nepoteque Carolo nequicquam pro iis deprecantibus. Namque Comes eos à principio, cum pro eo fidejuberent, seriò monuit, temerè eos liberationem ejus expectere, temerè quoque ipsius de pecunia in posterum solvenda promissâ fidemque sequi; mandatum sibi novissimè a Rege Knuto, ne se invito eum vinculis eriperet: ita sibi Regis ingenium moresque cognitos, ut sine gravi causa eò severitatis non processisse videatur. Illi autem responderunt, fidelem certè operam Olafum ei præstitisse omnes magno consensu testari, viderique Regem hoc uno lapsum: damnun autem qualecunque errore ejus vel culpa illatum, in quantum possint corrigere & resarcire, nemini magis quàm sibi incumbere. His auditis, Comes, pietate eorum laudatâ, non Danorum (quibus postquam tanto se scelere contaminassent, præter odium, & vindictam nihil a se es-

set expectandum) sed legatorum precibus, quorum fides meritaque essent perspectissima, permitti Olafum testatus est, sed ipsorum periculo, cum se in summam æris pro liberatione ejus pariter ac penam, ni ex eondictio solveretur, obligassent; maxime autem, quod prævideret Danos condignum meritis suis Regem expetere.

Hos jam longo situ squaloreque marcidos, macie informes, manibus pedibusque catenis oneratos, ope humanâ propè destitutos, nocte, quæ feriam Paschatis proximè præcescit, ipse Knutus miraculosè liberâsse traditur, hoc modò. Cùm compedes detritis fasciis jam nudos premerent, nocte in diem eunte, arctior fortè somnus Svenum complectebatur. Tum verò magnâ luce coruscans, vestem pretiosam indutus, ingressus ad eum Rex Knutus his verbis affatus est. *Indignis jam modis, mi socie, tractaris; nec id præter spem: ego verò te his vinculis eximam; tu autem Duci hæc referes, simul & voluntatem meam, ut vobis parcat.* Mox pedicis, inde manicis comminutis; jam, inquebat, *liber es; referes autem miraculum hoc pluribus presentibus; exinde permisso divino me consecuturum spero, ut quicumque nomen meum devotè invocaverit, molestiarum remedium nanciscatur.* Magnâ inde luce univèrsam carcerem, jam dulci quoque fragrantia differtum, collustrante, ipse disparuit. Excitus deinde somnò Svenus, ubi singula visioni conformia, seque vinculis liberatum deprehendit, oblatam per quietem imaginem fratri Asbrando exponit; qui & idem sibi obtigisse testatus, se quoque extricatum professus est. Ipsi deinde eodem renovationis festò die frequenti prandio triclinium Comitum ingressi, omnia, quæ evenerunt, referentes, tum demum fidem meruerunt, cùm annitente Reginâ lustratus per exploratores carcer catenas ferreas, quæ manus pedesque constrinxerant, non humanâ vi comminutas detexit. Id primum sanctitatis ejus opinionem hominum animis, ipsi etiam Comiti, sed post aliquod intervallum, licèt primò valde hæsitanti, insevit. Exinde fratres iis conditionibus dimissi sunt, ut si Regem ad solvendum lytrum, quod promiserat, percellere nequirent, ipsi de suo solverent, adque Comitem redirent. Cùm frustra Regem interpellassent, nec nisi minas belli in Comitem expressissent, distractis agris, aut in hypothecam datis, propinquorumque subsidio summâ conflata, fidei tenaces reverterunt, redditâque pecuniâ, munera insuper honorifica adjecerunt. Comes perspectâ eorum integritate, donâ minimè aspernatus, liberaliter rependit, debitum verò omne iis remisit; reddidit ære, quod attulerat, univèrsò; iniquum dictitans, *illis, si vel maxime apud ingratum Regem, certe apud se, fidem fraudi fore.* Sciverat enim in tantâ re non esse, ut post illam bonorum jacturam familiam ex dignitate in posterum sustentare possent. Tantâ hominis clementiâ & magnificentiâ refecti, in patriam redierunt, nec ministeria sua Olafò addixerunt, fidei nihilominus nominisque famâ & existimatione ubique inclyti. Olafus verò sævus, avaritiâ & legum negligentia civibus invisus, fratris desiderium, præsertim apud eos, qui ei non obstiterant, excitâsse fertur, octoq; annis imperâsse, morbo consumptus, nullo suorum luctu. Ejus uxorem Ingigerdem Haraldî Strenui filiam Philippo Hallsteini filio Sveciæ Regi postea nupsisse

author Historiæ Helvoriana in fine perhibet.

Hæc, quia magnam partem in diversum abeunt ab iis, quæ omnium manibus teruntur, licèt res Danicas spectent, hactenus annotâsse delectat.

CAP. XII.

OLAFI HARALDI FILII NORVEGIÆ REGIS INGENIUM, MORS ET ELOGIUM, EOQUE SPECTANTIA DESCRIBUNTUR.



Lafò Norvegiæ Rege pacificè regnante, res militaris magnam partem neglecta traditur, nec tamen contempta; civilia sollicitè curata; Divina omnibus prælata. Nam præter cætera Nidarosiæ basilica faxea ædificata, collocataque supra sepulcrum, quò S. Olafus conditus erat, ita ut altare ipsi conditorio superstrueretur. Hanc cathedralem ædem

Absolon Petrus, appellat, primumque lapidem ab ipso Rege stratum memorat. Eò statim scrinium ejus translatum, altarique super-impositum; secuta miraculorum multa series. Annò sequente, cum idem festum recurreret, vesperâ nimirum pervigilii ejus, magnâ frequentiâ populi cæcus visum recuperavit. Craffino autem, quò dies memoriæ ejus festus celebrabatur, cum scrinium sanctæque reliquiæ pro more templo offerrentur, inque cæmiterio collocarentur, qui longo tempore mutus erat loquendi facultatem usumque recuperavit; inde Deo & S. Olafò fluente vena laudes celebratæ. Mulier etiam, longum iter è Svecia profecta, annos quatuordecim, codici Flat: octodecim, cæca in templum introducta, factis oculata, visu inter sacra missæ recepto, educta, publicâ supplicatione Deo factâ. Hujus quoque Regis tempore accidit, cum per plateas scrinium illud sacrum portaretur, ut insolitâ gravitate portantibus immobile repente fieret. Extracta platea infantis necati reliquias monstravit, quibus scrinium incubuit; quibus ablatis idem, qui antea, portabilis scrinio genius rediit.

Agros quàm urbes Olafus libentius incoluit; plures itaque & celebriores ejus domicilio delecti, interque eos Hautabær, nobilis Ranarichæ (districtus Bahusensis) villa; ubi (ut vulgò computant, post XXVII. à morte patris annos cum aliquantisper mansisset, fatali morbo correptus expiravit, idque, ut in *Calendario MS. illustrium virorum emortuales dies recensente* notatum est, vicesimo secundo mensis Septembris. Inde corpus ejus Nidarosiam Regiâ pompâ translatum ad ædem Salvatori consecratam, quam ipse ædificari curaverat, conditum est.

Fuit Olafus Rex temporibus illis valde idoneus; afflictum enim post patris cædem regni statum sapientiâ & moderatione sustentavit, mox etiam ad magnam felicitatem promovit, moriensque successoribus florentissimum reddidit. Svenum enim Daniæ Regem, patris casu ferocientem, quantum vulnus acceptum esset dissimulando, virium animique ad pugnam alacritate vel deterruit, vel delinivit; tandem etiam amicissimum, utpote socerum, sibi reddidit, eundemque amicitiae usum cum successoribus ejus continuavit, Haraldo nimirum Heine, qui tres annos regnavit, ejusque successore Knuto, qui septem, mox & Olafò, sororis suæ Ingigerdis marito, cujus & ipse sororem uxorem duxit. Is octennium regnavit: quem secutus Eiricus, à singulari humanitate *Esjode* / *o Semper-Bonus* cognominatus, aliud octennium regnavit, cujus tempora non attigit. Nec Sveciæ Reges sibi contemporaneos Haconem & Ingium Stein-kelis filium (hos, enim ei coævus nostri Scriptores monstrant, dum

Steinkelem morbô extinctum tradunt, circiter cædem Haraldi Sigurdii Norvegiæ Regis, Haconemque ei successisse, & huic Ingium, seu Ingonem, Steinkelis filium, qui ultra ad Magni Nudipedis tempora devenit) in se irritavit, aut etiam Angliæ Reges: sed eorum amicitias colendo, cives suos rebus omnibus, quæ statum feliciorum reddere possent, auxit; placato Numine rebus Noricis impositus, ut Numa alter turbido cælo, excussis nubibus, serenitatem reduceret, Janumque toto ferè patris tempore reclusum, quoad viveret, clauderet. Quanto enim studio civium suorum comodis invigilaverit, vox illa memorabilis prodidit, cum convivio semel opiparo exceptus ornatum mensarum splendidum, triclinia aulaeis prætiosis intrata, suppellectilem auream argenteamque, cultumque fœminarum virorumque conspicuum intueretur: *Gaudeo, inquit, cives meliōs non, ut patris mei imperiō, metu presentia Regia, quicquid pretiosū habent, abscondere. Felicitas eorum meā est libertas; gratae mihi privatorū opes, publicæ securitatis instrumentum.*

Staturā erat magnā, & tali, quæ Principem exornaret: nec alius unquam formosior visus. Justa membrorum proportio, capillus byssinus, rude sericum referentis, mira elegantia: corpus candidum, oculorum decolor ingens, verborum magna parcimonia, etiam in conventibus publicis, in symposiis sãviloquentia, lepor & hilaritas abundabant; erat autem potator strenuus.

Olafi in Deum pietatem & Christiani cultus fervidum studium *Simon Dunelmensis ad annum Christi MXXIV.* de Turgoto quodam, qui postea Scotiæ Episcopus factus est, agens, his verbis in gestis Regum Angliæ describit. *Is, inquit, prosapiam trabens de genere Anglorum non infimo, unus erat inter alios, qui nuper subjugata Normannis Angliā obsides pro tota Lindesii in Londicolinio castro custodiebantur. Ille pecunia emolliens custodiam cum magno suorum periculo fugit clanculo ad Norvegenses, qui tunc apud Grimesbi navem mercatoriam usque Norvegiam onerarunt, in qua navi etiam legati Willielmi Regis Norvegiam mittendi subvectionem sibi paraverant. Jamque navis illa totis avolans velis terris aspectibus subtraxerat, cum ecce fugitivus obses Regis ab inferioribus navis partibus, ubi Norvegenses eum absconderant, in medium erumpens, legatos eorumque socios in stuporem vertit; nam ubique locorum perquisitus fuerat, etiam in navi eadem exactores Regis scrutina fecerant. Sed calliditas abscondentium delusit oculos scrutantium. Itaque legati instabant, ut depositis velis, navem cum fugitivo Regis ad Angliam quoquo modo resisterent; Norvegenses acriter repugnabant, ut capta velificatio prospero navem cursu, ut antea, perferret. Fit partium altercatio, ita ut adversus se invicem armarentur. Sed quod major vis erat Norvegensium, citius compressa est audacia legatorum, quantoque magis terra propinquabant, tanto magis illis se humiliabant. Veniens autem illic juvenis fugitivus, quàm honeste se & castè agebat, nobilibus & optimatibus gratus apparebat. Pervenit & ad notitiam Regis Olafi, qui, quoniam valde religiosus erat, sacros codices inter manus tractare & literas inter regni curas sæpe consuevit addiscere, sæpe etiam sacerdoti ad altare assistere, & indumentem vestimenta sacra adjuvare, aquam manibus funderet, & cetera hujus modi devotè peragere. Audito itaque quod clericus de Angliā venisset, quod magnum tunc temporis videbatur, cum ad discendos psalmos quasi magistrum sibi exhibuit. Inter hæc satis superque abundabat, rebus Regis virorumque nobilium largitate affluentibus.*

Hæc satis declarant, quantā Divinarum rerum notitiā cultuque ar-

runt, uxorisque ejus (quæ Mær appellata est) fratrem, nomine Svenum, intimo favore ab Ingio cultum, tum publicè promittentem, ethnica sacra se redacturum, si se Regem dicerent, ei protinus substituerent. Is extirpatâ religione paganismum reduxit. Auspiciò regni ejus æqua in medium prolata, concisaque in partes, mox exesa, altariaque conspersa. Inde Svecia omnis ad paganismum victimasque relapsa. Ingius regno exactus in Vestrogothiam fugâ evasit, ibique triennium rarò comitatu remansit. Tum demum per Smalandiam Gothiamque in Sveciam magnis itineribus profectus, manè cujusdam diei in aulam Sveni de improvviso superveniens profectus, incendiū, consumtisque comitibus, ipsum limina egressum occidit, qui deinceps Blot-Sveinn id est *Svenus sacrificulus*, dictus est: Sanguinarium *Job. Magnus* reddidit, rectè si Blot-Sveinn dictus esset. Ingius, recuperato regno, Christianismum restituit. Askillum sanctissimum Pontificem, qui Siffridum ex Anglia comitatus fuerat, illo tumultu occisum, quo Svenus Ingio suffectus est, non vero cum occisus esset, ex hac relatione cum *Johanne Magno* collatâ facillè patet; non enim Svenus Ingio supervixit. Non igitur credendum auctoritatem pontificum illò seculo in Svecia in tantum excrevisse, atque in Dania, aut fortasse in Norvegia. Hallsteinum fratrem simul cum eo regnasse *Langsedgatal & historia Hervoriana* tradunt; an vero in societatem regni post eadem Blot-Sveni, vel antea, admiffus fuerit, nullibi reperio: ei tamen superstitem vixisse tradunt. Minus itaque veritatilicet Svecorum traditio, quæ hunc Ingium Sveno Estritio Sconingiam eripuisse asseverat, cum Ingius quadrien nio post illius obitum regnare cæperit. Mira hic *Cranzius* somnia, ne commemoratione quidem, nedum refutatione, digna. Ingium præterit, Hallsteinumque in ejus locum reponit, disjectumque regno tradit, id quod Ingio competit. Amandrum in locum Blot-Sveini surrogat, pietatem miram illi affingit, mutuatus, ut videtur, ab *Adami Bremensis Lib: 2 cap. XXI*, sed ineptè, cum is circiter annum Christi DCCCXV vixerit, Christianosque persecutus fuerit. *Vastovius in Vite Aquilonia* ei subscribit, citatque *Adamum Bremensem Lib: IV in descriptione Svecie*; quod in *Lindenbrogiana* editione non invenio. Periodum imperii Olasi longius nostratibus diduci crediderim quàm revera se extendit: id quod ex gestis filii ejus monstrabo.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ
LIBER SEPTIMUS,
HISTORIAM MAGNI NUDIPEDIS
CONTINENS.

CAP. I.

MAGNUS A VIKENSIBUS, HACON MAGNI FILIUS AB UPLANDIS ET THRANDIS REGES CONSTITUUNTUR. HACONIS INDULGENTIA IN CIVES SUPERFLUA ET MORS INOPINA: MAGNI IN HALLANDIAM EXPEDITIO.



Laſum Quietum in Regno Norvegico ſequitur MAGNUS, cognomento NUDIPES, ejus nominis Tertius, ſtatim à morte patris Vikenſium ſuffragiò totius Norvegiæ Rex pronunſciatus. Uplandi verò, ſimul ac de morte Olafi certioreſerant, iniquum rati, Haconem filium Magni, qui frater erat Olafi, apud Thorerem de Steiga educatum, à ſucceſſione partis, quæ patris erat, excludi, ilicò dimidiæ Norvegiæ Regnoſiam proclamant. Is igitur ſine mora unà cum nutritio Thoreſe Nidarofiam profectus, Eyrenſe forum indicit, ſibiſque iſtis comitiſ Regium nomen imponi poſtulat, nemineſque contradicente, unà cum paternà ditone obtinet. Comuni itaque civium voce votisſque Rex appellatus, portoria, quæ Landaurar dicebantur, proſ importandis exportandisſque mercibus irrogabantur, in totum ſuſtulit, civitumſque iſnunitates auxit. Antiquabat præterea dona feſtò Natalitiorum uſitata; inde univerſam Thrandiam in ſui ſtadium traxit. Mox aulicum præſidium aſſumptum, repetitaſque Regià pompà Uplandæ; omnia, quæ Thrandis, etiam iis indulta. Extatcarmen in hanc rem eodem tempore factum, quod Haconem ju-

venem in Thrandiam unâ cum Thore de Steiga venisse docet. Mox Magnum patrualem dimidia Norvegiâ contentum esse iussisse, illum autem universam postulasse. Haconem teneris annis Svenkius Steinaris filius educabat, postea Thorer de Steiga illud officium in se recepit; inde in posterum Thoreris alumnus dictus est. In Biarmiam expeditionem fecerat, victoriamque reportabat.

Eodem autem Magnûs Magnus in Thrandiam profectus, in Regia domo primâ hyemis parte divertit. Quò cognitò, Hacon eò confestim properans, in ædibus Skulli, prope Clementis templum, ubi vetus regia erat, remansit, haud exiguo metu, quòd universam hyemem ad festum usque Purificationis Magnus septem trirèmes instructas, in statione, effractâ circumquaque glacie, collocaret: id quòd Thoreri haud mediocrem suspicionem incussit. Noverat enim animò exacerbato esse, maximè ob immunitates relaxataque tributa, publici status instrumenta, sine quibus Regia domus ex dignitate sustentari nequiret. Neque id tantum ex suo, sed etiam ex portione, quæ sibi cum illo communis erat, concessum arbitratur, ad avertendum à se, quem sibi conciliaverat, populi procerumque favorem; culpamque omnem Thoreri imputabat, qui perniciosissimis consiliis patrualem instrueret. Festò itaque Purificationis de nocte classem carbasis velatam, sub quibus candelæ ardebant, Hefringam usque expedit, multiplicatisque in terra ignibus fraudis suspicionem Haconi præbuit. Convocati itaque totâ urbe cives per universam noctem frequentes accurrunt, speciemque copiarum haud contemnendam primò mane è litore præbentes, metum quem Magnus prius incussit, in eum retorquent. Sublatis igitur velis in provinciam Gulathingensem navigat.

Liberatus istò metu Hacon iter in Vikam instruit, sed convocatis prius civibus, ex eoque concionatus, universis & singulis pro declarato in se studio & benevolentia prælixè gratias agit, relaturumque novis meritis pro cuiusque statu & conditione, cum primum rediret, pollicetur, que riturque suspectam sibi patruelis in se fidem. Illi auxilia sua impensius promittentes, si quando indigeret, ipsum Steinbiorgas usque comitantur. Qui inde in montem Dofrinum profectus, avem perdicum generis, quam Ryphæam *Rudbeckius Notis ad Hist. Hervor.* vocat, per diem longo tempore prætervolantem nequicquam persecutus est, & dum persequitur, in repentinum morbum, eumque lethalem, incidit: cuius virus universum corpus pervadens, eum, monte nondum emenso, extingvit. Cadaver post duas hebdomadas Nidarosiam relatum, communi omnium planctu exceptum est. Nam universa civitas obviam effusa haud secus ac patrem largo lachrymarum imbri lugens, quanto illum amore prosecuta esset, abundè testabatur. In æde Salvatori sacrâ conditus est, annum circiter viceesimum quintum natus, Norvegicus ille Publicola, cum duos non integros annos imperasset, in ipso ætatis flore, imperiique limine, vix primâ vitæ dulcedine delibatâ. Interea Magnus in Hallandiam cum exercitu infusus latèque populatus, inter cætera Viskardalò, pluribusque provinciis incensis, magnis spoliis auctus ad sua rediit; Biorno Curvimanu expeditionem illam carmine celebrante.

CAP. II.

THORER CONTRA MAGNUM REBEL-
LANS, DUCEM VIRUM ALIENIGENAM CON-
STITUIT: EJUS FACINORA ET INFELIX
EXITUS.



Ognitò Haconis excessu, Thorer de Steiga, gnarus ingenii Magni, vindictæ cupidi, sibiq; malè confcius, cum veniam anteaكتورum vel desperaret, vel, si maximè impetraretur, infidam tamen atq;e intutam duceret, malo suo geniò actus, animum ad consilia scelerata perniciosaq;e appellit; q;eis intestino bello, funestâq;e totius patriæ collisione securitatem suam muniret. Cùmq;e ipse jam senex viribus languesceret; hominem alienigenam, natione Danum, nomine Svenum, Haraldi Fletteris filium, piratam insignem, rebusq;e gerendis valde habilem, fortem & animosum, celebri in sua patria profapiâ natum, q;vi Regis Haconis partibus se addixerat, novò & ad eum diem inaudito exemplò, Principem (Regem habet *Morkinskinna*) dicit, copiisq;e auctoritate opibusq; Thoreris comparatis, trahuntur in societatem turpissimi facinoris procerum multi, quorum præcipuus Eigill Aslaki de Forlandia (*Chronica Danica* Aurlandiam habent) filius, dignitate satrapa: cui uxor Ingibiorg filia Augmundi, Thorbergi Arnini neptis, Skoptii de Giskio soror, & Ski- albus, vir præpotens (quem *Chronica Danica* Erlingi de Jadria filium fuisse tradunt; *Morkinskinna* tantum de Jadria habet. Ego diversum ab Erlingi filio, id temporis vel fatis functo, vel admodum sene, existimo) His rebellium manipulis in Uplandis contractis in Raumsdalum & Sunn- Mæras deductis naves comparant, Thrandiamq;e petunt, civibus ubiq; necatis, vel exspoliatis, q;vi eis se adjungere detrectabant.

His auditis Sigurdus, cognomentò Ullstrengus, de Viggis, Lodini Viggjar-Skallii filius, Ruti de Viggis, quem S. Olafus per Thormodum Kolbrunæ poetam aliosq;e ejus; populares, ante bellum Stiklastadensè occidi curavit, nepos, satrapa potens, telo belli indice ad se magnam multitudinem Viggias convocans, à Thorere & Sveno, validâ manu in eum ducentibus, superatur; magnâq;e clade acceptâ ad Regem Magnum fugit. Ii verò urbem intrantes, diutiùs intra sinum morati, magnâ confluentium multitudine copias auxerunt. Magnus de suorum fuga certior, acceptoq;e detrimentò, haud modicâ manu instructus, cum adhuc Hefringo sinu exituri ad anchoras starent, improvisus superveniens, adeò eos terruit, ut cum se viribus inferiores agnoscerent, ad Vagnvikastrandam citato remigio pergerent. Ibi relictis actutum navibus, Thorer feretro vectus montemq; transgressus est; omnes Thexdalum in provincia Seltu- sbyteri deveniunt: ubi comparatis navibus in Halogiam transmittunt Bi- arkeyam usq;e. Ion verò cum filio suo Vidkunno improvisam tempestatem fugâ declinantes, prædio cum opibus omnibus libidini eorum relicto, quòd non unâ & ipsi opprimerentur, in lucro posuere. Direptis omnibus, domus quoq;e & triremis magni pretii incensa, additumq;e ludi- brium, cum navis arderet, Thorere jubente, ut navem in aliud latus Vidkunnus gubernacula flecteret, id quod metro superstite celebratum.

Exemplò Ion & Vidkunnus ad Regem noctes diesq;e profecti, rerum suarum jacturam, civiumq;e clades iminentiaq;e indies damna, q;veduntur. Prædones iterea per septentrionalia Halogiæ populabundi, tandem ingressi stationem in sinu, q;vi nomen Harutr, haud sine iminentis infortunii omine, gessit (Harutr enim luctum denotat.) Iterum illis inspectatus Rex Magnus instat. Sed ne tum quidem viribus satis confisi Thorer & Eigill Hefiotunas usq;e remos movent. Svenus autem in al-
tum

tum eVectus pænæ societatem effugit; cæteri interiora sinus petebant. Rex Thorerem sibi persequendum ratus. Cum in statione naves invicem comitterentur, Sigurdus Ullstrenus Thorerem in loco non procul a pro-ra conspicatus, ut valeret? quærit, *Salvis*, respondet, *manibus, agris licet pedibus*. Mox remiges omnes in fugam delapsi, Thorer & Eigill soli capti, quòd hic uxorem derelinquere nollet, uterque jussu Regis in insulam Vambarholmum delati. *Morkinskinna* hæc paulò aliter refert: tradit enim Regem in sinu prædicto in illos incidisse, viribus longè superiorem; Thorerem autem cum Eigile ad Seliotunas deflexisse, ratum se continentem attigisse; delatum autem ad insulam, quæ Vambarholmus usurpatur: remiges autem Thoreris, priusquam Rex eos adoriretur, navem, quæ usi sunt, miris laudibus celebrasse, nec aliam post Serpentis Longi tempora parem visam distitasse, viris insuper fortibus, adque resistendum idoneis, instructam. Verùm ut primum Rex manus conserere cæpit, fortitudinem minorem, quàm sibi pollicebantur, apparuisse; fugam enim statim, non resistendi oportunitatem, circumspexisse. Quò viso, Thorer dixisse fertur: *ut ut nostra navis haud inferioribus propugnatoribus, quàm Draco ille longus, se efferat, ibi tamen plures occubuisse, bic plures fugisse existimem*: statim enim dilapsis omnibus, solo Eigile adhærente, remansit; quem deinde affatus; *fuge*, inquit, *affinis, tuâ enim tanti viri nece ingens damnum*. Cui ille: *haud*, inquit, *in præsens tam frequentis satellitio stiparis, ut me solo adjecto gravari possis, nec filie tue fidei satisfacerem, si te fugâ destituerem*. Alii uxorem suam noluisse deserere tradunt. Cumque terræ appropinqvarent, deprehendunt insulæ non continenti appulisse. Sola Sveni navis inter Regias elapsa, reliquæ in diversa distractæ, multæ quoque deditione receptæ. Thorer captus, cum Sigurdus Ullstrenus nimiam ipsi saginam objiceret, respondit, *cibum & cerevisiam eam progenerasse*. In Vambarholmo stipites, eum Eigilemq; excepturi, erecti sunt. Quo viso Thorer ridens distichon fecit, quo se *quartum olim in societate nautica fuisse, unum verò eorum navem gubernasse; jam verò reliquis destitutum* innuebat. Multi irrisoria tunc in eum dicta conjiciebant; multos enim variis injuriis læserat: aliorum enim domos exusserat, alios expoliaverat, aliorum amicos, propinqvos & famulos malè multaverat. Vidkunnus quoq; Ionis seu Johannis filius, cum ad patibulum procedentem alio pede nutantem (laborabat enim ex pedibus) animadvertit, memor scommatis, quod in se jecerat, cum triremem ureret: *Flecte*, inquit, *cursum in levam; flecte in dexteram, Thorer*; quò eum jam moriturum insultationis pridianæ admonuit. Cum sub patibulum pervenit; *male*, inquit, *cedunt mala consilia*. Illa sola pænitentia nuncia vox ad extremum emissa. Sublatus in crucem, laqueo collo injecto, disructâ præ ponderis gravitate cervicæ, corpus à capite avulsam illicò decidit.

Talem exitum habuit Thorer, jam septuagenario propior, vir Regibus ipsis sanguine junctus, potentiâque insignis, sed à prima juventute subdolos. Staturâ eminenti, cui crassities ab omni parte respondebat. Consimiliter Eigill ductus ad infelicem arborem, servos Regios, quibus ejus suspendendi ministerium commissum est, affatus: *non*, inquit, *ideo suspendor, quòd non quilibet vestrum id multò magis meruerit*. Id quoque in carmen relatum. Adjicit *Morkinskinna*, bicolori pallio indutum Eigilem, gestus pedum suorum ostentui illis futuros monuisse; illos vero regessisse, *in potestate habiturum, quomodo se moriturum gereret*: Eigilem autem respondisse, jamjam ejus rei experimentum planum fore. Inde cum

laqueus collo ingestus illum evexerat, altero pede plantam premens non prius retraxit, quam spiritum efflavit, magnâ circumstantium mixto mœnore admiratione.

Dum tali supplicio Thorer & Eigill afficiuntur, Rex adeo irâ excaudit, ut nemo pro iis deprecari auderet; peractô verò pœnali ministerio Eigilem conspicatus; *malè*, inquit, *tuam necessitatem nobiles propinqui jam sublevant*. Inde animadversum, maluisse Regem ut pro iis deprecarentur. Hæc Biörnus Curvimanus carmine prodidit. Inde Rex in Thrandiam navigans perduellionis socios graviter punivit. Alii capite plexi, aliorum domus incendiô deletæ, teste eodem poëta. Svenus Haraldi filius factionis dux in altum evehctus, mox in Daniam rediit, ibique remansit, quoad Eyfsteinus Rex Magni hujus filius, eum in gratiam receptum dapiferum suum creavit, dilexitque valde & honoravit. Ex illo tempore Magnus solus rebus Norvegicis præfuit, magnâ cum gloriâ; nam prædones & piratas compescuit, tanto injecto terrore, ut non esset, qui civés ejus laceßere auderet.

CAP. III.

SVENKII STEINARIIS FILII AD-
VERSUS REGEM FASTUS ET ARROGANTIA, IN-
TERCEDENTIUMQVE DEXTERITAS ET OPTA-
TUS EVENTUS EXPONUNTUR.

UNus, inter proceres regni restabat, qui Regis gratiam in eum usque diem non quaesivit. Is fuit Svenkiius Steinariis filius, magnæ deinceps profapiæ progenitor. Ad Gautelsam habitavit, affluens divitiis, ingenio duro; qui jam dudum partes Haconis (quem tenerum è nutricatu suo ad Thorerem Steiganum transmiserat) sedulo propugnabat, tantâ eum caritate complexus, ut mortui memoria animo evelli nequiret. Hinc illa obstinacia, quæ deditionem omnem abnuebat. Tam præfracti animi viro castigando, vel ad officium redigendo, mittit Rex Sigurdum Ullstregum in Vikam, cum mandatis, quæis Svenus regno allodialibusque possessionibus excedere jubetur. Verum cum majoris molis rem adversus virum potentem aggredere, quam quæ nudis mandatis aut salvo nuncio expediri possit, tres Vikæ satrapas, magni nominis viros, Svenum Bryggiusfortum, seu Pontipedem, Dagum Eylifi filium, & Kolbeinum Klackam, ad subsidium ei ferendum negotiumque promovendum subornat. Id cum sibi Sigurdus dedecori futurum judicaret: *Neminem*, inquit, *satraparum novum, cui præter me tres alii in ordinem redigendo requirerentur*. Tum Rex inquit: *ni subsidio eorum indigeas, nec reposce*. Inde Sigurdus unicâ nave in Vikam transvectus, convocat satrapas, adque Albiam conventum indicit; quò frequens accolarum multitudo confluit. Aderant & satrapæ subsidio à Rege lecti. Hi eum monent, *lenibus verbis potius Svenkium demulcendum, quam asperis irritandum; virum enim tantâ potentia, cujus speciem eum coram spectaturum, cogi nolle*. Is magnas illas vires esse oportere, quæ ipsum, illorum auxilio succinctum, à deferendo Regio mandato, & quidem tali, ut de ejus justitia nemo possit ambigere, deterreant. Ipsi opem suam non defuturam pollicentur: iterum tamen monent, terribilem Svenkium futurum.

Post haut exiguam expectationem Svenkium, quingentis viris, locis universaque armaturâ instructis, splendidæ glaciæ speciẽ præbentibus, adventantem conspiciunt; qui in forum progressi, in orbem confident. Tum Sigurdus exurgens: *Magnus, inquit, Rex satrapis omnibus, civibus etiam potentioribus, & universæ plebi, salutem dicit, usumque gratiæ suæ & aditum offert omnibus & singulis querere volentibus. Non ignoro innotuisse vobis, quantâ industria & fortitudine infandam civium perduellium audaciam compescuerit, qui exemplo hucusque inaudito adversus legitimum Regem parte civium concitatâ, etiam virum alienigenam, nullo ad regnum jure, nullo sanguinis nexu commendante fultum, principem constituerint. Id, ut erat sine ratione captum, subito quoque corrui. Cum autem soli Regi imperium in universum regnum singulosque cives competat, debitumque obsequium tributaque exigat, a se tantum defensionem ut exposcat, adversus omnem, tam internam, quam externam vim jubet; jubet etiam, ut si qui deliquerint, bono animo sint, clementiamque, quam omnibus promiscue offert, qui debita humilitate studioque & veræ penitentia signis eam ambient, novisque meritis præterita corrigant, sine furo sperent. Occupandam gratiam Regis, tam liberaliter oblatam, quam potentiam irritandam, svaserim. Finitâ oratione vir quidam, magnâ staturâ & compactâ, togam indutus villosam, hastâ super humeros extensâ, pileumque magnum Danicum gerens, ex ordine agrestium exurgens; Non, inquit, egeamus phalangis, dixit vulpes, citbaram per glaciem ducens. Nec plura elocutus iterum confedit.*

Post horulam Sigurdus iterum surgens. *Obsequii, inquit, Regi debiti exigua hic occurrunt argumenta, nec ullius in nos amicitia, suumque ingenium quisquis sequitur. Quo vero enucleatius Regia mandata denunciemus, canones prædiorum Regiorum, sive divites ea, sive pauperes teneant, Rex exigit, ut et milites ad expeditiones, quibus etiam satrapæ tenentur, reliquaque omnia, que vos ut subditi Regis ad ejus existimationem tuendam contribuere debetis. Reputet jam quilibet apud se, num quid horum præstiterit, simul quid præstare debuerit, perpendatque quid ei maxime conveniat, nec Regem suo jure ulterius fraudetur: si quid hucusque omissum, exemplo eorum, qui nuper se ei opposuerunt, discat quid utilissimum. Deinde confedit. Moxis, qui prius surrexit, pileo aliquantisper converso. Vos, inquit, juvenes, nimium properatis, exclamarunt Finni, nive xilofoleis iter maturum præbente; iterumque sedem petivit. Tum Sigurdus ad satrapas conversus: Nihil ultra distulandum; ait, satis superque patientia tentata: mandata Regia sine illecebris exponenda. Illis ut prius vim hominis considerandam, unde tanta fiducia, cujus experimentum præsens procedat, monentibus; haut tamen ulterius auscultandum ratus, vice tertia surgit: & jam concitator, sinu togæ, quam cæruleam coxineæ vesti superinduxit, effuso; Jam inquit, apertius agendum; constat enim quanti hic sumus, quod tamen tolerandum, Regis autem mandata contemni omnem respuit patientiam. Tritum est illud verbum, quod unum quemque ingenium suum prodere notat. Vir quidam Svenkivus Steinaris filius, ad fluvium Gautelsam habitans, jamdiu reditus agrorum Regiorum detinet, fastuque vecors viribus majora conatur; Regem tamen Majestatem suam juraque adversus eum asserturum facile mihi persuadeo. Jamque possessiones suas repetit, reddique jubet secus regno excedere. Nihil tergiversatio ultra, nihil scommata proficient; erit qui potentiam ejus æquet, quantumque fastu nostram legationem in præsens eludere satagat. Saperet forte, si jam salvo honore suo Regi se conciliare, quam stolidâ perviciâ fortunâ suas in extremum discrimen dedecusque prolatando, mittere sciret.*

Tum
exlu-

exurgens Svenkius, pileo in occiput rejecto: *Phy*, inquit, *lanealigula*, caninum opprobrium! an & vulpes senis fontem permerdârunt? tunc furcifer sine manicis, posteriore indusii parte nudatus, mihi exilium indicis? missi ad id antea duo viri arctâ cognatione te attingentes, Gillius nempe podex nomen alteri quàm aliorum hominum turpius, noctem saltem peragebant. inde quocunque procedebant, furtis omnibus infesti. Tunc exilium mihi indicis? minus tibi animi alumno meo Rege Hacone vivo, cui si forte occurebas, ut mus in muscipulâ extimuisisti, vestibus, ut canis in nave, opertus, intrusus braccis ut frumentum sacco, exactus agris allodialibus, ut exertus aratroque maceratus equus equarum collegio: nec alia tibi spirandi copia, quàm lustræ claustris detentæ. In lucro repones, si hinc vivus evaseris. Suosque in eum statim insurgere juber. Tantaque satraparum trepidatio fuit, ut eqvo raptim impositus Sigurdus, uno tantum comite, præsentissimum periculum vix ac ne vix quidem evaderet, in sylvam proximam provectus. Hoc eventu conventus iste solutus est.

Svenkius domum, Sigurdus terrestri itinere, nec majore comitatu, in Thrandiam ad Regem rediit, graviter de tantâ contumeliâ questus. Rex tandem ei constare respondit, an satraparum suorum auxilio, quod prius contemserit, indigerit. Cum autem Sigurdus eum ad ultionem vehementius hortaretur, verè quidem eum monere respondit; nimiam enim istam satraparum insolentiam, quæ Reges etiam fastidiret, infelici semper exitu finitam, noto exemplo, primò tempore Sancti Olafi, similitatibus inter eum & Erlingum Skialgium obortis; deinde Einære Thambaskelfere, se avo suo Harald Strenuo æquante; postremo Thorere Steigano, non ita pridem supplicio affecto. Esse quidem Svenkiuum opibus validum, nec viribus suis diffidere, si secum contendere paret. Et jam quinque navibus instructis, in australia regni pergit, convivii à satrapis ubique exceptus, quibus etiam indicat, se in Svenkiuum moturum, solum enim Norvegiæ Regem se futurum, nec in societatem regni ullum satraparum admissurum; nimium eorum imperium, si nuncios suos tanta contumelia impunè afficiant, ut ille nuper Sigurdum. Illi potentiam viresque illius, ut et ingenii ferociam, exponunt, armorumque & hominum copiam; quibus ille spretis, assumtis in comitatum iisdem istis satrapis, qui Sigurdum secuti sunt, sine morâ ad prædium, ubi Svenkius habitabat, navigat. Quò cum ventum esset, petunt satrapæ à Rege veniam explorandi, quo in statu res Svenkii essent: verendam hominum in sylvis abditorum multitudinem. Id quod iis concessit, professus tamen, se paratiorem ad invadendos rusticos, si verecundia limites transgrederentur.

Non longè processerunt, cum Svenkiuum cum instructissimo agmine obviam habent: albo igitur clypeo sublatò peccatos se ostendunt; quo viso, copias quoque continet. Conveniunt itaque & inter se colloquuntur amicè. Tum Kolbeinus Klacka; se à Rege ad eum missum, ad monendum eum, ne arma sibi opponat, potius quid Rege, quid se quoque dignum sit, consideret: nec ei arma Regis metuentia ad pacem proclvi. Se itaque medius inter utrumque ducem composituros: id in primis disuadere, ne se iusto Regi, regni hæredi, sine causâ opponat. Id enim infra ejus prudentiam, nec unquam bene cessisse. Is nulla se ei arma illaturum respondit, nec longius profecturum; tantum ad prohibendam à satis vim irruentium ed movisse. His auditis ad Regem redeunt; referuntque, pacatum Svenkiuum nihil hostile mittere; honori suo consulturum Regem, si clementem se ostenderit. In puncto

inquit Rex, *sententiam feram. Excedat confestim regno, bonisque omnibus, nec me imperante unquam redeat. Nonne magnificentius, respondit Kolbeinus, simulque ad clementiæ famam utilius, si statim excefferit, concessa tamen mobili suppellectili, quo se apud potentes viros in exteris dignè sustentare possit. De reditu ejus securus eris, agris omnibus fisco Regio addictis. Tu interim auctoritatem Regiam famamque conservâsti. Hæc ad animum adverte, quæso, nostrisque precibus aliquid donaveris. Statim itaque, ait Rex, excedat, His auditis Svenkium adeunt, nunciantque, placabilem mitemque Regem esse, tantum expetere ad tuendam Regiam auctoritatem statim regnò excedere velit, pene tantum prætextu: concessisse quoque, ut quantum rerum suarum avere velit, secum sumat. Id eum perpendere Kolbeinus jubet. Tum Svenkium: mirum si Rex à se ipso in tantum mutatus est, ut amicis me verbis compellat, aut pacificas condiciones offerat. Sed qua necessitate in exilium consentiam? pulchrum domi mox occumbam, quàm proscribar. Quare renunciate Regi, ne factum quidem sagitta me hinc recessurum. Haut equidem, respondit Kolbeinus, hæc pro ceterâ prudentiâ perpendis. Nonne præstat, maximo principi honorem deferre, quàm se suosque periculis involvere? forti viro ubique patria, & tu quidem ubicunque vixeris, bene vixeris, & quò potentioribus conversaberis, eò majori honori afficeris, magnaëque tibi laudi erit, existimationem dignitatemque adversus tantum Regem conservâsse. Quin & nostram tam diuturnam amicitiam & fraternitatem perpende, qui haut iniqua postulam, an & nobis denegare possis agrorum tuorum curam, quoad aberis, in nos recipiamus, cumque redieris, quod certe futurum speramus, annitemur, ut tributa nunquam in posterum solvas, ni sponte obtuleris, omnemque lapidem movebimus, ut hæc à Rege in tui gratiam obtineamus, etiam cum rerum nostrarum, & si opus fuerit, vitæ periculo. Malus itaque bonos viros periculis eximere, quàm obstinato animo condiciones tam honorificas rejicere. Postquam aliquanti per conticuït Svenkium; Sapienter quidem, ait, intercessio isthæc instituitur: itaque quamvis suspicor Regis vestri postulata paulo mitius quam jufferit exponi, vestram tamen benevolentiam agnosco, quam bodie & semper aliàs constantem expertus sum, tantique faciam, ut in vestri gratiam, non item Regis, regnò excedam, annuo tantum spatio, si eo elapso possessiones meæ omnes restituentur. Hæc meis verbis Regi renunciate.*

Redeuntes referunt, arbitrio Regis se suaque omnia Svenkium permittere, ejusque honori cuncta deferre, vicem tantum petere exilii post triennium gratiam; petuntque ut benignis auribus supplicis stultata, tum etiam suas preces, audire dignetur. Nihil Regem magis quam elementiam exornare; se interea adnixuros, ut absque ejus voluntate nunquam in patriam redeat. His auditis Rex siluit, deinde ait. Magna cum laude, magno candore causam hanc agit; vestris itaque precibus annuam. Illi magno verborum honore actis gratiis, Svenkio referunt, placatum Regem, tantum triennium exilio postulare; se tamen certos, intra illud tempus eum revocaturum, neque enim eo tanto tempore carere possent: orantque, ne se ultra difficilem præbeat. Quid moror? respondit: vos agrorum meorum rerumque curam suscipite, ego infestâ Regi morâ non amplius molestus ero. Mox copiis omnibus domum revocatis, ipse assumpta parte, quantâ libuit, statim domo in Gothiam profectus est, paratis ad hunc casum antea omnibus, si ita fors ferret. Kolbeinus in domo illius remansit, conviviumque splendidissimum Regi instruit, paratum à Svenkio Regi excipiendo. Inde à satrapis ad convivia ubique invitatus Vikam percurrit. Agri Svenkii prædiciaque omnia, titulo fisci, in usum tamen ejus à satrapis bonâ fide curata. Rege

Rege deinde in aqvilanores provincias profecto, haut longum tempus intercessit, cum Gautelfæ acolæ, (qui uno nomine Elfargrimi appellati sunt) metu simul cum Svenkio sublato à latronibus infestabantur, nullò potentiâ & autoritate ad vim eorum compescendam relicto, qui Svenkio comparari possit. Ingens damnum ab effræni licentia acceptum est. Hanc oportunitatem reducendi Svenkii satrapæ reliqui observantes, Regi per nuncios significant, quo in statu res Elfargrimorum essent: ad desolationem provinciæ omnia spectare, ni maturè subveniat. *Consultissimum videri Svenkium revocari, quippe solum prædonibus domandis, liberandisque civibus aptum & assuetum, periculumque cum latronibus ei rectè committi.* Utilia svadere visi satrapæ obtinuerunt, ut nunciis revocarentur, præteritorum gratiâ factâ. Verum ille respondit, *suspectam sibi eorum legationem; eò enim animo Regem se regiò exegisse, ut haut vero simile videatur, se tam propter revocaturum.* Bis nunciî cum his mandatis ad eum missi, persuadere tamen non poterant, ut rediret; neque enim rem seriò agi credebatur, mansitque in Dania, quoad Rex eò proficisceretur. Tum demum Regem adiit, receptusque in gratiam, restitutusque in omnia, quæ prius habuit, fidelem & gnavam Regi in posterum operam præstitit, locumque gratiæ summum obtinuit. Tum demum fides satraparum prudentiæque tam Regi quàm Svenkio intellecta, qui singulorum postulatis aliquid detrahentes, ne inter se committerentur cautè providebant; spectabant enim res ad certum periculum, dubiumque exitum, cum armis virisque Svenkii istis copiis Regi vix impar, oportunitate silvarum locorumque notiâ etiam superaret. Si talibus internunciis Sanctus ille Knutus Daniæ Rex ad concitatum in se populum usus fuisset, feliciore exitu turbis istis se explicuisset. Svenkium lenitate Olafi Pacifici, Haconisq; alumni sui fiducia, ad tantam potentiam, Regibus æmulam, evectum credo.

CAP. IV.

EXPEDITIO MAGNI IN OCCIDENTEM;
EJUS INCENTOR ORCADENSIS COMITIS PAULI FILII
US HÆCON, QUI PATRUELEM SUUM S. MAGNUM
POSTEA FRAUDULENTER OCCIDIT.



Est supplicium de Thorere Steigano Eigleque sumtum, *Theodricus Monachus* expeditionem in Gautiam à Magno susceptam exponit. Nostrates eam, quæ Orcades occidentalesque insulas concussit, præmittunt, invito licet Pontano, meliorem tamen jure fideque; cum constet rem Magno fuisse cum Godredo Crovane Manniæ Hæbudarumque Rege: quem si longissime vitam. certè non ultra annum sive MLXXXVIII. vel MLXXXVI. prorogâsse *Cronicon Manniæ* monstrat, eumque filio ejus Lagmanno, qui in itinere Hierosolymitano mortuus est, eodem anno, quo nostri scriptores Magnum primitus in Hæbudas movisse volunt, nimirum MXCV. ut & cum Melkolmo Scotiæ Rege, qui in fata concessit anno MCIII, aliis MCIV. Inde animum subit, Olafum Pacificum non ultra annum MLXXXVIII, vel potius septimum, sed nec eousq; imperium aut vitam prorogâsse, Magnumque primis imperii sui annis, vel

ante patruelis sui Regis Haconis mortem, Godredo Crovani Hæbudarum imperium extorsisse, vel statim post ejus mortem, sedatasque turbas domesticas: id quod in Orcadibus prolixè monstratum, postquam gestorum ordinem exposuero, huc quoque inferendum existimo.

Expeditionis occidentalis incertorem scriptores nostri Haconem Pauli Orcadam Comititis filium statuunt. Hic animo inqvies, ortò cum patruelibus Magno & Erlingo Erlendi Comititis filii diffidiò, procerum precibus se exorari passus insulis cesserat; comparatisque omnibus, quæ usus requirebat, in Norvegiam navigabat, extremis Olafi Pacifici annis. Inde in Sveciam ad Ingium Steinkelis filium profectus, clementer excipitur. Ibi multi ei cognati amicique, à quibus eximiè, in memoriam præcipuè avi materni Comititis Haconis Ivaris filii, cujus fama in gente illa pergrata superstes remanebat, cultus est; nam postquam is in exilium ab Haraldo Strenuo pulsus est, à Steinkele Ingii patre benignè receptus, provincias in Vestro-Gothia & Vermalandia optimas clientelari jure beneficiò ejus obtinuit, Regi & omni populo unice acceptus, memoriam sui honorificam & desiderium moriens reliquit. Ejus exemplò Hacon, cum Regi, deinde purpuratorum singulis se commendasset, brevi eorum gratiam sibi conciliavit; sed nec diu moratus, antequam patriæ repetendæ desiderio duceretur. In Norvegiam igitur, Magno jam rerum potente, reversus cognovit Erlendi Comititis filios in Orcadibus omnia posse, subditosque universos eos in oculis ferrè, lætos absentia sua, quò diuturniore, eò lætiores, suum autem patrem imperii securum, in administratione eorum acqviescere, proceresque & populum patriæ pacis comòdis contentes vereri, ne suo reditu tam exoptatà quiete priventur, subitoque turbis, diffidiis, bellis, & quæ talia sequuntur, calamitatibus involvantur. Veritus itaque ne sibi aditum ad imperium intercluderent patruelles, muniendum se adversus eorum potentiam ratus, Magnum Norvegiæ Regem in partes suas trahendum statuit, quod perfacile futurum existimavit, partim quòd pacatis internis motibus, sublato Thorere de Steiga & Eigile de Forlandia, aliis Aurlandia, perduellionis antesignanis, nihil intra regni penetralia esset, unde seditiones aut periculum metueret, partim quòd ingenium ejus vastum, gloriæ juxta ac imperii dilatandi cupidum, aliorum Principum ditionibus inhians, ex sermonibus sæpius cum eo institutis observaret; cumque eum ad auxilium sibi ferendum sollicitasset, nec satis pronum animadverteret, aliis rationibus ad id inducendum sentiebat. Nactus itaque occasionem, gloriosum, tantoque principe dignum prædicavit, mari transmissò, in occidentem expeditionem facere, insulasque, quas domuit Haraldus, ad obsequium regni Norvegici reducere. Occupatis deinde Habudis, Scotiam & Hiberniam irruptionibus incursumque patere; quas si posset domare, esse unde ingens militum supplementum haberi possit. Singulas namque victorias sequentium bellorum instrumenta futuras; ad ultimum Angliam in ultionem Haraldus avi ejus infestandam. His auditis Rex: rectè eum & pro majestate ingenioque Regio monuisse respondit; verum tamen, si se ad res tam arduas & sumtuosas persuaderi verbis ejus patiat; certè imperii occidentis partibus impensas suas pensaturum, ne habito quidem respectu, ad quem pertineant. Se suosque haud obscure tangi observabat Hacon; itaque ad expeditionem, suis rebus nihil profuturam, parenti insuper noxiam, eum ulterius adhortari destitit. Sed nec ultra adhortatione opus erat, avaritiâ & fastu satis superque, ingenium Regium stimulantibus; nihil enim antiquius habuit, quam ut eam primo quoque tempore adornaret. Ex universo igitur re-
gno

gno singulisque provinciis militem evocat, delectum præfectis imperat, classem parat, comæatum injungit, publicèque proficitur, se in occidentem classem trajecturum. Parent satrapæ Regi, satrapis populus. Ex omni regni angulo intensissimâ conquisitione excita pubes ad naves. (quas sexaginta *Ordericus Vitalis* numerat, *Chronicon Mannie* centum adjicit) confluit.

Ipse Rex auspiciis suis & imperiò omnia dirigens, filium, nomine Sigurdum, magnæ indolis & spei, secum ducit. Id quod hic confusè traditur, ad posteriorem expeditionem referendum existimo. Illum *Ordericus Vitalis* Anglica captivâ nobili progenitum tradit extra conjugium, eductum apud Turer Ingeriæ filium, qui Regem Magnum prius nutrit: Eystenium verò & Olavum de legali connubio genitos: nostrates omnes extra conjugium procreatos, ante nuptias cum Margareta celebratas, volunt. Ducum præcipui Vidkunnus Ionis filius de Biarkeya, pronepos Thororis Hundi, seu Canis, ejus qui S. Olafum lethali vulnere percussit; pater ei Ion Arnii filius, Arnii frater erat Kalfi, Comitit Finni & Thorbergi, cujus filiam Thoram Haraldus Strenuus uxorem duxit. Fuisse itaque Vidkunni pater & Comitum Erlendi & Pauli mater, ex quo quisque fratre procreati, Vidkunni mater Ranveig, avus Sigurdus Thororis Hundi filius. Alter ducum Sigurdus Hranii filius, eique adjunctus frater ejus Ulfus; tertius Serkus de Sognia; quartus Dagus Eyllifi filius; quintus Scopius de Giskio, Thorbergi Arnini è filio Augmundo nepos, Erlingi Skialgii de Solio pronepos, cum filiis, Augmundo, Thordo & Finno. Horum singuli provinciarum præfecti. Secuti præter hos Eyvindus Olbogius, id est cubitus convexum, Regis Stallarius, & Kalius de Agdis, & ipse magni nominis præfectus, Sæbiorni filius, Thorolfi Sapientis, ejus, quem Hallfredus periculosus poëta, natione Islandus, altero oculo jussu Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis pio zelo incitati, orbavit, nepos, vir sapiens, poëta eximius & Regi in paucis carus. Orcadibus advectus Rex, Comitibus Paulo & Erlendo captivis in Norvegiam missis, filiisque eorum, Hacone, Erlingo & Magno militiæ iuræ adscriptis, secus secutus, filium Sigurdum insulis præposuit, arbitriò consiliariorum moderatorumque sub ejus nomine administrandis (id quoque postea factum conjicio.) Insusus in Hæbudas incendiis & cædibus villas vicoseque vastavit, bona diripuit, indigenis quaquaversum diffugientibus, alios fugâ in sinus Scoticos, alios in austrum ad Saltiriam (aliis exemplaribus, iisque pluribus, Satiria est, hodie Cantiria) provexit; alii deditioe recepti, Lodhufaque omnium prima expugnata; carmine id Biørno Curvimano testante.

Skidiâ inde infestâ tributisque submissâ desumptum inde pecus ad alimenta exercitûs. Inde insulæ Trivist & Ivist petiæ & exspoliatæ. Ab Insulæ Sanctæ incolis prælium direptionesque absentæ. Minorem S. Columbi ædem cum aperuisset (alii tantum aperire voluisse tradunt, discrepant enim in hoc bina exemplaria pergamenea) nec tamen intrasset, statim occlusisse perhibetur, monitis in posterum omnibus, ne quis eò audaciæ procederet, ut ingrederetur; id quod exinde observatum constat. Milsca (fortè Mula) deinde expugnata, universæque æquilonares insulæ. Ulterius in austrum ad Ilam processum, ibique rapinis, incendiis, cædibusque longo tempore sævitum. Mox eodem cursu ad Satiriam navigatum; ab utroque latere circumsitæ regiones, hinc Hibernia, illinc Scotia excurfionibus, pari populatione interjacentes ad Monam usque vastatæ, ipsa cum cir-

circumfritis expugnata, eodem poetâ teste. Gudriodi Hæbudarum Regis filius Lagmannus insulis Nordreyis, seu aqvilonaribus, tutelæ relictus, infusi in Hæbudas Magni vim sustineri posse diffidens, fugâ se subducturus, in insulis aliquantisper delituit. Hiberniam deinde nave petentem milites Magni à fuga cum classiariis retractum ad Regem adduxerunt, cui compedes ferreæ mandatò ejus injectæ; ei deinde parcitum *Hrockmskinna* memorat, mansisseque aliquantisper apud Regem (haud obscure auctor, quem sequimur, verbis hoc sensu descriptis, tum etiam *Historiæ Norvegicæ exemplaria MSS.* plurima consensu innuunt, Gudriodum his temporibus imperium Hæbudarum Regiò, filium Lagmannum præfecti jure Nordureyam, id est aqvilonarem insulam, tenuisse, Mannensium fortè reliquiis in officio, continendis.

Bretlandiæ deinde, quæ & Cornavia, classis appulsâ, in freto, quod Anglseyam & continentem interfuit, constitit; cum validus in Cornavia exercitus, duobus Hugonibus ducibus, Comitum dignitate conspicuis, quorum alter Generosus, Grossus alter appellabatur, exortus est. Prælium inde acre mutuo animorum ardore incruduit, horrendusque ab utraque parte tubarum clangor alacritatem accendit. Omnibus arma expedientibus, Magnus Comitis Erlendi filius in anteriore navis parte cum consideret incermis, Rex *cur non arma caperet?* exquivisit; respondenti, *cum illis hominibus, utpote nunquam lacescero, nullam sibi controversiam: Ita que, ait, tabulatum subi, ibique te conde, ne ante pedes pugnantium prostratus impedimento sis, quandoquidem pugnare non audes; neque enim religione prohiberi te existimem.* Is omisâ corporis muniendi curâ, accepto pfallterio Divini Regis, hymnis, quoad pugnatum est, legendo se munivit, duravit autem longo tempore, strenuèq; ab utraq; parte minus jaculis, cominus gladiis res gerebatur. Hugonis Generosi memorabilis inprimis virtus eo præliò innotuit, fiduciâ armaturæ nonnihil fortè excitata. Universum enim corpus, præter oculos, gerendorum duces arbitrosque, firmissimâ loricâ munitus, cum pericula sibi deposcendo suos ad imitandum exemplo provocaret, ipsum Magnum in se convertit; qui cum eo die rem arcu gereret, assumtò sagittariò inter Haleyenses peritissimo, simul in eum jacula dirigunt: cassis, quâ nasum tegebat, telò, quod is propulit, ad latus decedente collineata; alterò oculus occiputque transverberata: prostrati Comitis gloria, vel infamia penes Regem, duobus rhythmicis Chronicis adhuc contentis celebrata; auctor alterius Biornus Curvimanus, eorum temporum poetâ celebris, alterius Thorkell Hamarstald ei æqualis; quibus *Simon Dunelmensis* ad eundem annum his verbis suffragatur.

Anno MXCVIII. Vintoniensis Episcopus Walcelinus III. Nonas Januarii die Dominicâ obiit. Ætatis tempore Rex Anglorum Wilhelmus junior civitatem, quæ Cniomannis vocatur, magnam partem illius provincie per vim suæ ditionis subegit. Interea Comes Hugo de Scrobberberia Manavianam insulam, quæ consuetè vocatur Angliseye, & cum eo Comes Hugo de Cestre cum exercitu adierunt, quosdam vero manibus & pedibus truncatis testiculisque abscissis excacaverunt; quendam etiam provecctæ ætatis presbyterum, nomine Cenredum, à quo Valani in his quæ agebant, consilium accipiebant, de ecclesia extraxerunt, & ejus testiculis abscissis, & uno oculo eruto, linguam illius absciderunt, sed die tertia miseratione divinâ illi reddita est loquela. Eo tempore Rex Norriganorum Magnus, filius Regis Olavi, filii Regis Haraldii Harvagi, Orcadas & Manavias insulas cum suo adiecisset imperio, paucis
navi-

navibus adveetus illuc venit, multis armatus militibus, in ipsâ maris ripa illi occurrit, & ut fertur, mox ab ipso Rege sagitta percussus VII. die, quo crudelitatem in præfatum exercuerat presbyterum, interit.

Factum licet ultore Deo in penam tantæ crudelitatis permissum, bonis tamen execratum à se, vel ipse Magnus, vel ejus posteri, amoliri voluisse, ex Orderico Vitali discimus. Cæde Comitissæ territi cæteri, illicò in fugam versi; præmium victoriæ Anglissæ ditioni ejus cessit, extrema in occidente imperii Pulchricomi quondam pars, ultra quam Norvegorum imperii limites eo situ extendisse author vetustiorum fortè non gnarus tradit. Hæc insula illo tempore Cornaviæ, quam Bretlandiam vocabant, triens putata est. Verùm victoria haud incruenta fuit; magnâ primi ordinis virorum jacturâ, majore militum strage, & penè maximâ partis vulneribus, constitit. Inter cæteros Kalius multis vulneribus, nec singulis lethalibus, confossus: Sigurdus verò Sneis ejus agnatus Agdarum satrapa occubuit. De Erlingo Comitissæ Erlendi filio Scriptores variant. Noster hoc præliò, Snorrius Sturlæus, pluraque exemplaria pergamenea, in Hibernia unâ cum Rege Magno casum tradunt. Post prælium in Anglissæ Magnus Comitissæ Erlendi filius, mensæ Regiæ ministerio dapibusque ferendis adhiberi solitus, quamvis nec casside, lorica, aut ocreis, aut firmiore adversus densas telorum grandines integumentò munitus, prope miraculum illæsus evaserit, tamen quod prælium deturctaret, contemni à Rege captus, indignationi se subducturus, clam noctu aufugit, dum milites per canes venaticos quærerent, intra saltus latitans. Tandem in aulam Regis Scotiæ proventus, interdum ibidem remansit, interdum in Angliam vel Cornaviam ad Episcopum quendam, spontaneò à patria, quoad Rex Magnus vixit, exiliò.

Hæbudis & Anglissæ subactis, dum Scotiæ litoribus infesta admoveatur classis, oratores à Melcolmo Regis Davidis patre obviam missi, pacem cessione omnium insularum, ab occiduo Scotiæ litore ita directurum, ut lembo gubernaculo directo intermeari posset, impetrant. Mox Cantabria peninsula, singulis Hæbudarum præferenda, astu Magni, conditiones pacis ad utilitatem suam pravâ interpretatione detorquentis, insulis annumerata, Isthmum enim, quâ continenti jungitur, lembo clavum in puppi tenentis terrestri itinere transvectus, navigantis specie navali intermeasse professus, peninsulam extorsit; edoctus, credo, sophisma à Beitio Goris filio, Noris Norvegiæ eponymi fratris filio, quo magnam Thrandiæ provinciæ accessionem multis retrò seculis nactus erat. Tantam victoriam insolentiam, victis æqui bonique consulendam, Gallorum illud *ve vidis*, in Romanos obsessos jactum, & audiendum & conquendum necessitas præscripsit. Omitto in præsens aliud raræ insolentiae exemplum planè barbarum, ab hoc eodem Magno in Hiberniâ Regem Murcardum editum, *Chonico Manniæ* proditum, nostris Scriptoribus omisum, ac proinde dubiæ fidei; Chronici tamen verbis inferius referendum, licet in aliis insignis inter utrosque in hujus Regis aliorumque gestis consensus, dissensus in paucis appareat. Pace eum Scotis factâ, receptis insulis, suorumque directioni traditis, tributisque exactis, cum Magnus se in Hæbudis hyematurum significaret, in patriam redire cupientes offendit. Variis enim sermonibus inter se mustitabant, *exilium magis quam militiam indici, ab utriusque sudore suo & sanguine Regem, ad aliena ipsi conquirenda; nec questis posse satiari, cum pingviora cupido ostendat, quam quæ parta essent; & quantumcumque quæsierit, semper tamen plura majoraque*

raque restare. Eundem militia laborumque sibi, quem avaritia Regis, suum exspectandum.

Rex sauciorum vulneribus inspectis, consiliarios de rerum deinceps gerendarum ordine consuluit; in his erat Kalius, cujus vulnera ægrè sanari, nec certum quo fine terminarentur, cognovit. Is super incidentibus negotiis consultus, svasit ut exercitum lustraret; *relatum quippe sibi, eos, quibus plurimum fideret, quantumvis magnis beneficiis obnoxios, dilabi.* Ægrè id Rex primò credere, ægrius etiam fidem suam spemque de illis conceptam eludi ferre, anteqvam multos amicorum furim elapsos desiderabat. Quorum nomina ad Kalium cum detulisset, is disticho munera & largitiones in tales haud utiliter expensas, eorumque ingratum animum perstrinxit. Rex aliud statim subnectens replicuit, quorum utrumque adhuc extat. Inde custodes instituti, qui, ne quis deinde ausu geret, sedulò providerent. *Autor Chronici Manniæ tradit, quòd post occisum Hugonem Comitem Walliæ ad Manniam rēmeaverit Magnus. Inde verò, inquit, Regi Hiberniæ misit calcæamenta sua, præcipiens ei, ut ea super humeros suos in die natalis Domini per medium domus suæ portaret in conspectu nunciorum ejus, ut inde nitelligeret se subiectum esse Magno Regi, Quod audientes Hibernienses ægrè ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio usus, non solum, inquit, calcæamenta ejus portare, verum manichære malle, quàm Magnus Rex unam provinciam in Hiberniâ desolaret. Itaque complevit præceptum, & nuncios honoravit, multa quoque munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus composuit.*

Hæc quamvis mihi suspèctæ fidei sunt; Jonis tamen, seu Johannis, Augusti mundi filii, primi diœcesis Holanæ in Islandia Episcopi, qui inter Sanctos relatus est, vita, cæteroque haud satis curatè conscripta, hæc ex parte perfvadet. Tradit enim Magnùm Regi Hiberniæ Murcardo obsides misisse, duce Gisle quodam Islando, unum autem inter eos Regem diris incessisse, nec tamen commovisse, ut durius quicquam in se statuerit, Ejusdem Regis Myrkiartani (Murchardum *Chronicon Manniæ* appellat; Thialbi filium nostrates, Connactiæ Regem) filiam Biadminiam, aliis Hiadmyniam nomine, virginem quinque annorum, filio suo Sigurdo, novem annorum puero, dum in Hæbudis hybernaret, Magnus despondit. Hæc eadem hyeme Kalius ex vulneribus in freto Angulfeyensi acceptis desecit.

Proximo vere Rex ex Hæbudis in Orcades delatus, cognovit eadem hyeme utrumque Comitem in Norvegia mortalitatem explevisse. Erlendus Nidarosæ, Bergis Paulus situs est. Kolo Kalii filio in solatium paternæ cædis Comitis Erlendi filia Gunnhildis à Rege elocata, dotis nomine prædia quædam intra Orcades, & villa in Papileya (*Hrockinskinna* Papeyam habet) data, adjectusque honor inter nuptias, ut satraparum Regiorum collegio inscriberetur. Inde Norvegiam cum uxore Regem secutus, patrum prædium in Agdis situm incoluit. Duo ex illo conjugio liberi, filius Kalius, qui postea Comes Orcadensis factus, cum dignitate Rogivaldi nomen assumpsit, in sequentium Regum vitis memorandus; filia Ingerdis, uterque magnæ exspectationis, sollicitâ parentum curâ educati. Tradit *Morkinskinna* Magnum sub redivit in patriam Sigurdum filium Orcadibus & insulis omnibus transactione quæsitis cum Regio titulo præfecisse, Haconique Pauli filio & Erlingo Erlendi filio curam ejus comen-

CAP. V.

QVO RATIONES AFFERUNTUR,
EX QVIBUS COLLIGITUR MAGNUM PRIUS AD
IMPERIUM NORVEGICUM EVECTUM, QVAM VULGO
TRADITUR, PLURESQVE EXPEDITIONES
SUSCEPISSE.



RX his, secundum scriptorum nostrorum consentientem traditionem expositis, nec ullâ ex parte imutatis, non nisi unica expeditione ante bellum in Svecos motum occidentem à Magno lacesitum elicimus; quam *Annales MSS. ut & Sim. Dunelmensis, Ordericus Vitalis, & Chronicon Manniæ*, ad annum Salutis MXCVIII. communi consensu referunt. Cum autem lucem, his nostris accuratius inspectis, haut exiguum fœnerentur, haut inutilitèr fortè eorum narrationes, adjectâ etiam *Buchanani* traditione, subjiciam, mox meum de singulis iudicium, curioso lectori examinandum. *Chronicon Manniæ* refert, Godredum Crovanem anno MXLVII. Haraldi Nigri filium de Islandia (quæ est Islandia) fugientem, inter reliquias cæsi cum Haraldo Strenuo Norvegiæ Rege in Anglia exercitûs, fugâ in Manniam, ubi per aliquod tempus nutritus fuerit, ad Godredum filium Syrri provectum, honorificèque susceptum, eodemque anno. mortuo Manniæ Rege Godredo, successisse filium ejus Fingalem. Hæc typographi, aut librarii, non authoris, incuriâ ad annum MXLVII. referuntur. Addit deinde anno MLXI. (qui idem ille est, quò Godredus è prælio Haraldo exitiali profugit) Godredum Crovanem Manniam bis frustra oppugnâsse, tertio victorem expugnâsse, expugnatam inter reliquias exercitus sui & Mannensium cladis sedibus distinxisse, illis australi, ubi ipse residebat, parte, his æquilonari datâ, directò in omnes agros dominio sibi hæredibusque in posterum reservatò. Dublinum deinde & magnam partem de Laynefter subiugâsse, Scotos verò ita perdomuisse, ut nullus, qui fabricaret navem vel scapham. ausus esset plusquam tres clavos inferere; regnâsse XVI. annis, reliquisse tres filios, Lagmannum, Haraldum, & Olavum; quorum Lagmannus natu major arreptum regnum septem annis rexerit, deinde abdicaverit. Datum deinde à Murcardo O'Brien Hiberniæ Rege Olavo fratri ejus tutorem Donaldum filium Tade, idque anno MXCV. (sic enim numerum restituendum, proximi, qui sequuntur, anni indicant) ob morum insolentiam à principibus expulsus. Anno autem MXCII. missum à Rege Norvegiæ Ingimundum quendam, qui regnum insularum arriperet, quem vocati principes, Regem constituturi, repente insolentia, injuriæ, libidinumque ultores facti exusserint. Mox anni sequentis gesta, qui seculi istius nonagesimus octavus est, exponit author, præmittitque gestis Magni Regis prælium eodem anno commissum inter Mannenses apud Santwat, quò penes æquilonares victoria: in bello occisos Otherum Comitem & Macmanum principes ambarum partium refert. De Rege Magno quæ scribit, ejus verbis referam.

Eodem, inquit, anno Magnus Rex Norvegiæ, filii Olavi, filii Haraldi Haragre, volens explorare incorruptionem S. Olavi Regis & Martyris, præcepit

pit ut ejus musæolum aperiretur. Episcopo autem & clero resistenti, ipse Rex audacter accessit, & vi Regia aperiri scrinium fecit, cumque & oculis vidisset, & manibus attraxisset, incorruptum corpus, subito timor magnus irruit in eum, & cum magna festinatione discessit. Sequenti nocte Olafus Rex & Martyr ei per visum apparuit, dicens. Elige tu, inquam, unum è duobus, vel vitam cum regno infra triginta dies amittere, vel a Norvegia discedere, & eam amplius nunquam videre. Expergetactus Rex a somno, vocavit ad se principes, & majores natu, & exposuit eis visionem. Illi autem contrarii, hoc consilium dederunt ei, ut cum omni festinatione de Norvegia exiret. Ille sine mora coadunari fecit classem centum sexaginta navium, & ad Orcadadas insulas transfretat, quas sibi statim subjugavit. & transitum faciens per univasas insulas, easque sibi subjiciens, pervenit usque ad Manniam. Cumque applicuisset ad insulam S. Patricii, venit videre locum pugnae, quam Manenses paulo ante inter se commiserant, quia multa adhuc corpora occisorum inbumata erant: videns autem insulam pulcherrimam, placuit in oculis ejus, eamque sibi in habitationem elegit, munitiones in ea construxit, quae usque hodie ex ejus nomine nuncupantur. Galwedienfes ita construxit, ut cogeret eos materias lignorum cedere. & ad litus portare, ad munitiones construendas. Ad Moniam insulam Vallie navigavit, & duos Hugones Comites invenit in ea, unum occidit, alterum fugavit, & insulam subjugavit: Vallenses vero multa munera ei præbuerunt: & valedicens eis ad Manniam remeavit Murecardo Regi Hiberniæ misit calceamenta sua, præcipiens ei ut super bumeros suos in die natalis Domini per medium domus suae portaret, in conspectu nunciorum ejus, ut intelligeret se subjectum esse Magno Regi, quod audientes Hibernenses agrè ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio usus, non solum, inquit, calceamenta ejus portare, verum manducare mallem, quàm Magnus Rex unam provinciam in Hibernia destrueret, itaque complevit præceptum, & nuncios honoravit, multa quoque munera per eos Magno Regi transmisi, & fœdus composuit; nuncii vero redentes ad Dominum suum narraverunt ei de situ Hiberniæ & amantate, de frugum fertilitate, & aëris salubritate. Magnus vero hæc audiens, nihil aliud cogitabat, quàm totam Hiberniam sibi subjugare. Itaque præcepit classem congregare, ipse vero cum sedecim navibus procedens, explorare terram volens, cum incaute a navibus discessisset, subito ab Hiberniensibus circumvallatus interit, cum omnibus fere qui secum erant. Sepultus est autem juxta ecclesiam S. Patricii in Duno. Regnavit sex annis. Quo mortuo principes insularum acceperunt Olavum filium Godredi Crovanis, qui debebat in curia Henrici Regis Angliæ, filii Guilielmi.

Olafum filium Godredi Crovanis anno MCII. regnare cæpisse, quadraginta annis regnasse deinde perhibet, nec toto illo temporis spatio ultimum Manniæ Regem Gudriodi aut Lagmanni nomine præter Crovanem ejusque filium memorat. Ordericus Vitalis *Historiæ Ecclesiasticæ Lib. X.* licet gesta Magni per Hæbudas & Angliseyam ad annum MXCVIII. consentiente Simone Dunelmensi loco antea citato, referat, unoque contextu singula exponat, tamen accuratius inspectus, quæ confundit, distinxisse deprehenditur; ejus verba, quæ huc faciunt, ita habent. Anno ab incarnatione Domini MXCVIII. Magnus Olavi Noricorum Regis filius contra Irenses insurrexit, & classem sexaginta navium super illos navigaturus preparavit. Et paucis interjectis: Nunc mea mens causam & eventus Belli enotare satagit, quod Magnus Rex in Hibernos arripuit, & multa multis detrimenta & strages intulit. Hic filiam Regis Irlandiæ uxorem duxerat. Sed quia Rex Irensis

Irensis pactiones, quas fecerant, non tenuerit, Magnus Rex stomachatus filiam ejus remiserat. Bellum igitur inter eos ortum est, anno quinto Guillelmi Rufi Regis Anglorum, undique bellicas copias extraxit Rex Northwigenarum, & subfolano flante oceanum perlustrans, Orcades insulas adiit, Scotiam a parte Circii circumvit, & alias insulas, quæ ad suam ditionem pertinent, usque in Angliseyam penetravit, Hiberniam ingredi voluit. Sed Irensis in maritimis litoribus ad bellum paratis, alias divertit, insulam Man, quæ deserta erat, inhabitavit, populis replevit, domibus & aliis necessariis, ad usus hominum graviter instruxit. Alias quoque Cicladas, in magno mari velut extra orbem positas, perlustravit, & pluribus populis inhabitari Regio jussu coegit, seque per plures annos ad augmentum regni & dilatationem plebium tali studio exercuit. Quondam princeps militia Magni Regis cum sex navibus in Angliam cursum direxit, sed rubeum scutum, quod signum pacis erat, super malum navis erexit. Maritima vero plebes, quæ in Anglia litus infinitæ Amphitrites incolebant, in boreali climate, ut barbaricas gentes & incognitas naves viderunt ad se festinare, præ timore nimio vociferatæ sunt, & armati quique de regione Merciorum convenerunt. Tunc nimirum inter Anglos & Gualos ingens erat belli conturbatio, ideoque cunctos ad arma concitabat actutum omnis repentina vociferatio. Duo consules, quibus Merciorum præcipue regio subjacet, & ambos uno Hugoni nomine omen edocet, veredarios per totam terram celeriter miserunt, & armatos quosque Francos & Anglos, contra extraneas phalanges ad patriam tutelam properare mandaverunt. Maxima igitur multitudo de Comitatu Cestre & Scrobeshurie congregata est. Illuc Hugo de monte Gomerici cum suis catibus prior accurrit, & auxilios contubernales expectans, multis diebus ibi consedit, patriamque, ne Gualenses seu Nordwigenæ in provinciales irruerent, circumspexerat. Quadam vero die, dum supra litus indigenæ turbati discurrerent, seque contra Nordicos, quos in navibus suis sevire contra Anglos videbant, prepararent. Hugo Comes equum calcantibus urgens, cætus suos congregabat, & contra hostes, ne sparsim divisi invaderentur, principali rigore coercerebat. Intera Barbarus Norawigena, ut Comitum agiler equitanti prospexit, insigante diabolo, strianulum missile subito direxit; egregiumque Comitum, pro dolor, percussit, qui protinus corruit, & in fluctibus maris jam estuantis expiravit, unde dolor ingens exortus est. Cujus mortem Magnus Rex ut comperit, vehementer cum suis plauxit, & Hugoni Dirgane, id est Grosso, pacem & securitatem mandavit. Exercitum, inquit, non propter Anglos sed Hibernos age: nec alienam regionem invade, sed insulas ad potestatem meam pertinentes incolo.

His adjiciendum est Buchanani testimonium de occidentalium insularum à Scotiæ alienatione, Magnique Regis expeditione, quarum utramque non ad Melcolumbi, sed Donaldi Bani tempora refert, eumque cum Magno colluisse affirmat, quo ejus ope scepro Scotiæ potiretur. Ita enim *Historia Scotica Lib. VII.* in Donaldo Bano scribit. Melcolumbo ex rebus humanis sublato, Donaldus Banus, id est albus, ejus frater, qui Macheti metu in Ebudas profugerat, Magno Regi Norvegerum omnes insulas pollicitus, si ejus auxilio regno Scotorum potiretur, nullo fere negotio Rex est declaratus. In Duncano autem proximo Rege hæc addit de eodem Donald. Minus triennio turbulentissimum regnum gessit; hinc insularis hinc Angliæ regnum infestantibus: accessit & major illa invidia ex insulis occidentibus per Magnum Norvegorum Regem occupatis, quas etsi ille velut per vim ingressus esset, tamen omnes intelligebant fraudem jubeffe, non se commovente ad tantam contumeliam Donald.

Tres hic contrariæ sententiæ se offerunt. *Buchananus* Melcolumbi tempore expeditionem à Magno factam negat, dum pactione Donaldi, ipso jam imperante, nec se ad tantam contumeliam commovente, insulas occupatas asseverat. Assignat autem non is solum, sed & *Simon Dunelmensis* & *Bromton*, annum fini vitæ Melcolmi MXCIII. *Chronicon Manniæ*, qui proximè sequitur. Jam vero ea, quæ modò relata sunt, omnium exemplariorum consensu testantur, Magnum cum Melcolso, non Donaldo, de insularum possessione contraxisse. Idem etiam Alexandri secundi Scotiæ Regis legati annò MCCXLV. ad Haconem Senioremem missi fatentur, dum insulas Hæbudenses reddi postulant, quas Magnus Melcolfo Scotiæ Regi iniquè extorserit. Idem ex responso Haconis apparet; negabat enim quicquam eorum, quæ inter Magnum & Melcolsum de regno Scotiæ subjectis insulis, in possessionem Magni translatis, acta, ad Hæbudas referri posse, cum Melcolmo in illas & illis subjectas insulas nullum jus, nulla potestas fuerit; quas victo Gudriodo Hæbudarum Rege, perinde ac alias provincias, majoribus suis hæreditarias, bello repetiverit. Jam verò nostri scriptores initium regni Magni in annum Christi Salvatoris MXCIII quo Melcolmus rebus humanis excessit, communiter referunt. Primæ autem expeditioni Magni in occidentem *Chronica Norvegica MS.* annum MXCV. assignandum ex rerum gestarum contextu innuunt. Id quod interpres *Petrus Claudius Undalinus*, sive alius, qui illum annum in marginem retulit, secutus est. *Annales vetustissimi* cum *Chronico Manniæ* annum MXCVIII. tuentur, satis imperitè, cum ad eum referant initium imperii Sigurdi, Hierosolymipetæ postea dicti, Magni filii, in Orcadibus instituti, quod ad septennium extendunt, cum tamen cum Magno finiretur quinto post anno; inde convincitur anno nonagesimo sexto regnum insulare in Orcadibus institutum secundum eorum hypothesein. Quicquid horum statuerimus, certè post Melcolmi mortem contigit, infringitque traditionem de pactis cum eo initis, favetque traditioni Buchananianæ, qui hæc Donaldò adscribit. In id vero quo minus consentiam, tot insignia testimonia ex nostris scriptoribus deprompta vetant; extraneorum ergo scriptorum primò, mox nostrorum, ductu retrogrediendum.

Chronicon Manniæ Ingimundum à Rege Norvegiæ ad rapiendum insularum imperium anno XCVII. missum tradit, paratosque insulanos ab eo vocatos ad constituendum eum Regem. Imperium itaque Regis, Norvegici ante eum annum agnoverunt, proinde prius domiti: nec tamen istis temporibus ab alio quam Magno unquam domiti leguntur. *Order.* enim *Vitalis* sub annum nonagesimum octavum, si non tres, certè duas Magni expeditiones in occidentem memorat; priorem ad annum quintum imperii Gvilielmi Rufi, qui est æræ Christianæ MXCII. quo tempore Melcolmus Scotiæ Rex vixit, fædusque cum Magno ferire potuit. At qui nostri Scriptores non illum, sed sequentem annum, regni Magni initialem faciunt; esto: nec ille quidem fæderi inter illos inhabilis, ante expeditionem in Angliseyam, & quidem tempore verno, metu quippe belli Anglici, quod adversus Rufum Melcolmus eo anno susceperat, ne duobus periculosissimis bellis terra marique implicaretur, dedito facta videri poterit. Verum supra hoc tempus idem *Vitalis* imperii Megni primordia proferre videtur, eo quod Magnum per plures annos exercuisse se in excolendis insulis, ad id tempus desertis, tradat, eumque id tempus non in Norvegia sed insulis resedisse innuat, responso; *Insulas ad potestatem meam pertinentes incolo.* Nihil itaque obstat, quin Magno cum Melcolmo

mo pacta institui poterint, an etiam cum Godredo, hoc loco perpendamus, Quoribus Manniam ab insulis Sudreyensibus nostra monumenta non distinguunt, eodem nomine comprehendunt: quod ego semper Hæbudas verto. Godredum Sudreyensium Regem à Magno oppugnatum tradunt, ejusque filium Lagmannum compedibus vinctum, prius aqvilonariis insulis præfectum. Godredo Sudreyas à Magno extortas Rex Hæcon senior fatetur. Hunc fuisse Godredum Crovanem, tum nomen Regis, tum etiam successoris filii Lagmanni, in hæc tempora quadrans, perspicuum facit, dum ab anno MLXVI. ad annum MCXLII. (cum Godredus Olafi filius, Crovanis nepos, in Norvegiam ad Regem Ingium Haraldii Gillii filium transfretavit, ei que sacramentum fidei dixit) nulli his nominibus Reges occurrant; cum tamen *Chronicon Manniæ* singulorum successiones exsequatur, tradatque Manniam inter exercitibus sui & Mannensium reliquias habitationibus Godredum distinxisse, ipsum in australi parte refedisse: nostri filium Lagmannum aqvilonarium insularum tutelæ relictum perhibent; id quod à vero non abludit. Nec dubitandum, quin Hæbudas præter Manniam Godredus imperio tenuerit, cum non Hiberniæ modo magnam partem domuerit, sed etiam Scotis leges in ædificandis navibus durissimas præscripserit. Sed nec argumentis opus est; tradit enim laudatum *Chronicon*, post mortem Lagmanni omnes insularum (non ergo solius Manniæ) proceres misisse legatos ad Murecardum Brienen Regem Hiberniæ, postulantes ut aliquem virum industrium de Regali stirpe in Regem eis mitteret, donec Olavus filius Godredi cresceret. Si pater tantum Manniæ imperasset, aliarum insularum principes tutorem ei, ut suo Regi, non postulassent. Accedit, quod in insula Ille mortuus sit, nec id quidem extra ditionem. His argumentis evictò, *Chronicon Manniæ* de de eodem Godredo agere, cum quo Magnus Norvegiæ Rex manus conferuit, comòde ad manus meas venerunt disquisitiones Jacobi Varæi de Hibernia ejusque antiquitatibus. Ibi Cap. XXIV. Godredus Crovan Rex Dublini, Manniæ, & Hæbridum insularum appellatur; sed in anno obitus ejus à Chronico Manniæ dissentit; id enim adventum eius, jam bello in Anglia inter duos Haraldos gesto profugi, in Manniam ad annum MXLVII. illatum ab eo Mannensibus bellum, ad annum sexagesimum sextum refert, annos sexdecim regnasse perhibet. Obitum ejus *Jacobus Varæus loco cit.* ad annum MLXXVI. initium verò imperii in Dublinenses annò sexagesimo sexto applicat; septennium à morte patris filium Lagmannum Manniæ imperasse *Chronicon Manniæ* tradit; exinde in itinere Hierosolymitano mortuum; quò cognito, datum Mannensibus ita postulantis Dognaldum in tutorem Olavo Crovanis filio, tum pupillo, à Murchardo O'Brien Hiberniæ Rege annò MLXXV. qui triennium rexerat. Annò verò MLXXXVII. missum à Rege Norvegiæ Ingimundum quendam in imperium, eumque occisum, annò verò MXCVIII. Magnum Norvegiæ Regem (de quo nobis sermo) classe in insulas advectum.

Hæc quam sibi non consent, vel cæco perspicuum. In anno adventus Crovanis in Manniam, typographi error, vel etiam librarii, manifestus est; pro enim anno MXLVII. MLXVI. reponendus est, cum bellum extremo illius anni Haraldo Norvegiæ Regi sinefatum in Anglia gestum profligatumque sit. Vix autem veritati litat, illo annò Manniam ab eo oppugnatam, nedum devictam, multò etiam minus Dublinum & Lanyster tunc ab eo subjugata, cum omnium rerum egens supplexq; ad Sirricum Regem Manniæ profugit. Ter Mannensibus infesta arma in-

[tuli-

tulisse traditur, novissimè victor: non tamen exprimitur, an unò eodemque annò id factum sit. Itaque de initio imperii ejus in Mannia incertum sumus; nam quòd de occupato ab eo Dublino ad eundem annum Antiquitates Hiberniæ referunt, parem fidem meretur, quam assignatus ab iis annus ei fatalis, ut mox dicitur: nec *Chronicon Manniæ* hoc ad certum annum alligat, sed inter gesta ejus tantum refert. Excedit enim tanta potentia fortem Regis insulæ exiguæ, nuper victæ magis quam domitæ, qui majore civium metu teneretur, quam inferret. Fingalem patri Sirrico successisse, nec statim à Crovane dejectum memorat, annos sexdecim imperio ejus assignat, qui quidem LXXVI. haud terminantur, ut Antiquitates Hiberniæ definiunt; certè si tantas res gesfit, Dublinum subegit & Laynister, Scotosque ita attrivit, ut ibi habetur, tot fortè annorum spatium imperium ejus, aut etiam multò plures, requirit; illud verò abfutdum, quòd *Chronicon Manniæ*, postquam sexdecim annis, quibus ille regnavit, septennium filii Lagmanni adjecisset, mortem ejus in annum septuagesimum quintum referat, cum ne octogesimus quintus ejus capax sit. Superest itaque, ut pro septuagesimo quinto nonagesimus quintus restitatur, id quòd tempus Murechardo O'Brien (*Varæo* Moriætachus est) magis convenit ad tutorem pupillo assignandum, quam annus assignatus; non enim patri Tirdelvaco in regnum successit priusquam post annum MLXXXVI. vel LXXXVII. teste *Varæo cap. IV.* Haut igitur antea Hiberniæ Rex salutari, aut legationibus de tutore dando sollicitari poterat; annò verò nonagesimo quinto commodissimè. Pro certo itaque & indubitato fundamento annum, quò Lagmannus obiit, nonagesimum quintum substituo; quò ex suprà dictis argumentis erutò, cum haut præcisè ex principio imperii Godredi finis regni ejus elici possit, septem annos à morte Lagmanni ad obitum patris enumerabimus, resultat octogesimus octavus Godredo fatalis: in eum ad minimum, si non suprà, regni Magni initium referetur, si secundum Haconis Senioris authorumque nostrorum testimonia insularum imperium Godredo extortum est, Lagmannum beneficiò Magni, ut posteriores insularum Reges, regnassè statuendum. Nec forsitan minima expeditionis Magni in Hiberniam causà Murchardi injuria, tutorem regno ipsi obnoxio constituentis. Hinc Ingimundus omnium insularum Rex à Magno designatus: nec parati fuissent insulari ab eo evocati, ad constituendum eum Regem, nisi ante illud tempus imperium Regis Norvegorum agnovissent, proinde prius domiti: nec tamen illis temporibus ab alio quam Magno vel oppugnati, vel expugnati leguntur. Omnium proinde suffragis Ingimundus insularum Rex factus esset, ni vitis studia eorum in vindictam converterisset, quæ deinde ipsum Magnum annò sequente tum ad ultionem cædis ejus, tum etiam ad insulas ad obsequium reducendas, inter alia abstraxisse videtur.

Fallor equidem, si aliam magis ob causam, quam obtrusum insulis Dognaldum, Murcardus Connactiæ Rex offensam Magni contraxit, si id, quòd de calceis in festo Christi natali gestandis traditum est, fidem merebitur. Nullis equidem Olafi Pacifici Magni patris imperium synchronis exoticis scriptoribus, præterquam Simoni Dunelmensi, quòd sciam, observatis nititur; principium Haraldi patris in Anglia cædes certum facit, finis nullo uspiam incidente monumento ad illum relatò memorabilis. Anno tamen seculi sui octogesimo quinto non modò vixissè, sed etiam Sancto Knuto, sev Canuto, Daniæ Regi, Angliam armis ad pristinum Daniæ

Daniæ Regnum obsequium (id quod etiam *Simon Dunelmensis* ad eundem annum refert) redacturò: sexaginta navium classem militesque auxiliares subministràsse *Knytingorum Historia*, Kanuti Magni ejusque successorum vitas complexa, ut et *Chronicon Norvegicum*, testantur. Tribus inde annis si vixerit Godredus Manniæ & Hæbudarum Rex, belloque à Magno Olafi filio laceffitus fuerit, mox etiam victus, uno illorum decessisse Olafum, Magnum successisse oportet. Statuo itaque Magnum plures expeditiones in occidentem diversis temporibus suscepisse. Primâ tempore Godredi imperiò Hæbudarum auctum, mox ei, inde successori Lagmanno fiduciario jure redditò. Secundâ insulas alias Scotiæ subjectas Melcolmo extortas, idque vel anno nonagesimo secundo, secundum *Orderici Vitalis* calculum, vel proximè secuto, cum bellum Anglis inferret, idque quinquennio postquam imperare Magnus cæpit, sive anno octogesimo octavo, vel octogesimo septimo, Olafus pater decesserat, quam expeditionem domestici scriptores eò, licet anno seculi variato, referre videntur, commemoratis rebus domi interea gestis. Tertiâ anno nonagesimo octavo post Ingimundum ab insularis occisum, insulas iterum ad obsequium redactas, Angliseyamque secundum *Chronicon Manniæ, Ordericique Vitalis & Simonis Dunelmensis* asserta, expugnatam. Eo certe anno filium Sigurdum in Orcades devectum, ætas ejus, singulis Chronicorum exemplaribus, hic consentientibus, notata luculenter probat; redux enim in patriam ab itinere Hierosolymitano anno Christi MCX, viginti annorum, anno vero MCXXX, quò mortuus est, quadragenarius fuisse perhibetur, octennis cum in Orcades patrem secutus est, quod in hunc eundem annum quadrat, novennis cum insularum occidentalium imperio præficeretur Regio titulò Natus itaque erit anno MXC. Kaliumque hujus expeditionis, quæ rerum eius ultima, comitem agnoscimus, filiumque Kolum nuptias cum Gunnhilde S. Magni sorore anno sequente MXCIX celebrâsse; an vero Comites Orcades Paulus & Erlendus tunc, an prius, decesserint, definire nequeo. Quartâ expeditione in Hiberniam, licet antea laceffitam, fatum acceleratum, idque anno MCIII, in quem omnes consentiunt, Donaldum vero Scotiæ Regem magis existimem popularium offensam contraxisse, quòd clandestino fædere cum Magno inito, quietam illi possessionem insularum iniquo tempore extortarum permiserit, contractumque cum Melcolmo initum confirmaverit, quam quod ipse primò contraxerit.

Hæc nostris, eosque secuto *Theodrico Monacho*, qui imperio Olafi Pacifici annos XXVII (aliis eos à morte Haraldi Strenui numerantibus) attribuit, contraria, solius veritatis studio consignare, quam ipse in inventato errore hærendo alios etiam seducere, malui; beneficium agnurus, si quis hæc falvis nostrorum traditionibus inter se conciliare valuerit. Favet conjecturæ ipsius Magni Nudipedis testimonium, insertum concioni, quam ad duces militesque habuit, cum Dublinum oppugnaret, vetustissimo exemplari Morkinskinnæ, sed soli, notatum, his verbis: *Notum, nos aliquot expeditiones in has terras direxisse perpetuis victoriis*. Inde conficitur, ultra duas susceptas. Pensionem insulis impositam, quæ anno MC-LXVII, in usu fuerit, memorat *Robertus de Monte*, appendice ad *Chronicon Sigeberti Gemblacensis* ad eundem annum, his verbis. *Illic* (ad Henricum Angliæ Regem) *venerunt Willelmus Rex Scotiæ, & ipse insularum Ninam & aliarum triginta unius, quæ sunt inter Scotiam & Hiberniam & Angliam. Illas triginta duas insulas tenet Rex insularum, tali tributo de Rege Northvegiæ, quod quando Rex innovatur Rex insularum, dat ei decem marcas auri;*

nec aliquid facit ei in tota vita sua, nisi iterum alius Rex ordinetur in Norwegia. Hæc ille scripsit Regis Ingii Bardii tempore anno MCCX, quò librum suum finivit. Verum an ita semper obtinuerit, affirmare nequeo.

CAP. VI.

DECLLEMENTIA REGIS IN GISLEM
QVENDAM ISLANDUM, QVI AULICUME-
JUS INTERFECERAT.

Magno imperante Islandi, quorum tunc in Norwegia magna frequentia, facinus ingens ausi, popularem quendam suum, manifesta cædis in aulicum, Regi inter primarios honoratum carumque, perperatæ, reum, carceri vinculisque, autu plusquam temerario, ipso quoque Rege præsentè, exemerunt. Rem, ut gesta est, *Arngrimus Jonas Crumogæ Lib. II.* inter genealogiam decimam tertiam & decimam quartam inseruit, Gislaumque cædis authorem appellat, MSS. Gislem habent. Pater illi Illugius Thorvaldi filius, Tindi nepos; Tindi frater Illugius Niger, vir memorabilis, cuius filius Gunnlogus Ormstunga, de quo in vita Eirici Norvegiæ Comititis, Haconis Divitis filii, dictum. Causa cædis patris vindicta, qui Gisle tenero inspectanteque à Giafaldo, quem jam occiderat, auxilium affini suo Thormodo Kolli filio ferente, trucidatus est. Ad eum igitur in Norvegiam, & quidem in aulam Regiam, persequendum profectus, jam annorum septendecim, ad virum nomine Haconem, prædium Forborda incolentem, divertit. Tanti autem moliminis mole, quod explicare nesciverat, variisque cogitationibus distractus, verbis per hyemem ut plurimum parcus, hospiti suspicionem præbebat, rem arduam animò agitare. Interrogatus igitur, secretò exponit, *esse virum nomine Giafaldum, qui se tenello præsentè patrem suum de medio sustulerit; jam verò regio favore officiique dignitate, aulicæque vitæ securitate potentiorè, quàm rationes sue paterentur; decrevisse tamen eum, etiam cum propria vitæ iactura, occidere.* Hospes nimium esse Giafaldum respondit hominibus peregrinis, *se tamen consiliis ad rem tam necessariam cum instructurum, infusamque ab eo in faciem suam liquefactam ceram indurari Gisl permisit, quò agrotantis speciem præberet.* Profectus inde Nidarosiam, ubi tunc Rex residebat, Giafaldum sedulo observabat, occasionem identidem quærens, quam tandem, Rege magnâ pompâ in urbe feriâ septimâ proficiscente, nactus, cum Giafaldus ab uxore sua Helga Thormodi filiâ infantem comunem ulnis portante à comitatu ad colloquium revocaretur; tum enim, Rege longius profecto, Giafaldus uno comitante per plateas exspatiatus, à Gisle invaditur, geminoque ictu utroque humerò dissectò, lethalibus quidem vulneribus sternitur; nec tamen protinus exanimis. Hòc perpetrato Gisl in pontem occurrit, scaphamque adjacentem lignis onustam, quam possessor Thorsteinus quidam Islandus, staturâ pusillâ, ducebat, insilit, adque ripam ulteriorem tendens, medium amnem emensus subsistit, voceque elatâ lis, qui in citeriore ripa stabant, significat, *se authorem vulnèrum, quæ Giafaldus regius aulicus acceperat, esse, modò intra vulnera plage istæ starent; sui verò in cædem desinerent, etiam illam sibi imputandam: mane ejus diei Vigfusum se appellasse, speraturum verò eadem vesperâ Oseigi nomen con-*

consecuturum. Denotat autem Vigfusius cædis avidum, Oseigus morti haud vicinum.

Deinde ad alteram ripam appulsus terram conscendit, dumque latebras quærit, tubæ per urbem sonantes inquisitores in illum evocant. Terrâ marique quæsitus intra virgulta latitans extrahitur; retractus in urbem possessorem scaphæ receptoris sui reum postulari ut animadvertit, quò periculo eum eximeret; *non est*, inquit, *quòd culpam isti misello intendatis, cuius immunis est*; arreptumque manibus in sublime levans; *Quid*, inquit, *pulso iste mihi vim adhibenti obsisteret, quem pueri in modum circumago?* erat enim staturâ adeò pusillâ, ut alam ejus non attingeret. Ministri, ejus candore laudato, dimisso Thorsteino, ipsum compedibus inextricabilibus, quas Haraldus strenuus confici curaverat, nemoque evaserat, constrinxerunt, cellæque subterraneæ, quam mulier quædam possederat, incluserunt. Abundans illo tempore extraneorum confluxu civitas etiam tria navigia Islandica portu continuit. Teitus Episcopi Gissuris filius uniearum præfuit. Aderat & sacerdos gentis Jon, qui deinceps diæcesis Holanæ præful factus, post mortem Sanctorum catalogo accessit, trecentique in univertum Islandi. Rex majorem in modum iratus, in tribunali, unâ cum urbis ejus Episcopo (cujus nomen magnâ scriptoris incuriâ omissum) confidebat; ibi etiam sacerdos ille modo nominatus, captivi popularis, magnus Episcopi amicus.

Eodem momentò, quò Rex occidi percussorem iussit, æs Campanum sonitu ad preces publicas auditores exciens suspicionem fraudis ei incussit; quam cum antistite è composito factam cum intenderet, observatum, diem in nonam procesfisse. Providendum itaque Episcopus monuit, ne festum intempestivæ pænæ executione violaretur. Interea Islandorum magna pars in unum locum convenientes deliberant, quid potissimum ad salutem periclitantis popularis sui, multorumque eorum vel cognati, vel jurati fratris, expediendam facere videatur.

Die Dominicâ Giafaldus iam moriturus Regem per nuncios, ut se invisere dignetur, petit, accedenti que significat, *testamentum se de bonis suis conditurum; hæc enim vulnera vitæ suæ certum finem prope instantem impositura; id verò novissimè à rege petere, ut interfectori suo clementer parcat; patris enim necem strenuè ultum.* Regi spem veniæ protinus amputanti: *Nosti*, inquit, *longo me obsequio fidelique te coluisse, vitamque sepe meam pro salute tua multis periculis exposuisse. nec quicquam unquam quantumvis arduum, ex iis, quæ imperasti, detrectasse; hinc mihi spes clementiæ votique novissimi fiducia surgit; presbyteros enim advocavi, peccatorumque absolutio nem impetravi; quorum singuli certam mihi salutis æternæ obtinendæ spem faciunt, si commissi in me veniam dederò. Ne igitur cædis meæ penâ celum mihi obstruas, etiam atque etiam oro. Rex, collaudatâ ejus circa suprema pietate, discessit, & paulò post Giafaldus exspiravit.*

Feriâ hebdomadis primâ fuffino mane, quicquid Islandorum in urbe fuit, in unum locum conveniebat. Ibi consultatum de rei summa; cum Teitus exsurgens, difficultatem periculumque multis ostendens, *clementiam Regis publicâ omnium voce implorandam svadet, cuius si nulla copia, omnium salutem, vitas, opes, in discrimen mittendas, tantâ constantiâ, ut aliterent reum, aut simul cum eo omnes moriantur. Se quòd attineat, secuturum eum, qui tam periculose rei ducem se præberet.* Omnibus ducem eum deposcentibus, juramentum à singulis exigit, nec vitæ suæ nec rebus parcituros, quò minus ea, quæ imperaret, fideliter exequantur. Quò facto

facto balneo indulgent. Mox signo tubâ dato ad forum proceditur, cum Teitus interioribus tantum vestibus assumtis, togam optimi generis bicolorum, parte alterâ rubram, alterâ nigram, subductam pellibus mustellinis, superimponit, frontali laminâ aureâ ornatus, ad carcerem sequentibus popularibus properat, apparitores præventurus; id quod facile evenit, cum non statim ad signum omnes advolarent. His igitur carceri appropinquantibus, mulier exterrita nunciat Gisli apparitores adventare, misertaque eum infelicem pronunciat, qui jam ad supplicium rapiatur. Is præsentem eam animò esse jubens, versum illic fudit; quò se, cum jam ferrei compedes crura urant, mortem fortiter subiturum testatur: *semel cuique moriendum, nec viro forti id extimescendum.* Et jam magnò fragore fores civis ejus effringunt, accedensque Teitus compedes ferrò dissolvit, eoque inter comites suos receptò in forum progreditur.

Eodem tempore Sonius emissariorum præfectus ad carcerem accessurus, quæ facta sunt, cognoscit; visoque inter eos captivò: *Haut, inquit, Islandi humiliter se in præsentia gerunt, cum sibi iudicium de captivo, præteritò Rege, deposcant; quid hoc mane fecerint, oportet ut in posterum recordentur. Minoribus offensis Rex Magnus sapius irritatus est.* Tum exsurgens Sigurdus Ullstrenus, postquam forum formulis publicis constitutum esset, Omnibus; inquit, constat, sodalem nostrum Giæfaldum occisum esse à viro, qui extremâ Islandiâ profectus, lesum se ab eo ratus, illum juris processum potissimum eligendum censuit, ut lethali eum vulnere de medio tolleret, aspernatus usque statum aliis morem satisfactionem exigendi; & certè nobis anticus Regiis persuasum esse debet, parum pensi alios habituros de vulneribus nobis infligendis, si impudè licebit satellites Regis occidere. Certe nec licentia, laxatis habenis in omne nefas effusa, eis terminis sistetur, ad superiora contendet, donec per cædes aulicorum bacchata ad caput pervenit, ipsum quoque Regem collineat. Magna quidem penâ insolentia tanta comescenda erit, exemplumque statuendum in eos, qui potestati Regiæ plectendi hominis noxii jus eripere ausi sunt. *Vix expiatam tantam temeritatem dixerim, etiam si decem Islandi unus satellitis loco capitis supplicia luerent.* Conticente Ullstrenò, Teitus quoque exsurgens, loquendi veniam petit; quem Rex intuitus, quærit ab eo, qui proximè sibi astitit, *quinam is esset?* Audito quod esset Teitus: *Minimè, inquit Rex, id tibi permittetur: certus enim sum, singula verba tuâ plus mali quàm boni operatura: dignus enim es cui lingua præcidatur.* Tum vero sacerdos Jon Augmundi filius consimiliter exsurgens fandi veniam exposcit. Rex pariter à collateralis suo, quoniam is esset, sciscitatus, ut presbyterum Islandum cognovit, veniam ei indulgit. Hic itaque orationem in hunc modum habuisse perhibetur. *Dei quidem beneficio regiones Norvegia & Islandia ad Christi cognitionem devenerunt, antea enim homines demonesque visibiles conversati sunt; id cum hodie non ita aperte fiat, demonia homines ad negotia sua peragenda subornant, nec id longè petendum: jam enim Diabolus ex ore hominis hujus, qui novissimè concionabatur, locutus est, qui ad cædem unius hominis decem adjungi svasit, tales enim viri me iudice triculentis instigationibus maximam partem conferunt ad exstirpandam justitiam, hominesque principum mores evertendos, adque triculentiam cædesque & scelera impellendos, quo Christianorum sanguine demones exilarent. Pariter nos, Domine Rex, atque indigena imperiò tuo tenemur (illud de loco jurisdictioni ejus subiecto, ubi tum versabantur, intelligendum erit; non de Islandia, quæ illo tempore sui juris erat, nemini obnoxia) Illud vobis, qui iudices principesque hujus mundi constituti estis, perpendendum, quòd imaginem istius*

istius Regis geratis, qui in ultimo die uniuersum mundum iudicabit. Itaque quantum uestra interfit, ut iustas sententias feratis, vel inde constet, quod ad quodlibet iudicium Deus ipse cum sanctis suis accedat, uisitetque iusta iudicia, bonosque viros & probos: consimiliter tenebrarum princeps prauis sententiis delectetur, adsitque cum ferantur, improbosque & iniustos cum condemnato Angelorum suorum collegio accedat. Providendum itaque tibi, cum adueniet ille iudex, qui omnia iuste iudicabit, quinam ignis plus aut diutius urat; is nempe, qui in furno incenso quercino stolone accenditur, an qui uirginesque teneras depascit. Nam si iniusto te iudicio polluas, in incendium, quod quercini stolones stipitesque alunt, coniceris; iuste autem iudicans altero illo teneris uirgultis suscitatio purgaberis.

Hæc uerbis *Morkinskinnæ*, quæ hanc orationem hoc modo describit, ut plurimum reddidi; Pontificio enim dogmate imbutus Pastor nihil ab opinione suâ alienum tradidit. *Arngrimus* scopum retinens à uerbis parum deflexit, indicato, aut eandem, aut talem, orationem habuisse. Non est obseruatum Regem hac concione offensum. Tum exurgens reus petit à Rege fandi ueniam. Is cognitò à collateralibus ipsi fandi patratorem uerba pro se facere expetere, mirâ, & à cæteris moribus alienâ facilitate, non id se prohibitorum respondit. Is ita recenset, ut pater suus, se sexenni, fratreque suo Thorvaldo novenni, à Giasfaldo & Thormodo occisus fuerit, utque is cum fratre ab ipso Giasfaldo deinde neci fuerit destitutus: hæc autem uere continuò ipsi fuerit infidiatus; bis tamen eum, alterâ uice templi, quod accesserat, reuerentiâ, alterâ soni campanæ ad nonam euocantis propositum suspendisse; inde reputare, sonum campanæ ad nonam uitæ suæ præsidio fuisse. Professum deinde carmen se in honorem Regis fecisse, impetratque recitandi ueniâ, postquam recitasset, ad Regem accessit, caputque gremio ejus, ad quod supplex procubuit, imposuit; impetratque ueniâ, in satellitium Regis locumque Giasfaldi receptus, fidelem deinceps operam ei nauavit, quod ipse deinde carmine superstitie prodidit, dum testatur se sæpe periculosis præliis ejus interfuisse, asuetum talibus; uideturque carmen illud post Regis mortem composuisse. Multa autem ob cædem Giasfaldi sedecim marcæ auri, octo uadibus Islandis luenda, à Rege irrogata, quarum pars dimidia ob paternam cædem remissa; quam suam *Arngrimus* centum octoginta unciis imperialibus (quam rectè, uiderint alii) definit; quarum singulas uadum quoque singuli præstabant.

Rex clementiæ magnam laudem ab omnibus, gratiam ab Islandis inensam referens, mystam sacrorum Jonem his uerbis affatus perhibetur. *Concio tua mouit me; ut tuis precibus commendari Deo uelim, ipsius enim iussu uerbisque causam hanc egisse uideris: propositum tuum cum uoluntati ejus congruat, haud difficulter persuadet, preces tuas ei fore acceptissimas.* Id uerò pastor, ut par erat, in se recepit.

Paucis diebus interjectis, cum in platea exspatiaretur, nunciò à Sigurdo Ullstrengo excitus accedit uocantem. Hic, inquit, *uim fortè uerborum tuorum sentio jam egrotans; ut itaque celebratis sacris mihi subuenias, oro.* Quò peractò inquit: *Habent eundem genium uerba tua, sive aspera, sive mitia: jam enim reualui; muneribusque honorificis donatum confirmato mutæ amicitie nexu dimisit.* Fuit autem Ullstrengus uir pius & probus, quem Theodricus Monachus inter nobiles Noruegiæ, qui in exercitu hujus Regis fuerunt, cum expeditionem in Gautium pararet (de qua postea) palmam non minus nobilitatis quam probitatis tenuisse tradit,

ædificâsseque cænobium nobile in honorem B. Benedicti, nec non & pretiosissimi & invictissimi martyris Christi Laurentii, in parva quâdam insula, quæ adjacet metropoli Nidarosiensi, multisque possessionibus dotâsse author *Morkinskinne* tradit. Exinde in Islandiam rediit; deinde diæcesis Holanæ Episcopus omnium primus factus, anno Christi MCVI. ætatis sexagesimo quarto, denatus anno MCXXI. ætatis septuagesimo nono, albo Sanctorum inscriptus anno MCCL., anno ab obitu octogesimo. Rediit & in patriam Teitus, virque celebris evasit, non item grandævus.

CAP. VII.

REGIS MAGNI CONTRA INGIUM
SVECIAE REGEM GESTA; PAX INTERCESSIONE RE-
GIS DANIAE COMPOSITA. ERRORES SCRIPTORUM
SVECICORUM NOTANTUR.



Post excessum Sveciæ Regis Steinkelis, quem circiter finem vitæ Haraldî Strenui contigisse *Adamus Bremenfis* & *Snorrius* perhibent, Hacon quidam successisse traditur; id quod *Historia Hervoriana*, edita in Svecia, ut et *Langfedgatal* confirmant, solò ejusdem historiæ exemplari, quod Episcopi Bryniolfi fuit, reclamante, quod Ingium filium Steinkelis proximum successisse tradit. Eò regnante, Magnus post expeditionem in occidentem patriam repetens hyemem frequenti satellitiò in Vika transegit. Ibi eum vir, natione Gallus, nomine Gipardus, *Morkinskinne* Giffardus, equestris ordinis dignitate clarus, accessit, rei militaris peritiam professus, operam suam & industriam insignem ampullatis verbis extollens, ei ut valde necessariam obtulit. Ille talibus sibi opus esse dictitans, magnâ eum alacritate admisit. Jamque quietis & otii impatiens, materiamque belli vicinis inferendi undique conquirens, de terminis inter Norvegiam & Sveciam Ingio Sveciæ Regi litem movit. Gautelsam, inde lacum Vænirem & Vermelandiam, antiquitus regna determinâsse contendens, tractum ad occidentem, Sundalum nempe, Nordalum, Veor & Vardynias cum Marchis omnibus iis subiectis sibi vendicabat, quæ tamen longo tempore Sveciæ, respectu Vestro-Gothiæ, cui jure competeabant, subiecta erant. Marcharum autem cives Svecis quàm Norvegis, ut antea obtinuit, subesse maluerunt.

His Magnus haud ulla ex parte motus, magnis copiis Vestro-Gothiæ ingressus, civibus ad aquilonem proximis ad sacramentum sibi dicendum adactis, castra circa limites metatus, milites in tentoriis continuit. Quibus cognitis Ingium, magno cum exercitu obviam ei profectus; quod cum militum in exercitu Magni præfecti exploratum haberent, vim viribus suis majorem metuentes, svaserunt ut Rex sibi maturè consuleret, iretque cessim, patriamque repeteret. Ille verò spretò eorum consiliò, cum omnibus copiis, citato itinere, adversus eum profectus, de nocte improvisus aggreditur, in loco, qui *Þorerri* (*Morkinskinne* *Þorerri*) appellatur, magnâque clade illata in fugam compellit, Giffardo, dum res gereretur, nusquam comparente; quem cum Rex requireret, nec usquam appareret, hoc carmen in eum lusit:

Falsus eques Gallus non vult se jungere nobis.

quod

quod poeta quidam, multis additis, ulterius deduxit, pluribusque convitiis auxit, nimirum quod tumidus, superbus, inflatus, strenuitatem artisque bellicæ singularem scientiam multâ vaniloquentiâ jactasset, sed ingruente periculo metu vecors se subduxisset. Nam postquam Sveci ad Foxernium in fugam acti essent, tum demum equò celeriter magnò suo opprobriò advectus perhibetur. Dimissus deinde in Angliam navigavit.

Fuit in eadem nave Islandus quidam, nomine Eldiarn, ex Husaviken-sium familia, Constantinopoli redux, qui ignaviâ Giffardi, dum navis rprocelloso mari jactaretur, inspectâ, quòd singulis in sentina exhaurienda operam navantibus ipse ad omnia id generis munia inhabilis laboribus eorum tanquam grato spectaculo frueretur, non sibi temperavit, quin ludicrum in illum versum ex tempore jactaret. Lite igitur eum Giffardus coram urbis illius Comite, ad quam primò in Angliam navem appulit, convenit, ob carmen famosum. Excusabat autem Comes tum ætatem, juvenis enim nuperque ad id officii pervenerat, tum etiam litium dirimendarum imperitiam; maximè tamen causæ præsentis, quòd intricati carminis sensus sibi non constaret; pollicitus nihilominus jus se ei pro captu ingenii dicturum. Vocatus itaque in jus author carminis versum invertit; quo tamen haud minus Giffardus quam priore irridebatur: decantabat enim laudes ejus, alacritatem & cædes Gauthorum, stragemque, quam in Foxernio præliò Norvegicò edidisset: quo in publico foro recitato, dum litem cum assessoribus cognosceret Comes, pronunciavit parùm sibi poësin lingvæ istius constare: tantum tamen intelligere, quòd versus iste haut famosus, sed honorificus, utpote qui strenuitatem ipsius celebret, reputandus esset. Displicuit Giffardo sententia, carmenque utrumque ludibrio suo factum, ipse nullius rei isto præliò præclarè gestæ sibi conscius, haud incitè judicabat. Patet hinc lingvam Danicam in aulis peregrinorum Principum frequenti in usu fuisse. Si enim versus sanè intricati (extat enim, & jam mihi ad manus est) sensum con-jicere poterat Comes, certè lingvæ istius rudis haudquaquam fuerat.

Magnus post reportatam de Ingio victoriam haud subsistendum ratus, in Marcharum provinciam magnis ægminibus se infudit, universamque incendiis vastavit, donec insulas ad obsequium sibi jurandum compulisset. Affecto deinde autumnò, cum ad lacum Væniorem pervenisset, in Qvaldinsøyam (*Morkinskinne* Valdiseyam) concessit, ibi castellum ex cespice & materia lignea excitatum, fossisq; cinctum, quò, quæ ad victum aliosque usus necessaria, assatim inferebantur; trecenti præsidio selecti milites impositi, ducibus Finno Skoptii filio & Sigurdo Ullstrengo. Inde Rex in Vikam converfus est. Pater Finni Skoptius satrapa eximius in Giskio nobili Sunn-Mariæ prædiò habitabat: uxor ei Gudruna Thordi Foli filia, ejus qui bello stiklastadensi sancto Olafo vexillum prætulit; eorum liberi Augmundus, Finnus, Thordus, filia Thora. Asolfi de Reinio Skulii filii, Comitæ Thostii nepotis, uxor. Singulos ejus filios ætate juvenili florentes, animi corporisque vigore insignes, variis decoribus naturæ dotes exornabant. Ingus autem Sveciæ Rex, cognitis quæ Magnus perpetraverat, se quidem ad assèrendas provincias, vi improvisâ raptas, descensurum minatus, cum longiore morâ, quam sperabat, distraheretur, etiam à Norvegis, qui castellum infidebant, distichò ex parte irrisorio fugillatur, quafi saginâ corporis tardatus. Verùm is gerendorum occasione circumspic-tâ, cum primùm glacies fossam constringeret, tribus millibus hominum ad

ad circumjecta provectus per nuncium castellanis mandavit, ut decederent castellò, patriamque cum sarcinis & quæcunque tenerent, repeterent. Sigurdus autem Ullstregus jubet nuncium Regi referre, propius ei accedendum; neque enim ut pecora passu, ita se castrò pelli posse. Ad insulam igitur exercitu admoto, iterum per nuncios jubet, protinus excedant, armis, vestibus, eqvisque contenti, prædis spoliisque nudati. Cum hanc quoque, utpote duriorem, conditionem abnuerent, summa eos vi aggreditur. Jaculis ab utraque parte certatum, donec Ingius, fossâ saxorum lignorumque ingestu solidatâ, anchoras contis alligatas parieti ligneo admovet infigitque; queis vincæ compages, multis simul adnitentibus dissolvuntur. Incendia deinde facta, flammantes trabes in obsessos missæ, & vires eorum & animos fregerunt. Supplicatum inde de pace; factaque excedendi potestas, sine tamen armis & vestium extremis. Inter egredendum singulis verber unum virgâ inflictum.

Hac contumeliâ in Norvegiam redeuntes, Regi, quo eventu Ingiose opposuerint, referunt. Inde Marcharum incolæ ad obsequium Sveciæ iterum redierunt. Nihil hac jacturâ motus Magnus, animum in proximum ver ad propositum exequendum obfirmans, cum primum glacies remissit, copias haud exiguas ad Gautelsam travexit, perque brachium orientale invectus, circumfusa vastabat. Ad Foxernium cum pervenisset, relictis navibus, amne, qui ibi obviis, penetrato, in copias Gaurorum incidunt; quibus prævalentibus, pulsî Norvegi, inque fugam conjecti ad catartactam quandam magna clade. Fugit & Rex Magnus, Gauthis persequentibus, stragemque, quantam poterant, edentibus. Inter omnes Rex Magnus, rubro palliò loriciæ superinducto, capillo byssino, inque humeros rejecto, conspicuus, persequentium vim omnem in se convertit; quod animadvertens Augmundus Skoptii filius, qui à latere ejus equitabat, vir futurâ formæque insignis, pallium ut sibi donaret, expetebat. Rex quò sine? quæstivit; quòd placeat, respondit; majoribus se ab eo donatum. Cum primum è planis camporum, per quos transitus, hostibusque perpetuus spectus patebat, in nemora clivosque viâ ferente pervenissent, subducti è conspectu vestem mutabant. Inde cum in planitiem iterum provecti essent, Augmundus se à Rege distrahens, cum alia via fugeret, persecutoribus in se conversis, Regi ad naves elabendi copiam præbuit. Ipse deinde incolumis quidem, sed ægrè, ad eum pervenit, conservati Regis gloriam, invictæ fidei, animique intrepidi laudem consecutus. Inde Rex clade tantum nobilitatus in Vikam rediit.

Eiricus Sveni Estridii, seu Ulfi filii, filius, cui morum dexteritas & propensum in subditorum comoda ingenium, postque infestos frugibus annos proventuum uberrimus reditus, cognomen Semperboni indidit, sceptrâ Danica id temporis magno splendore tenuit. Is unâ cum Ingio, legatis ad Magnum directis, postulârunt, ne partes regnorum suorum ambiret: se quidem ei rerum suarum possessionem quietam, si lacessere desineret, permisso. Effectum ut conventus trium Regum intra Gautelsam in limitibus regnorum in sequentem ætatem indiceretur, securitatisque tabulis confirmaretur. Eò ad præstitutum tempus ab Aquilone Magnus, ab Austro Eiricus, ab Oriente Ingius, adventantes invicem congressi, multis de mutuis damnis, cædibus, subditorumque fortunis everfis, ultro citroque ventilatis, omnium tamen expectatione citius ingens lis composita est. Nam cum in campum simul omnes secessissent, vix semiprandii horulâ pace constitutâ jam placati amicique ad suos redibant, securitatis
in

in posterum pacisque fidæ, tantisper votis omnium exoptatæ, authores nunciique. Regnorum termini iidem, qui ante motam litem, constituti. Singulis Regibus in junctum, ut suis quisque subditis damna præstarent, inter ipsos principes deinde comparanda, mutuaque satisfactione componenda. Ad fæderum stabilitatem, arctioremque amicitiaæ nexum, Margreta Regis Ingii filia Magno in matrimonium desponsa, vocata inde *Strid-tolla* quod per eam pax coaluerit; *pacis uxorem* *Loccenius* interpretatur. *Morkinskinna* agros, de quibus disceptatum, doti datos tradit, quod etiam in *Theodrico Monacho* invenio.


His in campo, cum de pace ageretur, seorsim stantibus, oraque conventus universi in se vertentibus, haud visum est tres alios principes paritaturæ formæque Majestate unquam in unum locum convenisse. Ingius ætate superabat, staturâ eminenti, corporeque compacto, magnæ molis: senii gravitate superâsse videbatur. Eiricus formæ gratiâ, quamvis nec eâ reliqui carerent, præpollere tamen visus est. Alacritate & promptitudine Magnus morumque sævitate præstare judicatus. Hæc *Pontanus* ad annum MC refert. *Morkinskinna* pactionem hanc ad formam illius, quæ inter Olafum Sveonem & Sanctum Olafum coaluit, compositam tradit. Omnes autem filiam Imperatoris, nomine Mathildem, uxorem sibi prius destinasse, nec illam nuptias ejus refugisse: recentisque tres versus, quos honori ejus ipse Magnus fecerat, qui pœtam eum haut mediocrem fuisse monstrant. Patrem virginis Henricum Quartum tempora monstrant.

Margreta è Svecia in Norvegiam celebri comitatu missa est. Habuit tamen Magnus alios liberos ante ejus adventum, qui postea regnarunt, Eysteinum nempe, matre ignobili natum, Sigurdum annô. & Olafum longe minorem, cui mater filia Saxii de Vika, celebris in Thrandia viri, nomine Sigridis, mater Karii de Austurattâ, ejus qui Regis frater dictus est, viri potentis & gratiosi.

Indicandus hic est manifestus error, qui in Svedicam historiam irrepsit. *Johannes enim Magnus*, eumque secutus Scriptorum recentissimus *Loccenius*, non hujus Ingii filiam duxisse statuunt, sed posterioris Ingii Philippi, vel, secundum *Mesfenii Chronica pœtica*, *Eiricum Olai*, aliosque, Hallsteini, prioris Ingii fratris vel nepotis filii, synchronismumque inter hunc Magnum & priorem Ingium non agnoscunt; quamvis *Loccenius* Magnum omnibus hisce Regibus æqualem statuat; nam de Ingio Steinkelis filio tradit, quod bellum ei fuerit cum Jarisleifo Russorum, & Magno Norvegorum, & Sveno Danorum Regibus, & propugnacula ad fluvium Vaniremsita à Magno recuperavit. De hujus autem ætate nullum est dubium; nam omnium tam Norvegorum quam Anglorum Scriptorum suffragiis clarum, ideoque indubitatum est, Haraldum Strenuum Norvegiæ Regem in Anglia præliô cæsuum esse anno Christi MLXVI, proximo die Lunæ post festum Mathiæ, id est vicesimo quinto Septembris. Sequenti anno, qui est MLXVII, Olafus Rex creatus patri successit; regnavitque secundum vulgarem calculum annos viginti sex, decessit anno Christi MXCIII. Successit hic noster Magnus, regnavitque annos decem, decessit anno Christi MCIII. Jam vero *Loccenius in sua Chronologia* principium imperii Ingii Philippi filii in annum Christi MCX refert, ejus igitur filiam pacis conciliandæ causâ ducere non potuit, quippe ante sexennium mortuus, cum Ingius, cum quo jam Rege conflixerat, Rex factus esset; quod si utriusque Ingii tempore vixit, & cum utroque bellum gessit, ut *Loccenius* haud obscure tradit, certè secundum ejus chronologiam Ingii imperii periodus

duſ inter annum Chriſti MLXIII, & MCIII vertitur, ſpatiumqve quadraginta annorum vel implet vel ſuperat; nam ſeptimo imperii ſui anno Ingii filiam ſibi matrimonio junxiſſe hiſtoria Norvegica monſtrat: id quod imperii ejus ſpatium longius adhuc producit; atqvi vix triginta annos vivendo, nedum regnando, implevit.

Sed nec levior alter error de genere Steinkelis Sveciæ Regis, hujus Ingii patriis, Svedicos Scriptores abripuit, ad hujus æræ demonſtrationem pluribus excutiendus. Olafi Skautkonungi ex ſore nepotem *Johannes Magnus, Loccenius* ejus, vel etiam, ſecundum *Adamum Bremſem*, Emundi nepotem facit; quemadmodum nos id ad finem vitæ Olafi Pacifici expoſuimus, hic & repetendum, &, ut ibi promiſimus, ulterius excutiendum. Noſtri certè Scriptores genus ejus ab Haraldo Pulchricomo luculenter exponunt, à quo quinto gradu deſcendit, hac ferie. Mater ei Aſtridis, avus Niall, proavia Gunnhildis, abavia Ingibiorg, quæ Halfdano cuidam Comiti nupſit, Ingibiorgis pater Haraldus Pulchricomus. Steinkelis filius Ingius, ejus filia Magno Nudipedi primò, deinde Nicolao Daniæ Regi nupta, ab Haraldo Pulchrimo ſeptima, à quo Magnus Nudipes etiam ſex gradibus diſtat, hoc modo. Pater ei Olafus Pacificus, avus Haraldus Strenuus, proavus Sigurdus Syr, abavi Halfdanus, atavus Sigurdus Hriſius, tritavus ipſe Pulchricomus. Cum igitur graduum inter eos differentia ſynchroniſimum non oppugnet, certiora hæc videntur, quàm quæ Scriptores Svedici tradunt. Accedit quòd ſoror hujus Magretæ Chriſtina nupſerit Haraldo Ruſſiæ Rege, qui ſexto gradu dependet ab Eirico Emundio Sveciæ Rege, qui Haraldo Pulchricomo æqualis in Sveciâ regnavit, cujus filius Biornus de Colle, nepos Eiricus Victorioſus, pronepos Olafus Skautkonungus, abneptis Ingibiorg, elocata Jarisleiſo Ruſſiæ Regi; quorum filius, ſed Eirici atnepos, Valdemar, trinepos Haraldus, patris in regnum ſucceſſor; cui uxor fuit Chriſtina Ingii Regis Sveciæ filia, Margretæ Fridkollæ ſoror. Hæc ſingula ſeqvens tabula exhibet.



Atque hæc ſibi amicè conſentiunt, noſtrorumqve traditiones ſtabiliunt, qui Ingium Steinkelis filium Magno Nudipedi æqualem fuiſſe tradunt.

dunt. Suffragatur his Nicolai Daniæ Regis æra, qui postea Magni Nudipedis viduam hanc ipsam, de quâ sermo, Margaretam uxorem duxit. Ejus imperium secundum *Hvitfeldium* & *Pontanum* ab anno Christi MCVII, aliis MCIII, ipsi Magno fatali, initium capit. Non ultra Ingii ætatem, imo nec ad regni ipsius initium, Adamus Bremenensis vitam protraxit, ideo de illo nihil ab eo scribi potuit. Nostri Annales & Historia Hervoriana Hallsteini filios, illi Ingium & Philippum, hæc Philippum & Ingium, successisse tradunt; verum *Ericus Olafi Lib. II. cap. XXVI.* Ragvaldum Ingii filium Ingio patri successisse, inveniri in quibusdam Chronicis tradit; id quod *Johannes Magnus Hist. Lib. XVIII. cap. XII.* ad Ingonem Steinkelis filium trahit, meo certè judicio rectius; nam *Saxo Lib. XIII. pag. m. 230* scribit Ingertham Regnaldi fratris Margaretæ Ingii Steinkelis filiæ Daniæ Reginae filiam Henrico ab ea conjugio copulatam, sed *pag. 235.* illum Svenonis filium fuisse tradit, Svenonem autem ille, *Johanne Magno teste Lib. XIX. cap. V.* fuit Regis Svenonis Ericii filius, qui in concione Viburgensi regnum nimium properanter ambiens, præmatura morte regni titulum amisit. In eo autem errat, quòd Ingridam illius conjugem fuisse existimat, cum Henrici filii ejus non mater sed conjux fuerit, teste eodem *pag. 235.* Cum itaque hæc Ingerdis ante obitum Reginae Margaretæ Henrico Skatalero nupserit, planum est, patrem ipsius Ragvaldum Ingii Steinkelis filii filium id ætatis fuisse cum pater obiret, ut aut hanc filiam procreaverit, aut statim ab obitu patris administrationem regni suscepit, aut denique suscipere potuisset. Eum itaque ex numero Regum expungendum non video, quantumvis nostri Annales fideant; nam *Ericus Olai Lib. II. cap. VII.* Magnum Henricum, qui S: Ericum de medio sustulit, nepotem Regis Ragvaldi ex filiâ, tanquam aliquid, ut ille loquitur, apparentiæ justituli prætendentem vendicasse notat, & finem ejusdem libri capitique his verbis concludit. Nota, quod mater Magni Henricum fuerit Ingridis filia Ragvaldi Regis, filii Ingonis Senioris. Ubi observandum, eum hunc Ragvaldum Regem appellare. Regem quoque eum Johannes Magnus citato *Lib. XIX. cap. V.* nuncupat: Regem & Olas Petrus in S: Eirico nominat, qui tamen ab omnibus cum hoc Ragvaldo Knaphoffio videtur confundi. Imo tota Svecorum historia post Steinkelem confusa est. Nam & Henricum Skatalerum S: Eiricum occidisse tradit, quem tamen *Historia Knylingorum cap. XCVII.* bello Fotvikenfi, nostris Annalibus anno MCXXIV, casum tradit. *Saxo* sinum Fotam appellat. Id ita se habere ex Historia Norvegica discimus; nam Ingigerdis (Ingertha) ejus uxor tunc vidua Haraldo Gillio Norvegicæ Regi paulo post elocata est, ut suo loco dicemus. Jam eò, unde digressi sumus, regrediendum.

CAP. VIII.

DE REGIS CUM SKOPTIOCONTENTIONE, EJUSQUE EXITU.



Um ab expeditione occidentali Magnus classe victrici in patriam rediret, mores quoque & vestem Occidentalibus usitatam invexisse perhibetur: nudis enim pedibus per plateas incedebant, tunicis pallisque brevibus usi. Hinc ei Nudipedis nomen evenit, quamvis id Saxo aliunde deriveret. Tradit enim quòd sedulo Sveones adortus, cum in Hallandenses etiam

arma proferret, inopina eorum irreptione perculsus, ut erat calceamentis vacuus, probrosus ad naves excursus habuerit, ejusque fugæ deformitatem etiam cognomine usurpaverit. Alii à proceritate Procerum eum appellârunt. Aliis ab animo irrequieto, inque pugnas propenso, Turbulentus dictus est.

Inter sâtrapas Norvegiæ illa tempestate Skoptius de Giskio Augmundi filius, Thorbergi Arnini nepos, facilitæ primas tenuit, ut qui Regi tertio gradu lineâ inæquali cognatione junctus esset. Ejus filii supra nominati Augmundus, Finnus & Thordus. Inter Skoptium & Regem de hæreditate insignis controversia exorta adeo Regem exasperavit, ut ad periculum spectaret, Skoptio hæreditatem detinente, Rege magna contentione repetente; quæ de re multis conventibus disceptatum. Svasit itaque Skoptius, ne filii simul secum in ullo conventualocomparenter, *tutos futuros dictitans, ni potestati Regiæ se imprudenter omnes simul permiserint. Ipse causam suam coram Rege disceptans, oravit ut rationem cognationis, amicitie ad eum usque diem incorrupta, operæque fideliter & constanter narrata, habere non dedignaretur; simul perpenderet, qua fronte se cum Rege, si jure destitueretur, contenturum: id vero boni consulendum, si familiae genio actus, injuriam sibi non inferrâ patiatur, nullo inferentis respectu.* Cum autem his monitis nihil proficeret, domum profectus est. Exinde Finnus accessio Rege, petivit, ut quam sibi hæreditatem leges juraque addicerent, ipse permittere ne gravaretur. Rege parcè nec mitius respondente: *aliud, ajebat, abs te expectavi quàm injuriam, cum ceteris tuis amicis abnuentibus præsidium castelli in Qvaldiseya in me recepi, quod hanc mirum alios detrectasse, cum se certæ morti expositos animadvertierint; quam nec nos effugissemus, ni Regis Ingii generosa indoles, clementie quam severitæ pronior, facilius nobis pepercisset, quàm tua providentia consuluit; nec tamen omnino sine ignominia inde exasimus; id Tu licet parvipendas.* Ne sic quidem mitigari animus Regis poterat: itaque re in factâ domum rediit. Postremo Augmundus eum adit, postulatque jus sibi reddi. Rex *se nihil præter jus postulare respondit; sed unde ei tanta audacia?* Tum Augmundus; *Efficies, inquit, licentia Regiâ potentiâque fretus, ut quod intendis, quantumvis iniquè, pervincas; sed agnosco hic tritum illud, quod servata vitæ meritum plures aut male rependant, aut obliviscantur. Sed nec ego tibi aut nostram ullus debinc inserviam.* His dictis & ipse domum repetit, nec quisquam illorum Regem ex illo tempore vidit.

Proximo vere Skoptius cum filiis suis Augmundo Finno & Thordo, quinque navibus longis ab omni apparatu abunde instructis, iter adsolventes in Flandriam pervenerunt. Ibi hyems transacta. Sequentè vere Galliam prætervecti, eadem ætate, freto Gaditano superato, Italiam attigerunt, autumnoque proximo Skoptius Romæ fato functus est: filii deinde omnes in ista peregrinatione mortui sunt. Omnium ultimus Thordus in Sicilia obiit. Clara ista navigatio habita est, vel inde, quod hi Normannorum primi fretum Herculis transfuserint.

Nescio an hinc concludatur, diversum à freto Gaditano mare Mediterraneum *Saxonem lib. IX.* intelligere, quod Ragnâr Lodbrok Hiberniâ solvens invecus fuerit; per Russiam enim Pontumque Euxinum Constantinopolim usque usitatum superioribus seculis iter. Constat quoque posteriori tempore partem auxiliarium copiarum, Richardo Normanniâ Ducis ab Haraldo Cærulidente missam, decem & octo urbes in Hispania diruisse.

CAP. IX.

DE REGIS MAGNI IN HIBERNIAM EXPEDITIONE ET VICTORIIS, EJUSQUE CAEDE ET ELOGIO.



Xhaustâ recenti amicitiaë nexu materiâ belli adversus vicinos, nec tamen passus est Magnus civēs suos domi fidâ constantiqve securitate ita frui, ut otîo simul torpescerent. Continuis bellis operibusqve militaribus indurandos exercendosqve; patriam externarum gentium spoliis, more ab avo traditô, perpetuò locupletandam, sibiqve aliarum terrarum accessione invictam potentiam circumdandam statuit. Inprimis Hibèrnia, cujus eximias dotes indolemqve legati, quos ad Regem Murchardum miserat, redeuntes multis laudibus effusius celebrabant, avaritiam ambitionemqve irritavit, teste *Chronico Manniæ*. Hanc igitur universam cum imperio suo subjugandam destinasset, classem exercitumqve validum intruxit, annôqve, secundum vulgarem calculum, regni sui nono (qui mihi ad minimum decimus quintus putatur) Norvegiâ solvit, Orcadesq; petivit; his militum tribunis satrapisqve comitatus, Sigurdo nimirum Hranii filio, sororis suæ (uterinæ credo) Skialdvöris marito, & Ulfo fratre ejus, Vidkunno Jonis seu Johannis filio, Dago Eylifi filio, Serko de Sognia, & Eyvindo Olbogi, Regis Stallario. His *Morkinskinna* adjicet Sigurdum Sigurdi filium, sed nescio quem, Ulfum Nicolai filium, Sigurdum Ullfregung & Augmundum Skoptii filium, quem peregrè cum patre & fratribus id temporis profectum constat. *Kringla* reliquæq; Membranæ tradunt in militiam ejus adscriptos, eumqve ex Orcadibus secutos, Comitum filios Magnum & Erlingum. Magnum autem cum litori Scotico advectus esset, de nocte è nave aufugisse, redditumqve terræ in sylvis se abdidiisse, inde ad satellitium Scôtiæ Regis delatum: quod cum *Morkinskinna* & *authore Historiæ Orcadensis* haud cohæret, qui id post prælium in Angliseya factum memorant. Hæbudas inde navigatum; proinfectu deinde in Irlandiam facto frequentes pugnæ, tot quoqve victoriae partæ. Ascitus in societatem belli Rex Connactiæ Mureardus, junctisq; viribus Dublinum, munita & opulenta civitas, obsessum.

Concionem in illa obsidione à Rege habitam ad præfectos suos militumqve *Morkinskinna* his verbis describit. *Notum est, aliquot expeditiones à nobis in occidentales has regiones factas, magnis itaq; perpetuis victoriis, unde magnum robur regno nostro Norvegiæ poterit accedere; multo autem majus est, quod petimus, quam quod assecuti sumus; cum regio hæc omnium rerum ubertate floreat, quæ amplissima belli præmia, inprimis mihi, deinde vobis, pollicetur. Imperium Regiæ fors est, prædam omnem pariter sortientur; nec momentaneum istud emolumentum erit, perpetuum in annos singulos continuabitur: ferax enim bonorum omnium regio, semper, quæ desiderabimus, abundè suppeditabit. Inter tamen omnes ejus provincias districtus, quem insedimus, & quam obsidemus, florentissima civitas facillè primas tenet; nec nobis militum robur aut numerus ad eam expugnandam deerit; amittimini igitur, inque maximas spes erecti opum gloriaque obtinendæ pericula contemnite.* Exceptit orationem Regis Sigurdus Sigurdus his verbis. *Ommes, Domine,*

parati sumus ad gloriam tibi periculis nostris comparandam; quod verò eventu id in hac terra fiat, ambigimus. Gens hic frequens & fraudulenta si non exiguus successus, finem tamen dubium spondet. Principia avo tuo Haraldò strenuo ad votum cesserunt: dedita civitates, provincie expugnatæ, lætos progressus luctuoso exitu finierunt. Ne id tibi eveniat (quod abominamur) verendum. Domi te remansisse, ubi rerum tibi omnium affluentia, nos amici tui optassemus. De præsentì statu, regesit Rex, jam cogitandum, nec de victoriâ desperandum, si res, ut debet, fortiter geratur. Inde civitas dolis viq̃ oppugnata victaq̃ve, præsidumq̃ve impolitum. Ipse Rex in Connactia apud Regem Murcardum hyemavit.

Primo vere in Ultoniam factò procinctu, fociò Murcardò, universam illam provinciam suæ potestati subdidit. Obsidibus deinde præsidii, quod Dublini constituit, custodiæ traditis, ipse per æstatem in insulas navigaturus cum instructâ classe in portu faventes ventos expectans, com meatibus se destitui animadvertit, misitq; ad Murcardum in Connactiam nuncios, qui repeterent necessaria ab eo; id enim antea promiserat. Dies, quæ festum Bartholomæi præcessit, reditui destinata, quæ postquam effluerat, ipso Bartholomæi festo sub ortum solis cum maxima copiarum parte ad eos, & quæ afferrent, revaginos, longius in terram conscendit. Via impedita per paludes & voragine pontibus exiguis stratas, sylvisq̃ve ab utroq̃ve latere scrobes & caveas tegentibus septa, ducebat: quæ progressi in editum collem, unde facilis in longum prospectus, provecti, silente cælo soleq̃ve splendente pulverem magnum procul prospiciunt, qui adventantium confluxum certum, hostium verò an nunciorum cum armentis redeuntium, ambiguum fecit. Monuit itaq̃ve Regem Eyvindus Olbogius, ut in tempore sibi suisq̃ve consuleret, minus enim consideratè profectos: jam Irensiùm dolis obnoxios videri, quorum perfidia aliàs satis nota esset. Jussit itaq̃ve Rex aciem ordinari; quò factò, ipse cum Olbogio eam præcedebat. Habitus ejus describitur, galea, clypeus ruber, cui aurea leonis effigies impressa, gladius acumine insignis, nomine Leggitur; quem capulus elephantinus aurò obductus ornabat: gestabat & gelum. Extrema vestium pallium sericum, inducio superinductum, cui in pectore leo flavus serico insutus, à tergo alter. Omnium judicio militis strenui speciem exactissimè referre visus est. Sed & Olbogius pallium eodem colore sericum ad formam Regii concinnatum gestabat, & ipse corporis staturâ formâq̃ve insignis.

Appropinquantibus turmis, nuncii Regii cum armentorum pecorumq̃ve numero à Rege Murcardo misso agniti: qui cuncta, quæ promiserat, executus, fidei constanter servatæ laudem meruit. Inde Rex meridiano tempore ad naves repetendas conversus, insidiis Irensiùm ex singulis fere arboribus exortorum excipitur, non sine magnâ suorum clade, quòd sparsim proficiscerentur. Itaq̃ve ut interceptam viam, quæ ad naves ducebat, agminibus hostium Olbogius animadvertit: *Imprudenter*, inquit, in tantum periculum irruimus. *Consilio in re subitâ valido opus est.* Rex tubâ singulos sub signa revocari jubet; eos autem, qui circa se, testudine facta, paulatim cedendo paludes aggredi, iterq̃ve per eas moliri, donec in patientes campos delati periculo se exemerint: *in primis curandum, ne hominacionum istorum terrore fugam respiciant; jam enim tempus virtutis & fidei in Regem suum ostendendæ adesse; spes in posterum meritis incitandas, pro eorum modo præmia expectanda & metiendâ.*

Jamq̃ve Irenses acri telorum nimbò Normannos obruebant. Quæ deniq̃ incidentia multos necârunt, alios in fugam verterunt. Rex ut dedecoris,

ris, ita etiam fugæ impatiens, cedere noluit. Sola, quòd sciam. *Morkinskinna*, rythmum operum ipsius ultimum, quem in illis angustiis ad accendendam commilitonum alacritatem fecit, conservat; quò testatur se *Dubluo delectari, animum autem à repetendâ patriâ abjecisse: esse sibi in Irlandia amicam, quam proprio corde magis diligeret*. Conjectis denique undique & ex omni angulo latebrisque singulis telis jaculisque; aliis etiam cominus rem gerentibus, Norvègi passim sternebantur, sed duplò plus Irensi-um; quod vix inter damna reputatum, cum occiso semper recens succederet, pugnamque novus identidem miles restauraret.

Ad ultimam voraginem ventum erat, cum Irensiùm impetum vimque Regi milites sustinuerant: illâ vero multis locis transitum negante, cruenta passim cæde occubuerunt. Rex itaque Thorgrimo Srinnhufæ, Uplandensi satrapæ, mandat ut voraginem cum suis manipulis transeat, inque proximum collem contendat: quò superatò, tela arcibus in Irenses conjiciat, dum Rex cum suis transeat; (erant enim sagittarii peritissimi;) se inter transeundum ipsos protecturum, Irensiùmque impetum ab iis in se averfurum. Ut autem Thorgrimus voraginem trasiit, omnes clypeis in terga rejectis, quam citissime poterant, ad naves fugerunt, destituto in extremo vitæ periculo Rege & popularibus suis omnibus. Quò animadverso: *Indecorè*, inquit, *Regem tuum deseris. Desipui cum Sigurdum Hundum prescripti, magis etiam cum te satrapam creavi; nunquam is me ita dereliquisset.*

Interea Rex cum suis rem strenuè gerebat spe eluctandi: longo enim tempore Irenses ut pecora concidebant: Cum vero acies circa vexillum rarefcere cæpit, Rex utrumque femur hastâ transfixus manubrium manibus inter crura confringens; *ita nos juvenes tabulas frangimus*, ait; utque fortiter pugnant, suos adhortatus, securi per cervicem istus lethale vulnus accepit. Quò viso omnes in fugam se conjiciunt. Vidkunus autem Jónis filius, qui illo die nunquam à latere ejus discesserat, interfectorem Regis, medium bipartitò secans, inspectante ipso; ultionem fortiter in ipso illo articulo executus est, deinde gladium Regis Leggitum arripuit: qui cognito mortifero vulnere; *fugâ*, inquit, *tibi consule, bene enim & fortiter operam mihi navasti, jamq; ab invicem dirimemur; deser itaque Regi Sigurdo aliisque amicis meam salutationem*. His dictis, Vidkunus gladio vexilloque arrepto, tribus vulneribus saucius, omnibus effuse fugientibus, cum Sigurdo Hranii filio & Dago Eylifi filio, qui diuissime ad Regem manserant: ad naves evasit, nec, ut ipse retulit, fuerat ullus, qui quicquam illorum, quæ post abitum ejus isto præliò gerebantur, referre posset. Hac fide & strenuitate, ut filiis Magni in posterum acceptissimus esset, promeruit. Cæsi cum Rege Eyvindus Finni filius; quem Olbogium *Kringla* appellare videtur, cæsumque tradit; Ulfus Hranii filius, & ut tradit *Kringla*, consentiente *Morkinskinna*, Erlingus Comitum Erlendi filius, licet author Historiæ Orcadensis prælio ad Angulseyam occubuisse testetur. Quotquot prælio evaserunt, his ducibus properâ fugâ Orcades petiunt, Regique Sigurdo, quæ gesta erant, referunt, Qui tristi nunciò percussus, constitutus (ut sola *Morkinskinna* omnibus Membris correctius habet) super Orcades Comitibus, Magno Erlendi filio & Hacone Pauli filio, unâ cum illis Norvegiam eodem autumno petit.

In vita Magni Comiti s Orcadensis veritatem hujus relationis fusè monstravimus, *Orcadam Lib. 1. cap. XVIII.* Decem annos Magnum regnâsse juxta receptam opinionem traditur. Ego ex rationibus supra monstratis quinque aut

aut sex annos imperio ejus addendos patrisque demendos existimo, ita ut vel quindecim vel sedecim regnaverit. *Ordericus Vitalis Lib: XI. pag: 812 de bello Magno fatali ita scribit. Denique, ait, quidam faceti & eloquentes ad eum in dolo venerunt, & frivolis sponsonibus eundem deceperunt, & de navibus egredi, ut provinciam viseret, atque ad subjectionem sui reciperet, cum paucis persuaserunt. Ille verò perfidis male credulus, ferratos in litore cuneos reliquit, & usque ad duo milliaria seductores secutus, perniciem suam quæsit. Ibi enim ingentes inimicorum catervas latitantes invenit. Quibus de latebris prosilientibus, audax Nordvigena fugere dedignatus, præliari fortiter cepit. Pauci contra innumeros resistere nequiverunt. Magnus Rex dorsum ad arborem stans convertit, & clypeo protectus missilibus plures sauciavit; sed multitudine oppressus, pro dolor! interiit. Quidam locuples Lincoliæ civis thesaurum Magni servabat, eique ornamenta & vasa, vel arma, vel utensilia, vel alia regalibus ministeriis necessaria, suppeditabat; qui mortem Regis comperiens, ad domum suam festinavit, & de regali thesauro negotiatus divitiis admodum exuberavit. Anglorum autem Rex ut sepefati Regis occisum audivit, quasi onere ingenti allevatus exultavit, & post aliquod tempus à Lincoliensi civis predicti principis ararium exquisivit. Denique civis veritatem commissi primò celatitia, ut fertur, libras argenti abstulit.*

Erat Magnus princeps magnanimus & strenuus, fortis & industrius, corporisque & animi viribus juxtà inclytus, avoqve paterno quàm patri simillior. His consentit *Ordericus Vitalis pag. 767. dum dicit illum fuisse corpore fortem & formosum, audacem & largum, agilem & probum, & multâ honestate conspicuum. Opum & gloriæ supra modum erat studiosus, nihil pensi habens, jure-ne an injuriâ acquireret: in captis pertinax, exequendis intrepidus, pacem intra regnum tutam conservavit, foris omnia turbavit, civibus expeditionibus, delectu gravi & impensis onerosus, militibus indulgens & acceptus. Notatum responsum ejus, cum ab amicis increparetur, quòd peregrina regna laceffendo imprudenter se periculis offerret: Non vobis, respondit Rex, diuturnitate vitæ, sed visio-riis & gloriâ metiendus sum. Staturâ fuit procerâ, quæ tamen pari intervallò à patre Olafò superaretur, atque is à suo patre Haraldo Strenuo; id quod tres cruce, pari distantia ab invicem diremptæ, quæ parieti ad fores templi B. Virginis, quòd Nidarosiæ consistebat, incisæ erant, singulorum mensuram exprimentes, indicabant. Acquisitis provinciis, vel regno restitutum, inter fumos Reges est memorandus. Sepultum fuisse juxta Ecclesiam S. Patricii in Duno *Chronicon Manniæ* tradit.*

Post mortem Magni Haraldus Kesia, Eirici Semper-Boni Daniæ Regis filius, filiam ejus Ragnhildem, fratribus virginis conciliantibus, uxorem duxit, ex qua filios suscepit Magnum, Olafum, Knutum & Haraldum. Aliam Magni Nudipedis filiam, nomine Thoram, uxorem duxit Loptus presbyter Islandus, Sæmundi Polyhistoris filius, qui paternum prædium Oddam incoluit; tunc quidem parentis generisq; Regii ignaram, quod postea emerfit, suffragiisque Regum sequentium approbatum est.





HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ
LIBER OCTAVUS,
CONTINENS HISTORIAM FI-
LIORUM MAGNI NUDIPEDIS,
SIGURDI, EYSTEINI, ET OLAFI.
DE REGNI INTER FRATRES DIVISIO-
NE SIGURDIQUE HIEROSOLYMPETÆ SUSCEPTA
PEREGRINATIONE, ET EJUS IN ITI-
NERE GESTIS.



pubertatem, quippe tantum excessit.

Antequam verò Sigurdus Orcadibus excederet, Magno Erlendi filio & Hacone Pauli insulis præfectis, filiam Myrkiartanis Connactiæ Regis domum ad Regem remisit. Causam prætexuisse *Morkinskinna* tradit, post casum patrem rerum omnium Occidentalium ingens tædium. (Errat *Order Vitalis*, qui Magnum ipsum duxisse existimat, remissam tamen consentit, eò quòd Irenses pacta rupissent: nostri fidem à Myrkiartane Magno egregiè servatam testantur.)

Initiò triumviratùs eorum, qui Skoptium Augmundium secuti, alii Hierosolymis, alii Constantinopoli redeuntes, istà peregrinatione celebres, multa Norvegis inaudita referèbant: inter alia de stipendiorum affluentia,

tia, quæ ab imperatoribus Constantinopolitanis in milites erogarentur, quibus admittendis utramque manum recipientium occupari. Allecti inde procerum multi, provinciarumque præfecti, pluresque de plebe gloriæ opumque cupidine eò proficisci statuentes, ducem expeditionis alterum Regem postulabant: qui haud ægrè consentientes instrui cõmunibus impensis classẽ, & quæcunqve ad tam splendidum iter requirerentur, sollicitè curabant; quibus paratis, placuit ut Sigurdi ductu proficerentur; Eysteinus interea regnum universum regeret. Ante triennium Eiricus Semper-Bonus Daniæ Rex, idem iter ingressus, in insula Cypro diem suum obiit, sepultus in civitate Basta. Tenorem itineris illius Saxo fuscè, sed *author vitæ Knýlingorum* parcè, carmen *Marci Skeggini* secutus, hoc modò describit. Comitibus longè celeberrimis proceres populumq; edictò evocatum, luculentâ oratione certiores facit, se iter in terram sanctam facere Hierosolymam usqve decrevisse, præmissisqve gratiis ob fidele obsequium cultumq; sui, Danis perpetuò veluti religiosum, provisorium se in absentia de duce industrio regno pollicetur. Filium igitur Haraldum, cognomentò Kefiam, Daniæ præponit, Eiricum itineris comitem assumit; Knutum ducatu (quod nescio, an rectè scriptum, cum id temporis Comitatus esset) Heidabyensi cum adjecto territorio donat; Nicolaum fratrem sibi, si quid humanitus accidat, substituit, ætatis legisq; successoriæ à patre rogatæ privilegiò, sub conditione restituendi regni filio Knuto cum adoleverit; quem etiam proceribus enixè cõmendat. Præcipui regni proceres, virorumq; nobilitas præclara, comitatu eius se aggregant. Hujus itineris famâ percrebescente, legatio splendida à Rege Francorum, Philippo credo, id nominis Primo, cum magno munerum apparatu ad Eiricum directa. Constans quoque fama tradit, eodem tempore pacem inter Imperatorem Henricum & Eiricum factam stabilitamque mutuis muneribus ultrò citroque missis: copias quoque auxiliares ab Imperatore Regi missas carmine prodit encomiastes ejus Marcus. Eodem tempore Auffer, seu Afferus, Archiepiscopatum Lundi Scanorum auspiciatus, feliciter etiam longo tempore direxit, in quem, auctore Rege, universus clerus, laiciqve omnes consentiebant; atqve ita studiò & industriâ Regis Ecclesiastica jurisdictio Bremensi Ecclesiæ erepta in Daniam translata est, laudabili instituto, si intra istos limites, quibus ab initio continebatur, sacerdotium istud stetit. His peractis iter splendido comitatu ingreditur, copiis pedestribus equestribus permixtis, nullam civitatem adiit, quin ab Ecclesiasticorum collegiis, in occursum ejus profectis, pompâ, quam processionem appellant, Sanctorum reliquiis obviam prolatis exciperetur. Constantinopolin devectoris rari apparatus convivio ab Imperatore Alexio Comneno excipitur. Inter magnificentissima spectacula, quæ ibi celebrari solebant, ludus erat, ab urbe quadam Padreimo Padreimius dictus, non minori, quàm Semilastæ, ut vocant, auri impensâ, permissumq; Regi illud spectaculum edi, an impensam muneris accipere mallet: aurum prætulit, quòd viaticum quotidie sumtuum magnificentiâ exhauriretur, restaretq; longa via ad destinatos peregrinationi limites; quatuordecim præterea longæ naves ab Imperatore donatæ, vestesque solennes, quibus ipse indutus festis celeberrimis proceribus & populo se ostentare solebat, multa præterea alia; dimissusqve Rex profusissimâ amicitia honorisq; significatione Cyprum navigavit: ubi in morbum incidit, quò confectus gloriosam vitam maximo suorum luctu in honorum culmine finivit. Doni tam magnifici ab Imperatore in Regem collati notitiam car-

mini

Marci Skeggini, quod *Historiæ Knylingorum* insertum est, debemus. ut & cæterorum, quæ exposuimus. Octo annis regnâsse traditur, asper hostibus, sed acer finium suarum vindex, facinorosis formidolosus. rigidusque pænarum exactor, piratarumque & latronum terror, proborum delictiæ.

Hunc imitatus, vel potius piò zelò rem Christianam adversus Turcas promovendi actus, Sigurdus, annò tertio, aliis (& ut puto, rectius) quartò, à morte patris, à nato Salvatore MCVII. postquam multis exactionibus, quas priores Reges Comitesque invexerunt. hi fratres cives suos levâssent, tantoque beneficiò obstrictos sibi conciliâssent, aut non navibus sexaginta ex Hòrdia solvit, primòq; in Angliam evehus, apud Regem Henricum Wilhelmi Conquæstoris filium in hybernis constitit. summis officiis & effusis studiis exceptus. Primò vere Gallià ad lævam relictâ, ad litora Galleciæ serò autumni pervenit, pactusque cum præfide loci rerum venalium, & quæ ad victum pertinerent, usum, pacatè se ibi hyemem sine ullius injuriâ exacturum pollicitus est. Tenuit id ad festum usque Salvatori natale; sterilis autem terra & annonæ parca peregrinæ multitudini sine propria egestate alendâ cum minus sufficeret, princeps deinde præbendorum alimentorum curam abjecit. Rex pactum ruptum contestatus, armis castellum aggreditur. Princeps autem, omisâ resistendi curâ, maturè fugit, quòd viribus ad tantam vim repellendam destitueretur. Nullo igitur negotiò potitus castrò Sigurdus, ad naves cibariorum copiam cum omni præda transfert. Mox Hispanias petens, cum plurimas gentilium triremes obviam haberet, octo earum cepit, reliquas profligavit, versu *Haldoris Skvaldris* superstitute teste. qui hanc pugnam ejus primam memorat: cui subjungit alteram, cum in terram descendens, propugnaculum, quod Sintrium vocant, à Saracenis occupatum, obsidione cinxit; adhortatusque suos, *præclare de incolis Christianis, quos eruptionibus continuis & latrocinis lacefferet barbara coltroies, merituos, si diruto, unde damnum sentirent, castello, eos tantâ peste liberarent; immortals beneficii nominisque Norvegici memoriam gloriosam ad omnem posteritatem transmissuros.* Facile erat eos, qui ad Christianam rem promovendam in remotissimas oras profecti pericula ultrò deposcebant, in suos Dei que hostes incitare; itaq; propugnaculum suâ vi adorti, cum in potestatem Regis redegissent, infessoribus vitæ, si in Christi nomen jurare vellent. copia facta est; id cum omnes & singuli constanter abnuerent, supplicio mortis multati sunt, prædæ multum ablatum. Metropolitin deinde Lusitaniæ Olyssiponem, totumque illum occiduum tractum, quem hinc & illinc Saraceni aliæque à Christianis sacris averfæ gentes tenebant, armis aggressus Rex, acri licet præliò, difficulter tamen devicit; quassos enim ariete muros cum ex parte diruisset, intra urbem fortiter excipitur, magnâque suorum clade victoriâ tandem potitur. Ipsi in primis promittitudo isto præliò celebratur. Cæsi quotquot Christianum nomen dogmaque averfabantur, reliqui deditone recepti: opulentæ civitatis præda ad instruendam expeditionem plurimum contulit.

Tanto successu sublatus ad ulteriora contendit. Urbs erat in occidua illa parte, quam pagani tenebant, sita, Alcastâ nomine; hanc quoq; Rex adoritur, expugnat, atque diripit, cives occidit, urbem denique vastat. Inde Herculeum ingressus fretum, incidit in triremes piratarum, quæ ut alias semper, ita & tunc prædis inhiantes, præternavigantium spoliis mercidibantur. Verùm secus atque opinabantur, res cecidit, cum loco mercato-

rum in Regiam inciderent classem, roburq; Norvegorum haud ipsis minuitur formidandum, quàm ipsi mercatoribus; nec tamen animos demittunt; cominus eminusque alternis congressi sustinent impetum Regionum, vel ultrò laceffunt, nec sine mutuâ clade pugnatur; ad ultimum fessi rebus desperatis in fugam vertuntur, magnâ parte suorum cæsa.

Superato fretò, ulterius ad insulam, quæ Formintera, Latinis olim Colubraria, Græcis Ophiusa dicitur, devenerunt. Ibi dum in stativis classis detineretur, cognitum, magnam Æthiopum manum speluncam quandam occupasse, aggereque lapideo propter fores excitatò se tutos ab incolarum incurfibus præstitisse, crebris deinde excursibus viciniam infestasse, conjectisque in antrum, fortunarum suarum domicilium, rapitis undique spoliis, oportunitate loci superbientes, quicquid vicini molirentur, parvi pendere. Rex consensâ insulâ, ad oppugnandum antrum se accingit. Per ardua præruptaque procedendum erat, priusquam ad aggerem perveniretur: ei rupes quædam supernè impendebat. Confissumunimento pagani oppugnantium Nordmannorum impetum interriti propulsabant; cumque saxa in eos devolvere è superiore loco, nullo suorum labore, illorum certò detrimento, pronum esset, hoc eos tormenti generare sine cessatione impetebant. Desistebant igitur cæptis in præfens Norvegi, dum Rex, quid maximè in rem esset, consultaret. Interea pagani byssum resque alias pretiosas in aggerem exponentes, irridebant simul eos & insectabantur convitiis, superbeque provocabant. Rex majoris generis cymbas duas (Barca appellant) supra rupem elevandas curavit, catenis deinde funibusq; per transtra prorasque & puppes monti affigendas, quibus sagittarios imposuit, qui ex demissis ad fores usque antri naviculis omne genus missilia tela lapidesque in propugnatores ingererent, donec tantis viribus sustinendis impares stationibus decederent. Tum vero Rex cum omnibus copiis effracto aggere antrum ingreditur. Medio antrò alter agger arcendo ingressu ædificatus, receptum latronibus effusè intra septa se conjicientibus præstans, Norvegos impediabat, ne sine certa pernicie eò pervenire possent. Rex igitur arborum magnarum stipites, in ingentem acervum aggestas, antri foribus inferri, ibiq; incendi jubet. Fumus inde flammaque in ora obsessorum involans, cum antrum implevisset, multos eorum enecabat; alii id genus supplicii abhorrentes, instrictos Nordmannorum gladios ruebant; ad unum omnes occisi, tantaque præda parta, quanta nullo antea præliò, ex quo domo profectio instituta est.

Ad insulam inde proximam Ivusam, seu Yvicam, navigatum, quæ Ebusi nomine veteribus innotuit: manus cum incolis confertæ, victoriæque non sine ingentibus spoliis parta. Utraque insula, Ebusus & Colubraria, Pityusæ à pinuum illic nascentium multitudine dicuntur, *Plinio Diodoroque* testibus.

Ad Majorcam deinde cursus directus, laceffitaque urbs cognominis. Inde octo præliis, toto itinere victor, Siciliam Rex verno (sola *Faguriskinna* autumnum monstrat) tempore petit; quam illâ tempestate Rogerius imperiò tenebat. Pater ei Rogerius Gibbosus Comes Sicilia, ejusque à Saracenis liberatæ vindex, avus Tancredus Dominus de Hanteville, seu Alta villa, Richardi Secundi Notmanniæ ex filio Richardo, ut quidam statuunt, nepos. Hujus Rogerii patruus Robertus Gviscardus, Dux Sicilia, Apuliæ & Calabriæ Tancredi filius. Alter patruus Gvilielmus Feribrachius, Comes Apuliæ & Calabriæ, qui Græcos Apuliâ expulit. Undecim

decim in universum patruos habuisse dicitur; duxit enim Tancredus duas uxores, ex priore Gvilielmus Ferrobrachus, Drogus, Wifredus, Gvifcardum, Gvilielmus & Serlo nati. Postiore Fredesende, Robertum, Gvifcardum, Malgerium, Gvilielmum, Alveredum, Humbertum, Tancredum, & natu inter fratres minimum Rogerium, hujus Rogerii patrem, suscepit: qui gloriâ rerum gestarum & ditionis amplitudine atque diuturnitate cæteros facile superavit. Erant singuli manu prompti, consiliô boni: temeritatem ratio comprimebat, metum depellebat audacia. Ditionis paternæ angustia confistricti, veritiquè ne hæreditate dividendâ rixæ & contentiones subnascerentur, aliò migrandi consilium cæperunt.

Italia in plures principatus divisa intestinis motibus æstuabat. Siciliam & vicinas Inferi Maris insulas Mauri obtinebant. Virtutis ostentandæ occasio ex utraque parte oportuna se afferebat. Majores natu fratres cum militari manu primò petiverunt Italiam, & cum in Gallia togata virtutis specimen edidissent, in Hetruriam, inde in Campaniam, concesserunt, ubi Capuanus & Salernitanus principes armis de finibus certabant, Capuano primùm adhæserunt, deinde liberalioris militiæ spe Salernitano Victoriâ partâ, bellôq; sedatô, irvitati à Georgio Maniace, qui Magnæ Græciæ & Apuliæ parti pro Græcis præfectus erat, in Siciliam adversus Mauros transmiserunt, eo profectò tempore, quo Haraldus Strenuus, postea Norvegiæ Rex, præclaras ibi res gesserat. Brevi operæ pretium factum; multæ in illâ insulâ urbes ad Christianam ditionem restitutæ sunt, victi acie fugatique barbari, millia quingvagingenta duce Maniace prostrata, Siciliaque universa recepta; mox inter Græcos & Nordmannos suspiciones & similitates nata, superati Græci fugatique, fratres bellô victores in Sicilia atque Italia ejus principatus fundamenta posuerunt, quæ brevi in justum imperium excreverunt. Cæteris fratribus extinctis, tandem in Roberto Gvifcardo constitit, atque Rogerio. Robertus Apuliæ atque Calabriæ Dux fuit, Rogerius Siciliæ Comes. Ex eo natus est Rogerius, de quo nobis sermo. Hic Sigurdum Regem, qui ibi diutius morabatur, ad convivium invitatum, omni magnificentia genere prolixoque benevolentia declarandæ studio cum numerofo comitatu excepit. Ipse singulis diebus ad mensam ministri partibus fungens, in septiduum istud officium produxit. Tandem die octavo, cum illatô pollubrô manus convivæ lavissent, Sigurdus, apprehensâ Comitis manu, eum in folio apud se collocavit, Regemque pronunciavit, jussitque ut in posterum Regio titulo jureque Siciliæ imperaret. Sola *Fagur skinna* octavo festi Jolensis die hoc factum memorat, Regemque in Sicilia tertiam hyemem transgisse, cæteris reclamantibus, tradit. Hunc nostrates Siciliæ Regum deinceps potentissimum factum tradunt, Apuliam enim sibi subjecisse, cum multis insulis magnis in mari Græco: ejus filium Vilhelmum Siciliæ Regem, qui longo tempore bella cum Imperatore Constantinopolitano gesserit. Vilhelmo filium nullum, tres filias fuisse, unam harum Henrico Imperatori nupuisse, ex qua Fridericus ille natus sit, qui scriptoris hujus tempore Romanus Imperator fuerit. Aliam Vilhelmi filiam sociatam Duci Cypri. Tertiam Margritæ Archipiratæ (usitatusa) utrumque ab Imperatore Henrico occisum. Filiam Rogerii Siciliæ Regis Emanueli Imperatori Constantinopolitano matrimonio datam; filium ex ea natum Alexium Imperatorem.

Hæc nostri Scriptores tradunt, in quibus multa observanda occurrunt, & primo loco de Regio titulo Rogerio à Sigurdo ingesto; id licet à more externorum Principum alienum sit, in septentrione tamen recep-

tiffimum erat, ubi ne Regia quidem sed rustici primarii vox requirebatur. Cupidus tituli Rogerius ad præstruendum aditum ad id, quod expectabat, usum Septentrionis (unde ei genus) haut invitus in gentem suam revocari scivisse videtur, postea confirmationem a Pontifice expectavisse. Sed nec conveniunt scriptores in annò, quò Regium nomen cæpit usurpare. *Calvisius & Petavius* annum MCXXX. assignant, *Henricus Mutius MCXXXVIII, Robertus de Monte MCXLII. Hoffmannus in Lexico & Gerbardus Vossius de Historicis Latinis Lib. II. pag. 430. in Alexandro Celesni canobii Monacho MCXXXIX. Phrygio MCXX. Chronici Norvegici Danicis typis impressi Scholiastes pag. 404* tradit Chronicis contineri, Rogerium se Regem appellari voluisse anno MCII (quo anno certè ad principatum pervenit, qui hic cum Regio titulo confunditur) id quod nostris avtographis non continetur, quemadmodum nec versus, quem gladio suo inscribicuravit, quò subjectas imperio suo ditiones complectitur, hac forma:

Apulus & Calaber, Siculus mihi servit & Apher.

Id vero cum his nostris repugnat, cum Sigurdus in Siciliam eo tempore non pervenerit. *Bromtonis Chronica pag. 1011.* tradunt Ludovicum Franciæ Regem Rogerium ipsum Regem fecisse, capitique ejus coronam imposuisse, cum causâ peregrinationis terram Sanctam cum uxore Alionora peteret, circiter annum MCXLVII.

Alter scrupulus in liberis Rogerii occurrit. Nostri nullum filium habuisse falsò asserunt; Gvilelmum cognomento Malum plures ponunt; alii etiam Rogerium, tertium Apuliæ ducem, cujus filiam Constantiam, quæ Henrico Sexto Imperatori nupsit, faciunt, afferente *Claudio Christophoro Lyschandro in Libro genealogiarum Serenissimorum Daniæ Regum, quam tamen Benevenutus de Rambaldi Librò Augustali Gvilielmi optimi Siciliæ Regis filiam agnoscit, Rogerii primi illius Regis, de quo nobis sermo proneptem, Dyonisus Petavius, Hen. Mutius, Crantius Metrop. lib. VII. cap. XIII.* pluresque alii hujus primi Regis Siciliæ Rogerii filiam eam statuunt. Ducem Cypri quod attinet, eum ab Henrico VI. Imperatore occisum non invenio, captum à Richardo Primo Angliæ Rege anno MCXCI, inque vigilia Pentecostes populari ejus pro mancipio donatum *Calvisius* ad eum annum notat, Isaciumque Comnenum appellat, cujus tyrannidem Nicætas Choniates fusè describit: *Bromton* quoque hæc dilucidius explicat. De Margreta *Krantius Metrop. Lib. VII. cap. XVII.* hæc scribit, Imperator, (de Henrico Sexto loquitur) cepit Salernum, cepit etiam Margaretam potentissimum piratarum, qui ipsum dolo voluit occidere. captum autem excæcavit. *Nicetas Choniates de Isaacio Angelo Lib. I cap. V.* Margeriten appellat, Ducique Cypri prænominato operam suam collocasse, adque Siciliæ tyrannum ut Dominum suas actiones retulisse perhibet. An hic filiam Vilhelmi duxerit, definire nescio. Vox autem *Isfusari* non perinde in omnibus exemplaribus scribitur, alia enim habent *Isfusari, Fagurskinna isfusarsari* pravè quidem; aliud *isfusari*: mihi licèt vox illa nusquam alibi occurrerit, a cursu, qui nobis cess dicitur, ducta tamen viderur: nautæ enim *isfusari*: cursum, tenere dicuntur: Inde forte piratæ, quòd maria percurrant, *cussarar* appellati, & *isfusari* archipirata (Præpositio enim *isfusari* quod *supra* denotat) qualis hic Margaretas (ita enim in alio exemplari scribitur) *Krantio* describitur. *Sberingbamus de Originibus Angliæ pag. 202* Chorfaros piratas significare tradit, vocemque è *Plinio* adductam merè Gothicam esse contendit, indeque ad Italos, Gallos & Hispanos defluxisse. *Italis Corsario, Hispanis Cosario, Gallis Corsaire* pirata est.

An Rogerii filiam Manuel imperator Græciæ duxerit, exque ea filium Alexium, ab Andronico postea sublatum, sustulerit, ex aliis authoribus compertum non habeo. *Chronica Normanniæ* ad annum MCLXI Boamundi secundi filiam uxorem ei assignant. *Claudius Lyscbander pag. 366.* Mariam hanc non Boamundi Secundi filiam, sed Reinaldi Lusitani ex filia Boamundi Constantia neptem fuisse affirmat, quarto marito procreatam. *Nicasas Choniates Lib. III. cap. V.* Petebini Antiochiæ Cælosyriæ primariæ urbis satrapæ filiam, secundis nuptiis sibi sociasse Manuelem perhibet. Observandum præterea, hæc à *Snorrio Sturleo* scripta non esse; dicit enim author, editum Henrico Imperatore Friderico Imperatore, qui jam imperaverit, loquiturque de mortuo; ejus autem suprema Snorrius novenniò anteverit, occisus in Islandia, in prædio suo Reykiaholto, mandato Comitiss Gissuriss, qui filiam ejus jam mortuam uxorem prius duxerat.

CAP. II.

DE PROFECTIONIS CONTINUATIONE,
ET IIS, QUÆ HIERSOLYMIS ATQUE IN EXPUGNATIONE SIDONIS EVENERUNT.

Sicilia Sigurdus rectè Aſcalonem, transmiſſo Ægæo mari, pervenit, *Emaris Skulim* verſuteſte. Inde Hieroſolyman petens, maximo apparatu à Baldvino Rege excipitur, qui eum ad Jordanem deduxit, iterumque Hieroſolyman, ubi exitu autumnii initioque hyemis longo tempore moratus, ſplendido convivio à Rege excipitur, multisque pretioſiſſimis donariis, Sanctorumque, quæ vel maximi id temporis fiebant, reliquiis honoratur. Præcipuum munus erat particula crucis Domini, à Patriarchâ loci donata, prævio tamen juramento Regis procerumque duodecim, quò ſe obligabant ad rem Chriſtianam pro virili promovendam, ſedemque Archiepiſcopalem in patriam ſuam transferendam, ſi fieri poſſet, locumque tum ei, tum particulæ crucis, deligendum Nidarosiæ, ad ædem ubi S: Oſi reliquiæ requieſcerent, inducendas decimas Chriſtianis uſitatas, exemploque à ſe ipſo ſumpto morem iſtum firmaturum. De his *Morkinſkinna* talia ferme habet: Rex Baldvinus Sigurdo cum univerſo ſuo comitatu ſplendidum convivium præbuit, cumque ſimul magna lætitiâ conſiderent, ait Baldvinus, *fama hanc mendaci cognitum ſibi, quantâ iſta profectioe, alacritate, induſtriâ, ſucceſſuque rem Chriſtianam juverit, tot ethnicis ſuſis, aut propugnaculis, unde damna Chriſtianis dederant, dirutis, magno ſalutis ſuæ commodo, ſpeque venie delictorum a ſuperis impetrandæ; his adceſſiſſe honorem ſui, principumque, qui in ſacra militiâ occuparentur, inviſendorum; par itaque eſſe, ut grato animo tanta ejus ſtudia, labores & impenſas agnoſcerent; decretum itaque, majore honore ipſum, quam ullum alium principem, qui iis temporibus eos acceſſerit, aſſicere; itaque poteſtatem ei fieri rei illius expetendæ, quam ſibi ſuoque regno maximo ornamento futuram exiſtimaret. His auditis, poſt actas pro tantâ benevolentiâ gratias, deliberandum ſibi reſpondit, quid ſibi poſſimum expetendum. Finito demum, quod in dies hanc paucos extrahebatur, convivio, concluſit; nihil ſibi, nihil regno ſuo, vel in præſens, vel in futurum, ſalubrius fore aut glorioſius, quamſi portionem ligni Crucifixi Dei ſupplicio nobilis, in patriam deferret; neque enim ullam particulam crucis illius*

*illius, quæ Hierosolyma reservaretur, in Septentrionem pervenisse, sed tantum partis illius, quæ Constantinopoli religiose custodiretur. Helenam quippe Imperatoris Constantini matrem dissecandam curasse crucem primò inventam, partemque illam, quæ aversa à corpore Domini erat, minusque sanguine perfusa, ad filium Constantinopolim misisse, pretiosorem Hierosolymis remansisse. Paucorum deinde dierum decursu, adito Rege Baldvino, Sigurdus principes in concilio advocari postulat; quò obtentò, magno verborum apparatu Regis Hierosolymitani benevolentiam in se exponit: in primis potestatem sibi factam rei, quam vellet, expetendæ, magnopere celebrat, præviis ad Deum precibus succurrissè particulam Divinæ crucis expetendam. Quo audito Baldvinus, majoris momenti rem agitari respondit, quàm quæ in sua potestate esset: Patriarcham, Episcopos, ordinisque sacri præcipuos principes, simul de tanta re consulendos: nullum ad eum diem tam potentem Regem eos accessisse, qui id impetraverit. Hi deinde consulti, arbitrium rei tantæ Baldvino quidem commiserunt, licet haut obscure præse ferrent, denegandum potius videri, nec tam sacrosanctum cimelium Sigurdo permittendum. Ad ea Rex Baldvinus respondit; *se equidem hic certam Numinis providentiam agnoscere, quod seriis precibus sollicitandum, nequid temerè in re tanti momenti fiat, quod sibi aut illis ad salutis damnum negat. Ceterum cum cognitum sibi sit, quod pii homines, inque Christianâ religione probè exculti, regnum ejus incolant, ibi etiam Rex Sanctus, nomine Olafus, amicus Dei, requiescat, placere ut ipsi tantum donum mittatur, exorneturque & urbs ejus, & regnum Sigurdi, tanto tam eximio munere, modo Rex juret, se ibi particulam illam, nec alibi, collocaturum, aliaque, que in usum publicum Ecclesiæ profutura injungerentur, executurum. In hæc cum singuli consensissent, Baldvinus impetraturum pronunciat, si ipse cum undecim procerum suorum jurare velit, se portionem crucis in templo S: Olafi collocaturum, nec alibi: ad Christiana sacra promovenda omnem operam enixè navaturum, reliquaque, quæ antea retuli, effecturum. Ad ea ille respondit, *reduci sibi in patriam dedecori futurum quòd tam longum iter adjurandum, tot virorum vadimonio firmatum, profectus fuerit* (id enim probrosum habitum in Septentrione fuisse exemplis aliis constat) *se tamen id minus curaturum, modo Patriarcha cum duodecim presbyteris consimiliter jurejurando adstruat, reddi sibi de illâ ipsa cruce portionem, a qua filius Dei pependit, dum pateretur & moretur;* quod cum is se facturum promississet, particula de cruce desumpta est, jurisjurandi fide utrinque interpositâ. Mox plures sacræ reliquæ Regi multaque alia pretiosa munera data. In flumine quoque Jordane corpus ablutum, sed & magna gaza in Sepulchrum Domini aliaque loca sacra à Sigurdo impensa; *Thorarino Stutfeldo hæc duobus versibus celebrante. Inde Rex ad navem, Akursburgum utique, quæ Chronico Hierosolymitano Ascalon est, Fulberio Carnatensi Proломæis, profectus est; quo tempore Baldvinus ad urbem Siria Set (Sidonem) oppugnandam se convertit, cui Sigurdus se adjunxit. Eam verò pagani tunc incolebant. Hæc arctâ obsidione pressa, cum defendi ultrâ nequiviret, reqve ad extremam desperationem pervenisset, tandem deditioe capta est; præmium victoriæ pars civitatis, quæ Sigurdo obtigit, Baldvino data, *Haldore Skvaldrjo* canente. Magna inde præda congesta, teste *Emare Skulino*. Secundum illam victoriam, converso itinere, relicta Siria Cyprum navigat. Hic igitur subsistendum, dum Chronici Hierosolymitani relationes, à *Reimero Reineccio* Steinhemii editi, inferuntur, ut inde colligi queat, quid hic à nostris, & nostri ab illo differant.***

CAP. III.

CHRONICI HIERSOSOLYMITANI RELATIONES DE HIS EXPONUNTUR, ORDERICI QUOQUE VITALIS ET FULCHERII CARNATENSIS.



Interea frater (inquit laudatum Chronicon Lib. XI. cap. XXVI.) Regis de Norvegia, Magnus nomine, in plurimo apparatu, in multa armatura, in manu robusta, in buzis quadraginta, in decem millibus virorum pugnatorum, per biennium in circuitu spaciosi maris a regno suo enavigans, in portu Ascalonis civitatis anchoram integris horis diei ac noctis fixit, ut videret, si aliqui viri à civitate terrà vel mari sibi occurrerent, cum quibus ex industria aut eventu aliquot certamen iniret. Sed Ascalonitis silentio compressis, & minime prodire audentibus, postera die Iaphet applicuit, desiderio adorandi in Ierusalem. Et cap. XXIX ita scribit. Navalis vero exercitus, qui à Babylonia eruperat, & Christianis per mare insidias parabat, a Baurim Ptolemaidem divertit. Et plurima vi in malorum altitudine præcipientes, adeo urbis defensores aggravantes bello vexaverunt, ut totum portum fere per dies octo in navium multitudine & fortitudine invadentes obtinuerint. Interea dum in hac urbe Ptolemaide magna fieret desolatio, & vix catena portus hostibus obfisteret, ne urbem apprehendissent, Rex Baldevinus & Bertrannus ab Antiochia & Robas cum omni manu adhuc indivisa reditum parabant. Qui audita Babyloniurum adunatione & oppugnatione adversus Accaron, velociori via accelerabant, ut suis subvenirent, & ab hostili impugnatione liberarent. Cap. XXX. Verum Rex parte sui exercitus in auxilium Ptolemaidensibus civibus Christianis relicta ex consilio prudentium virorum, primum Ioppen ad Regem de Norvegia divertit, ut ex ore illius audiens, sciret, quid primum instare & adimplere posset. Mox omni amoris vinculo federatis, Rex nomine Magnus Baldevinum Regem obnixè precatur, ut viam secum ad orandum in Ierusalem inisset, ex Domini Iesu auctoritate, qui jubet fideles suos primum querere regnum Dei, & postea omnia profutura querentibus invenire; deinde agere quæcumque eligeret, aut civitatem suo navali exercitu obsidere. Baldevinus Rex votis Regis Magni & suorum primatum cum omni benevolentia satisfecit, & Ierusalem, sicut devoverat, se cum eis iturum non negavit. Ascendentibus itaque utrisque Regibus in sanctam civitatem, universus Clerus in albis, & in omni cultu divine religionis, in hymnis & Canticis cum universis civibus & populis occurrerunt, & Reges cum omni comitatu suo usque ad Dominicum sepulchrum in voce exultationis abduxerunt. Rex siquidem Baldevinus Regem Magnum manu honorificè ac familiari amore ducebat, juxta Apostoli vocem, qui ut honore invicem præveniamus, nos adhortatur. Ducebat quidem eum ac docebat omnia loca Sancta, & ea, que nota habebat, ac multo obsequio & regali apparatu per dies aliquot eundem procurabat. Deinde ut magis ac magis amore ac fide firmarentur, ad fluvium Jordanis in manu forti cum eo descendit, ubi catholico ritu in nomine Domine Iesu peracto, Ierusalem ipsum Regem Magnum in gloria & jucunditate sanum, & ab omni turbine tutum reduxit. Cap. XXXI. Post hæc Ierusalem reversi, convocata Ecclesia, decreverunt communi consilio Sagittam vel Sidonem, que multa peregrinis damna & calumnias inferens Regi sæpius resisterat, obsidere terram marique, & nunquam ab ea recedere, donec urbs capta in manus Christianorum

rum traderetur. Nec multa mora, Rex Baldevinus & Bertrannus, acceptis copiis, in apparatu copioso castra metati sunt in obsidionem urbis Sagittæ, machinas & tormenta lapidum instituentes, quibus urbs per singulos dies oppugnaretur. Movit pariter ab Ioppe Rex Magnus navales copias, & applicuit ad urbem Sagittam, ut eam à mari obsidens & expugnans, nullum introitum aut exitum hac in parte pateretur. Horum tam fortium virorum, & magnorum Regum apparatus, & vires terra marique adesse intelligens, navalis exercitus Babylonie à portu Ptolemaidis & ejus impugnatione secessit, ad portum Sur, quæ est Tyrus, illic moram faciens, ne Rex Magnus repertos in obsidione Ptolemaidis navali certamine disturbaret. Sed tamen aliqui ex Babylonis, buzis velocissimis freti, hac & illac mediis aquis plurimo inferuntur conamine, si forte aliquo eventu catholicos viros superare & abducere valerent. At Babylonis minime successit, unde Baldevini Regis audaciam & industriam metuentes, remensis aquis Babyloniam reversi sunt. Cap. XXXII. Baldevinus Rex & Bertrannus accitis copiis, obsidionem à terra statuunt, Rex de Norvegia cum omni manu sua anchoras figens, versus mare sedem in circuitu urbis statavit. Sic locata obsidione toto conamine in assultu & crebris ruinis muros & turrets urbis angustiantes, civibus e contra in armis & tormento lapidum abintus fortiter resistentibus, machinam multis diebus compositam applicantes, viros in arcu Baleari in ea posuerunt, qui altitudine foliorum machina eminentes, desuper muros per urbem & turrets & ejus menia specularunt, & sic per vicus & plateas gradientes plaga intolerabili arclarunt. Cap. XXXIII. Civis autem videntes machinam altitudine urbem superare & civibus nocere, noctis in obscuro cavationem sub murorum fundamento plurimo conatu & mira industria fecerunt, ut facta cavatione trans muros usque ad stationem machinæ ligna arida & ignis fomitem comportarent, & his subito in favillam redactis cum humo machina rueret, & viros in ea positos in momento sufficeret. Sed Rex hanc artem præcaveus, iniquam ex quorundam relatione machinam a loco cavationis amovit, & sic labor Sidoniorum frustra consumptus est. Cap. XXXIV. Tandem curriculo sex hebdomadarum Sidonii videntes se nihil adversus machinam prævalere, & tormentis lapidum assidue urbem & ejus portas concuti, quin & navali assultu non nimis gravari, navalem vero exercitum Babylonie abesse, dextras sibi dari poscunt, & urbem cum turribus & clavibus in Regis manibus reddi, sub hac tamen conditione, ut Ammiraldus præses civitatis, & quibus esset animo cum rebus suis, quantum valerent, collo & humeris deferre, pacificè egredierentur. Rex vero longa obsidione & assultu defatigatus, consilio cum Rege Norvegia, cum Bertranno Conite & cæteris viris sensatis habito, petitioni Sidoniorum cessit, & sic urbe in potestate suorum reddita ac patefacta, Sidonii cum Ammiraldo suo, circiter quinque millia cum rebus suis in pace egressi sunt, usque ad Ascalonem proficiscentes. Ceteri, qui remanserant, sub iugo Regis & in ejus servitute redacti sunt.

His Ordericus Vitalis addit, Tyrum opulentam urbem, in corde maris sitam, ab eo oblesam expugnatam. Mensis Decembr: XIX. anni MCX. Sidone discessisse Wilhelmus Tirijs author est; quod sibi non constat, si eodem anno domum rediisse statuendum, de quo infra.

De his Fulcherius Carnotensis hoc modo differit.

Applicuerant interim Ioppe gens quedam Norvensis, quam de mari occiduo concitaverat Deus, ut Hierosolymam peregrinarentur, quorum classis navium quinquaginta quinque erat. Horum primus erat juvenis forma valde speciosus, Regis terræ illius germanus, cumque regressus Rex fuisset Hierusalem, adventu eorum gavisus, cum eis locutus est amabiliter, monens eos & de-

deprecans, ut pro amore Dei morarentur in terra sua aliquantulum, & juvarent Christianismum amplius promovendum & amplificandum, ut expleto utcunque negotio Christi in terram suam postea gratias Deo magnificas redderent. Quam petitionem illi benigne suscipientes responderunt, non pro alia causa Hierusalem venisse, sed quocunque cum exercitu suo Rex progredi vellet, ipsi marino itinere simul voluntariè proficiscerentur: tantum ut victum eis necessarium impendere curaret. Hinc est concessum, illinc peractum, & cum primitus Ascalonem adire disposuissent, laudatiori demum sumto consilio, Sydonem civitatem adeuntes obsederunt. De Ptolomaide, que frequentius Achon dicitur, movit Rex exercitum suum. Norvenses vero de Ioppe navigio processerunt. Tunc classis Admiralis Babyloñi in Tyrio portu latitabat, qua Saraceni ritu piratico Christianis nostris peregrinis persepè oberant, & civitates maritimas, quas adhuc Rex Babylonis possidebat, munientes vegetabant, cum autem de Norvensibus murmurare audissent, nec de portu Tyrio regredi, neque cum eis congredi ausi sunt: cumque ad Sydonem ventum est, obsedit eam Rex a terra, Norvenses vero a mari, & facilis machinis, terruit valde inter nos hostes, ita ut quererent a Rege, qui solidarii erant, quatinus eos sanos inde exire permitteret, & si ei placeret, agricolas ad excolendum terras causa utilitatis sue in urbe remanerent. Hoc petierunt, hoc impetrarunt. Sine donativo quidem sic solidarii abierunt, ruricole vero sub pactione prædicta pacificè remanserunt.

*Jam decies novies Sol viserat Architenentem
Urbem Sidonii cum reddunt mense Decembri,*

CAP. IV. DE REDITU REGIS SIGURDI, ET FRATRI EYSTEINI IN ABSENTIA EJUS GESTIS.



Sigurdus in Cypro diutiùs moratus tandem universam classem in Græciam direxit, adque promontorium Engis-nés (Aungulènes habet *Morkinskeinna*, Egiènes Scriptor rerum Orcadensium) ventis singulis diebus rectà Constantinopolim ferentibus; quatuordecim dies substitit: obliquos placuit expectare, quò singula vela per transversam navem explicari ornatus ostentandi causà possent. Erant enim singula bysso antè ponèqve obducta, à prora puppim usque, quò singulis nautis, tam in anterioribus quàm posterioribus navium partibus constitutis, materia altercandi tolleretur de honorum discrimine. Ventum deinde, qui carbasa obliquè inflaret, nactus, iis per universum malorum interstitium expansis, aulæorum, parietibus ædium continuâ serie obductorum, speciem iis, qui in terra pompasam navigationem prospectabant, præbuit; multa enim oppida, nec longâ distantia separata, præternavigavit. E singulis effusa turba unâ cum agricolarum agminibus grato spectaculo fruebantur. Certior quoque Imperator de adventu Regis, portâ urbis amplissimâ, quæ nostratibus *Gullbarta* dicitur (auream verrucam Latine dixeris) eum excipi curavit, non aliàs aperiri solitâ, nisi cum Imperator longâ expeditione victor triumphans urbem invehetur. Ab ista triumphali portâ ad palatia Imperatoris omnium splendidissima, quæ *Sakjartn* appellantur, pan-

panni pretiosi per singulas plateas, quæ eò ducebant, strati. Rex equos su perbè super eos concitari iussit, vetuitque quemquam tantâ Imperatoris luxuriâ tanquam novâ & inusitatâ re moveri. *Morkinskinna* aureas soleas equorum unguis subnexas tradit, edictô ut excidentes nemo requireret: Imperatorem autem citharædos, aulætas & vari generis symphoniacos, cum diversis musicis instrumentis, obviam ei misisse. Tali pompâ Sigurdum palatiô Imperatoris maximo advectum, quod pretiosis tapetibus unjverfùm luxuriabat. Addit præterea, quod reliqui libri omittunt, fastu inter Imperatorem Regemque certatum; scamnis nimirum omnibus à convivis occupatis, duos viros cum ingentibus marsupiiis aurô argentô-que distentis xenia afferentes, sine gratiarum actione, sine nutu à Sigurdo dimissos, munera inter comites suos tantum dividi iussa; quô cognitô, Imperatorem potentiam Principis contemptu talium mensum, auctiora importari curâsse: Regem verò magnitudinem quidem prædicâsse, sed consimiliter ac priora comites decerpere iussisse. Quô iterum relatô, Imperatorem istum Regem vel aliis Regibus potentiorum, vel ineptiorum, pronuciâsse, tertioque cistas obryzô plenas illatas, duobus annulis pretiosis superimpositis. Tum demum Regem assurrexisse, utrumque annulum cubitibus imposuisse, orationeq; luculentâ voce Græcâ Imperatoris magnificentiam celebrâsse, opes verò inter Comites divisisse.

Deinde post longiorem moram, cum in folio simul Imperator Rexq; considerent, oblata sex auri talenta, (*Skjppund* habent nostri) vel si mallet ludum Padremicum pretii ejusdem, omnes perhibent, prælarumq; ludum: disceptatum inde, utrum Sigurdus magnificentius aurum respucisset, an Eiricus Daniae Rex prudentius accepisset: utriusque necessitate litem diremptam. Sigurdum enim in reditu auro non indignisse, confectâ propè expeditione. Eiricum verò exhaustis propemodum thesauris, in medio peregrinationis prudentius munus Imperatoris spectaculo inani prætulisse. Instituti inde ludi, qui quoties celebrabantur, comünibus Imperatoris & Imperatricis impensis peragi solebant, non sine omine futuri, quippe existimatum, si ii, qui ab Imperatoris partibus essent, plures victorias numeraverint, etiam proximo cum hostibus bello superiorem futurum; inferiorem, si isto certamine succubuerint. Hoc verò tempore singulis ludis Imperatorem superâsse.

Referunt, qui Constantinopoli fuerunt, Padremica spectacula hæc formâ instituta. In campo plano circum vastissimum, aggere cinctum, gradibus in altum attolli, singulos ab assidentibus spectatoribus occupari, in campo ludos edi. Ibi statuas Asarum, Volsungorum, Giukungorumque æreas, viventium in modum moveri, & inter se concertare, ludentibus quoque misereri, speciemque in aëre equitantium præbere, igneque tonitrua sonare, & quædam horum haud sine artis magicæ suspitione fieri; adhiberi & varia instrumenta musica, lyras, citharas, panduras, organaq; pneumatica. Scribit etiam *author Morkinskinna* de Sigurdo idem ferè, quod *Bromton* & *Knygthon* de Roberto Secundo Normanniæ Duce, nimirum quòd Imperatorem ad epulas invitaverit, quibus præparandis lignorum defectu, consultò ab Imperatore vendendi copiam vetante, procuratô, nuces adhibitas. Instructissimi convivii magnificentiam miratum Imperatorem, cum in alimenta ignis nuces adhibitas intelligeret, astum astu sagaciorum delusum affirmâsse, fidemque factam, Regem regni haud angustis terminis circumscripti hospitem obtigisse; id quod donis tanto Rege dignis stabilitum, datâ nimirum universâ classe, quam patriâ deduxit.

duxit. Omnia draconum capita navis, quam ipse direxerat, mandatò Imperatoris ædi Apostolo Petro sacræ exornandæ imposita. Equorum quantum satis Regi vicissim datum, ducesque itineris, qui per subjectas regno ejus provincias eum deducerent, additos; magna tamen comitatus Regii pars Constantinopoli dimissa, quæ stipendiis Imperatoris deinceps militaret. Fertur tum vates quidam Bizantinus, ubi magnificentiam Sigurdi observavit, prædixisse, similem illum leoni videri, ut qui parte corporis anteriore armos usque crassior, deinde extenuetur; sic quoque imperium ejus in principio splendidissimum, postea obscurius futurum.

Constantinopoli tantis honoribus affectus Sigurdus dimissusque, per Bulgariam & Hungariam (seu Pannoniam) transiens; inde in Bavariam pervenit: ubi Cælarem, non, ut nostri habent, Lotharium, qui ad imperium isto tempore non pervenit, sed Henricum Quintum, salutavit, magnificè ab eo exceptus, qui & forum illi rerum necessariarum ubique intra regni sui limites venale permisit, ducesque itineris præbuit. Slesvicum delatus à Comite Eyliso splendide Heidabæis excipitur circa mediam ætatem. Fuit is, quem Saxo scribit, se ab Henrico Gotschalchi filio pecuniâ corripui passum, cum res ei adversus eum gerenda esset. Ibi vitrici suo Nicolao Daniæ Rege salutato (duxit enim Margaretam Ingii Sveciæ Regiis filiam, Magni Nudipedis relictam viduam) vicissim ab eo magnificè exceptus, in æquilonarem Jutiam, ipso comitante, deducitur, magnaque postremum cum pompâ ac lætitiæ significatione, prætoria nave muneratus, Regioque comitatu stipatus, in regnum suum salvus perductus est, ingenti fratrum gaudiò, festa plebis acclamatione, & publica procerum lætitiâ honorisque exhibitione exceptus; nec illustrior unquam expeditio è Norvegia facta visa est, nec gloria major regno ad omnem posteritatem, etiam in distitissimis terris, parta; quam nullum unquam seculum obliterabit.

Post triennium ab abitu rediisse fertur, annò ætatis vicesimo, æræ Christianæ MCX. qui tamen, si *Wilhelmo Tirio* fides, qui mense Decembri XIX. Sidone discessisse tradit, undecimus censendus. Errat autem *Chronicon Hierosolymitanum*, vel potius *Meibomius* in sua in illud supputatione chronologica, dum annum adventui ejus Ascalonem MCXI. assignat, sed facile cum nostris conciliatur, quibus in eo consentit, quod biennium in circuitu spatiosi maris à regno suo Ascalonem usque enavigasse tradit, id quod nec nostris integrum triennium conficitur; sub finem enim anni MCVII. *Theodrico Monacho* parùm dissentiente, qui septimo anno postquam Hierosolyma Persis erepta est, profectum tradit) domo profectus in Angliam hyemavit: annus octavus in Hispania insulisque Balearibus exactus; nono Ascalonem ventum, indeque sub exitum anni, juxta *Tyrium*, itum; media sequentis anni æstate, qui nobis decimus, domum reditum. id quod sequendum statuo. *Tyrium* autem in unjus anni calculo facile lapsum, vel ex *Phrygionis Chronico* constat, quod Sidonis expugnationem ad annum MCIX. refert. Eysteinus Sigurdo annò major, Olafus vero hoc tempore duodecennis fuisse perhibetur. *Autor Morkinskimmæ* tradit, multas suo tempore urbes cimeliis illis, quæ Sigurdo ex ista peregrinatione invexit, ornatas; ædique S. Olafò dicatæ magnas pretiosasque opes ab eo donatas; Divinæ tamen crucis particulam, non, ut juraverat, Nidarosiam, sed superstitionis pervasione abreptum Kongahellam transtulisse, quam ille urbem in limite regni, amplo castellò, è faxis cespiteque excitato, fossisque vastis munito, contra hostiles insultus firmavit; ædificia

ficia intra mœnia crebra, basilicaqve magnifica. Tutandis finibus crucem utiliolem, quam si Nidarosiæ reponeretur, credidit; cœtera promissa maximam partem executus, & in his decimas religiose observavit. *Ordericus Vitalis* non viâ, quam descripsimus, sed per Russiam remeasse perhibet, Malfridemqve Regis filiam uxorem duxisse, dumumqve reversum, paulo post regnum, dante Deo, suscepisse. Nostrates quidem, sed non in ea expeditione, Malfridem ductam volunt, Haraldî Russiæ Regis Valdemari filii filiam; cujus genus in Olafî Pacifici vita fusè exposui.

Hæc, quæ jam memoravi, dum Sigurdus in extremis orbis partibus magnificè gesserat, Eysteinus haut domi de Ses tempus inutiliter terebat, aut luxuria illecebris se irretiri passus est, sed ad ea omne studium curasqve convertit, quæ regno exornando civiumqve utilitati maximè infervirent; palatium enim ingens, quod Norvegia ædium lignearum magnificentissimum unquam habuit, Bergis extruxit, lapideamqve ædem Nordnesiæ, quam Michaeli Archangelo dedicavit, ædificium celeberrimum; monasterium item in Nordsiâ, quod magnis redditibus dotavit, templumqve ligneum in palatio Regio Bergis excitavit. *Kringlu* (sed sola) Paulo consecratum, reliqui omnes Apostolo, vel Apostolis, tradunt. (Genitivi enim pluralis & singularis terminationes hic non discrepant) In Agdanesiâ, ubi prius solitudo, templum, castrum, portumqve, fidam navibus stationem, extruxit; templum præterea S. Nicolao sacrum Nidarosiæ in Regiæ aulae areâ curatissimè ædificabat, cœlaturis cæteroqve apparatu insignè, aliud Vogis, Halogiæ oppido, quod proventibus instruxit. Sed nec ædificiis regnum exornare contentus, fines etiam extendere gloriæ duxit, idqve sine sumptibus aut civium periculis. Proceres namqve Jamtiæ blandis alloquiis, iisque crebris, etiam largitionibus sibi conciliabat, invitando, vel sponte accedentes comitèr excipiendo, nec indonatos dimittendo; missis etiam viris primariis, qui domi remanebant, muneribus, quoad omnes in studium sui observantiamqve traxisset. Firmatâ hoc erratum esset, qui, obsequio Regum Norvegiæ renunciato, Syecanas spes secuti, commodis, quæ minore negotio impensisqve è Norvegia acquirerentur, se ipsos privassent; iussitqve perpendere, *quanta felicitate patria eorum sub Hacone Adalstehni alumno, cui se dederant, floruerit, & quàm dispar præsens ab ea conditio esset. Singula, quibus indigerent, non sine magna difficultate è Sveciâ peti, ipsa deinde jura judiciorum, & si quæ alia è Sveciæ Regiâ expetenda, quippe remotiore, quam ipsis conduceret.* His monitis cum sibi consultum intelligerent, protinus id plebi significarunt; quæ cum alieno arbitriò feratur, facile procerum consilii acquievit, & in posterum se acquieturam juravit. Instructi itaqve potestate publicâ nunciis Regem Eysteinum adeunt, petuntqve, ut se in tutelam recipiat, impetretqve volentibus. Quo impetrato, procerum singuli in obsequium ejus subjectionemqve, & horum argumenta tributa censumqve, jurarunt; id quod deinceps, non solum quoad Norvegia indigenis Regibus regnaretur, sed etiam ad nostram memoriam duravit: tum demum transfactione Jamtiæ cum aliis provinciis Sveciæ accessit. Atqve ita Eysteinus dexterritate morum, consilii gravitate, eloquiique Svada, provinciâ istâ regnum majori cum gloria auxit, quam multi principes, qui aucti quidem regni laudem, sed effusi simul multi sanguinis cul-

pam, tulerunt.

CAP. V.

DE CONTENTIONE REGIS SIGURDI
CUM SIGURDO HRANINO, INDEQ; INTER REGES
ORTA SIMULTATE, EIUSQ; EXITU.

Ommuni consensu Regem Sigurdum Scrip-
tores ab imperandi peritia, promissorum fide, legum
que curâ commendant: verum has tantas virutes
quibusdam vitiis asperfit; quod vel ex hoc unico
exemplo patet. Duxit Sigurdus Hraninus Skjaldvo-
rem Bryniolfi Cameli filiam, Haldoris sororem con-
sangvineam, Magni Nudipedis uterinam, Regum
amitam. Sigurdi quoque sororem Sigridem Hranii filiam, venustate for-
mæ morumque sva vitæ in primis commendabilem, satraparum unus,
nomine Ivar, Tener-diguitus antea dictus, jam vero de prædio, quod incolit,
Ivar de Fliodis appellatus. Hi simul convivijs in villa quadam
Regia, cum Thrandiam lustraret, excepti se exhilarabant. Rex quoque
lætiore, aureum anulum manu contrectans; *Hunc, inquit, muneris repor-
tabit, qui legationem, quam cupio, in se receperit.* Nemine respondente; non
hæc, ait, hominibus conditionis pusille loquor, satrapas deligo: te tamen, affinis
Sigurde Hranii, carere nequeo. Tum Ivar de Fliodis præcipitanter respon-
dit. *Planum est quem intelligas, cum præter Sigurdum & me nullus hic sa-
traparum præfatus sit, eum vero domi te detenturum profitearis; quo vero suc-
cessu legationem tuam, præsertim si magni momenti, expediam, valde dubito:
sper omnis in tua prudentia, cum certum sit, nihil te suscepturum, cujus exitum
non prius prævideris: hæc quoque fiducia mandata recipiam.* Tum Rex,
neminem latet, patrem meum partem Hiberniæ, quæ Ultonia dicitur, sibi sub-
jecisse, quo occiso Irensis eam invaserunt, juraque omnia, præfecturas, tri-
buta, afferentes, nobis innotis in hunc usque diem detinent. Ad ea igitur re-
petenda te jam ablegabo, atque adeo propere, ut protinus hinc Nidarosi-
am petas, indeque iter adornes: navis, commeatus, comites, pecunia,
singula quantum deposcisti erunt in promptu. Ivar tantam festinationem sibi
minus perspectam, pariturum tamen respondit; protinusque, ut jus-
sus erat, ad urbem profectus, quanta potuit celeritate iter maturat. U-
nicâ nave usus est, nautis penè sexaginta instructâ; æris magna copia
rerumque pretiosarum de Regio arario desunta; hyems in Orcadibus ex-
acta. Vere proximo in Hiberniam navigatum; proceres muneribus soli-
citati causam ejus ad plebem promovebant: nec ei eloquentia aut face-
tiæ deerant, aut injiciendi terroris solertia, *justam belli causam, vindictam
patris per proditionem occisi, virium abundè ad eam exequendam, scientiam
belli jugi experientiâ partam, commemorabat, nihil virtuti Regis sui irvi-
um aut arduum, purgatum latrocinii infestum mare Mediterraneum, ex-
pugnatas invictas urbes, non modò Evrope, sed etiam quæ in alterâ orbis par-
te hostilem furorem semper eluserint. Esse tamen ea moderatione, ut pacis con-
ditiones bellis præmittere malit. Exigi tantum in præsens satisfactionis specie
tolerabilem pecuniæ summam sine tributî nomine, nec in posterum exigendam.*
Honorî igitur ejus rectus illos hoc tributuros, quàm se inexplicabili bello invo-
lutos: nec Regem hoc alio quàm honorarii muneris, titulo accepturum. Haut
exiguam argenti vim, annitentibus proceribus pecuniâ corruptis, bellum-
que avertere cupientibus, expressit.

Eodem

Eodem vespere, quò is profectus est, Rex adeò hilaris longum in tempus convivium extraxit. Sigurdus autem Hranii filius, mature per vesperas cubitum ire sveltus, vigiliarum nocturnarum impatiens, veniam acquiescendi petivit; id quod Rex ei permisit, Skialdvore amitã apud se detentã. Cum autem commissatio in multam noctem procederet, singulis dilapsis, Skialdvor Sigridisque remanebant; quibus lectum petituris, Rex amitam ad maritum deduci iussit, Sigridem verò in conclave Regium, ubi se cum illa per integram noctem oblectabat. Posterã die Sigurdus de prostituta sororis pudicitia conjugalique fide certior, ingentem animò iram concepit, nec ad prandium Regem, nisi vocatus, comitari, nec solio insidentem è sede sua pro more venerari dignatus est. Quo animadverto: *Dissonant, ait Rex, hec moribus tuis cultioribus, nec mensam ultrò petis, nec accedens officia defers.* Tum Sigurdus cui non ultrà potens. *Non, respondit, ideò summis honoribus coleris. quòd modicis nimius sis.* Rex hac contumeliã nihil motus: *iratus es, respondit: mittamus ista, & animum exhibilem.* Eò verò, aiebat Sigurdus, *induci nequaquam possum, post tantam ignominiam, quã nos affecisti.* Tum demum exacerbatus Rex: *Natu, inquit, fur effroni audaciã, qui nos tam acerbè objurgare pro nibilo ducis.* Enimvero, regessit Sigurdus, *furis nomen mihi hucusque insolens.* Ecquòis, respondit Rex, *furum te gravius deliquit, cum singulis annis nobis haut minus sexaginta marcas suffureris. Provincia Finnmarchia tibi commissã est, nec præter dimidiam partem rerum nostrarum ad calculum relatum est, id quod tecum expostulabo.* Nec plura eo die collocuti sunt.

Postea ubi cognovit, minas illas haud vanas futuras, nec forem à consuetudine cum Rege retrahi, nec sibi adversus vim Regiam æquam dimicationem, Nidarosiam concessit, ibique conductã ad exiguum tempus domunculã paulisper moratus, assumtis duodecim comitibus, navigium ingressus, cursum ad australia Norvegiæ extra insulas omnes dirigit, famamque prævertens in Vicham ad Regem Eyfsteinum pervenit, eiqve omnem rei gestæ seriem enarrat; qui eò ob indignam tanto fastigio objectionem acriùs increpato, integrum triduum causam omnem cognovit, consiliaque excogitavit, deinceps in usum revocanda. Mox missi ad uxorem ejus Skialdvorem nuncii certiore eam fecerunt, Regem Eyfsteinum proximè ad reconciliandum Regi maritum ejus in Thrandiam profecturum. Primo vere eò delatus, per exploratores cognovit, implacabilem Regem Sigurdum esse. Ibi itaque adventum ejus præstolabatur. Postquam convenerunt, Rex Sigurdus primo quoque tempore Sigurdum Hraninum ad publicum forum ad causam dicendam evocat, peculatus universiq; in usus proprios redditus Finnmarchensis redacti postulat, panam à iudice secundum leges decerni exposcit. Sigurdus autem Hranius ad ea hoc modo respondit: *Lippis, inquit, & tonsoribus notum est, Regum horum patrem Magnum Gantiam quondam bellò petivisse, non sine magna præda undique collectã; imposuit autem insulã Valdiseyæ præsidium, duce Sigurdo Ullstreingio, pluribusque aliis proceribus; ipse verò alibi cum exercitu morabatur, interque ceteros & ego ductum ejus seqvebar, intentus in omne periculum undecunque immeret. Ut verò Ingium cum copiis multò validioribus, quàm nostræ erant, prope diem adfuturum, securosque oppressurum, fama haud incerta percepi, eiqve indicavi, in Vikam declinando periculo regressus, Ullstrengum cum præsidio defendendã insulã reliquit, qui deinceps ad dedicationem coactus est. Adeò autem grata Regi industria mea fidesque id temporis fuit, ut propriæ sororis matrimonio compensandã duceret, meque Finnmarch-*

*marchie præficeret, commercii cum Finnis exercendi privilegio, quoad ipse
 sibi superesset, indult. Sexaginta selibras appensus quotannis Regio æ-
 rario pactus est, quicquid redundaret, mihi permittitur; non itaque furto, ut
 improprietur, Regios redivit in meam rem verti, sed Regio beneficio, nec am-
 plius quam datum est, teneo, testibus asserere jus meum paratus. Lingvæ præ-
 cipitantiam deprecor, penæque irroganda modus arbitrio tuo permittitur.*
 Rex, abscessa spe pactionis, litem persequi perseveravit. Quo animadver-
 so Rex Eysteinnus respondit: *Lis, quam intentas, frater, in urbano foro
 decidenda non est, ad provinciale remittenda, nec secundum leges Biarkey-
 enses judicanda.* Tum Rex Sigurdus: *Quandoquidem tu cause hujus, quæ
 haud minus te quam nos attingit, patrocinium suscipere decrevisti, nos quoque,
 quid in rem sit, providebimus.* Mox Sigurdum ad insulam Kebleyam (aliis
 forum Arnarnesense) post diem decimum quartum ad causam dicendam
 citat; exinde cum suo comitatu foro egreditur. Eysteinnus Sigurdum Hra-
 ninum monet, ut antequam foro excedat, publicè proclamet, actionem
 Regis Sigurdi in illo foro per exceptionem secundum leges sublatam. de-
 inde ut protinus ad villam suam Steigam proficiscatur, colligatque homi-
 num vim, quantum possit, amicorumque auxilia; his instructus in foro
 compareat. Paret monitis Sigurdus, Biarkeyamque profectus, Vidkunnum
 in auxilium sollicitat. *Is amicam se operam ei præstaturum respondit, si per
 obligationem, quæ Sigurdo Regi obstrictus teneretur, titulo satrapie ab eo ac-
 ceptæ liceret; neque enim controversiam hanc inter satrapas verti, sed ip-
 sos Reges, censendam: itaque se Regis Sigurdi partes secuturum.* Mox per
 nuncios à Rege Sigurdo cum comitatu quam frequentissimo evoca-
 tur, protinusque accedit. Prior Rex Sigurdus pompâ ingenti Vid-
 kunno comitatus in forum procedit. Eysteino in aqvilonem ad forum pro-
 ficiscenti, Sigurdus Hraninus comitator occurrit, simulque in forum pro-
 fecti sunt. Cum autem terram ascenderent, jubet Eysteinnus, *ut armati
 clypeatique singuli agmine incendant, aciei specie, incutiantque terrorem Sigurdi
 factioni; novitate percussos rusticos protinus dilapsuros: curandum ut isti quo-
 que agminibus suis misceantur, quo numerosior comitatus suus appareat; pau-
 cos ad naves relinqvendos: Nec fessellit eum opinio; plurimi enim novitate
 territi foro excedebant, qui recepti intra agmina Eysteini terribilissimam
 eum faciebant. Quò visò Rex Sigurdus, suo tantum satellitio Vidkunni-
 que comitatu stipatus, reliquis; præter oppidò paucos, derepentè destitu-
 tus: Planum est, inquit, omnes Sigurdi Hranini quam nostri hic studiosiores.*
 Vidkunns non ita esse respondit; dolum Regis Eysteini invetos talium
 Halyensens avertisse. Tum accusationem perinde ut ante orsus Rex, Si-
 gurdum peculariis anqvirit, judicisque sententiam requirit. Is excepti-
 one eadem, quæ prius, exposita: *Respice, inquit, præteritum tempus; o-
 peramque & gravam & fidelem & constantem, tuo prius parenti, deinde ti-
 bi, à me præstitam, gratiamque tuam, quæ me arctius amplexus es; respice af-
 finitatis arcum nexum. Itaque ab accusatione desine, majori tuo honore quam
 si persequi perseveres, nec permittè calumniatoribus tantam potestatem, ut
 nos invicem committant. Certè nihil ultra æquum de censu Finnmarkie te-
 neo.* Ad ea Rex: *fructum benevolentie meæ erga te, feudique dati præmium
 aliud expectavi, quam ut mecum rebus spoliaries, plura permissis in usus tu-
 os vertendo.* Delatorum hæc, respondit Sigurdus, *calumnia est; nihil ul-
 tra concessum teneo.* Rex frustra eum negaturum respondit. His auditis
 Eysteinnus exurgens, *res quidem difficilis, ait, Regi obistere; verum id à
 causa defensione segregandum, quæ pariter me atque ipsum tangit. Necessitate*
 Tom. III. N n n ami-

amici affinisque motus subsidium ei ferendum existimo. Culpam non deprecatur, sed negat, postulatque ut proxi in te, frater, studii, mutuæque amicitie respectum habeas. Rex Sigurdus publici interesse respondit, ut talia puniantur; hic enim severitatem lenitati præferendam: id imperandi regulas præscribere. Tum Eysteinus: Quandoquidem id animo adeo fixum inheret, ut litem persequaris, sedulo tibi cavendum, si justus haberi cupis, ne leges violes: secundum illarum præscriptum reus peragendus erit, veritasque criminis, quod mentas, examinanda. Tum Rex Sigurdus; forum hoc competens est, institutum à civibus: tu quoque novissimè Nidarosie respondisti, hanc litem ad forum provinciale spectare. Ad hæc Rex Eysteinus respondit; Rustici iudicesque provinciales hoc forum instituerunt, ut inibi jure invicem experirentur; causa autem hæc satrapam attinet, quæ non hoc in foro decidenda, sed in supremo provinciæ hujus foro, nimirum Thrandarnesia. His accuratius inspectis, iudicum provincialium consensu fori incompetentis exceptionem Eysteinus secundum leges opposuisse visus est. Mox Rex Sigurdus diem ei decimum quartum dicit, quò in Thrandarnesia (alio Hrafnistensis curia est) ad causam dicendam compareat: atque illicò cum omni comitatu naves ingreditur. Rex Eysteinus testibus occultè adhibitis profiteretur, actionem etiam in illo foro secundum leges peremptam.

Postquam in forum Thrandarnesia Rex Sigurdus causam remisisset, satrapas omnes satraparumque vernas singulis provinciis evocat, magnaque multitudo ex omni australi tractu concitatur; quæ succinctus Halogiam intrepidè petit, animò Sigurdum Hraninum iudicio convictum exilio multandi, idque intra natalis provinciæ limites, in propinquorum amicorumque ejus conspectu, quò victoria testator esset: confluitque eò mandatis excita plebs Halogiæ Naumadaliqve pars maxima. Nec minore manu Rex Eysteinus Sigurdusque Hraninus eò deveniunt, mandatque Eysteinus, ut pomposè navigationem instruant, clypeis inter proras puppesque confertim tabulati in formam dispositis se ostentarent, mox terram instructâ acie concendant, ad utrumque parati, sive pacem, sive bellum factio adversa mallet. Instructi, ut jussi erant, forum petunt, quod prior Sigurdus magno comitatu occupaverat. Media viâ Rex Eysteinus Sigurdum Hraninum interrogat, quid in causæ præsidium isto die adducturus esset? id verò, quantumcunque esset, à prudentia ejus mutuandum, cum respondisset; huc igitur accede, ait, mibique causam tuam, interpositâ sponcione, per mitte in testium presentia: exinde non tecum, sed mecum certamen instituendum; id etiam aptius, ut nos Reges legibus decertando veritatem eruamus. His peractis in forum proceditur. Regi Sigurdo pari ut antea, vel etiam majori, ardore litem intendenti, Eysteinus hunc in modum respondit. Neminem credo ignorare conditiones, quas Regi Sigurdo Sigurdus Hraninus obtulit, nimirum se arbitrio ejus staturum, cum tamen nullius criminis sibi conscius sit, probatumque spondeat testibus idoneis, provinciam Finnmarbie sibi à Rege Magno, communi nostro parente, concessam, conditionibus, quæ exinde tenuerunt, duraturis in posterum, quoad filii ejus in Norvegia regnarent; placet itaque, ut testes in hanc rem producat, in tantumque causâ cadat, multamque luat, in quantum probatio defecerit; quandoquidem Sigurdus in perniciem ejus obstinatus à persequenda lite se nullo modo patitur abstrahi; qui moderationis limites excessisse falsò diceretur. si legibus contenderet. Rex Sigurdus se causam isto in foro secundum leges definiendam statuisse ait; nec, si quid legibus adversum in fori electione admissum sit, sibi, sed Regi Eysteinò, imputandum, cum istud forum causæ decidende idoneum pronuntiaverit. Causa si spectetur, frustra privilegium patris Magni, ultra vitam ejus exten-

extendi, cum successores obligare nequeat. Ad ea Eysteinus respondit: *E- quidem, frater, dixi Sigurdum Hraninum in foro Thrandarnefensi, utpote sibi competenti, judicandum; jam verò causâ in alium statum conversâ, ego litem omnem in me recepi; mecum tibi agendum erit. Verùm nobis Thrandarnefia nimis angusta est, universalium comitorum unum requiritur, siue Frostana; siue Gulana, siue Heidsæviana curia. Frostana competit, quòd ibi lex orta sit: nec tu bis, si leges tibi curæ, obloqui poteris.* Ad ea Rex Sigurdus; *Quamvis, ait, recepta in te adversarii causâ mihi obsistere statueris, hanc tamen id eò captis desistam;* citatòque eò ad forum Frostanum ad naves rediit. Mox Eysteinus actionem isto quoque foro infractam coram testibus privatim proficitur.

Jamque effluxerat anni tempus, quò Frostanum forum per ætatem celebrari consueverat; itaque convenit, ut causa in tempus recurrens differretur, forum verò titulo Frostano in urbe haberetur. Interea annus evolvebatur. Sed dum omnes in expectationem eventus suspensi varias spes concipiebant, contigit eadem ætate, cum Rex Sigurdus cum Sigride Ivaris de Flodis uxore confabularetur, ut navis ex alto adfecta urbem peteret. Ipsum ex Hibernia rediisse suspicabantur. Misit ergò Rex Einarem Skulinum ad rei veritatem explorandam: qui ut rediit, Regem poemate compellabat, cujus hic sensus: *Bonum nuncium tibi, Rex, afferò; felix enim es & sapiens. Nondum Ivar de Flodis, cui digiti teneri, advenit: tutò itaque uxori ejus asside.* Hic Einar, vir Islandus, officio Sacerdos, professione etiam pòeta, cæterum leno & parasitus fuisse videtur, gentis suæ æternum opprobrium; qui Regi perquam familiaris, cum diutius in aula vixisset, monitis salubribus, si à flagitiis dehortari, minisque cælestibus iniectis abstertere voluisset, nonnihil profecturus videretur; tantum aberat, ut ejus curam susciperet, ut ministrum se quoque lenocinii præberet, sædâq; adulatione gratiam Regiam, spretâ Divinâ, aucuparetur: id quod ex allato versu planum est.

Eadem ætate Ivar magnâ cum pecuniâ in Norvegiam rediit, nec matrimonii subsefforem Regem vel objurgâsse vel odisse legitur, vir zelytyiæ morbò minimè laborans. Rex Eysteinus hyemem in Thrandia transiegit; quâ evolutâ uterq; Rex satrapas amanuensesq; seu aulicos, ad conventum evocat. Singulis ut quàm numerosissimo comitatu instruerent, imperatum. Evocatus & Rex Olafus cum satellitibus. Id verò non imperiò sed precibus factum videtur, ut si quid incoñmodi ingrueret, se quoque interponeret. Primus Eysteinus urbem accessit, die judicii appropinquante; deinde Olafus, qui non procul ab æde S. Olafò sacrâ divertit, Novissimè Sigurdus classe annem Nidam ingressus, in navibus velatis pernoctabat, magno cum comitatu. Die præstitutâ, tubâ ad forum cives urbani primùm, deinde provinciales evocati, judicium secundum leges ordinare tenebantur. Præses horum vir magnæ existimationis Johannes Mornefus, dignitate satrapa, pater Endridii, qui sub Secko occisus est. In comitatu Sigurdi fuit Olafus de Hvitasteino satrapa, qui prudentiæ opinione primas per totam Norvegiam tenuit.

Primus Regum Eysteinus magno Comitum numerò forum ingressus; statim à satrapis postulavit, ut sibi justam Sigurdi Hranini causam agenti stnderent; cui Johannes Mornefus respondit: *haud levem difficultatem præmanibus esse in decidenda Regum causâ sine utriusque offensâ; promiores tamen futuros in Eysteinum, si legum subsidio prævaleret. Nihil ultra legum præscripta se expetiturum Eysteinus respondit: id unicè sollicitare, ut si fortè cau-*

Sam eð deduceret, ut à sententia ferenda iudices liberarentur, ne tum in gratiam fratris iniquam sententiam dicerent: id verò omnes probabant. In forum deinde Olafus processit, comitatu reliquis minore, novissimè Sigurdus, satellitio tantum non integrâ armaturâ instructo: clypei desiderabantur. Mox in Sigurdum Hraninum actionem intendit, formatam secundum leges, consilio eorum, qui eâ secretis erant. Jamque Rex Eysteinus causam in se recepit. Omnium primò quæsitum, an Magni Rex quicquam statuere potuisset, ultra terminos vite sue valiturum? Responsum à iudicibus, præfecturas fevdaque in seculum conferri posse, sed promulgationem in Norvegia univèrsalibus curiis requiri. Quæsitum denique, an Sigurdus hæc promulgari fecerit? requisitique testes. Ad ea Rex Sigurdus, se non permisurum, legum aut privilegiorum ferendorum aut conferendorum ulli Regi ultra dies vite sue potestatem dari. Hac intercessione instantiam Regis Eysteini eluisse visus est, quâ Sigurdo Hranino Finnarchie præfecturam asserere contendit. Eysteinus, contra se eam potestatem legum in seculum condendarum, privilegiorumque irrogandorum, Regibus in posterum asserere, respondit.

Consulti de his iudices forti committendum pronunciârunt, cujus sententia prævalitura esset. Sortibus paratis Eysteinus Olafum fratrem affatus, *cuinam sententiæ accederet?* quærit: memoratque fideliter inter ipsos mutuum amicitie nexum, sanguinis fœdera, culta. Is, *quæ ipse decreverit, legum vel regni administrationem concernentia, se quoque probaturum profiteatur.* Jubeat itaque Eysteinus tertiam sortem formari; *neque enim Olafum minus Regis Magni filium esse, quàm se aut Sigurdum.* His auditis Sigurdus rem contentiosè agi questus est, *quod duarum sortium suffragia sibi pepererit Eysteinus, quid tertia ferat, parum curaturus: se tamen Olafi honori nihil detracturum.* Sortibus in gremium missis, Sigurdus superior erat. Verum quid addiderit, nemo revelare sustinuit, formidine vehementiæ, rigorisque immodici ab eo expectandi, si se superiorem cognoverit. Solus Bergthor Buckus; Sveni Pontipedis filius, Sigurdum Regem sorte superiorem pronuntiavit, Hraninumque causâ cecidisse, cum solius Magni Regis auctoritate, ultra vitam nihili, fevdum usurpâsset. Quo cognito Rex Sigurdus iudicibus significat, *hoc rerum statu offensam suam incururos, si secundum Eysteinum judicarent;* nec minus Eysteinus monuit, *iniquum videri Sigurdum Hraninum condemnari, virum privilegio patris Magni filiorumque diuturno consensu, nec in eum diem ab ullo eorum revocato aut rescisso, nixum. Certe licet minus suam quàm Sigurdi Regis iram formidarent, scituros tamen hæc levius se irritaturos, si contra leges judicarent; se enim in his Sigurdo fratre paulo versatiorem.* Ad ea Johannes Mornefus respondit. *Quamvis sententia sine periculo ferri non posset, laturus tamen, necessitate exigente, quocumque tandem eventu, neutrius gratiæ iræve respectu.* Eysteinus, monitò, ne sententiam præcipitarent, mox testes producit, qui actionem primo conventu, deinde in curia Kebleyensi, postremò Thrandarnesensi, perirent testabantur; deinde iudicum sententiam postulat, an actio in tribus curiis perempta ulterius intendi possit? finem enim litibus imponi è republicâ esse, legibusque vetitam causæ ulteriorem cognitionem: appellatisque testibus, vetat iudices ullam sententiam ferre. Tum Johannes Mornefus, *decrevisse se quidem ait secundum leges judicare, si ad id necessitate teneretur; jam vero gaudere se ab ancipitis eventus sententiâ ferendâ liberatum; nam & leges pro Eysteino stare.* Tum Rex Sigurdus obirator: *eludit forte iudicium Eysteini nodis tricisque juridicis; restat tamen adhuc iudicium aliud, cuius usus*
mibi

mibi forte quàm illi paulo notior, id quod totam controversiam decideret: egressusque foro cum omni comitatu nautico, classem petit. Eysteinus & Olafus sua quisque diversortia, & Eysteinus quidem valde hilaris pranderet cæpit; alii amicorum quantum sapientiæ Regum discrimen esset disputabant, alii de eventu solliciti erant. Quærit itaque Eysteinus à Sigurdo Hranino, ut auxilium & exitus causæ placeret? Is præsidium omni ex parte absolutum, si non nimium, se agnoscere respondebat. Offensus hoc responsio Rex, paucos suppeditas rectè estimare nosse; ideo se ad eas ferendas tardiores futurum quam ingenium suum dicitaret. Paulo post Sigurdus, occasione tricinio egrediendi circumspectâ, serò diei, ubi se à nemine observari intellexit, properè ad pontem, qui propter Regis Sigurdi navem stabat, se recepit, sine togâ, tunicâ panni pretiosi, braccâ cærulea indutus, gæsulum latum capulò breviori, ita ut ad palmulam manu pertingi possit. tenens, excubitozem accedit, veniamque navem ingrediendi postulat; quò tergiversante, duas conditiones eligere jubet, aut ponte cedere, aut hastâ transfigi; quò meliorem conditionem præferente, in navem exspatiatus, mensam, quæ prope proram stabat, inopinatò accedens, genubus Regis accidit, professus, malle se clementiam ejus experiri, caputque suum ei permittere, quàm ut Reges de causâ sua severius disceptent. Multi procerum pro eo enixè supplicabant. Tandem Rex; caput quidem tuum, Sigurde, tibi habeto, vir certè insignis, qui id consilii cepisti, quod omniium utilitati consulit. Res periculum spectabat, quod præter Deum nemo estimare novit: paciscar itaque tecum, tu modò causam meam potestati permittes, spondeque sententiæ meæ obsecuturum. Quò factò; Nec ego, inquit Rex, eam differam, satis diu lis extracta est; quindecim marcas auri crastino die solves, idque ante sacra ordinaria in templo Servatoris finita. Non rependam fratribus meis contumeliam; honori eorum consulam: quinque marcas mihi, quinque Eysteino, quinque Olafò solves, nec aliâ specie quàm aureâ monetâ: auri enim satis dives perhiberis, censu Regum locupletatus. Singula ni exequaris, pactum irritum existima. Sigurdus gratias Regi egit, quòd reconciliationis copiam nactus esset, auriq; possessi argumentum postea ultrò se oblaturum pollicetur, egressusque navi Eysteinum Regem adit, refertque omnia, quæ obtigerunt. Quò auditò, tantus repente in faciem sanguis, subitâ iracundiæ index, contractus apparuit, ut vel digito evelli posse videretur; responditque, haut dubium periculum ejus nomine imminuisse; malè auxilium repensum; nec se in eâ pactione participaturum. Deinde in conclave recessit. Sigurdus autem amicos accedens, monetâ aureâ mutuo ab iis acceptâ, quinque marcas corrasit, numeratò unâ quod ipse possedit. Postera die, finitibus precibus matutinis, Regem Eysteinum adit, aurumque ut appendat, postulat. Quò factò, petit ut accipiat, vel debiti, vel navatæ operæ qualiscunq; præmii titulò, licet meritis longè minus. Quid ergo, quærit Eysteinus, Sigurdò aut Olafò solves? Auspicabor, respondit, à meritissimo, ut quicquid aliis fiat. Eysteinus hæc ab amicis mutuo accepta conjectans, ut donò à se accipiat, jubet. Is actis gratiis Olafum accedit, refertque quæ inter se & Regem Sigurdum convenerint, offertque præfens aurum. Ille vicissim quærit, an & Eysteino solverit? acceptò tulisse refert. Perinde itaque ut heri exemplum ejus sequar, respondit; jubetque donò à se accipere, quò simultas isthæc tam diuturna tandem sopiatur. Et jam signum campanæ, ad sacra ordinaria vocantis, auditum est, cum Sigurdum Regem adit, petitque ut auri pondus examinet. Quò factò quærit Rex, an & fratribus solverit? solvisse profitenti; satis ergo auri dives fuisti, regessit. Ut

verò acceptillatione utriusque solutum accepit; cum paulisper conticuisset, ego quoque, ait, *partem meam tibi donabo; tu vero vicissim mihi præ fratribus studebis, si contingat discordiam intervenire.* Ad ea Sigurdus; *illam quidem abominor, cum omnibus bene cupiam. Eystenum tamen, quoad vixero, maxime colam, nec opibus nec vitæ in gratiam ejus parciturus.* Istâ quoque conditione, ait Rex, *aurum habebis;* qui se liberatum gavissus, cum Regis clementiam liberalitatemque magnificis verbis extulisset, ad prandium eum cum comitatu quanto vellet post peracta sacra invitavit. Rex quoque conditionem admisit, sexagintaque comitatus accessit. Triclinium universum tapetibus pretiosis instratum, parietes clypeorum series universos ornabat, armorum quoque conspicua suppellex ostentabatur: apparatus omnis invidiosus ipsi quoque Regi fuit. Convivium in vesperam processit. Ipse Sigurdus Regi ad mensam ministrabat; qui inter suos quærit, *an tantum apparatus in ulla satrapæ domo observassent, quali nec Regia domus exornaretur.* Ad ea Bergthor Buchus; *Micat quidem hic egregia armatura, mense parietesque magnificentiam crepant.* Id tamen hospiti verè magnificum foret, *si quicquam borum ipse possideret; singula aliunde accepta novi.* Rex ad hæc commotior. *Is demum gratiosus habendus, ait, qui quibuscunque indiget, aliuide impetrat: verum ex minus amico animo hæc prodeunt.* Audiverat Sigurdus quæ inter se locuti sunt. Jamque campanæ sono ad preces vespertinas exciti sunt: iis quoque Rex interessè voluit. Magnificis itaque donis dimissus est, invitatusque ut iis finitis rediret, ad poculum in Christi memoriam exhauriendum; id quod etiam promissit. Cum autem redierat, laquearia parietesque aulæis clypeisque nudata ornatus omnis expertia spectabantur; clypeus duntaxat unus vetustate tritus cum serico amictu remanebat. *Quorsum, inquit Rex, tam repentina mutatio? Nihil mirum, ait Sigurdus, si quisquis repetit quod suum est. Nullus clypeorum meus erat: an hic, qui restat, mihi jure competat, tuo judicio sistam.* Novissimâ enim expeditione, cum Hiberniam pater tuus vastaret, & quidem ultimo eique ferali conflictu, eum consecutus sum, cum innumera Irensiùm multitudo nos imparatos loco iniquo obsideret, telisque undique obrueret; post casum patrem tuum, Eyvindum Olbogium, Regis Stallarium, aliosque bonos viros, cepimus effuse ad naves fugere, non tamen inter fugientium primos fui. Plurima ibi impedimenta, & in ipsa ripâ profunda vorago, quam quidam transfiliendo superârunt; quibus non par agilitas, gladiatorum mucronibus terebrati occubuerunt. Inter cæteros vir quidam mihi observatus, qui clypeum huic tergo gestabat, vestemque presentem. Is animadverso periculo, clypeum primò; deinde vestimentum abjecit; vellem tegmen quoque capitis sericum abjecisset; Is erat Bergthor Buchus, vel Vidkunno Iohannis filio teste, qui ibi presens erat; Eripui clypeum, quia indigni, cum in prælio nullò usus essem. Decerne itaque, Domine, cui nostrum clypeus debeatur. Rex cito breviterque respondit; *tu detinebis:* moxque exiit. Bergthor autem irâ æstuabat hac contumelia affectus. Hæc ex *Morkinskinna* desumpta sunt. *Chronicon Norvogium typis impressum* meminit quidem iræ Regis adversus Sigurdum Hraninum, causam tamen primam non exponit, variatque parum relationem; nam Bergas in jus vocatum primùm tradit, deinde Arnesiam, tertio forum Gulense, deinde in Halogiam Regem eum persecutum, tandem ex judicio sententia ad forum Thrandiæ Eyrathingense, ubi octo provincias convenisse perhibet, liberumque Sigurdum judicio pronunciatum. Verùm intercessione Reginæ Malfridis & Episcopi Magni, aliorumque procerum, in gratiam receptum, cujus palmam deinde tenuerit. Reges verò ex illo tempore nunquam

quam amicè collocutos, sed suo quemque judiciò usum, quid alii cordi, parvi pependisse; postque mortem Olafi hæc facta recenset; reliqua autem Chronica ante obitum ejus hanc narrationem referunt, sed legationem in Irlandiam omittunt: in cæteris consentiunt, Berghthoremque Buchum, sed solum, attestatum perhibent Sigurdum de censu controverso subduxisse, Eyfsteinum verò Regem respondisse, *id si vel maxime se ita haberet quod sibi minime probaretur, tamen causam in tribus curiis provincialibus & una urbana disceptatam ulteriorem actionem non admittere.*

CAP. VI.

DE REGIS SIGURDI SOMNIO, OLAFI MORTE, ET LATIS FRATRUM TRIUMVIRATU LEGIBUS.



Gritudine deinde animi inopinâ tantâ tristiâque; perturbatus Rex Sigurdus memoratur, ut colloquiis commiffationibusque præter morem abstineret, nec causis cognoscendis litibusque dirimendis vacaret. Proceres vicem Regis solliciti, publicumque statum miserti, suam quoque sortem pertæsi, enixè ab Eyfsteinò petunt, ut causam tam repentinæ mutationis eliciat. Rem arduam respondit, *in arcana Regum inquirere, se tamen in eorum gratiam tentaturum; captâque oportunitate inter accumbendum, quærit, unde tanta sollicitudo, quæ universam aulam vicem ejus mestam jam diu detineat? novarum-ne rerum fama? negantem iterum interroget, an nova voluptas irreperit, expeditionem aliam priori similem extra patriam faciendi, prioris gloriæ augende vel æquandæ propositò? Id cum consimiliter negaret, an & quidam criminum eum offenderit? subjicit. Nec hoc quidem, respondit Sigurdus. Tum Eyfsteinus; an oblata fortè per quietem visio curam ei iniecerit? quærit. Id verò rectè collineasse respondente, Eyfsteinus sibi postulat exponi. Negat se id facturum, ni recipiat se rectè & secundum eventum conjecturum; se verò facile perspexituram, at quid portenderit, fuerit assecutus. Anceps, respondit Eyfsteinus, *periculum prævideo, offensam tuam, ni verisimiliter conjecero; procerum populique maestitiam, si in capta animi aegritudine perseverabis. Propone itaque: ego expositionem periclitabor. Videbamur, inquit, simul Nidarosie fratres tres, præ adis Christo sacræ foribus, uni insidere folio, cum Sanctus Olafus augusta facie, fronteque serena, veste Regia, templo egressus, fratrem Olafum hilari vultu accedens, manuque apprehendens; mecum, inqueiebat, agnate, vade, qui exurgens eum protinus in templum comitatus est: mox uterque disparuit. Interjecto aliquanto spatio, iterum S. Olafus templò egressus, te, frater, accedens, verum non pari ac antea affabilitate, se quoque in templum sequi jussit, simulque intrastis. Solum relictus expectandum duxi, quoad me quoque arceseret; Id cum frustra esset, terror me ingens invast, secuta corporis membrorumque debilitas, langvorque & animus irrequietus, qui hucusque tenuit. Ad hæc Eyfsteinus; non committam, Domine, ut simul interpretationem differam, & sensum non assequar. Solum, quod adumbratur, regnum hoc nobis commune denotat; quem primum S. Olafus accessit, eundem ex nobis moriturum primum denunciat, magnamque ei post fata beatitudinem spondet; quippe qui Deo illum reconciliaturum in se suscepit: parum enim peccavit etate juvenis**

venis & omnibus acceptus. Quod verò eum me deinde accedentem vidisti, nec pari affabilitate, me aliquot annos fratri super victurum, nec tamen ad senium, significat: majoribus namque & pluribus peccatis infectus, sortem fratri parem sperare nequeo; certe gratiam Dei misericordiamque intercessione sua pollicitus est, accedere invitareque dignatus. Nec id, quod accessu ejus destitui videbaris, ad futuræ vitæ sortem extendendum, sed ad spatium vitæ, quo nos langè excedes, fortè non sine calamitate aliqua incidente; id enim langvor metusque derepente incidens minatur, cum visitationis mora imperii diuturnitatem spondeat. Sigurdus scitè providèque conjectâsse respondit, nec alium eventum sperandum; protinusque mærore abjecto frontem exhilaravit.

Annò ab imperii fratrum exordio duodecimo (qui *Morkinskinna* & *editioni Danicæ* decimus tertius est) à reditu verò Sigurdi Regis in patriam quinto, Kal. Januarii IX. *Jofraskinna* & *editioni Danicæ* XI. (cui *Calendarium antiquissimum codicis Resenii* suffragatur) Olafus Rex ex morbo decesit; ætatis, secundum *Kringlam* & *Gullinskinnam*, decimò septimò, *Jofraskinnam* & *editionem Danicam* decimo octavo; sed nos de ætate minus solliciti, cum constet Regem Sigurdum ab Asiatica expeditione Annò MCX. rediisse, obitum Olafi in annum ejusdem seculi decimum quintum referimus. Nidarosia in æde Salvatoris sepultus est, publico omnium lustu. Mater ei, ut supra in vita Magni relatum, Sigridis, Saxii de Vicha Thrandiæ villa, viri opulenti, filia; frater uterinus Karius de Austur-atta, Regis frater dictus, vir opibus, gratiâ & populari favore, potens: uxor ei Borghildis Dagi Eylifi filii filia, eorum filius Sigurdus de Austuratta, dignitate satrapa, pater Thorsteini, Andreæ Daufii, & Johannis, qui uxorem duxit Sigridem, Regis Ingii Bardii & ducis Skulii sororem. Habuit & Saxius de Vika aliam filiam, nomine Thoram, matrem Sigurdi, postea Slem-bidiaconi dicti, qui se quoque Regis Magni Nudipedis filium Olafiq; fratrem confangvineum professus est, de quo alibi prolixius agendum. Fuit Olafus staturâ procerâ & tenerâ, formâ insigni, animò hilari, facilitate & humanitate gratus omnibus & acceptus.

Istò triumviratu multa onera, quæ cum Sveno Alfivæ filio investita sunt, sublata memorantur, magnò ad populi procerumque studia concilianda momentò, magis ex usu procerum primitus, ad concitandam plebem, ad excutiendum Danorum imperium adversus Svenum, prætexta, quàm pro vera causâ agnita; secus enim unâ cum ipso regnò depulso simul etiam abrogata, nec à sequentibus Regibus tanto tempore continuata fuissent; quasdam præstationes statim, cum Magnus Bonus imperare cæpit, sublatas apparet, minimam tamen earum partem, sive necessitate exigente, sive necessitatis specie, remissam inde colligas, quòd hucusque perpetuatæ sunt. Extat codex legum, exiguus quidem, nomine *Jarnlis* da, seu *ferreum latus*, ab Hacone Grandævo, seu Sene, Norvegiæ Rege, & filio ejus Magno, qui legum emendator vulgò dicitur, ante singulorum codicum revisionem promulgatus, qui tradit latam ab his Regibus in triumviratu legem de successione, productamque longius hæreditatem, hæc ultimâ, quæ & decima tertia, regulâ adjectâ, quâ defectu memoratorum hæredum (quorum catalogus paragrapho duodecimo continetur) pariter ad hæreditatem vocantur patruus & fratris filius, uterque illegitimi, & nepos ex fratre uterino legitimus, succeduntque in capita; horum defectu famina in eodem gradu pari sorte. His deficientibus, patruus patris defuncti uterinus illegitimus, & filii fratrum uterinorum, tam legitimi quàm illegi-

illegitimi, pariter in capita; horum defectu sœminæ in eodem gradu pari forte, etiam in capita. His deficientibus producitur successio in quintum gradum lineæ æqualis. Eorum defectu fiscus succedit.

CAP. VII.

EYSTEINUS ET SIGURDUS MAGNUM, POSTEA
TER SE DIVIDUNT. SIGURDUS MAGNUM, POSTEA
CÆCUM DICTUM, PROCREAT: UXOREM DUCIT MAL-
FRIDEM HARALDI RUSSIÆ REGIS FILIAM: REGUM
ÆMULATIO: SIGURDI CALAMITAS.



Lasi morte triumviratu in dyarchiam muta-
tò, fratres residui regnum inter se bifariam divis-
erunt; pars orientalis Sigurdo, occidentalis Eysteino
cessit, qui plerumque Nidarosiæ resedit, teste *Mor-
kinskinna*. *Autor* tamen *Kringla* tradit, primâ hy-
eme in oriente, & plerumque Sarpburgi, mansisse.

Diversabatur ibi magnam hyemis partem vir opu-
lentus, Olafus de Dalis, qui prædium Aumord in Mikkladalo incoluit. Duo
illi liberi, filius Hacon, cognomentò Faukus, & filia Borghildis, raræ ve-
nustatis & solertiæ virgo, rerum quoque variarum præ cæteris gnara,
quam frequens conversatio colloquiumque assiduum cum Rege Eysteino
minis pudicæ familiaritatis suspectam reddidit. Vere autem proximo Eys-
teinus in septentrionalia concessit; Sigurdus autem in orientem, Kon-
gahellam usq; quam ille urbem omni curâ exornandam suscepit, ut su-
prà relatum est.

Interea Borghildis, cognitò, se sinistra famâ crimineq; prostitutæ pu-
dicitiae passim traduci, Sarpburgum profecta, ad flagitii notam deter-
gendam ferri candentis examen pacta, idem feliciter absolvit. Liberatam
malefactorum moribus ut primum Rex Sigurdus audivit, illicò magnum
bidui iter uno tantum emensus die, in Dalos ad patrem Olafum profes-
tus, ibidem pernoctavit, virginemq; invitam, invitis parentibus, stupra-
vit, secumq; abduxit; natus inde filius Magnus, fati, ut postea apparu-
it, sinisteris: citò tamen adolevit, formâ, staturâ, viribusq; valde conspi-
cuus, nutritus ab infantia in Biarkeya, apud Vidkunnum Ionis seu Johan-
nis filium, Borghildisq; de matre filius dictus est, donec illud nomen Cæ-
ci cognomine à calamitoso eventu comutavit. Natalis ejus in annum re-
paratæ salutis MCXVII, videtur referendus. Postea Rex Sigurdus Mal-
fridem Haraldi Russiæ Regis filiam uxorem duxit; cujus majores propin-
quique & progenies in vita Olafi Pacifici cap. I. fusè exposita est.

Cum utriq; Reges simul in Uplandis hybernarent, discretisq; primò
& suis cuique propriis villis convivarentur, annitentibus amicis, ubi per
intervallorum brevitatem licuit, ut morem illum solverent, conjunctim in
utriusque prædiis deinde epularentur. Jamque fors eos in agro quodam
Eysteini conjunxerat, cum is, potentis minus se probantibus, langvi-
diores convivas animadvertit (*Morkinskinna* id in rustici cujusdam villa
contigisse ait, impulsurumque eum ab hospite, de fastu & arrogancia satelli-
rum Regis Sigurdi questò, qui peregrinationis celebrate inflati cives re-
liquos contemnebant); itaque hortatur, ut defectum cænæ lætitiâ convi-
varum factiisque sarcirent. Sigurdus verò animò minus præsentis his

non auscultabat, tandem tamen abruptè respondit, in potestate ejus esse se suosque satellites quantà vellet letitia perfundere: tantum se suo permitteret genio. Inter commissandum, ait Eysteinus, mos longo tempore invaluit, ut comparatio hominum institueretur, quem in præsens recolare libet. Reticente Sigurdo, iterum Eysteinus se hanc comparationem orsurum affirmat, & quidem inter se & illum, quod honoris titulo genereque, familia splendore, educatione & sorte imperii pares, nec etate multum discrepare viderentur. Ad hæc Sigurdus: Nonne ergo meministi, me te in tergum prosternere, cum libuerit, potuisse, amò licet majorem. Sed nec dememini, respondit Eysteinus, ludos, qui agilitatem requirerent, te in juvenute excercere nequívísse, nec nisi iracundum fuisse; sed nec id diutius quàm permitterem. Ai te longè peritúis, ait Sigurdus, natavi, ita ut, si libuisset, merissem. Tum Eysteinus: spatium quantum tu emensus sum, nec breviori tempore sub aquis sine respiratione. Pecudis tibiis plantis subductis, glaciem tantà celeritate percurrebam, ut nemo concertare auderet, id vero tu bove minus callebas. Ad ea Sigurdus; arcum dextrè tendere ars utilior principique dignior: meum vero nec pedibus nixu sinuabis, Fateor, regeffit Eysteinus, me vires in eo tendendo deficere, in collineando tamen scopo minus me superabis: superaberis autem usu xylophalarum, arte quondam magni æstimatà. Exornat principem, ait Sigurdus, statura magna, robur, & armorum tractandorum usus; his enim inter cohortes conspicuus ab aliis facildè discernitur. Sed nec minus, ait Eysteinus, forma corporisque venustas, discernit eum principem a turbâ ut omnium oculos in se convertat, nam & formam vestium ornatus & decet & sequitur. Legum certè notitiâ eloquioque in publicis conventibus & assensu auditorum me non æquabis. Hanc negem, ait Sigurdus, fallacis forensibus te me diligentius studuisse, cum in aliis agendis occuparer: nec eloqui lepor desideratur, sed promissorum fides & constantia, cum ad gratiam eorum, qui præsentem sunt, loqui soleas, quæ demde retractari multi queruntur: id vero minime Regium. Mibi semper constitutum est, respondit Eysteinus, causas omnium placidè audire, singulasque benignè dimittere, ne quis tristior, quàm venerat, recedat: sepe tamen accidit, ut adversario me quoque consulente, veritas studio prioris velata emergat, cui ne vis fiat, dissidentes reconciliare prima mihi cura: interdum quoque implorantibus opem promitto, ne ullum me accessisse peniteat. Licet tamen exemplum tuum sequi, qui omnibus mala minaris, nec fluxæ fidei promissive ab ullo incusaris. Celebris, ait Sigurdus, principique magna habetur expeditio in Asiam suscepta, dum tu domi instar filie intra paternos penates remansisti. Attigisti ulcus, regeffit Eysteinus, tactu diu expectato: mirum quod non dudum ebullivit. Non instituissem hanc comparationem, ni præmeditatus quid reponerem; certè te ego ut sororem dimissi, cum te viatico instruerem. Ad hæc Sigurdus. Fando-ne audivisti, me in Serklandia bella gessisse, singulis victorem: nulli eorum interfuisti. Inter principes summo honore ornabar, cujus tu partem nullam reportasti; res pretiosissimas, quales in hac terra nunquam vise, spoliis donisque consecutus huc importavi, nullò tuo periculò Sidonem cum Rege Hierosolymitano expugnari, sine tuo consilio auxiliove. Sepulchrum Domini advi, nec te ibi vidi. Transivi in Apuliam, nec tu mihi occurrebas. Ad ea Eysteinus. Audivi quidem pugnâsse te in Serklandia, minore regni utilitate, dum ego quinque ades sacras a fundamendis extruxi, inque extremo Aquilone, Vogis nempe, piscatorum stationem institui, in usum pauperum vitæque subsidium: ibi & templum extruxi, sacerdotem constitui, subsidium vitæ providi, ecclesiam redditibus instruxi, & cum prope omnes etbnici essent, Christianis saris imbui omnes. dei-

deique catholica dogmate instrui curavi; monumentum perenne regnantis in Norvegia Eysteini. In Thrandarnesia templum similiter exstrui curavi, proventibusque dotavi, monumentum perenne regnantis in Norvegia Eysteini. Per montem Dofrinum saepe ex Thrandia profecti sunt homines arduo itinere, saepe etiam exitali: ibi arverforia constitui, proventibusque sustentavi, perpetuae regnantis in Norvegia Eysteini memoria. Propter Agdanesiam litusque importuosum, infestum navigantibus mare, multis etiam fatale, publicum tamen, et ab austro aquiloneque proficiscentibus necessarium; ubi nunc portus statioque fida, aedesque sacra, adjecta in summitate montium piræ, inque Sinbolne sinu turris: singula me curatore facta; monumenta perennia regnantis in Norvegia Eysteini; nam & his piscatoribus mercatoribusque, qui necessaria importat valde provisum, non sine Regii errorii utilitate. Bergis palatium templumque Apostolorum edificavi, interjectis gradibus connexa, monumentum diuturnum successuris Regibus. Michaeli Archangelo edem sacram edificavi, ibique monasterium Munctisi fundavi. Leges ordinavi, ut jus suum quilibet consequi facile posset; quæ si observantur, status quoque imperii conservabitur. Jamtos sub imperii obsequium, non minis, nec metu, sed blanditiis, consilio, mutueque utilitatis invitamentis, reduxi. Hæc licet exigua sint, magis tamen regio conducunt, quam bella tua in Æthiopes, quos malo Dæmoni in ossam concisos in infernum detruxisti. Tum Sigurdus: eò tamen itinere, viâ qua Dominus, fluvium Jordanem accessi, tranavique. Virgulta in ripa extant, unde virgam in nodum complicavi, quem tibi explicandum pronunciai, secus adjectam penam daturum. Pietatis officium in visitando Dominico sepulchro, laudandum quidem: non tamen minus mihi proderit, reposuit Eysteinus, castorum hominum congregationem monasteriumque fundasse. Nodum autem, quem mihi nexuisse gloriaris, non quidem solvam: tanti tamen non est, quin alium, & quidem intricatiorem, quem in æternum non resolvisses, nunquam in posterum regni nostri compos futurus, necere potuisses, cum tu unica nave redux illam classis mee miscuisti. Cum ergo magna patrimoni parte ad te, ut sororem, dotandum, ego Olafusque frater, cum obires inops, regno impenderimus, receperimusque unica nave redeuntem, vestrum erit, viri sapientes (convivas affatur) judicare, ecquid merito aurate istæ cervicis sibi jure vendicare possent, præ iis, qui domi remanebant. His dictis uterque conticuit, mutuâ irâ ex ingrata comparatione conceptâ.

Plura quoque intercurrent, fraterno amori dissolvendo quàm conciliando prouiora; inde æmulatio non sine similitate orta est, non tamen eò processit, ut pacem regni publicumque statum, quoad viverent, convelleret; nam & uxor Regis Eysteini Ingibiorg Guttormi filia, Thoreris de Streiga neptis, absente marito, cum quodam tempore Sigurdo in folio assideret, quicquid de gloria ex gestis in peregrinatione, ab Eysteino iminutum videri poterat, exquisitis laudibus condignisque encomiis rependisse memoratur: id quod animum ejus repentino gaudiò ita affectit, ut ipse non sibi temperaret, quin extemporaneo carmine protinus decantaret: idque *Morkinskinnâ* hodieque reservat. Verum quàm incerta caducaque mortalium felicitas sit, gloriaque vana, nec unquam diuturna læticia, tum demum expertus est, cum in Uplandis diversatus balneo in magno quodam vase aulæis instrato indulgeret; tum enim repente visus in aqua piscis prope se natæ: inde risus ei immodicus exortus, quem mentis deliquium sequebatur, ita ut sæpius exinde deliraret. Vefania istius exempla aliquot Scriptores vitæ ejus commemorarunt, inferius suis locis repetenda.

CAP. VIII.

REX EYSTEINUS MORITUR: EIUS ELOGIUM: UNICA FILIA: OPERA POST REDITUM SIGURDI IN REGNUM: INGENII EJUS QVÆDAM ARGUMENTA.



Ex annis à morte Olafi, cùm Eysteinus Rex in provincia Stm, aliis Stm, Hausstadis, seu Hufstadis, convivaretur, repentinâ lue infectus animam exhalavit, quarto Kal. Sept. Annô Christi MCXXI. In Nidarosiam delatus, magno funere elatus est, sepultus in æde Christo sacrâ, tanto omnium desiderio luctuque, ut à tempore Magni Boni, Sancti Olafi filii, tot additantium lachrymis notatum sit neminem Regum sepulturæ mandatum. Viginti annos regnâsse *Kringla* perhibet, id quod non consistit, si secundum *Morkinskinm* sex annis Olafus supervixit: nam centesimum vigesimum tertium attigisset, quod tamen ex eclipsi, quam postea describemus, quæ annô post expeditionem Calmariam accidit, facile subvertitur, cum solus Sigurdus isto tempore regnaret. Multæ illum naturæ dotes exornârunt, forma in primis venusta, statura mediocris, capillus citrinus, oculi cærulei, parumq; prominentes, sapientia admirabilis. Accessit solertia & consulta eloquentia, mira humanitas, vultus fermôq; ad gratiam compositus: inde studium vulgi amorqve popularis. Filia ei ex Ingibierge Maria, quæ Gudbrando Skaphauggi filio nuperat. Operibus modò memoratis, quæ Eysteinus, cum Sigurdus peregrinaretur, fecerat, hæc postea adjectis dicitur. Navem ingentem, formâ & magnitudine memorabilem, illam quam Olafus Tryggvinus fecerat, Serpentis longi nomine, æquantem ædificavit; proram draconis caput, puppim cauda, utraq; inaurata, exornabant; alta quidem navis, depressiores tamen prora puppisque, quam cæteræ partes deposcerent, visâ. Vastam præterea domum in navalium usum, quam materiæ delectus & artis cura, singula ad admirationem, commendabant, extruxit. *Jofraskinna* (sed sola) plures in eum usum constructas ab eo memorat. Lenitatem ingenii ejus, nescio an stuporem, sequens relatio, ut & immensam satraparum insolentiam & arrogantiam, ostendit.

Horum Regum temporibus, quantumvis severitate Regis Magni cõercita satraparum licentia, multum tamen increvit. Regibus enim præsentibus, non modo vim sibi invicem inferre pro nihilo ducebant, sed etiam ipsos Reges verbis acrioribus objurgare, probrisq; lacessere sibi permittebant; exemplum in Sigurdo Hranino adduxi: aliud etiam enormius exponam. Assumerat in famulitium suum Nidarosiae vidua, opibus & stemmate nobilis, Vidkunno de Biarkeya propinqua, nomine Asa, juvenem Islandum, parva in re, sed fide & industriâ corporisq; specie comendabilem, nomine Thordum, poetam felicem faceremq; cuius solertia perspectâ societatem negotiationis cum eo inivit, pacta operas, ipsâ merces, navem, quâ Angliam peteret, ibiqve negotiaretur, conferente. Quod cum per aliquot annos feliciter succederet, opes haud exiguas lucratus, favorem quoque ejus majorem, quam existimationi viduæ expedire videretur, in se convertit. Sinistra inde fama etiam ad propinquos mulieris delata bilem illis movit; nam Asæ-Thordus vulgò usurpabatur. Contigit autem,

tem, ut, cum Vidkunnus urbem accederet, Thordum amicus quidam mone-
neret, infestum esse ei, ideoque placandum, quod inter consanguineos
dominæ potissimus esset; id verò nullo mediò rectius, quàm si eum car-
mine celebret, affecuturum. Is monitis obtemperans, pœmate concinnè
elaboratò, Vidkunnum in diversorium accessit, limis quidem oculis excep-
tus, facilè tamen permovit, ut carmini honori suo dicated aures præbe-
ret; quod assâ vocè recitatum, auditoribusq; de meliori notâ commenda-
tum, adeo eum statim exhilaravit, ut discussâ similitate etiam in favorem
ejus accenderetur; actis itaq; gratis, detractum digitò anulum aureum
donaturus, responsum reportavit, *muneribus vel aurò se nequaquam indige-
re; gratiam ejus plurè estimaturum*: cujus copiam cum ipsi pollicitus es-
set, benignè dimittitur.

Paucis interjectis annis, cum Thordus ex Anglia rediret, nave in
statione locatâ, Rex Eyfsteinus fortè navigiò urbem advectus, declinatâ
Thordi nâve, aliorum suam statui curavit. Aderant & viri primarii mul-
ti, & in his Vidkunnus & Sigurdus Hraninus, satraparumq; omnium po-
tentissimus Ingimar de Askio, vir contentiosus. Is deturbata Thordi nâve
mercatoria suam reposuit. Non tulit hanc injuriam Thordus, itaq; nâ-
ve ejus amota suam reduxit, monitorum securus, qui rixas inde orituras
suggerebant. Dumque suam navem intentius lustraret, integumentum
quoddam ex puppe desiderans in nave Ingimaris deprehendit, quod juve-
nis quidam lecto illatum sibi substravit. Eum itaque cum furto domum
deduxit, navemque suam mercibus exoneratam in statione reliquit. Sin-
gula cum Ingimar intellexit, contemptum se judicans, magna irâ infensus,
mediocri comitatu Thordum adit, mirari se audaciam testatus, reddi ju-
venem postulat; *neque enim Thordum judicem esse, qui causam illam deci-
dere, aut suos comites ferali sententiâ plectere possit vel debeat: ni statim re-
siliat: se aliâ vice tantis cum viribus rediturum, ut se invito ulterius detine-
re nequeat, nec aliam causam ei deterius cessuram: frustra se satrapam esse, si
unum bonumcionem Islandum ad officium redigere nequeat*. Extat metrum,
quo Thordus ipsi respondit, *furem in flagrante crimine deprehensum se ne-
quaquam redditurum, nec minas ejus curaturum*. Quo audito iratior Ingimar
discessit. Mox Aÿa svasu Vidkunnus nunciis excitus, frequenti comitatu
domum ejus superioraque ædis ingreditur. Post exiguum moram Ingi-
mar comitator redit, magnoq; strepitu excitato, reddi sibi famulum jubet,
secus vi erepturum minatus. Vidkunnus respondit, *causam in foro coram
judicibus disceptandam: nihil Thordum hac apprehensione deliquisse, peccatu-
rum in leges; quindecim enim marcis muliandum, si furem dimississet*. Ingi-
mar cognito Vidkunno: *Ergone, inquit, tecum contendam? id, regessit, licet
arduum, magis tamen bonestum, quàm cum Thordo, cum satrapa pariter u-
terque sinus: iterumque discedit*. Vidkunnus vim subitam expectandam
certus, per nuncios à Sigurdo Hranino auxilium exposcit; quod si tergi-
versari videatur, moneri eum jubet, *ut ad animum revocet, quinam illi o-
pem maximam tulerit, cum Finni villam ejus invaderent*. Ad primam manda-
tati expositionem respondit, *permittendos sibi utrumque, pari contentione
emulatuque viros*. Cæterum ut beneficii mentionem injectam audivit, re-
posci judicans, statim numerò armatorum, quantum in re subita colligi po-
tuit, congregatò, accessit Vidkunnum; cum repente Ingimar, magnis &
ille viribus collectis, accederet, reposcit hominem; ni reddatur, vim con-
tinuò minitans. Frementi Sigurdus Hraninus respondit, *notam sibi illius
vehementiam, sibi constitutum jura sua ab ardore illius defendere*. Ergo, inquit

Ingimar, *mibi cum duobus satrapis res erit: discedensque subito auxilia undique contraxit. Interea Sigurdus mittit, qui Regem Eyfsteinum in partes suas sollicitent, nunciantes, ni veniat, auxiliumque ferat, rem ad periculum spectare; si forte detrectet, jubet ut quærant, quoniam novissimo bello patrem ejus postremi reliquissent?* Ad primum postulatum respondit, *non indigere eos viros, quippe fortes & strenuos, auxilio suo, duos satrapas contra unum, qui & ipsi magnos spiritus gerant.* Injecta vero fidei in patrem mentione, *magni ipsis referre videtur ut veniam,* respondit; statimque cum satellitio accessit eos. Nec diu erat, cum excitatus ab Ingimare tumultuosus audiret, minaque haut vanæ, ni redderetur captivus. Tum Rex Ingimarem affatus: *Rem indignam, ait, turbis urbem implicari ob causam tam exigentem & hominem facinorosum.* Qui cognito Regis adventu: *Desistam, inquit, in præsens, Rege factionibus se ingerente.* Rex furem cum furto humeris alligato in forum deduci jubet; qui mox a iudicibus ad furcam condemnatus suspenditur. Tum Rex Eyfsteinus ab Ingimare quærit, *qualem eum jam mansionem consecutum existimet? Boniam,* respondit. *Minimè, reges multum tibi erratum esse, dum ad insulam terræ civem (sic Islandum descripsit à terra ovium boumque pingvium feracissima; vel si Maurum potius verti placuerit) promovet; patrem autem tuum præ timore ulcisci negligis, qui in Hibernia sicut canis ossibus rodendis intentus, cæsus est; quem inferni incolam credere par est.* His illoto ore in Regem jactis ad navem progressus Vikam usque navigavit; ibi quodam Regis ministro cæso solum vertens in Daniam concessit. Rex objurgatione ejus futilitateque spretâ, nihil impediēbat, quominus proficisceretur, idque ab infatâ naturæ singulari lenitate. Thordus deinde Afam uxorem duxit, opesque haud modicas confluxavit.

Humanitatis ejus argumentum in Islando quodam *Morkinskinna* adducit; nomen ei Ivar Ingimundi filius, genere nobili, viro sapienti & poetæ celebri, qui adscitus in famulitium Regis familiariter habitus est; frater ei Thorfinnus, qui in gratiam ejus à Rege Eyfsteino hospitio, ut tunc mos erat, exceptus, graviter tulit fratris gratiam, quam propria merita ad commendationem sui apud Regem præponderâsse; cumque illò haud minor haberi vellet, relicta aulâ patriam repetivit. Erat ibi virgo singulari formâ, nomine Oddnya Johannis filia, quam frater Ivar, dum in patria esset, adamavit. Postulat itaque sub discessum à fratre, *ut ei suo nomine significet, ut reditum suum expectaret, nec amorem suum alii addiceret; se enim illam uxorem ducturum.* Verùm frater pravâ indole, neglecto fratris mandatò nexuque, ut primum in patriam venit, ipsè eam sibi matrimonio junxit. Id cum Ivar per nuncios intelligeret, præ mænore contabuit: quod observans Rex Eyfsteinus, tristitiæ causam sine arbitris scissitatus, cum elicere non posset, quod turpe relatu videretur, ipsè tandem divinare cepit; cumque quæreret, *an amore femine ullius in sua patria duceretur?* respondit ita esse. Tum Rex pollicetur se opibus eum instructurum, literisque ad territorii illius principes, ubi illa esset; *neminem esse dictitans, qui vel gratiam suam vel minas neglexerit: itaque eam uxorem impetraturum, etiam si alteri nupserit* (id quod mihi suspectius, quòd post instructum Christianismum nullum simile exemplum, vel in Islandia, vel Norvegiâ, occurrat) Ivar rem haud integram respondit, *cum frater eam sibi sociasset.* Obtulit itaque Rex, *ut dum provincias lustraret, se sequeretur: occursum conspicuam aliquam, cujus nuptias ambire posset; impetraturum.*

trunqve pollicebatur, ni Regio stennate nata esset. Is ad conspectum formosarum magis animum suum irritari, refricatâ amicæ memoriâ, respondit. Villis itaque Regis te præficiam, augetoque honoribus, ait. Is honoris abundè gratiam Regiam respondit, cætera non requiri. Mercaturam itaque ut profiteretur, Angliamqve aut alias terras peteret, svadet; se opes suppediturum. Quod cum abnuisset; sæpius itaque à prandio, cum gravioribus negotiis non impediatur; ne accede, ait Rex, mutuaque hujus femine mentione animum tuum exhilarabo, donec abjecto animi dolore te viterum colligere possis: nec unquam indonatus recedes. Placuit lyari tanta tam rara Regis indulgentia, & deinde ad familiare colloquium sæpius admissus, donisque ornatus, ad se rediit, Regemqve, ut prius solebat, facetis versibus jocosqve exhilarabat, longoque tempore apud eum remansit. Hæc privatis quàm publicis propiora, quia tamen ingenii ejus bonitatem ostendunt, author, quem adduxi, noluit præterire.

CAP. IX.

REX SIGURDUS GRONLANDIS EPISCOPUM PRÆFICIT: SMALANDAS AD FIDEM CHRISTIANAM REDUCIT. DE REGIBUS SVECLÆ EJUSDEM TEMPORIS DISQVIRITUR.



Morte Eysteini regnum Norvegiæ in pristinam Monarchiæ formam redactum soli Sigurdo paruit: qui sollicitatus à Grönlandis de Antistite Ecclesiis suis præficiendis votis eorum annuit. Rei gestæ ferè modò exponit. Anno MCXXII, vel qui proximè sequitur, incoluit Brattahlidem vir gentis faciliè princeps Sockius Thoræris filius (Eirico Rufo prognatus videtur) Hic Christianæ religionis, an gloriæ gentis, fortè etiam utriusqve, promovendæ studiosus, cum cæteras nationes eisdem sacris addictas, disciplinæ Ecclesiasticæ stabiliendæ factorum Antistitem constituisse animadverteret, nec gentem suam tantum decoris exortem passus, ad publicum conventum omnes evocavit, ibique copiosè disseruit, quàm esset necessarium, cum divino beneficiò veri Dei ministris, ejusque colendi præcepta, pluresque informatores, cultusque sacri majoris auctoritate & Numinis metu gentem coërceret, ad cujus sustentationem, aliarum gentium exemplo, singuli de suo symbolam liberaliter contribuerent. In id cum omnium consensum impetrasset, placuit legationem in Norvegiam ad Regem Sigurdum Hierosolymipetam dirigi, pro impetrando idoneo ad tantum officium sustinendum viro. Legationi itaque præfecit filium suum, nomine Einarem, impigrum virum & auctoritate varendum. Is voluntati patris morem gerens, magnâ balænarum dentium coriique Rostungini copiâ, proceribus muneri destinatâ, iter instruxit. Horum deinde commendatione, tum etiam causæ pietate Regi insinuat, facile assensum ejus, mox etiam auxilium impetravit.

Erat inter alios presbyter, nomine Arnaldus, moribus & doctrinâ tanto muneri idoneus. Hunc Rex precibus sollicitavit, ut in Dei suamque gratiam illud onus in se reciperet; pollicitus, se commendatitias literas ad Archi-episcopum Lundensem Ascherem super ordinatione ejus scripturum, eumqve unâ missurum. Is onus humeris suis gravius multis

tis deprecatus, præcipuè tamen obtendisse fertur *eruditionis modulum, tanti fastigii minimè capacem, gentis à politiorum hominum commercio distite ferociam, nudis præceptis, monitis aut minis vix agrè domabilem, & tandem perpetuum à patria velut exilium, & cum consanguineis amicisque divortium; quæ tamen sibi minimè recusanda, si certus esset labores suos & ærummas in usum vineæ Dei profecturas.* Cumque suæ in peregrina terra imbecillitatis conscius parum aut nihil sibi polliceri possit, Einarem jurejurando obligandum obtendit, ut potentiâ suâ & autoritate jura Ecclesiastica protegat, promoveat, bona mobilia imobiliaque Deo consecrata donataque conservet, vindicet, æque iis vim omnem arceat, violatoresque puniat, totiusq; cathedræ procurationem in se suscipiat. Rex advocato Einare postulata exponit, faciliq; impetrat.

His peractis Arnaldus ad Archiepiscopum profectus, prolatis Regiis literis, benignè excipitur & initiatur; qui deinde rediens in Norvegiam magnâ Regis gratulatione honoratus, eadem cum Einare nave Norvegiâ solvit. Et ille quoque honoribus, nescio quibus, à Rege, quem ursò Gröndlandico donaverat, ornatus, votique compos, omnia ex animi sententia expedit.

Hoc tempore Nicolaus Danica scepra jam diu tenuerat, suscepitque ex Margareta uxore duos filios, Ingium, avi materni nomen gerentem, (qui in juventute ex eqvo præcipitatus, licet lugubri casu in fata cessarit, prævenit tamen dubiam ex secuta familiæ calamitate sortem, si vixisset, expectandam) & Magnum, de Magni Nudipedis nomine dictum, virum ut ingeniò prævum, ita ad extremum successibus destitutum. Et jam pietate insigni stimulatus Rex Daniæ Smalandas fidei Christianæ minimè tenaces, magnam etiam partem ethnicis, magnam apostatis, cultas, qui licet sacris ritibus imbuti, tinctiq; sacræ generationis lavacro essent, quorundam tamen Regum auspiciis ductuque, ut Sveni illius, qui à sacrificiis Blot-Svenus usurpabatur, & post eum Eirici, Arfælis à felici annonâ dicti, ad ethnicismum redierant, ad Christianæ pietatis professionem convertere decrevit. Mittit igitur legatos ad Sigurdum, auxilium ejus ad tam præclarum opus expeditionisque societatem postulatum. Qui & sibi rem Christianam cordi professus, se cum classe ad præstitutum in freto Sundico tempus adfuturum pollicitus, imperat civibus classem, comeatum, militiam. Classis itaq; trecentarum navium contracta est. Verum cum id diutius, quàm destinatum erat, extractum esset, Dani, qui jam diu parati adventum ejus expectabant; ubi tempus non sine quotidianis impensis incassum dilabi animadvertunt, promissa Norvegorum in dubium vocant, querelasq; precibus miscent, frustra promissa auxilia expectari clamitantes; tandem etiam pervincunt, ut dimitterentur. Iis dilapsis supervenit Sigurdus, rupti fæderis injuriâ offensus. Ne tamen impensæ in detrimentum tantum verterent, captum iter perficere statuit. Classis omnis in Scaniam in ostium Evinnyar-ös directa. Ibi quid è re videretur in concilio deliberatum. Lubricam Nicolai fidem Sigurdus aliquali vindictâ dignam pronunciavit. Placuit itaque pagum aliquem diripi; direptum Tumaþory haud procul Lundîâ, inde oppidum Calmar classe obsessum, Smalandæq; infestatæ, imperataque in comeatum mille octingenta boum; nec discessum prius quàm omnes Smalandæ in Christiana sacra jurassent.

Post peractum tam salubre negotium, glorioso reditu, variarum rerum, etiam pretiosarum, prædâ spoliisque onustus patriam repetit. Expedi-

ditio Calmariana profectio isthæc exinde vocata est, facta æstate, quæ te nebras illas memorabiles (verbis authoris utor) præcessit. Eclipsim intelligere videtur, quam Anglici Scriptores anno MCXXIV. notarunt accidisse, die XVII. Augusti, inter horam quintam & sextam diei; & *Calvisius* eodem die feriã secunda inveniri tradit ad eundem annum. Notat & idem *Calvisius* aliam ad annum MCXXXIII. quæ in Flandria acciderit die II. Augusti, feriã quarta in meridie, tantamq; fuisse tradit, ut stellæ videri possent. Verum cum Sigurdus vitam non eò usq; produxerit, huic expeditioni aptari non potest. Hanc solam expeditionem post reditum extra regnum fecisse memoratur; quam Scriptoribus Svedicis inobservatam non satis miror.

Hæc ego vel sub Rögivaldo, quem *Langfedgatal* Olafi Neskonungi filium appellat (Svedici Scriptores Knaphofidium) aut Kolo Blot-Sveni filio, quem Eiricum *Arfsela* : *amonæ felicem*, dictum volunt, contigisse existimo, his rationibus adductus. (I.) Quod Philippi & Ingii pietas, ne conniventiam quidem ad idololatriam, nedum ipsorum apostasiam, admittat. Sed nec in Sverkerum Scriptores quicquam tale impingunt, qui nec prius, quam extremis Regis Nicolai annis, ad rerum Svedicarum fastigium evehctus est, cum Magnus Nicolai filius, bello cum patruelæ suo Eirico, Eymunio postea dicto, implicabatur, idque post annum seculi istius MCXXX. cædemq; S. Canuti Obotridarum Regis Slesviciq; Ducis, uti id ex *Saxonis L. XIII. pag. m. 244.* conspicuum est, aliis etiam notis confirmatum, putã deductione S. Canuti filiæ ad sponsum suum Noricorum Regem Magnum, ipsiusq; Magni primordiò, qui hoc eodem anno patri Sigurdo humanis rebus exempto furrogatus est. (II.) Quod annales Islandorum, qui tradunt Philippum & Ingium Hallsteini filios post patrum Ingium Steinkelis filium simul regnasse, Philippi mortem in annum MCXVII. *Ario Polybistore* consentiente, collocant. *Johannes autem Vasstovius in Vite Aquilonia*, qui Islandorum nulla vidit, in eodem annum Ingii, vel Ingonis, hujus exitum refert. Sanctam verò Ragnhildem illius uxorem, quæ marito supervixit, sub imperium successoris Ragvaldi ad annum MCXXX. majori ratione, quam ipse Upsalensis Archiepiscopus *Johannes Magnus*, qui Ragvaldi Knaphofdi, qui ei successit, cædem post brevem vitam, anno MCXXXIX. applicat; cum tamen Sverconem, seu Svercherum (Islandis Sorqverem) illius successorem Nicolæ Daniæ Regi æqualem testetur, eiq; uxorem Ulfhildem, amatoris primùm legationibus sollicitatam, mox furtim abstractam, ad suum usque connubium deduxisse. Jam verò neminem latet, annum MCXXXIV, aliis etiam proximè sequentem, Nicolæ rerum suarum extremum fuisse. Initium regni Sverkeri ex contextu Saxonis incidit in annum, quò castellum, quod Haraldus Eirici Semper-Boni filius in suburbio Roskildensi exstruxerat, expugnatum est. Id verò *incerti authoris Chronica Danorum*, Lipsiæ à *Celeberr. Arna Magnæo*, Archivario Regio & Philosophiæ & Histor. Danicæ Professore, MDCXCV. edita, ad annum MCXXXIII. his verbis referunt. *Fractum est castrum Haraldæ Kasiæ Roskildis, qui fuit frater Eirici Emunæ.* Sverkerum Magnus Nicolaus Daniæ Regis filius præcessit, prius in Gothiæ regimine, deinde Sveciæ; id enim *Saxo* ita explicare videtur, si *Lib. XIII. pag. 235. cum 244.* conferatur; ibi enim tradit Gothos, absumto Svedicarum partium (nota: non totius Sveciæ) Rege, Magno sumam detulisse; hic autem Magnò domesticis bellis occupatò Svecos Sverconem sibi Regem constituuisse.

Hinc duo observanda relinquuntur. Unum, Gothos non immediate post mortem Ingii Hallsteini filii, Magnum Regem constituisse (totius enim Sveciæ Gothiæque Rex Ingius fuit) sed post absuntum Svedicarum partium Regem, (fortè Ragvaldum Knaphofdium) quem, eò quòd antiquarum legum consuetudinem causam adventus sui, præmissis literis & nunciis, declarare dedignatus est, ipsi de medio sustulerunt. Svecos autem qualemcunque civem, modò idoneum, & id temporis ethnicis sacris deditum, peregrino prætulisse, atque ideo elegisse Kolum Blot-Sveini filium, quem non ab annis frugiferis (cùm fortè exiguo tempore vixerit) sed in subsecutæ diuturnæ felicitatis (quam sub eo sibi spondebant) annorūque proventus omen, Arfælem, & honoris causā Eiricum appellarunt, quòd nomen à maximis Regibus mutuatum, perpetuæ potentiaē confortem denotat. Sub hoc Rege Svecos iterum ad paganismum relapsos satis constat; jamque altercatio inter eos & Gothos intervenisse videtur, his Magnum, utpote Ingii Hallsteini filii patruelis, Rognvaldi ex filia nepotem, illis Eiricum propugnantibus. His stimulatam Nicolaum regno filio comparando causam religionis prætexuisse existimo; sed nec nego etiam de ea fuisse, ut Principem Christianum, sollicitum. Atque hinc Sigurdum evocatum.

Alterum observatu dignum hoc est; post hunc quoque à Gothis traditum Svecorum Gothorumque suffragia in Magnum consensusse. Id sibi volunt verba illa, quæ Svecos (non solos Gothos) Magno domesticis bellis implicato, Sverconem Regem constituisse tradunt. Magnus itaque prius solius Gothiæ Rex electus, deinde totius Sveciæ Gothiæque regimen, Svecis Gothisque concordantibus, ad annum usque MCXXXIII. tenuit. Poterat itaque Ingius Philippo fratri (quem *Historia Hervoriana* exiguo tempore regnasse tradit) superstes propè ad hæc tempora, annum scilicet MCXXXII. sed nec ultra, pervenisse. At regeri poterit, Ingium ad minimum ad annum tricesimum quintum ad Svedica scepra sedisse: nam memoriæ Islandorum communi consensu tradunt, Ulfhildem primò nupsisse Nicolao Daniæ Regi, deinde Ingio Hallsteini filio Sveciæ Regi, deum Sverkero quoque Sveciæ Regi, exque ea procreasse Carolum Sveciæ Regem. Si ergo Ingius ejus intermedius maritus erat, post excessum Nicolai vixisse oportet, convellitque Sverkerum eam à conjugio ejus ad se pellexisse, ut & totus Nicolai Sverkerique synchronismus, nec Magno ullus locus inter Sveciæ Reges, nec ullum tempus relinquatur. Et hæc ipsa, quæ scribimus de expeditione Calmariana, & ethnicis & apostatis Regibus Sveciæ, cùm in Ingii hujus tempora incident, falsa essent, id quod minimè statuendum est. Malo itaque hujus traditionis errorem agnoscere, præsertim cùm iisdem Scriptoribus alius æquè absurdus obreperit, cùm Brigidam Haraldi Gillii, qui anno MCXXX. Norvegiæ Rex, unà cum Magno, Cæco postea dicto, factus est, primò huic Ingio nupsisse perhibent, deinde Comiti Gothiæ Carolo Sonii filio, tum Magno Sveciæ Regi, patris sui privigno, Henrici Skataleri filio, qui annum tantum, eumque MCLXI. in Svecia regnavit; tandem Comiti Sveciæ Birgero Brosio, quem Annales Islandici anno MCCII. vitâ functum memorant, septemque ex ea liberos suscepisse tradunt, singulorumque nomina edunt. Nos hanc quoque uxorem Ingio affectam concludimus. Nam si Ulfhildem viduam moriens reliquit, quomodo & hanc? vel si hanc, quomodo illam? simul enim duas uxores habuisse, moribus Christianis repugnat; nec hæc eò ætatis tunc provecta videtur, ut ejus tempore nubilis esset. Addunt Sveciæ Scrip-

Scriptores alias duas, priorem Helenam matrem Margaretae (quam prius Magnus Nudipes Norvegiae Rex Anno MCIII. mortuus, duxerat, & post illum Nicolaus Daniae Rex, idque ex male intellecto Saxonis loco, qui non hunc Ingiung, sed superiorem Steinkelis filium, intelligit) posteriorem Sanctam Ragnhildem, cujus reliquiae in oppido Telga depositae sunt, illaque, ut videtur, sola illi competit. His itaque uxoribus remotis, nihil obstat, quin Saxonis relatio de synchronismis inter Nicolaum Daniae & Sverkerum Sveciae Regem, & quae de Ulfhilde tradit, fidem mereantur.

CAP. X.

REGIS SIGURDI SOMNIUM, SUBSECUTUSQUE HARALDI GILLII ADVENTUS: EJUS ARTES ET AGILITAS



Ortè in districtus Jadræ villâ quadam sua divertebat Rex Sigurdus, cum nocte peractâ, matutinò tempore, postquam vestes induerat, tristior apparuit. Veritis itaque amicis, ne iterum cum mentis deliquio conflictaretur, villâ præfectus, vir solers & audax, eum adiit, liberiusque quæsit, an per nuncios quicquam sibi molestum perceperit, aut si quid in apertu convivi displiceret, vel denique an quicquam desideraret, quod ipsius industria parare possit? Ille nihil horum animi sui integritati officere respondit; curam autem necesse somnium sibi per noctem oblatum. Villico felix omen præfato, deinde expositionem flagitanti: Hic, respondit, in Jadræ videbar constitutus, latèque per mare prospectans, atram quandam molem huc tendentem oculis conjectabam; quæ ut appropinquabat, ingentis arboris speciem representabat, ramis è radice mari altè immersa late prominentibus. Mox lateri allisa, subinde contracta, continentis insularumque litora fragmentis replevit. Deinde totius Norvegiæ facies oculis subjici visa, sinus omnes & scopulos partibus istius oppletos monstrabat, inter quas trunci quoque majores, sed maximam partem frustra minutiora, natabant; Hæc quæ denotarent, villicus neminem eo acutius conjecturam respondit, explicationemque deposcebat. Rex viri peregrini adventum hoc ostento adumbrari, qui sedem ibi fixurus videatur, sobolemque per partes regionis, sed diversa sorte, propagaturus, ait.

His annis Hallkell Hukus, Jonis Smiorbalti Mariæ satrapæ filius, in occidentem Habudas usque navigans, incidit in virum ex Hibernia profectum, qui se Gillichristum appellavit, filiumque Magni Nudipedis profectus est; alteroque nomine Haraldum; quem mater generis testis comitabatur. (Hic in urbe Angliæ Grimsbæis, nobilissimi juvenis Kali, qui postea cum Rognvaldi nomine Comitatum Orcadensem assecutus est, fidei & taciturnitati, quo patre natus esset, concedidit, a quo eo ad ingentes ausus fiduciamque animatus est, ut id à nobis Hist. Orcadensium lib. I. cap. XX. relatum est, inferius quoque repetendum) Utrumque Hallkell in Norvegiam deduxit, simulque Rege Sigurdo aditò, nexum sanguinis exponunt. Rex consiliis procerum exquisitis, pro cujusque ingenio suffragia variantia cognovit, arbitrio tamen suo rem omnem committi; præcipue tamen Kolius Agdiæ præfectus in gratiam filii Kali, cum quo Haraldus prius in Anglia amicitiam junxerat, ipseque Kalus, cæterique provincia-

rum præfecti, in quibus Thioftolfus Alii & Ingimar Sveni filii eminebant, annitebantur, ut ad probationem generis admitteretur. His auditis, Rex Haraldus adduci jubet, permiffurumque profitetur, ut quo patre fatus fit, ordalio probaret; fi tamen jurejurando jus omne ad regnum fe filiòque Magnò vivis abdicaret.

Hæc fponfione juramentò firmatâ, Haraldo injungitur, super novem vomeres ignitos incedere; quod durum vifum proceribus, tantum ad generis afferionem, nullo ad fucceffionem emolumentò. Nudatis super ignitas laminas plantis, à duobus Epifcopis lecto, qui ibidem stratus erat, imponitur; increpante Magno Regis filiò, timidè ferrum calcari: qui à patre ftatim reprehenditur. Mox agnitus à Rege fratris loco cultus eft. Id quamvis experimentum rigidiffimum, inque Norvegia inufitatum, imò novum, haberetur, non tamen Magno fatisfecit, qui in longum profpiciens, æmulationem veritus, eum, quantum poterat, deprimitere cepit, & ejus exemplo procerum multi; Sigurdus autem magnatum in fe ftudii popularisque gratiæ fiducia, certus nihil fibi denegari, omnes ordines facramentò adegit, ad foli Magno post fata fua regnum deferendum. Quod verò *Pontanus* tradit, proceres, cognito illæfum evafiffe Haraldum, fententiam tuliffe, ut Sigurdus, qui folus imperabat, dimidio regni cederet, mihi certè nusquam occurrit. Lingva Norvegica difficilis Haraldus, cum non fine pronounciationis labe exprimi poffet, rifum multis præbuit: Rex verò eum irrideri paffus non eft. Quoytis rifu Sigurdus in agris fuis aut urbibus diverfaretur, maturè per vefperas cubitum ire confuevit, Haraldusque eum comitari; Magnus autem cum fatellitibus in multam noctem convivia extrahebat.

Accidit fortè, cum Osleyæ convivaretur, ut Haraldum præter morem apud fe detineret; quo die eqvum Gothicum eximium rarâ pernicitate dono confecutus fuit, quem cum velocità parem neminem habiturum omnes judicaffent, nec Haraldus affenfum præberet; tandem eò contentionis perventum eft, ut homines Hibernos à pernicitate adeò cõmendaret, ut etiam eqvos eos in ftadio currentes aflequi poffe negaret. Quo audito Magnus, *jam quoque pro more mentitur*, ait. *Vera*, respondit, *loquor: dantur enim homines in Hibernia, qui quemlibet eqvum Norvegicum curfu prævertunt. Pignore experiemur*, ait Magnus, *capite tuo, ego meo annulo, mecumque eqvitante curfu contendes. Haraldus non sibi illam artem vindicaffe* respondit, *fed producturum Hibernorum unum, qui factis dicta probet; in id paratum pignore certare. Magnus fe ejus experimenti gratiâ Hiberniam non accelfurum, fed ubi jam effet experturum*, respondit. Ambo poti erant, ibantque cubitum, nec Haraldus ultra verbis contendere fufstinebat.

Postridie finitis precibus, Magnus prædicto eqvo infidens in publicam viam procedens Haraldum arceffit, qui & illicò comparuit, interuila & braccâ ad talos demiffâ indutus, pallium breve, pileumque Hibernicum gefans; haftile manu tenuit. Cum fpatium Magnus dimenfus efferet, Haraldo ut nimium qvæfto, ipfe jufto brevius teftatus, bonam ei partem adjeçit. Jamque fimul curfum contendunt; femperque Haraldus à latere eqvi armo tenus provectus eft; emenfo autem curriculo, Magnus cingulum eqvi eum apprehendiffe, adjutumque eò, caufatus eft. Iterum igitur certamen repetunt, quò Haraldus femper eqvum præceffit. Transcurfo ftadiò quærit Haraldus, an adhuc fibi eqvus ufui fuiffet? priorem curfum inftituiffe regelfit, & aliquantisper eqvum respirare fivit. Inde calcaribus eqvò concitato celeriter avectus, Haraldo fe nondum movente, retro-

retrospiciens jubet ut contendat; qui inflāmato ad victoriam studiō raptus eqvō celeriter præterito, ad litem stadii tanto prius pervenit, ut recumbens solo Magno venienti exurgens assurgeret, salutaretq̄. Cūmq̄ nihil ultrā haberet, quod obverteret, simul urbem repetunt.

Postquam Rex Sigurdus, qui horum ignarus sacris interfuit, peracto prandiō singula cognoverat, concitator Magnum objuravit; Tu quidem, ait, Haraldum irrides, tanquam stultum, cum tu, me iudice, desipias, ignarus nimirum aliarum gentium, quæ ventrem potione distendere, rationem proscribere, continuā ebrietate insanire, perinde ac vos in deliciis non habent; bonestarum artium & exercitiorum certamen illis in pretio. Redde Haraldō annulum, nec in posterum ei, quoad ego vixero, illude. Morkinskinna tradit Regem interfuisse certamini, misertumque conditionem Norvegorum, quod Regem haberent sui non compotem, præfigire tamen animimum, quod se etiam hoc statu multo auro quandoque redimere præoptent, quam ut Haraldus vel Magnus iis imperarent, quorum alter crudelis, alter desipiens futurus esset.

Agilitati Haraldi testimonium Saxo Lib. XIV. in Eirico Eymunio his verbis perhibet. Haraldus, inquit, exceptā liberalitate, nullam animi ferè dotem adeptus, crebrā corporis virtute pollebat. Cujus viribus fretus apud Helsingiam oppidum, pignore cum Eirico posito, an cum lectissimis ejus equis cursu contendere potuisset, duobus in certamen admissis, utroque metam prior tenuit. Geminis siquidem inter currendum bacillis inmixus, crebris corpus saltibus concitabat. Aliud quoque inusitata agilitatis spectaculum edere consueverat. Sæpe enim inter navigandum puppi exiliens in proram per exerta remorum capita decucurrit, indeque cursu in aliud navigii latus reflexo, per reliquos remorum ordines, locum, quod excefferat, repetiit.

CAP. XI.

EXEMPLA QUÆDAM AMENTIÆ REGIS,
MODERATIONIS, CASTIGATIONUMQUE LIBERALITER REPENSARUM, EX-
PONUNTUR.

Postquam Sigurdus vesaniæ morbō, intra balneum, ut supra memoratum, semel correptus est, sæpius deinde eodem laborare cepit. Festō quodam Pentecostes, cum in folio consideret, assidentibus amicorum plurimis, magnā convivarum frequentiam, truci vultu, simul etiam debilis conspectus, metum de eventu mutati vultus sollicitudinemque omnibus incussit; detortis enim oculis scamna sediliaque & circumstantium coronam lustrabat. Mox arreptō librō illō pretioso, aureos characteres inscripto, quem dono Patriarchæ Hierosolymitani ex peregrinatione domum retulit, simulque Reginam, quæ proximè ei affidebat, intuitus: Magna, inquit, hominum aetas vicissitudini subjecta est: duo cimelia redux in patriam importavi, quæ præ omnibus aliis placuerunt, hunc nimirum librum & Reginam (favet hic locus Orderico Vitali, qui Sigurdum per Russiam domum profectum eodem itinere nuptias Malfridis consecutum memorat: nihil tamen obstat, quin eodem itinere in Dania apud materteram ejus Margaretam, eandemque suam novercam, potuisset impetrare) quorum mihi u-

trumque jam adeo sordet, ut inter res meas nihil vilis habeam. Dubium quid horum obiectius: neque enim Regina turpitudinem suam intelligit, cum tamen enatum in fronte capræ simile cornu, certè ut mihi videtur, gerat; projectoque in focum librò, Reginæ alapam impingit: quæ debilitatem ejus magis quàm suam contumeliam flere cæpit. Astitit Regi juvenis, Ottar, cognomentò Birtingius, à colore sic dictus, staturâ quidem pusillâ, alacris tamen & vegetus, moribus cultis, Regi à candelis, & cui ministrandi vices id temporis obtigerunt. Hic derepentè injectum foco librum eximit, tenensque manu Regem his verbis affatur: *Verè, Rex, humana sortis vicissitudinem memorasti; si enim aliàs, certè hic conspicua est. Quam, bone Deus! hec tempora distant à die illa, quâ tu gloriosissimo reditu omnes hujus regni ordines ad te summâ cum alacritate studioque excipiendum converisti! Omnis atas, sexus, ordo, fastis festisque acclamationibus obviam tibi procedebant, gesta tua ornatumque & partam peregrinatione gloriam admirantes, redditum te sibi gratulabantur, gaudiaque sua mutua lætitia & conviviorum apparatus publicè testabantur; nec ullum honoris genus, quò tibi gratificari possent, omiserunt; jam verò quotquot convocasti amicos ad tam festum diem tecum celebrandum, tristitia & merore perfusi, vicem tuam imbecillitatemque dolent. Noli itaque meum consilium aspernari; relaxa animum, exhibilar amicos, qui te venerabundi accesserunt; auspicare à Regina, quantum tantopere læsisti. Tum Rex: tunc, infimi generis homuncio, rusticana soboles, me docebis? Mox exiliens educto gladiò ictum intentabat. Ottar verò, abjecto metu iisdem insistens vestigiis, ne mutato quidem vultu, nulla terroris indicia dabat. Rex fortitudinem constantiamque admiratus; quem capiti ambabus manibus gladium minabatur, transversum lateri admovit, repetitoque folio confedit, per horulam tacitus, tacentibus simul convivis: Mitiori deinde vultu, circumspectis hospitibus: *Exammandis*; inquit, hominibus dignoscendisque tempus requiritur. *Consident hic amicorum meorum carissimi, satrapæ, stallarii, dapiferi, flos totius regni, nec ullus tantum mihi officium præstitit, atque Birtingus iste, quem vos vestri respectu parci facere certum est. Impos animi huc accessi, res carissimas corrupturus damnum avertit, periculum non extimuit, verba fecit apta temporis, plena prudentis, conquestis rationibus, quæ honori meo velificarentur, mestumque solarentur, silentiò prætermittis, quæ displicerent; nec dicendi Svada illum ullus vestrum superasset; nec audacia & animi fortitudine, cum meas etiam mente capiti minas, imminenteinque & jamjam cervici hesurum gladium non formidaret. Hac constantia provocatus à tam bene merito rectè abstinui. Par est itaque, ut quo præmio tanta animi decora rependam, cognoscatis. A candelis erat, jam satrapa erit, nec id satis; brevi certè satraparum omnium maximus futurus. Tu igitur, Ottar, desine famulari, interque satrapas locum dignum isto animò cape.* Is deinde vir insignis, & multis virtutibus comendabilis, gestisque memorabilis evasit.*

Alio quoque tempore, cum feriâ sextâ cœnandum esset, eum animò tum quoque irrequietò œconomus interrogat, *quæ fercula apponi vellet? quid nisi carnes?* respondit. His allatis cæteri contristati, quòd in canones Ecclesiasticos invitit, exemplò Regis, peccandum esset; vitios enim cibos aversebantur; nemo autem palam obistere audebat. Tum Aslakus Hranus, vir alacris, sed corpore pusillo, nec stemate nobiliore, sed expeditionis Asiaticæ societate inter comites Regis celebris, post recitatam solennem benedictionis formulam, quærit a Rege, *quenam dapes in mensa fument?* Rex iterum, *quid ei videretur? nolim carnes,* respondit. *Quid*

tum si carnes? ait Rex Mirum, respondit Hranius, & miserandum, illum Regem, qui pietatis causâ sepulchrum Christi adiit, qui eodem se, quod Christus, flumine abluit, qui signum crucis pectore, palmam manu gessit, adeo deminuisse diet illius, quod is passus est, cujus tam longo itinere vestigia legit; alii certe hoc factò penam mererentur. Equidem delectus aulicorum expectatione minor est, cum nemo præter me homuncionem id tibi suggerat. Siluit ad ea Rex, sed nec carnibus vesceretur, procedenteque cænâ efferri iussit patinas, aliasque dapes piscium generis inferri: hilarior deinde, collectâque mente, cænebatur. Erant qui monerent Aslakum, ut sibi caveret. Ille nec posse regerebat, nec penam formidandam sibi, nullius delicti conscio, quippe abstentum à peccato Regem. Vocatus deinde à Rege interrogatur, unde ei tanta audacia, ut in tanto hominum cætu se ausit increpare? Ne tu delinqueres, respondit, & pervicisse gaudeo; pœna tui arbitrii est. Rex meritis minus reportaturum respondit, quod is præter satrapas, qui simul accumbebant, verâ monuisset: tribusque villis eum donabat.

Natali Christi festo, vespere intratis mensis cum accumbendum esset, carnes iterum poposcit; responsum, insolentem Norvegis isto vespere usum carniùm. Ego tamen, respondit, illum morem irvebam. Illatus piscis delphini generis, quem Hnisti vocant. Rex cultrò tantum secabat, nec tamen comedit, iussitque sæminam introduci. Introducta quædam velato capite, quam nudato peplo ut conspexit; deformis, inquit, mulier, nec tamen adeo, quin admitti possit; conspectâ deinde manu; turpis, inquit, manus & nimia, verum non ideo contemnenda; pedem extendi iussit; magnus, inquit, pes & ineptus, non tamen fastidiendus; furas denique præcipit nudari; his visis; apage propudium, ait, lividus color crassitiesque monstrosa scortum monstrant.

Accidit fortè cum portum quendam intraret, tranquillo serenoque cælo, his proceribus stipatus, Haraldo Gillio, cui locus prope proram, quod Styrtum appellant, in Regia navi; Svenô à matre Runhilde Runhildis filio dicto; cui pater Knutus de Solio, Sveni filius ex Ragnhilde Sveni Ulfi filii Daniæ Regis filia, Sveni pater Askell Erlingi de Solio filius; tertio Sigurdo Sigurdi filio, satrapâ nobili, qui aliam navem duxit. Stabat in portu oneraria navis Islandica, natandoque se promiscuè Regii nautæ & mercatores exercebant. Unus Islandorum minus peritis insultans, nunc unum, nunc alterum demersit; id quod inspectantibus risum movit. Non tulit hoc Rex Sigurdus, sed abjectâ veste navi desiliens irruit in Islandum, immerisitque aquis, detinuitque longo tempore sub undis; cumque emerisset, iterum merisit; idque longo tempore; quod videns Sigurdus Sigurdi filius: An, inquit, permittamus Regi hunc hominem occidere? Erant qui ut interPELLERET, dissuaderent, metu Regis. Atqui, respondit Sigurdus, Dagus Eylifi filius, si præstò esset, id non permitteret; dictoque citius ad Regem natavit, apprehensumque manibus monuit, ut hominem dimitteret: constare enim omnibus, ipsum in hac arte longè eum præstare. Rex se mitti iussit; se enim illum occisurum, quod suos homines suffocaret. Nos jam primò, respondit Sigurdus, colludemus; iussitque Islandum litus petere, quod & fecit. Quò elapso, Rex iratior navem repetit; jubetque Sigurdo denunciare, ne in conspectum suum deinde veniat; qui mandato obsequens scaphâ litori advehitur.

Eodem vespere, cum alii cubitum irent, alii in terra ludos exercebant; in his erat Haraldus Gillius, qui famulum suum remisit in navim, ut lectum sibi sterneret, ibique se expectaret. Quo peracto, cum tempus lon-

longius in noctem procederet, ipse moræ tædiô lectum Haraldi ingreditur. Quod videns Svenus Runhildis filius, *Eône*, inquit, *sine homines, propriis penatibus relictis, Regem sequuntur, ut famulos sibi adæquent, in sui contumeliam.* Puer mandatô Haraldi id fieri respondit. *Sed nec Haraldi quidem præsentia,* respondit Svenus, *honoris quicquam mihi accedere agnoscô, nedum servorum aut mendicorum, qualis tu:* projectoqve illo è lecto, caput ejus ad sanguinem usqve pulsabat; id quod famulus illicò ad Haraldum refert; qui conceptâ ingenti irâ navem petit, feritqve parvâ securi manum Sveni magno vulnere, lituscq; repetit; quem Svenus protinus infecutus, collectis proximis necessitudinibus, comprehendit, patibulumqve erigit, sine mora suspensusus. Præsens in mora periculum animadvertens Sigurdus, mandati Regii iræve securus, illicò eum adit excitatq; quoviso: *Hoc tu certè crimine,* inquit Rex, *morieris, cum violato mandatô mihi te objeceris properèqve lecto exiliit.* Id quidem efficies, *cum volueris,* respondit Sigurdus; *jam verò aliud magis necessarium; in litus enim tibi properandum est, si fratri Haraldò subvenire cupis, quem jam Rigenses in crucem sublaturi protinus enecabunt.* Dii meliora, ait Rex: iussitqve ut per tubicinem ad sequendum se sine mora omnes convocaret. Itum ad infelicem arborem, ereptusqve Haraldus; mox congregati armatorum magna manus Regem petebant. Rex latâ sententiâ, Svenum cum omnibus sociis facinoris proscriptis; precibus deinde procerum remissâ exilii pæna bonorumqve confiscatio. Tum Sigurdus: *an jam sibi discedendum,* quærit. *Nullò modò,* ait Rex: *neque enim te carere possum.* Hæc *Morkinskinna*, eodem penè sensu, sed mutatis personis, refert. An fuerit Islandus, qui mergendis tyronibus se oblectabat, filet. Ionem nominat; Sigurdi loco Erlendum quendam Gapamunnum substituit. Einarem Skulinum pastorem Islandum, de quo supra egimus, adfuisse tradit. Ter à Rege mersum Ionem, aliorum auxiliô in litus devectum memorat. Quod Svenò hic tribuit, Lodino cuidam adscribit, nimirum quòd puerum pulsaverit, vulneratus vicissim in pectore & humeris ab Haraldo, idqve prius quàm candentis ferri axamine Regium genus asseruisset. Nihil de patibulo aut vi Haraldo illatâ habet. Posterâ die Regem, cum primò experrectus esset, Erlendum Gapamunnum requisivisse ab Einare refert, assertqve carmen integrum, quò factum Erlendi excusaverit Einar, quem deinde accessitum, laudatum à Rege, virumq; bonum pronunciatum, & donatum gladio togâqve, actasq; ei gratias, quòd cæde Regem abstinuerit. Lodinum verò increpatum, quod Haraldo se opposuerit, cui omninò impar esset, monitumqve, ne ullum bonum virum verbis contumeliosis aspergeret, si neqve satisfactione dimissum memorat. Tantus est authorum dissensus.

CAP. XII.

DE URBE KONGAHILLA A SIGURDO
EXORNATA, REPUDIATA REGINA, NOVIS-
QUE NUPTIIS.

Elebre Sigurdi tempore Ranarichæ oppidum Kongahilla, præ omnibus aliis urbibus culta, eò ipsius industriâ crevit, ut nulla alia eo regnante opulenti-
us fuerit. Intra castellum palatium Regium excitavit, omnesqve adfitarum provinciarum etiam urbanos cives, ut singulis duodecim mensibus singuli ab anno duodecimo ætatis & deinceps quinque lapides

des missiles, aut quinque fudes, longitudine quinque ulnarum, aliâ parte acutos, inferrent, adegit. Ædificabat insuper intra castellum sacram ædem, memoriæ S. crucis, ornatu & materiâ ad illam anxie conquisitis, atq; vicesimo quarto imperii sui annò dedicavit. Ibi crucem Domini cum multis aliis sacris reliquiis statuit, & supra altare tabulam, quam in Gracia ex ære & argento conficiendam curavit, inauratam, lapillis & gemis pretiosis ornata: ibi & scrinium, quod Eiricus Eymunius Daniæ Rex ei miserat, ut & Plenarium, seu manuale Ecclesiasticum, aureis literis, Patriarchæ munus. Templum castellanum appellatum est. Novissimis ejus annis amore virginis, cui nomen Cecilia, divitis viri filia, Reginam repudiare statuit, apparatusque magnifico novas nuptias Bergis celebrare. Quod ut Episcopus Magnius animadvertit, id admodum ægrè tulit, dieque quodam aulam petit, Regemque arcessit, comitatus sacerdote, nomine Sigurdo, qui postea in eundem episcopatum successit. Rex accitu præsulis obviam ei processit, sed nudo gladiò; excepit tamen humaniter, invitavitque ad compotandum. *Is aliud negotium prægnantius respondit: quæritque, an vera essent, quæ ad se deferrentur, nimirum quòd Reginam repudiare, aliamque ejus loco ducere statuerit? Rex id verum esse respondit, moxque à nimia irâ intumuit. Quare id sub nostra inspectione? regessit Antistes; in contemptum Divini juris, in contemptum Ecclesie, in contemptum denique officii nostri. Quòd itaque meum est, faciam; tam impium factum interdico, nomine Dei, nomine S. Petri Apostoli, nomine Sanctorum omnium; stabatq; erectus, & tanquam exporrectâ ad ictum cervice, dum hæc diceret. Retulit deinde memoratus Sigurdus, adeò terribilem Regem fuisse, ut nihil Episcopus præter morem expectaret. Rege verò in aulam redeunte, Pontifex domum repetivit, tam lætus & hilaris, quam nunquam aliàs. Monuit tunc Sigurdus, momentaneam illam lætitiâ majoris metus videri præludium: fugâ salutem quærendam, iratò Principe. Nihil mali ab eo sperandum respondit Episcopus; si tamen mors oppetenda, non aliam optatiorem: fecisse enim se, quòd sui esset officii; scandalum ne fieret, prohibuisse; isto crimine condemnari, gratum sibi & lucrosum.* Ingens deinde transcursus per urbem auditus, Rege cum comitatu iter accelerante: magna vis polentæ, magna hordei, Stafangriam, quò profectus est, nuptias celebraturus, avecta. Quòd ut loci illius Episcopus cognovit, & ipse Regem adit, quæritque, num viva Reginâ aliam sibi associare constitueret? id cum affirmasset: *At vides, reposuit Episcopus, quàm severe id aliis interdictum sit. Potentiâ licentiaque regni fretus id tibi permittis, sed conculcato Divino Ecclesiasticoque jure, nec hoc in loco sine episcopatus nostri contumelia; par est itaque, te sedem hanc magnis numeribus donare, quo factum Deo invisum expies.* Cui Rex: *pecuniam quidem accipies, Magnio certè multum discrepas; discedensque haud minus permissione ejus, quam interdicto prioris, irascebatur.* Hanc deinde uxorem duxit, & impensè amavit.

CAP. XIII.

DE KALIO KOLI FILIO, REGISQUE
SIGURDI MORTE ET SEPULTURA.



Libri hujus cap. I. retuli; Magnum Erlendi & Haconem Pauli Comitum Orcadensium filios post mortem Magni Regis, cum Sigurdus insulis excederet, insularum administrationi fuisse relictos. Inter eos orta deinde dissidia in parricidium proruperunt; nam Hacon Magnum amici colloqvii fœderisq; confirmandi specie deceptum, annô MCX. trucidavit, virum innocentem, & postea Sanctorum albo inscriptum: quamdiu deinde supervixerit, non comperior. Filios reliquit duos, Haraldum, Svaviloqvum dictum, & Paulum; ambos imperii paterni hæredes. Iste à matre materterâqve, necem Paulo machinantibus, veneficio sublatus est, totum imperium ad Paulum delatum. Verùm neutrum horum beneficium Regum Norvegiæ ad id consequendum requisivisse invenio. De his in nostris Orcadibus fufus actum est.

Retulimus in vita Regis Magni Nudipedis, Comitum Erlendi filiam Gunnhildem Kolo Kalii Agdarum satrapæ filio à Rege elocatum, natumque ex eo conjugio filium Kalium, qui postea Orcadum Comes factus est, substitutus in locum avunculi, scelere patruelis occisi, Paulo, adhuc insularum imperium tenente, ignarò quidem & invitò. Hujus igitur partem vitæ in juventute exactam, tantæque gratiæ occasionem, licet in historia Orcadensi expositam, cum tamen ad hanc rerum Norvegarum partem pertineat, huc quoque inferendam duxi. Is apud agnatum suum Solmundum plurimum versabatur, qui Tunsbergæ quæstor, magno famulorum clientumque numero potens, inter proceres regni primarios censitus, in orientali Agdarum parte prædium magnum habuit. Ipsum Kalium magnæ ab ipsa juvena animi corporisque dotes exornârunt, statura mediocris, membrorum decens proportio, capillus colore amethystino, ingenium ad artes percipiendas facile: quarum illo tempore pretiosissimarum novem possessionem sibi artificioso versu, qui adhuc superest, tribuit. Latrunculorum Insulam, Runarum literarumque elementarium scientiam, musicam, poëticam, ad scopum collineandi peritiam, xylosolearum & remorum usum, fabriles artes, quæ sub communi conceptu omnes nomine *Smid* comprehenduntur; plures etiam quam unam tenuisse, etiam Norvegorum & Islandorum hodiernus usus nos docet, quorum multi propriam industriam docti quam plurimas callent, ligni, ferri, æris, argenti etiam formandi haud omninò imperiti; quidam etiam inter pretiosissimos reputandi.

Quindecim annorum erat Kalius, cum mercaturam exercere instituit. initâque cum mercatoribus societate, in Angliam profectus, in urbem Grimsbæ (fortè eam, de qua historiam conscriptam citat *Knygthou de eventibus Angliæ lib. I. cap. V.*) merces convehbat: illuc namque, utpote ad publicum emporium, ingens hominum numerus è Norvegia, Scotia, Orcadibus & Hæbudis, confluebat. Ibi in virum quendam, qui se Gil-la-Christum, seu Gil-Christum, appellavit, incidit. Multa ille de statu Norvegiæ incolarumque conditione, ingenio moribusque scisistatus, plurima familiariter cum Kalio collocutus, tandem etiam amicitiam junxit, secretòque aperuit, se filium esse Regis Magni Nudipedis, nomine Haraldum; matrem autem in una Hebudarum vivere. Interrogabat deinde, si fortè Norvegiam peteret, qualiter se exceptum fore statueret? Bene, respondit Kalius, de Rege Sigurdo sperandum, utique si interventium consilii haud
pre-

præditus suo ingenio arbitrioque permitteretur. Sub discessum mutuis meritis contractam prius necessitudinem firmabant; quam stabilem in posterum, adq̄ mutuos usus & utriusque conatus promovendos promptam, si fortuna eos iterum præsentem jungeret, invicem spondebant.

Inde Norvegiam repetens Kalius, ad Agdas delatus, mox Bergas navigavit, carmenque adhuc residuum, de profectioe morâque Grimsbæis actâ pepigit. Repletæ erant illo anni tempore Bergæ omnis generis negotiatoribus, tam indigenis ex borealibus australibusque plagis allapsis, quam externis, diversas mercium species undique asportantibus. Publicum itaque diversorium, cui celebris matrona, nomine Unnur, præfuit, Kalius cum sociis, more eo tempore etiam Regibus familiari, frequentabat, instituto licet Regio fastigio minus digno, aliàs tamen haud inutili. Ibi enim distinctorum ordinum cultioribus honoribus conversari juniores discabant, variaque plurimarum rerum ad omnes vitæ gradus ususque spectantium argumenta, crebris discursibus atq̄ exquisitis rationibus confirmata hauriebant, Regiâque & procerum graviorumque virorum præfentiâ coerciti, temulentiam, eamque comitantibus vitiis, abstinabant. Specimenque quoddam distribuentis justitiæ in debito honore cuique tribuendo capiebant, virtutum homileticarum exercitia probè affecti. Kalius cultiori vestitu, quippe ex Anglia rediens, se exornabat, sibi que haut minimum tribuebat; namque ab aliis omnibus, tum propriarum virtutum commendatione, tum etiam generis nobilitate, magni fiebat. Inter confessores satrapa quidem juvenis eminebat, nomine Ion Petri filius, Serki de Sognia nepos, materque ei Helga, Harechi de Særris filia; nec is sibi parum placebat, magnâ quippe indole generis, artiumq̄ celebrium ornatu, tum etiam officii dignitate conspicuus. Inter eum & Kalium frequentans conversatio familiaritatem, mox etiam arctiorem amicitiam conciliabat. Finitis negotiis suam quisque domum, non sine amica salutatione, repetebant. Ion quidem Sogniam, Kalius Agdas patrium domicilium, licet per hyemes quotannis maximam partem apud Solmundum hic moraretur, ætatibus variis in locis mercaturæ infumtis.

Inter hæc in Thrandiam profectus, adversis ventis in insula Dollseyæ detentus, antrum ibi ingens reconditarum opum possessione famosum cognovit. Earum igitur occupandarum libido tum eum, tum etiam reliquos mercatores, incessit; qui antrum ingressi, in maxima offencula inciderunt; tandem verò ad locum per transversam speluncam exrensum perventum est, quem tranare præter Kalium domesticumq̄ Solmundi, Havardum nomine, nemo ausus est; hi enim resti eminus juncti, Kalio torrem manu tenente, interq̄ scapulas cum silice fomitem gerente, stagnum superabant. In illa parte salebræ multæ, saxaq̄ impedita, tetra insuper fuligo, sævæq̄ mephites nauseam moverunt, magnâq̄ difficultate candela accensa est. Deterriti itaque à longiore profectioe, monumentum itinerris eo loco erexerunt; Kalio fortia hæc ausa periculosumque iter carmine celebrante: quod etiamnum superat, adductum à *Tb. Bartholino*, qui verbum verbo reddidit, *Antiqq. Dan. Lib. II. Cap. II. p. 277.* Inde rediturus ad suos, Bergas, spirante ventô secundo, contenderunt, pristinoque usus hospitio Kalius, Ionem Petræum veterem amicum ibi offendit, comitatum inter cæteros Brynjolfo, viro præcipuo. Inter hunc & Havardum Kalii comitem quâdam nocte, postquam utriusq̄ domini cubitum ivissent, multique adhuc poculis indulgerent, exorta controversia de Satraparum Norvegorum eminentia, singulos ad suarum partium studia traxit, Brynjolfo domi-

domini sui partes propugnante, prædicanteqve, neminem in australibus Norvegiæ provinciis, usqve ad Stadenſe promontorium, qvi juniores essent, qvâ generis nobilitatem, atqve animi corporisq; dotes, ei comparandum; Havardô Solmundum nullâ ex parte ei inferiorem, imò Vikensium æstimatione etiam honoratiorem, contendente. Contentionem incensus animi calor ebrietasqve fovens, utrumqve ad rixam iramqve provexit, adeò ut impotens sui Havardus ligno caput Bryniolfi tanto ictu feriret, ut inter assidentium manus animo linqui cæperit. Havardus interea ad Kalium dilapsus, qvi eum continuò austrum versus ad presbyterum qvendam, nomine Richardum, prædium Alvidram obtinentem, cum comite amandat, petens ut hospitio eum exciperet, donec ipse succederet. Hi duo arreptâ naviculâ protinus eò tendebant, diuqve per noctem remigabant, donec ad Græningiafundam ventum esset. Tum Havardus primò se periculo defunctos gloriatus, acquiescendum fessaqve corpora somno recreanda monens, secum cæteros ad dormiendum allicit.

Interim Brynjolfus, cum ad se rediisset, ad Ionem deducitur, qvi cognita causa, ilico collegit, subductum a Kalio Havardum in austrum concessisse. Persequi itaqve absqve mora jussit, decemqve suorum lembos impositos delegit; qvi citato remigio, duce Brynjolfo, iter maturarent. Illi mandata avide exsequentes; qvò reliqum erat noctis remigando terunt, primoqve diluculo ad Græningiafundam delati, navem in litore conspiciunt. Placuit Brynjolfo excubantes in statione nautas, si qvid de Havardo iis constaret, interrogare. Iis igitur excitatis, simulqve cognititis, mors protinus illata est. Mox reditum Bergas, ubi cædes primum Ioni, deinde civibus publicata. Ad Kalium igitur, graviter suorum necem ferentem, placandum, Ion missis nunciis, æstimationem omnem arbitrio ejus committit, salvo Regis propinqvorumqve Havardi jure. Qvam conditionem, ut sibi honorificam, Kalius acceptans, nulla tamen reconciliatione domum redit, patriqve rem, ut gesta erat, exponit. Qvi increpato filio, qvò inconsulto Solmundo litem composuisset, negabat *in ejus potestate pacificationem suam fuisse, nec quicquam ulterius, quàm ut intercessione sua partes conciliaret, nec Solmundum tantâ facilitate ad compositionem in ejus causa properaturum fuisse, si Kalii domesticus ipso presente occisus esset.* Ad hæc Kalius; *ita est, inquit, pater; nimium forte precipitavi: neque enim aderat, cujus consiliis frui possem, sæpius etiam experior consilio sapientiâqve tua me destitui. Interim tamen nihil de honore jureqve Solmundi detractum existimavi, etiam si oblatum mihi honorem non recusarem. Nec est quod vos bonas conditiones, modo offerantur, abnuatis, licet an offerantur, valde dubitem. Ego certe nullo me vinculo Brynjolfo obligatum agnosco, cum neque quid placeat adhuc deciderim, nec pecuniam satisfactionis loco acceperim.* In his uterqve intet se dissentiebant, nuncio tamen ad Solmundum misso, certiores eum de omnibus faciunt. Cum autem convenissent, placuit Kolo satisfactionem per nuncios peti. Solmundus contra, ut & Hallvardi occisi frater, cædem cæde pensandam censuerunt, indignum qvippe reconciliationem post tantas offensas peti. Prævaluit tamen Koli sententia ad moderationem inclinans, præsertim cum promitteret se causam non prius deserturum, quàm Solmundo esset satisfactum, ideoqve omnis actio agendorumqve ordo ejus auctoritati potestatiqve commissus est. Verum haut placidum responsum nuncii ad Ionem missi referabant; negabat enim ullam satisfactionem muctamve se ob cædem honoris, qvi protervitate sua eam promeruerit, luiturum, Solmundus re-
ctè

cū se conjectasse respondit, quale responsum fuerit a Ione expectandum; itaque Kolum, quid factū opus esset, ut suggereret, rogat. Ille ab Hallvardo Havardi fratre quærit, velletne se alicui periculo ad vindicandam fratris cædem exponere, dubio quantumvis eventu? Nihil se quidem subterfugiturum, etiam si propriam vitam in discrimen conjecturus videretur, cum respicisset. itaque, inquit Kolum, quam occultissimè Sogniam petes; ibi vir quidam Ioni vicinus, hanc quidem magna in re, oppressus quippe jamdiu injuriis ejus, prudens tamen, pecunieque ex parte indigens, mihi amicus, jamque ad senium vergens: ei appensas sex marcas argenti meo nomine tradas, ut te consiliis rebusque necessariis instruat, quo vindictam de Brynjolfo aut quovis alio Ionis domestico, hanc minoris sortis aut estimationis, tutius repetere possis. Quæ si processerit, in prædium Studlam (Situ in parœcia Hardangriæ Ætna, provinciæ Bergenfis) te curabit deducendum ad agnatum meum Ormum Kirpingum, filiosque ejus Augmundum & Erlingum, receptaculum perinde tutum ac si domi esses. Villam suam deinde ut vendat, atque huc ad me cum tota familia concedat, mone.

Paruit præceptis Hallvardus, iterque illicò ingreditur, & ad Unium in Sogniam, inclinante in vesperam die, pervenit, alieno nomine assumpto. Comiter exceptus ad focum introducit, ubi quæstionibus de variis rebus ultro citroque versatis, hospes, quinam in Hordia & Sognia dignitate præpollerent? exquivivit. Ion Petrus, respondit Unius, satrapis omnibus potior videtur, nobilitatis, sed & injuriarum, respectu, adjecitque an nullum ejus experimentum in australibus Norvegiæ provinciis sensisset? ad quam quæstionem hospes confusus conticuit. Dilapsis deinde quæ ad focum assederant, cum soli remansissent; Hallvardumne, ait Unius, te pridem appellasti? minimè, respondit, Saxium enim me hoc vespere nuncupavi (denotat autem gladium: quo titulò propositum suum ambagibus implicatum sagacioribus conjectandum reliquit) Expers itaque curæ tuæ sum, inquit Unius, (innuens profectò hospitalia jura, quæ hospitem protegi, non prodi, imperant) Equidem si Brynjolfus vocarer, te Hallvardum appellari existimarem; verum hinc cubitum discedamus. Inhibens Hallvardus, non ita properè, ait: expediatque pecuniâ salutem Koli refert, donum promit, consiliaque exponit, adjecto postulato de ultione promovendâ. Unius dignum quidem esse Kolum ait, cui obsecundet, quantumvis de successu incertus sit, crastino tamen die Brynjolfum ad se venturum ad arcehdendas concubine sue vestes. Hallvardo igitur in eqvile præ foribus situm, deducto monstrat locum, ubi in stabulo occultari possit, & deinde in cubile introducit, ad amoliendam à se suspicionem occultati per noctem hospitis.

Summo manè Hallvardus exurgens, monstratam latebram petit, nec longo tempore delituit, cum virum vegetum advenientem observat; qui fæminam, ut se ad iter expediret, adhortans, depositis armis, vestes illius fasciculo involvit. His indicibus Brynjolfum cognitum aggressus, illicò lethali vulnere percussit, regressusque in eqvile ibi se abdit.

Dum cædes perageretur, fæmina ad salutandos domesticos ingressa erat, rediens autem ad amasium, ut occisum animadvertit, quasi mente capta magno ejulatu, quid gestum esset, indicat. Unius consternati specie domo egressus, ut aufugisse hospitem pervasit, sicarium ejus generis, quos assassinos appellant, fuisse conjectabat, missoque ad Ionem cædis nuncio, dum ad persequendum authorem omnes acerrimè adhortatur, efficit, ut nemo illum conscium suspicaretur. Interea Hallvardus in eqvili delituit, quoad inquisitio duraret. Deinde ad Studlam Unio prosequente provocatus,

ctus, ab Ormo Kirpingo filiisque ejus domum cum idoneo comitatu deludendum curatur; quem Kolus Solmundusque amicè excipientes, superbiam Ionis castigatam lætabantur; inde cædis author, non item receptor, in vulgi notitiam pervenit.

Exarsit graviter Ion, indignatus tantum in se hostibus licuisse, materiamque de se triumphandi iis, aliis etiam irridendi, uberrimam relinqui: annum tamen vertentem substitit. Ut vero tempus Christi natale appropinquabat, domo cum triginta comitibus armatis profectus ad Olafum avunculum suum se contulit; à quo summo studio exceptus patefecit, se in orientales Agdas ad Solmundum oppugnandum tendere. Dissuadebat id Olafus, dictitans, *hant inferiores partes hoc statu videri reportasse, nec hac invasione superiorem futurum.* Ille probrosum sibi ratus, si Brynjolfum inultum sineret, triginta alios armatos in itineris præliique societatem impetravit; atque ita sexaginta comitibus instructus, per montana itinere factò, improvisò Solmundum aggredi decrevit. Verum Unius, ut primum Ion domo profectus est, ad Ormum Kirpingum in Studlam magnis itineribus contendit: ubi comitatu viaticoque instructus ad Kolum sub festum Natalitorum devenit, certumque de lone eos propediem invasuro, cervicibusque eorum jamjam imminente, nuncium afferebat. Itaque Kolus, speculatoribus quaquaversum missis, qui de itinere ejus moraque & viâ, qua incederet, certiora afferrent, ad Solmundum proficiscitur. Convocatis ergo è vicinia plurimis, magno se uterque armatorum numero domi spectandum hostem rati, obviam ei phalangem suam duxerunt. Ad sylvam conveniebant, statimque concursum est, nec id diu, nam & Kolus & Solmundus numerò longè prævalebant, ideòque multis cæsis, victoriam obtinebant. Ion cum reliquiis cladis in sylvam saucius fugiens, accepto in pede vulnere debilis, diuque ægrotans, post sanationem, quoad vixit, claudicabat; Inde per opprobrium Ion Pes in posterum appellatus; tempore quatuordecim annorum omnium irrisione ignominia plenus domum rediit. Sequenti ætate duos exagnatis Koli, Gunnarem & Aslakum, occidi curavit.

Paulò post Rex in urbem delatus, turbas civium cognovit. Ambos itaque ad se citatos reconciliare studebat. Regis tandem judicio omnis lis decidenda permittitur. Ille amicos eos esse jussit, adque amicitiam in perpetuum stabiliendam, Ingeridem Koli filiam Ioni in uxorem dari mandavit. Cædes cædibus compensata, nec multa ulli partium irrogata. Adjectum ut mutuis auxiliis sibi invicem, sive intra sive extra regnum, succurrerent. Hanc reconciliationem Rex magna benevolentia honorisque gradu decorabat, Kallò Koli filio Comite creato, & data ei dimidia Orcadum parte, quam avunculus ejus S. Magnus possederat, clientelari possessione tuenda, inditoque Rogvaldi nomine, ab altero illo Brusii filio petito.

Hac hyeme Rex Sigurdus Osleya permanit. Vere sequente Osleya cepit ægrotare. Petierunt tum amici ejus, ut mulierem, quam sibi sociaverat, dimitteret: ipsa quoque dimissionem postulavit, dictitans id ad utriusque salutem pertinere. Rex respondit; *se non in animum induxisse, eam se perinde atque alii deserturam;* facieque rubra avertit se ab illa. Sed & illa discessit. Ingravescente deinde morbo, die qui festum Annunciationis Mariæ sequitur, obiit, anno gratiæ MCXXX, ætatis quadagesimo, regni vicesimo septimo, sepultus Osleya ad templum S. Hallvardi, intra murum, ante chorum in australi latere.

Fuit Sigurdus vir statura magna & decenti, capillo fusco: animo excitato, moribus cultis, pauciloquus, rarò blandus, amicis fidus & constans, magnificus, nec formosus, nec eloquens, liberalis, legum tenax, & in pænis exigendis severus & perversus. Sub eo rerum omnium abundantia & pax

non interrupta cives felices reddidit,



HISTORIÆ RERUM
NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ

LIBER NONUS,

HISTORIAM MAGNI CÆCI ET HARALDI GILLII, ET HUIUS FILIORUM,
EYSTEINI, SIGURDI, ET INGII, CONTINENS.

CAP. I.

DE MAGNO CÆCO ET HARALDO GIL-
LIO AD SOLIUM DIVERSIS SUFFRAGIIS E-
VECTIS.

REgi Sigurdo filius MAGNUS, qui tum Os-
leyæ exequias patris celebravit, omnium civium,
qui tum præsentés erant, suffragiò in universum re-
gnum substitutus est, sacramenti, quò ordinibus
regni pater expresserat (ut tunc visum) magis quàm
juris respectu, cum Haraldus natales Regios rigido
examine sibi asseruerit. Mox satrapæ aulicique fa-
tellites ministrique assumti, Regiaq; insignia authoritati conciliandæ ad-
hibita. His ad Haraldum, qui tum Tunsbergæ morabatur, perlatis, pla-
cuit amicos convocare; inter quos præcipui Rögnvaldus Kalius, Orca-
dum Comes à Rege Sigurdo nuper constitutus, post amicitiam in Anglia
contractam semper constans, paterque ejus Kodus, quorum maximè o-
pe ad probationem generis admissus est. Horum consiliò publicus conven-
tus in foro Haugensi habitus est; ibique monstratum, quàm iniquo po-
stulatò Haraldo jusjurandum, quo jus suum ad regnum abdicavit, ex-
tortum esset; genus quidem Regium mandato examine probatum, & conse-
quentèr jus ad regnum; quod ut in alium transcriberet, sine injuriâ exigi ne-
quiverit, nec sine vitæ periculo illo statu recusari potuisse, cum in fratris po-
testate

testate esset, ipse nulla clientelâ, nullis amicis aut opibus suffultus. Absesse debere a contractibus vim & metum: his intervenientibus irritos reddi, etiam juratos, quod cogenti nullum jus acquiratur, utpote qui injusto metu incusso causam damni dederit; quod nisi restituta regni parte, quâ excidit, resarci nequeat. Nec majorem vim habere promissum populi, imperio Regis ad injustum sacramentum adacti; quo obsequium Magno regnumque unversum ad dictum esset, cum id absque præjudicio Haraldi fieri non potuerit. Iis itaque comitis populus se pariter atque illum sacramenti religione absolvens, dimidium ei regnum adjudicavit, Regemque dixit; quod ego perjurium, quò se Rex ille cum magna gentis parte contaminavit, causam potissimam fuisse existimo afflictionum, quæ postea longo tempore secuta ipsum Regem cruentâ morte, filiosque ejus in mutua viscera armatos, atque adeo unversam profapiam, ad internecionem propè delevit, civesque ipsos intestino bello collisit; cujus atrocitatem temporibus suis Theodricus Monachus, licet omnium optimè literis prodire potuisset, tamen commemorare horruit. Conclufit itaque opus suum his verbis, cum retulisset Haraldum novem ignitos vomeres ad generis fidem faciendam calcasse. Paucis exinde annis Rex Siwurdus hominem exiit; nos quoque hujus scedule hinc finem facimus; indignum valde judicantes, memoriæ posterorum tradere scelera, homicidia, perjuria; parricidia, sanctorum locorum contaminationes, Dei contemtum, non minus religioforum depradationes, quam totius plebis, mulierum captivationes, & ceteras abominationes, quas longum est enumerare, quæ ita exuberant, quasi in unam sentinam post mortem prædicti Regis Siwurdi; ita ut nostrâ gentem specialiter videatur. notasse Satyricus, cū diceret:

Protinus irrupit venæ peioris in ævum

Omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;

In quorum subière locum fraudesque dolique,
Insidiaque & vis, & amor sceleratus habendi.

Celanda quoque sibi propriæ gentis scelera, svafore Lucano, statuit; nos tamen, quantum de his notatum animadvertimus, scriptis nostris inferamus, quò univervo orbi pateat, quam severè Deus perjurium impietatemque hujus gentis, nominisque sui contumeliam vindicaverit; ut hoc exemplo moniti populi temperent sibi ab ejusmodi flagitiis, quæ in contemptum Numinis diriguntur, impiamque opinionem, vel Deo mortalia non curâ, vel vim ad vindictam deesse, sceleratorum mentibus instillant.

CAP. II.

MAGNUS COMITATUM KALIO A REGE SIGURDO DATUM REVOCAT, CHRISTINAM KNUTI LAVARDI FILIAM UXOREM DUCIT: MAGNI NORICI IN EIRICUM EYMUNIIUM PERFIDIA: BELLUM AD SINUM FOTVIKAM: MAGNI ET PATRIS EJUS REGIS NICOLAI LUGUBRIS EXITUS: EIRICI EYMUNII SUCCESSIO.



Araldo Gillio ad fastigium Regium evectò, procerum multi magnaque civium pars continuo se ei adjunxit; quorum alii in militiam, alii in satellitium lecti, pars satrapæ creati, formidabilem illum Magno, quantumvis opibus superiori (omnes enim patris thesauros post mortem ejus suæ potestatis fecit) reddiderunt; adeo ut cum ipsum viribus sibi haud

haud imparem, favore populi jugique concursu superiorem animadvertet, aggredi vereretur; erat enim valde comis, liberalis, facilis aditu, & qui amicorum utilia s'vadentium consiliis faciles aures præberet; cum ex adverso Magnus, præter formæ venustatem, quâ omnes æquales superabat, viresque & artium usitatarum usum, patrisque de civibus suis optimè meriti gratiam & favorem, nihil haberet, quò studia vulgi in se converteret. Avertendo itaque publico detrimento, his per integram hæl domadam intercessione procerum ad pacificationem deducta ita componitur, ut dimidia quisque imperii partem obtineret; ærarium, thesauri, omnis apparatus mensalis, aurum, argentum, vasaque pretiosa, universa classis, armamentarium, mobiliaque omnia soli Magno cederent. Tres anni hoc tenore mutuâ suspitione metuque exacti. In primis Magno Haraldi amici exosi, præcipuè Kolus & Kalius, quos ei addictissimos noverat. Revocabat itaque feudum Orcadense, tituloque Comitis à patre concessò abstinere jussit.

Adjiciam jam, quæ Saxo de nuptiis Magni cum Ingibiørge Knuti Lavardi filia, nostris longè distinctius, tradit; nimirum quòd Eiricus, jam Rex publico consensu constitutus (quod *Hvidfeldius*, ut mox dicemus, annò MCXXXI factum monstrat) auxilium Imperatoris Lotharii ad vindicandam fratris cædem imploraverit, obtinueritque speciosius quàm constantius; nam derelicto Eirico pacem cum Nicolao fecisse; Eiricum verò ope Cæsaris defectum per summam animi ægritudinem orientalia (Sialandiam *Mevrsus* intelligit) repetivisse. *Eodem verò tempore superveniunt, inquit, legati à Magno Rege Norvagensium missi, majorem Canuti filiam, sed nondum nuptiis tempestram, ejus conjugio petituri, quorum legationem Eiricus contrabendarum virium spe favorabiliter habuit, excepit alacriter, cupiens finitimorum auxilia affinitatis beneficio comparare, ipse quoque bellis oium interpellantibus, adhuc conjugio vacuus, novercam Magni, Norvagensium quondam Reginiam, utpote dignus hac nuptiarum vicissitudine, favente ejusdem privigno, suscepit uxorem.*

Clarum hinc, mansisse in Norvegia Reginiam Malfridem, nec Sigurdum divortiam cum ea fecisse, quamvis aliam ei uxorem adjecerit. Monet insuper hic locus, eodem annò, quò Eiricus Rex declaratus est, hanc legationem in Daniam directam, deque nuptiis actum; Magnus enim, quem ad sedandos populi motus in Gothiam sub exilii specie pater à se removerat, vix, quòd residuum hyemis erat, ibi remansisse videtur; cujus reditu iterum concitata plebs, Eirici signa secuta, in Regem Nicolaum investa est, cum Eiricus à Thorone Riparum Episcopo delusus cladem primam accepit; quam in campis Jalangrensibus acceptam, tam citato incerto authori, quàm utrisque nostris Annalibus, intellectam existimo, qui hanc ad eundem annum referunt, consentiente *Knylingorum Historiâ*; quam Eiricus, assumpto titulo Regis, auxiliò Cæsaris eadem ætate vel autumno reparaturus spe excidit.

His Saxo legationem Norvegicam connectens, ad sequentis anni gesta procedit, exponitque navale prælium inter Magnum & Eiricum ad insulam Syram, (quòd idem incertus author ad annum MCXXXII. refert) gesta Christierni cum Rege Nicolao, transitionem Haraldi ab Eirico ad Nicolaum; tandem subjicit, per hæc tempora S. Canuti filiam, jam primum Regi Noricorum desponsam, per legatos ad eum in Daniam missos nupturam deductam. Anno igitur secundo a cæde patris, seculi illius tricesimo secundo, Magno nupsérat. Cæterum quo anno Lavardus cæsus

fit, inter scriptores non convenit: alii tricesimum, alii tricesimum primum, alii tricesimum tertium, sunt qui tricesimum quartum allegant. Saxo quatuor annorum gesta exponit, inter mortem ejus & Regis Nicolai; duorum primorum recensui; tertio anno (quem a formula: *peractis hybernis*, auspiciatur) prælium ad pontem Veram, fugamque in Norvegiam, mox memorandam, indeque reditum in Daniam narrat, annumque suspensio Ubbonis & interceptione apparatus, in ferias Christo natales Nicolao Rege Lundæ destinati, finit. Ætate quarti anni bellum ad sinum Fotensem & ipsius Nicolai cædem persequitur. Hic non satis mirari possum *Pontani* calculationem, qui, *Albertum Stadensem* secutus, cædem *Lavardi* in annum tricesimum quartum conjicit, Nicolai in annum posteriorem.

Rem omnem *Nobilissimus Hvitfeldius* evidentissimè explicat, deciditque controversa, citato instrumento, de fundato ab Eirico canonicatu quodam in Archiepiscopatu Ludensi, quò Deo gratias humiliter agit, quod se ex immensis angustiis malisque imminentibus extricaverit, profiteturque se in grati animi signum testimoniumque vicissim honori Dei donare. Scriptum perhibet VIII. Idus Januarii anni MCXXXV. regni ejus quarto, scilicet ab anno MCXXXI, quo Regium titulum primò assumpsit, cui *Knytlingorum Historia* conceptis verbis suffragatur, dum prælium in sinu Fotenfi gestum quarto anno post cædem Knuti incidisse tradit. His ad temporum distinctiorem cognitionem præmissis, ad res Norvegicas stilum vertamus.

Post prælium ad pontem Veram, quo superatus & ubique exclusus Eiricus, ad Magnum Norvegiæ Regem necessitudinis fiduciâ unâ cum conjugè, filioque parvulo ex pellice nato, refugium cepit. Hæc Norvegicis scriptoribus omnibus neglecta, quia ex Danicis mutuamus, placet etiam eorum verbis describere, & quidem *Saxonis*, qui Eiricum Regis Magni humanissimam primò hospitalitatem, mox dolumatque fallaciam, experitum memorat, quibus sequentia subjungit.

Interea *Nicolaus* per insidias emulum opprimere stans, Magnum Noricum in ejus necem mercedis pactione sollicitat: ille lucri irritamento latrone corruptior hostis ex hospite effectus, impensoris obsequii simulatione curam Eirici exactissima satellitum custodia vallavit. officiisque fallaciam texit. Eiricus vero per Reginam, cujus patruus erat, insidias officio subesse doctus, amicis, quos in Lalandia habebat, propositum Regis, cum remedi precatione denunciavit; nec segnis Lalandensibus ad opitulandum animus fuit, solo quippe navigio Norvegiam petentes, occulto nuncio adventum suum Eirico significant. Qui, quod Norvagienses summam in potioniis magnitudine voluptatem habere noverat, applicatam sibi custodiam temulentia ludificandam putabat, itaque stipatorum sobrietatem crapule delectamento adorfus, instaurata commensatione, crebris custodes poculis attentabat. Quibus ut bibendi cupiditatem auferet, irritamentum ebrietatis aleam interseruit, in qua posito cum quibusdam pignore decertans, etiam prosperum tesserarum jactum inerti lusu de industria prosequeretur, uti collusores fortunâ lucri illectos ad lassandi cupiditatem ludendi perseverantiam incitaret. Postremò perinde ac prolixioris vigilie tedio fatigatus, cubitum excessit, sacerdotem exilii focium, aleæ per se curatorem reliquit. Ille rem sobriè prosecutus, temperantiam pro multiplicatis poculis, quantulacumque restabat, subvertit, interque mero ac somno sopitos medium cubandi locum habuit. Interea Eiricus, perruptâ cubiculi parte, cum clientelâ ac conjugè furtivo ad mare discessu pervenit: reperta in litore navigi-

gia, quo tutius fugam caperet, in sentinis perforanda curavit. Hec tractantibus succurrit, filiolum hospitium dormientem fuisse relictum, adeo oblivis animum festinatio implicat, quippe quo occupatius, hoc negligentius humanum esse ingenium consuevit. Quamquam vero prestolanti periculum inesse non dubitaret, sanguinis tamen sui curam deformiter abjicere passus non est. Missis igitur qui adolescentem exciperent, tarditatis molestiam eximia filii caritate contempsit; quo allato in altum processit. Diluculo, quibus Eirici cura mandata fuerat, pulsatis hospitii fortibus, an besternam ad huc temulentiam non discussisset, interrogant. Neminem vero responsum edente, taciturnitatis admiratione crebris ipsum clamoribus persequuntur. Tandem silentio attoniti, concussis januis vacuum hospitibus edem inveniunt; à quibus vafre sibi illustrumvociferantes, eventum domino trepidi nunciant. Qui protinus petito litore, detractis in altum navigiis, fugacem intercepti jubet, que cum vitatis lateribus undarum plena conspiceret, subducta rescici curavit; iisdem rursum in mare detrusis, ad accelerandam navigationem velo pariter ac remis incubuit, adeo promissum in mortem Eirici præmium assertabat. Interea Eiricus grandem pelagi partem emensus, magno hostem intervallo præcesserat, ideoque facile ab insequentibus occupari nequibat. Cumque Magnus navigationem diutule gestam propositi irritam animadverteret, revocato remigio domum revertit. Eiricus vero fidissimam sibi Lalandam repetens, intercepti Ubbonis suspensio, quem Nicolaus minorum insularum præfectum curaverat, clarum reditus sui indicium dabat. Audito deinde, Regem Divini natalis die Lunde feriari debere, adventum ejus petitâ Scaniâ præcurrit, totamque Regis apparatus impensam præripuit. Singula hæc ad annum MCXXXIII. pertinent. Fortè etiam Regina Ulfhildis discidium cum Rege Nicolao, quam in suos amplexus Svercherus pellexisse Scriptoribus Danicis traditur, veritæ Danorum offensam, & infelicem rerum Nicolai exitum, quem animo facile perspicere poterat.

Sequentis anni gesta deinde persequitur, & primum quidem prælium ad sinum Fotam, quod ego relatu *historiæ Knytingorum* prodere malo, familiariter institutò, ad collationem utriusque conciliandam. Præmittit cæteris expugnatum ab Eirico dirutumque castellum, quod in suburbio Roskildensi Haraldus frater molitus est, ipso quidem absente, multos quoque & Hallandos, dicto audientes se ei aggregasse, etiam Ascerem Archiprætulæ, quod Eirici amicitiam patere ejus coluisset. Nicolaum vero comitum præcipuis, filio Magno, Henrico Claudio (quem nostratum alii Stefui appellant, Dani & Sveci Scatulerum) Haraldo Kesia, omnique nobilitatis robore in Scaniam provectum sinum Fotam classe corripuisse. Sex in exercitu ejus Episcopos, unum de Svecia, quem Saxo Henricum nuncupat; secundum Fionia Pontificem, tertium anonymum Jutia; quartum Thorerem Ripensem, quintum Petrum Roskildensem, sextum Ketillem de Vendilæ oppido Jorungo. Ex adverso Eiricum Scanis, Hallandis, bonoque Sialandensium comitatu, succinctum, Ascere summo sacrorum Pontifice, numeroso sacri ordinis satellitio stipatò, militiam suam sectante, prociunctum movisse feriis Pentecostes. Imperatum ab Archiepiscopo, ut edità coram sacerdotibus delictorum piâ confessione, cælesti se viatico munirent, cujus multis copia deinde non esset futura. Quò perpetratò, gravi oratione ab Eirico in ultionem fratris, sanguinis innocentis, & tam præclare de patriâ meriti, accensos, ad pugnam magnâ alacritate causæque confidentiâ confirmatos processisse. Sigurdum, cognomentò Robustum, fra-

fratrem Magni adoptivum, vexillum copiis ejus prætulisse, virum in primis memorabilem, ibi semper præsentem, ubi ardentissima pugna evidensque periculum. In Nicolaum cladem versam, strenuum quemlibet occubuisse, & in his Antistites singulos, ipsum valde vulneratum fugâ salutem quævisisse. Magnum annulari loricâ infecabili tectum, fugæ impatientem exemplo voceque suos ad resistendum animâsse, pugnamque restituisse; prævisse Sigurdum pari fortitudine & alacritate: ubi vero aciem circa signa rarefcere animadvertit, amissamque resistendi spem ulteriorem, abjecto vexillo Magnum manibus comprehendisse, ad navem properè devecturum. Verum intervenientibus hostibus exclusum, pugnam deinde instaurâsse. Isto congressu utrumque in medio pugne ardore cæfos, cum maxima parte copiarum, paucos autem evasisse. Ibi etiam Henricum Claudum, malorum omnium incentorem fraudumque architectum, funere suo stragem nobilitasse. Contigisse hæc anno quarto postquam Lavardus cæsus est.

Jobannes Magnus Sanctum Eiricum ab eo occisum, his contrarius, & certe perperam, perhibet, anno MCLX. ipsum deinde cum filio Magno à Svecis pio bello peremtum, ecclesiamque nomine Danemarcham è Ipoliis Danicis istâ clade partem, exstructam. Nicolaum fugâ Juriam consecutum idem tradit, raroque comitatu Heidabæas petivisse; adeqvitantem urbi campanarum sonum, organorumque musicorum varios concentus, auribus percepisse, quævis erectiorem professum, nullum hic honoris genus in se excipiendo desiderari, id festos clangores significare: unum vero comitum ei respondisse: *raro quidem sapuisti, jam vero proorsus despicis, qui in amicissima Lavardo urbe benevolentiam expectas: sapieres si declinares, metueresque contrarium.*

Urbs erat populis abundans, etiam advenarum confluxu, utrique Lavardo addictissimis; in his Saxonum magna vis. Ingressus urbem Nicolaus incidit in præcipuos Lavardi amicos; qui conspectu ejus exasperati omnem in eum civitatem concitant. Invadunt igitur Regem eò confidentius, quod Danis jam invisum probe nôrunt, manusque injiciunt, postque impetratam per sacerdotem, præviâ confessione, admissorum veniam, occidunt, anno ab exordio regni tricesimo; nostri enim Annales vetustiores, uti dictum est, anno MCLV. purpuram assumisse volunt, anno post excessum Eirici Semper-boni; nec admittunt duos annos interregni, cum nondum constaret de morte ejus. *Pontanus* circiter viginti octo, *Mevrsius* triginta quinque regno ejus tribuit.

Hac pæna Nicolaus seiv consensum, seiv conniventiam, ut et perjurium revocato filio admisum, expiavit. Suffectus ei omnium suffragiis victor Eiricus, qui cum severè se gereret, videreturque offensarum memor in amicos Nicolai, quos ubique premebat, nec illi sibi mitiorem futurum sperarent, indiderunt ei cognomen *Eymni* seiv *Eymuni*; prior vox odorem denotat *diuturnum*, posterior *virum perpetuo memorabilem*, quam significationem scriptores Danici tuentur magnâ ratione, in honorem partæ ad finem Fotensem victoriæ. Afferit tamen *Anonymus Annalium ad calcem incerti auctoris Arne Magnæi* circa annum MCXXXVI. aliam nominis rationem his verbis. *Eiricus primò imposuit terræ denarios aratrales, idcirco a rusticis appellatus est Eymun, quasi semper memorabilis.* Notant Scriptores Danici *Saxo* & *Pontanus*, Magnum Norvegicæ Regem uxorem Christianam, quod secretiora sua consilia Eirico patruo prodiderit, datis repudiî codicillis ad eum remisisse, dignam repudio ratum, quæ conjugali carita-

ritati confanguineum prætulisset affectum, Nostri scriptores ex illo tempore averfam ab eo fortunam magnam propinqvorum Ingibiorgis iram in eum concitasse tradunt.

CAP. III.

DE MAGNI ET HARALDI MUTUIS PERSECUTIONIBUS, ET HUIUS IN ILLUM CRUELITATE.



Res annos Magnus & Haraldus simul regnarunt, dubiâ concordia; quartam hyemem in Thrandia simul residebant, mutua convivia fucô prætextentes, nec tantâ arte, quin satellitum discordiæ plerumque ad arma spectarent. Primo vere Magnus classem in austrum dirigens, copias ubiq; contrahit, postulat amicorum auxilia, aperitque secretò, constitutum sibi Haraldum regnò deturbare, partem verò, quantam videretur, ad sustentationem ei relinquare, multosque consilii fautores invenit, prætextentes, quòd ejurato semel regno idem repetere sine perjuriò non posset. Haraldus per Uplandas Vikam usque profectus, suas quoque vires delectu auxit. Prælua subseqventium villæ, per quas transitus ab utrâque parte, direptæ, homines occisi. Magnus militum pluribus provinciis excitorum numerò prævaluit. Haraldus ex Vikæ provinciis sinui ad orientem aditis copias collegit, Satrapasque sibi adjunxit. Inter omnes eminebat Kristriodus frater ejus uterinus, plures tamen Magnò adhæserunt. Nusquam mutuis injuriis abstentum, cæsi villici, villæ exspoliata, donec Haraldus agminibus ad prædium Rañarichæ Fors deductis, inde in maritima, villam Fyrisleifem usq; proficiscitur. Ibi vigiliâ Laurentii inter cænandum excubitores denunciant, adesse Magnum, villæque cum magno exercitu imminere. Septem millia & ducentos ducebat, Haraldò non amplius mille octingentis suppetebant. Qui audito adventu agnati: *Quid*, inquit, *tantus exercitus sibi vult? an configere parat? Hanc alio consilio*, respondit Thioistolfus Alii filius, *tantas copias totâ estate collegit*. Mox exurgens Haraldus se quoque paratum ait, jubetque ut arma sumant. Ipse duas annulares loricas, frater autem Kristriodus, vir animi corporisque viribus paucis comparandus, nullam induit, proceditque in campum, toto exercitu ad buccinæ sonum conflente, intraque septem quoddam signa erigit, aciemque ordinat. In exercitu hi proceres præter Kristriodum eminebant, Comes Orcadum Røgnvaldus, Ingimar de Askio, Thioistolfus & Solmundus quæstor Tunsbergensis. Quo viso Magnus suam quoque disponit, extenditque in cornua, quo circumvenirentur adversarii; id quod Haldor Skvaldrius versu testatur, cruceque Domini aciei præferri curat. Et jam prælium pari alacritate captum, à neutra parte remissius gerebatur, cum Kristriodus mediam hostium aciem inVectus, utrâque manu obvios concidit, gradumque per cædentium vacua, vel super strata humi corpora, promovit, nec fuit, qui sustineret cominus congregari. His indefatigabili labore ardoreque insistens à tergo, à cive quodam provinciali opulento, qui in eadem acie militabat, inter scapulas hastâ ambabus manibus ita transfigitur, ut mucro per pectus promineret, sterniturque exanimis. *Quærentibus, quòd tantum scelus commiserit? respondit: Jam sciat revocatum mihi in memoriam, quod hac estate villam meam*

diripuit, abstulitque quantumcunque habui, meque invitum ad militiam rapuit: hoc tunc ei destinabam præmum.

Ejus casu signa perturbata, mox tota acies impulsâ, inde haud dubiè terga data, ruuntque fugientes, & in his ipsè Rex. Ingens clades accepta est, cæsus Ingimar de Askio, Satrapa nobilis, qui moribundus verum fudit, quò se monstris ad prædium Fyrusleifem compulsus, impigrum cæteroquin bellatorem, significavit; jam verò nervò propulsâ sagittâ trajectory, nunquam deinceps in Askium (domum suam) rediturum. Cæsi præter illum penè sexaginta aulici satellites. Rex ad orientalia Vikæ, ubi naves ejus, fugâ proventus in Daniam transmisit, Eiricumque Regem, qui eodem annò festò Pentecostes de Magno Nicolai filio victoriam consecutus solus regnavit, in Sialandia adit, auxiliumque implorat, benignè auditus est, maximè quòd se mutuò in fratres adoptassent; accessit odium in Magnum ob structas insidias, repudiatamque neptem, Hallandia ad sustentationem concessâ, donatâ insuper octo naves absque apparatu. Interea Thiotholfus Alii filius cum distractis prædiis suis naves apparatusque & arma eorum pretio coëmisset, eodem autumno in Daniam profectus, Haraldum in regnum reduxit.

Secundum illam victoriam Magnus univèrsum regnum imperio suo subjecit; fortunâ tamen moderatè usus veniam victis dedit, fauciosque sanari curavit, perinde atque suos, cum non amplius hostium locò, sed civium & subditorum, habendos duceret, & quò clementiam gratiorem faceret, ne hostile quid à se metuerent, exercitum dimisit, satrapis quoque ad sua remeare permissis, valde dissuadentibus Sigurdo Sigurdi filio, Nefsteini nepote, & Thordo Ingeridis filio, cum prudentioribus omnibus, qui seriò monuerunt, exercitum retinendum, manendum in Vikâ, ibique revertentem è Dania Haraldum excipiendum. Sed destinatus forti suâ, saniorum consiliorum impatiens, cæcâ perviciaciâ Bergas in hyberna profectus est.

Haraldus comparatè in Dania auxiliis Kongahellam repetit; cum autem accessu à Satrapis, qui supra urbem copias disposuerunt, prohiberetur, eventus in terram per nuncios postulat, ne patrimonio suo se prohiberent: non plus regni postulaturum, quàm quod sibi jure competeret: pervicitque ut dimissis manipulis ad obsequium redirent. Satrapas igitur, quò promptiores haberet, provinciis & redditibus auget, rusticos ad sua castra onerum levamine invitat. Iis conditionibus illecti multi certatim ad eum confluent, concitisque magnis agminibus, pacatè Vikan transit; nocitum nemini, nisi ministris Magni; horum alii spoliati, alii cæsi, idque ubicunque occurrerent. Sarpsburgi duo fratres Satrapæ, Asbiornus & Nereidus, capti. His suppliciorum optio data, mallent in crucem agi, an in horrendam illam cataractam, quæ Sarpus appellatur, projici. Posteriorem Asbiornus, qui & senior, elegit, genus mortis omnium iudiciò truculentius. Testatur id Haldor Skvaldrius versu, qui mihi ad manus est. Inde Tunsbergam iter promovit, à civibus magnâ benevolentia significatione exceptus, ibi quoque magnâ acceptione militum auctus exercitus; his Bergas delatus.

His cognitis Magnus proceres, qui præstò erant, convocat, consiliaque exquiri. Sigurdus Sigurdus vsavit, ut lembum protinus, se vel alio ex satrapis præfecto, ad patrum dirigeret, dimidiumque regnum offerret, cetera honorum virorum arbitrio: videri non repudiatum, si prudentes intercederent, exinde pacem tutam, amicitiamque fidam sperandam. Tum Mag-

Magnus: *Displicet, inquit, consilium hoc; quorsum enim superiore autumno uniuersum regnum asseruimus, si jam dimidio cedamus? aliud consilium prome.* Tum Sigurdus: *Vides Satrapas tuos, qui dimissionem hoc autumno impetrarunt, te deserto, domi desides remanere: dissuasi tunc ut id fieret, & certè me valde inuito tantas copias dispersisti; præuidi enim Haraldum vicinam continuò repetiturum, simul ac eam principe vacuam cognosceret; asperioribus igitur consiliis hoc statu utendum. Mitte illicò emissarios, qui Satrapas illos, qui tibi jam succurrere tergiversantur, invadant ac occidant, inque eorum bona sedesque reponere strenuos viros, licèt ignobiles, nullo discrimine mali an boni, qui rusticos ad arma trudent; his accinctus Haraldum pete, belloque decernite.* Ad ea Rex; *odiosum nobiles homines eosque multos occidere, inque eorum locum viles personas substituere, sepe etiam tales sefellerrunt, regio verò malè consulitur; iuvat plura tua consilia audire. Vix jam consilium suppetit, ait Sigurdus, cum nec pacificatio nec bellum placeat. Ibrundiam petamus, ubi robor regni in transitu virium quantum licet, colligamus: accolas Gautelsæ nos eò usque persequendi tedium fortè capiet. Ad ea Rex; non fugiam eos, quos proxima estate fugavi; da melius consilium. Tum verò Sigurdus exsurgens mox exiturus: Dabo, inquit, consilium, ab animo tuo band alienum, quod te probaturum probè novi, nec sine effectu processurum. Hic in Bergis maneto, donec Haraldus cum inuictò exercitu veniat, certamque mortem vel pudendum supplicium expecta; moxque egressus colloquium solvit. Satraparum potestatem in rusticos vel hic locus abundè adstruit; monstratque, quòd sine eorum autoritate ad militiam cogi à Regibus nequiverint.*

Haraldus classe copias ingentes ex orientalibus regni partibus Bergas delevit, præcedaneaque Natalis Christi ferià eò deveniens, in portu Floruvogis confedit, veneratione tam solennis festi bellò abstenturus. E diverso Magnus, elapso triduò maximè celebri, statim per opifices conficiendum curavit, quicquid ad defensionem conferre videbatur. In Holma (seu insulâ parva) ballistam erexit, transversumque sinum magnis arborum truncis occupavit, ferreisque catenis à ponte Regio ad pontem Monachorum Nordnesiam usque clausit, campumque Johannis muricibus stravit. Haraldus verò, simul ac festum præterit, lituò exercitum uniuersum convocabat, nongentorum virorum accessione festi tempore auctum, templumque S. Olafò Bergis propriis sumtibus pro victoria exstruendum vovit. Magnus aciem in cæmeterio templi Christo dicati instruxit. Ut verò Haraldum ad Nordnesiam classem ducentem conspexit, conversus in urbem intima sinûs petit. Dum verò plateam urbis transit, multi civium urbanorum, eò deserto, suas quisque domos petierunt. In campos delati in defossos murices incidunt. Conspectus inde Haraldus cum exercitu e sinu Hegravika supra urbem uniuersum exercitum ducens Magnum in plateas convertit. Tum verò omne præsidium copiarumque dilapsæ, pars montem, pars sacras ædes, pars monasterium, pars alias latebras petebat: ipse consilii inops in navem paucis comitatus transit; verùm inclusus catenis, quibus sinum in suam perniciem sepsit, exitu prohibebatur, nec si patuisset; virium satis, nimium paucis. Testis versus Einaris Skulini ex carmine, quod Haraldo fecit, desumptus. Paulo post milites Haraldì navem occupant, Magnumque arcæ in celsiore loco insidentem, cum avunculo suo Hacone Fauko, viro venustissimo, non item prudenti, capiunt; capti prius Ivar Auffsuris filius, multique alii amicorum ejus, quidam etiam occisi. Hæc hyems factiosa appellata est, Contigerunt hæc

hæc initio anni millesimi centesimi quinti. Consultum deinde de Magno, visumque amicis Regis, postquam aliquantisper deliberassent, regno ita removendum, ut in posterum regni Regiique nominis incapaax fieret & haberetur. Traditur itaque servis, oculis & genitalibus pedeqve altero orbatur; occisus & Hacon Faukus; Ivari Aufsuris filio oculi similiter eruti. Is, credo, est, quem Saxo his verbis celebrat. *Cecatus gitor, ait, castratusque Magnus, cum interrogaretur, quem ex suis penam secum oculorum subire vellet, paucos eâ re delectari respondit; tunc quidam formâ ei simillimus, & militiam ejus singulari fide complexus, ne ex tanta clientela deesset, qui cum Domino compati vellet, ultrò se supplicio obtulit, prefatus, ut videnti simillimum, ita luminibus orbatur futurum; qui cum virtute venerationem meruerit, apud improbos penam persensit.* Magnus dein Holmense monasterium, quod in Thrandiâ, detrustus, è Rege Monachus stupendâ fortunæ vicissitudine factus, habituque monachali indutus; nec ista calamitate satis plexus, ad aliud insuper ludibrium reservabatur. Data monasterio pro sustentatione ejus magna Hernesia ad Frostam, jure possessioneque perpetua. Hoc bello duumviratus iterum in Monarchiam conversus est, solusque Haraldus totius regni Norvegiæ Rex factus; id quod Skvaldrius versu ei gratulatur: subjiciuntur isti alii tres Einaris Skulini in membrana *Morkinskinna* (neque enim alibi reperio) adeò detriti, ut legi integri nequeant; perhibent tamen Haraldum duas in Dania pugnas gessisse, aliam ad Hvenam (*Hvedn* scribunt) aliam ad Hleseyam: credo piratica latrocinia, dum adhuc privatus esset, intelligenda.

Vindicato hoc modo universo Norvegiæ regno, sedulo inquisitionum, quoniam Magno arctioris amicitia vinculo adhæserint. His cum thesaurorum cimeliorumque custodiam tradidisse crederetur, placuit & eos examinari. Crucem sacram sibi pugna Fyrisleifensi præferri fecerat: postea nullibi inventa est, nec ab eo exprimi potuit, ubi vel illam, vel alia rerum suarum, deposuerit. In primis Antistes Stafangriensis, nomine Reinhallus, vir natione Anglus, habendique cupidus, quod Magno præ cæteris carus esset, talis custodiæ suspectus habebatur. Bergas igitur arcessitus depositum exhibere jubetur; neganti perseveranter dies dicitur; accedens juramento crimen intentatum diluere nititur; nec admittitur: quindecim auri marcas pendere jussus, *mori malle* respondit, *quam ecclesiam suam ad egestatem redigi.* In Nordnesia igitur circa ballistam in crucem agitur. ductus ad patibulum, excussa ocreâ; juro, inquit, *de thesauris Magni nihil mihi constare, præter id quod hac continetur.* Aureus ibi annulus inventus est. Nihilominus ad supplicium rapitur. Sepultus est in Nordnesia ad ædem Michaeli Archangelo sacram: quod factum, ut omnino tyrannicum, ita etiam bonis (si qui erant) execratum est. Tantâ crudelitate regnum aufpicatus Haraldus nec diuturnum habuit, nec exitu meliore finit. Constat tamen hinc, Pontificis Romani reverentiam exiguum, metum nullum, Regum Norvegorum aut subditorum animos ad illud tempus invasisse.

His peractis, Haraldus conjugio sibi jungit Ingiridem Rognvaldi filiam, Ingii Steinkelis filii Sveciæ Regis neptem, quæ prius nupserat Henrico Skokuli Sveni filio, Sveni Daniæ Regis Ulfi filii nepoti, ex quo suscepit filios, Magnum, qui postea Sveciæ Rex, ut deinceps dicitur, factus est, Rognvaldum Comitem, & Burissem, de quo Saxo in *Valdimaro* Primo varia veraque scribit. Illam *Fagrskinna* fol. 89. col. 3. non prius in matrimonium ascitam tradit, quam Episcopus Reinaldus enectus erat. Hanc Ingertam Regnaldi fratris Margaretæ Regis Nicolai uxoris filiam

nostris consentiens Saxo Lib. XIII. pag. 230 appellat, Henricoque, quem pag. 235. Svenonis filium fuisse perhibet, eâ conciliatrice ei copulatam, cuius impudicitiam ibidem his verbis exscribit.

Eodem tempore Henrici Svenonis filii conjunx, mariti convictum ingenti perosa fastidio, aliena veste sumta, suis se penatibus intempestâ nocte subduxit. Apud quam juvenum quidam (ut fama est) plurimum obsequio familiaritatem adeptus, callidè effecit, ut ad suum eam amorem perduceret. Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam viriliter cultam furtivè devexit. Quam vir ejus fortuitis subsecutus indicis apud Alaburgum in cultu familiari deprehensam, amatore delapso, domum reduxit. Verùm hanc ignominiam à clandestino Canuti consilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis suspicionis motibus insecutus insontem notabat.

Nec in Norvegia castior erat, nam præter hunc duobus ibidem viduata maritis, filium stuprò enixa est: de quo suo loco. Falluntur itaque Svedici scriptores, qui Henricum (quem illi perinde ac Dani notationis ignari, pro Stofular secundi casus à recto Stofuil, id est claudus, Skatalerum appellant) cum filio suo Magno Sanctum Eiricum Jarvardi filium anno MCLX occidisse tradunt, cum tamen bello Fotvikensi occuberit; quod etiam hinc confirmatur, cum post illum annum Haraldo demum nuperit; neque enim a tam patienti & obnoxio marito post tot susceptos liberos repudiata videtur, nec Haraldus adulterii crimine repudiatam ducturus. Stabiliuntur hæc insuper ab ætate Regis Ingii, quem ex Haraldo genuit, qui cæso patre in secundum annum processerat; etiam à tempore initiationis Magni Einaris filii, Episcopi Skalholtensis, qui anno MCXXXIV. ab Archiepiscopo Aschero ordinatus in Norvegiam trajecit, annoque sequenti in Islandiam, quo tempore Rex Haraldus hanc uxorem nuper consecutus videtur: qui ut Reinaldus ejus crudelitatem, ita hic vicissim maximam ejus humanitatem expertus est. Res ita se habet: Accinctum itineri in Islandiam, salutatum ad se ingredientem à prandio, cum adhuc pro more potaret, humaniter suscepit; dimissurus inopiam excusavit, quâ obstante donare eum pro ingenio suo nequiret, quæritque à thesaurario, quid in præsens suppeteret? Cimelia omnia erogata respondentem regessit Rex, restare poculum, quò ad mensam usus est, justitque Episcopum accipere. Verbis magnificis, ut par erat, gratiam Regiam ac liberalitatem prædicans, salutato eo Reginam quoque salutatur, cui illa: *Vale, inquit, Domine Antistes, & rem bene gere.* Quod audiens Rex repetit formulam: *Vale, inquit, Antistes, & rem bene gere.* An tu, inquit, ullam mulierem principem unquam audivisti sacrorum Præsulem tali salutatione, sine tamen munere, dimisisse? *Quid jam, inquit Regina, suppetit, Domine Rex? Culcitra, cui insides, ait.* Purpurea illa fuit, magni pretii. Hac donatum Episcopum, jam exiturum, sua quoque culcitram donat, adjectò, illas se diu invicem comitatas. Antistes cum patriam repetisset, consulit amicos, in quem usum munera hæc potissimum verti conveniat, Regi ipsi utilem? Svaserunt vendi, pauperibusque pretium erogari. *Malim, ait Episcopus, ex poculo calicem, è purpurâ amiculum sacerdotale fieri, liberalitatis ejus in hac ecclesiâ monumenta perpetua: oroque devotè, ut quoties missa pro manibus ejus celebratur, omnes Sancti, quorum reliquæ in cathedrali hoc templo reservantur, ejus tunc utilitati litent.* Is calix in æde sacra Skalholtina maximus erat. Benevolentia Antistitis, licet plus satis superstitiosa, laude tamen non caret.

CAP. IV.

KONGAHELLÆ PRODIGIA DESCRIBUNTUR : VANDALI DUCE RETTIBURE IN EAM IRRUMPUNT, EAMQUE EXURUNT. AULVERIS RUSTICI MEMORABILIS PUGNA.



D hunc eundem annum, quem quintum ab obitu Sigurdi Regis nostri perperam scriptores, ut credo, ponunt, sequentia referunt, cum prius accidisse videantur, ut infra monstratur. Tunc enim Kongahellæ multa prodigia secutam mox calamitatem præmonstrârunt. Præfectus urbi Guttormus Haraldii Fletteris filius, & Sæmundus, cognomento Husfrenja / quod matronam denotat. Uxor ei Ingibiorg Andreae Brunii urbani Sacerdotis filia: eorum filii Paulus Flipus & Gunnarius. Sæ-

Fuit Andreas Brunii filius vir insignis, ad Ecclesiam crucis concionator: uxor ei Solveig. Educabatur apud eos Ion Lopti filius ex Thora Magni Nudipedis filia, Sæmundi Polyhistoris nepos, Islandus, tunc annorum *Kringla* undecim, *Jofraskinne* decem, tunc quoque præfens; pater ei Loptus, etiam sacrorum minister. Aderat & filia Sacerdotis Andreae, quæ Solveige nata, nomine Helga, Einaris, nescio cujus, uxor. Nocte, quæ diem Dominicam proximam post festum Paschatis præcessit, strepitus ingens in platea per omnem urbem auditus est, qualis excitari solet quoties Rex universo aulicorum satellitiò stipatus proficiscitur: canesque inclusi domibus contineri nequibant, quin erumperent; quotquot autem eruperant, in furorem efferati, obvium quicquid morsu appetebant, homines juxta ac pecora. Quicquid autem dentibus ad sanguinem usque laniabant, paribus intemperis agitabatur; & quod uterum gestabat, abortivit, postquæ editum partum furore inflamabatur. Tenuit id singulis penè noctibus ad festum usque Ascensionis Salvatoris. Hoc ostentò exterriti civium multi, venditis ædibus, urbe excedentes in alias provincias vel oppida migrârunt. Sapientissimus quisque instantis gravis alicujus mali omen interpretans maximè metuebat.

Festò Pentecostes mysta sacrorum Andreas gravi ad populum concione orabat, *ne tam nobilem urbem incolis nudarent; præfenti potius animò esse, excubiisque urbem fidelique custodia vallare, sollicitèque præcavere, undecunque damnum accipi posset, sive id ignis sive hostes struerent; sed Divinæ misericordiæ maximè fidere, eamque piis precibus sollicitare, fatisque sinistris opponere*, jussit. E decim & tribus lembis urbe Bergas navigantibus undecim unâ cum vecturis vectoribusque festo S. Laurentii perierunt; duodecimus illius scopulis, cum omnium mercium, sed nullâ hominum, jacturâ, undis absorbebatur: solus Loptus Sacerdos, qui simul navigabat, navi incolumi Bergas pervenit.

Eiricus Daniæ Rex cum Aussure Archiepiscopo miserunt Kongahellam, qui nunciarent, ut sibi suæque urbi caverent; Vandalos enim cum valido exercitu Christianos passim impugnare, ubique victores. Verùm cives, quò longius tempus processit, hoc magis obliti sunt ostentorum, quæ imminens malum nunciabant, inque socordiam dilapsi securitatem sibi polliceri cæperunt. Verùm ipso festi Laurentii die inter sacrorum solennia

lennia Rettibur Vandalorum Rex, ejusque fororis filius Dunimitz, duxque alter magni exercitûs, nomine Unibur, ex improvîso supervenientes, septingentos octoginta lembos urbi admoverunt: singuli quadraginta quatuor viros & duos eqvos vehebant. Uterque simul diversis itineribus urbem corripiebant, alter per brachium orientale fluvii, circa insulam Helsingam superius, sinistro alter in vectus oppidum petebant. Ad locum, qui Sittin appellatur, equitatum exposuerunt, alii terrestri itinere per Brattas adeqvabant. Primus Einar Andreae Sacerdotis affinis hostilem adventum terrâ marique nunciavit. Multi Eiricum Daniae Regem conjecantes salutem sperabant. Ad hostilem nuncium cives effusi templô ad res suas conservandas in urbem, inde sumtis armis ad pontes, properabant. Ibi hostes visque in victa exercitûs naviumque numerus cognitus. Novem mercatoriae naves, omnes peregrinae, in flumine ante pontes stabant; eas primum adorti Vandali, ab armatis mercatoribus viriliter excipiuntur; nec nisi post longum acremque conflictum superabant; nam & cives è pontibus barbaros, dum pugna maximè fervebat, jaculis impetebant. Isto impetu centum septuaginta naves barbaris amissae.

Expugnatis mercatoriis, remittente pugnâ, cives urbem, inde castellum, repetebant, rebus pretiosis, & quicquid avehi poterat, unâ congestis. Solveig autem cum duabus filiabus urbe exiit. Vandali, devictis navibus, suorumque clade cognitâ, alii urbem ingressi, alii naves lustrabant. Postquam omnia, quae libuit, ad suam classiem deportassent, naves devictas urbemque facibus admotis unâ incendebant; inde ad castellum conversi, summâ illud vi oppugnabant, oblatâ prius speciosâ conditione deditiois, ut vitam, arma, vestes, aurumque, quod quisque possideret, possessores sibi haberent. Singula magno fremitu cives abnuebant, eoque propugnaculis lapides stipitesque in eos jactabant, magnâ utriusque partis pernicie & damno, longè tamen majore Vandalorum.

Interea Solveig Andreae uxor ad prædium Solbiorgas delata, quo in statu res urbanae essent, nunciat. Sine mora igitur exemplar teli, belli nuncium, ad Skurbagam mittitur. Ibi compositio de symbolis, frequensque convivium. Erat ibi inter alios civis provincialis, omni seculo memorabilis, Aulver, cognomento Mistimunnur, sive Megalostomus. Hic sine mora exsilens, clypeo galeaque se muniens, securimque magnam arripens: *Quid, inquit, boni viri, hic morabimur? protinus arma sumite in auxilia urbanorum; neque enim hic sine summo dedecore nos ingurgitabimus, dum cives urbani de vita periclitantur.* Id verò alii abnuebant, quòd suorum exitiò, nullo oppidanorum usu auxiliòve, accursus iste fieret. Tum Aulver: *morabimini, inquit, quantum libet, ipse in comitatus periculo me obijciam, certus barbarorum unum aut alterum in ultionem meam, antequam occumbam, occasurum.* His dictis citato gradu urbem petit; sequuntur alii, tantæ audaciæ exitum exploraturi, &, si fieri posset, subventuri. Appropinquantem castello octo simul barbari omnes armati invadunt, & undique cingunt. Verùm ille, dum securim altius elevat, simul rotundum ejus, qui à tergo stetit, gutturi adegit, eumque ruptis maxillis exanimat, unoque & eodem ictu, qui eum jaculis impetebant, occidit, ipse graviter vulneratur, reliqui quatuor exterriti se in pedes conjicientes fugiebant; quos dum persequitur, duos ex iis paludi immerfos assequitur occiditque, ipso interim in luto hærente: reliquos duos fuga abripuit. Qui autem eum sequebantur, extractum limo Skurbagam deportabant; qui obligatis deinde vulneribus convuluit, immortale decus promeruisse visus,

vifus, nec ullus unquam unus tantam pietatis & fortitudinis laudem momentô acqvisiviffe, tum contemptu mortis, tum etiam admirabili fucceffu.

Duo deinde Satrapæ, Sigurdus Gyrderis filius, Philippi, id temporis clari, frater, & alter ei cognominis, Sigurdus quoque dictus, cum sexcentis militibus ruficanis Skurbagam deveniunt. Iste metu periculi ulterius procedere non aufus rediit, unde venerat, cum qvadringentis, quos duxerat; vilis inde habitus, exiguum tempus supervixit. Alter Sigurdus contempto periculô piam causam propugnaturus, in barbaros cum suis ducentis movit, ubi ad unum omnes cæsi sunt.

Dum Vandali castellum oppugnant, Rex naviumque gubernator extra teli jactum stantes omnia circumfpeciant. Inter barbaros quidam arcu jaculatus, destinato ictu singulos singulis sagittis trajecit; quem jaculantem duo alii clypeis protegébant. Mandat ergô Sæmundus filio Asmundi, ut simul in eum tela dirigant, se enim, qui clypeum teneat, appetiturum; qui ut advolans telum sentiebat, clypeum corpori suo admovet. Interim Asmundus viam jaculo inter laxati clypei spatium nactus, sagittarium simul per frontem occiputque trajecit; ut in tergum desolutus concideret exanimis. Quô viso, barbari inconditum clamorem sustulerunt. Iterum Rettibur pacem castellanis offert, barbari autem sumis viribus oppugnationem urgent; inter quos unus tantâ audaciâ fuit, ut portam ipsam accedens, eum, qui intra fores stent, occideret: ipse sine ullo munimento jactos in se lapides & sagittas contempsit, arte venificâ tutus ferroque impervius. Arripit igitur ignem Sacerdos Andreas, consecravitque, & adhibita benedictione fomitem adjecit, mucronique sagittæ præfixit, Asmundoque tradidit. Is acceptum alacriter telum, mox in incantatorem conjectans, protinus eum confecit. Hoc casu barbari, perinde ut antea, ululabant, visique Christianis de discessu deliberare, sed ab interprete Vandalicæ lingvæ gnaro Uniburis cum altero colloquium tale exceperunt. *Ferox, inquit, gens hæc & intractabilis: non redimemus hanc jacturam totius urbis spoliis: tantundem etiam impenderemus, si liceret facta retrahere, ne huc unquam venissemus, tantâ principum clade, tot militum, extenuati; principio oppugnationis hastis sagittisque nos feriebant, inde lapidibus, hinc stipitibus, perinde ac canes verberant; hinc tamen colligo, defectu telorum eos laborare; ulterius igitur experiemur.* Verè conjectabat; nam cum stipitibus primò rem gerent, nimium prodigè jaculabantur etiam lapides; quô animadverso, dissectis stipitibus, duos ex uno fecerunt.

Et jam barbari acerrimè eos oppugnabant, interdum respirabant, cum Rettibur iterum deditiorem postulat, singulis cum armis, vestibus, & quantum ipsi ferre possent, exitum permittens. Occubuit tunc Sæmundus Húsfræna, cui qui supererant prudentiâ impares, castellum seque ipsos in potestatem barbarorum permiserunt, vesanò consiliò; nam nullus illis fidei promissorumve respectus, promiscuè mulieribus, infantibus, & quotquot tenella ætas vel accepta vulnera inutiles reddiderunt, nec sine onere avehi potuerunt, occisis, reliquis captivitati mancipatis, deinde castellum diripiebant. Ingressi adem Sacræ crucis, ornamentis omnibus spoliabant. Andreas Sacerdos Regi Rettiburi genus armorum, quod Nesti vocant, argenteo apparatu, Dunimiti nepoti ejus annulum aureum donabat. Inde colligebant, aliquid eum in urbe potuisse, præque cæteris honorabant. Sacra crux unâ cum tabula, quæ super altare stabat, donarium Sigurdi Hierosolymipetæ in Græcia factum, quam in gradus ante altare depo-

deposuerant, simul ablata. His actis templo excedebant. Tum verò Ret-
tibus: *magnâ, inquit, curâ studiôque in possessorem domûs hujus ædes extru-
ta est; videtur autem negligenter culta, hinc Deus custodibus insensus.* Mox
Andræ Sacerdoti templum, scrinium, plenarium, sacram crucem, &
quatuor clericos, donabat; sed barbari sacram ædem cum omnibus ædi-
bus, quæ intra castellum erant, exusserunt. Qui fano injectus est ignis,
bis extinguebatur, donec id securibus demoliebantur; tunc demum per-
inde ac aliæ domus ignem concepit. Vastatis omnibus barbari spoliis
onusti naves petebant. Lufratis deinde suis, ubi ingens damnum acce-
ptum animadverterunt, reparaturi, ut poterant, captivos omnes in na-
ves dividebant. Andreas navem Regiam conscendit. Verùm eodem tem-
pore magnus illos terror invasit; calor enim prodigiosus Regem, & qui
cum eo erant, repentè corripuit, & in ignis morem urebat. Rex per
interpretem percontatus sacerdotem, unde hoc eveniret? responsum acce-
pit; *ideò quòd ausi essent homines ethnici, qui creatorem suum non agnosce-
rent, monumentum passionis ejus manibus contrectare: eam vim inesse cruce,
sepeque ethnicos talia miracula, ubi eam contactu temerâssent, expertos: his
quoque clariora miracula edita.* Rex impositos acatio clericos dimisit, An-
drea crucem inter brachia gerente. Acatium ad utrumque latus navis à
prora ad puppim circumductum, inde contis ad pontem usque propelle-
bant. Eâdem nocte Andreas, pluvio intempestivoque cælò ad Solbiargas
crucem gerens pervenit, diligentiq; custodiæ mandavit.

Planum hinc, aut aliam fuisse crucem illam, quàm Magnus autumnò
superiore bellò Fyrisleifensi sibi præferri fecit, quam deinde abstulit, nec
ubi esset, exinde revelavit, aut hæc priùs contigisse, videlicet cum is si-
mul & Haraldus regnarent; id quod vero videtur similis, cum hujus
crucis mentio ex illo tempore nusquam fiat. Rettibus in Vandaliam ma-
nubias hominumque prædam omnem devexit; ibi universi & singuli durâ
servitute pressi, nec, postquam redempti ad sua redierunt, vires pristinas
statumque priorem recuperârunt; sed nec Kongahella in posterum.

CAP. V.

DE SIGURDO SLEMBIDIAONO RE-
GNUM NORVEGIÆ AFFECTANTE, ET HARALDI
GILLII CÆDE AB EO PERPETRATA.

Magnò in monasterium relegatò, Haraldus
omnes, qui illi eatenus adhærebant, veniamque ex-
petebant, in gratiam recepit; acivit & multos in
aulam, qui illi priùs ministrabant, ejusdemq; annì
vere, quo Magnus regnò amotus est, Orcadum pos-
sessionem, quam frater ejus Sigurdus unâ cum Co-
mitis titulo jureque Rognvaldo Kalio contulit, Ma-
gnusque revocavit, Regiâ autoritate confirmavit, posterioriq; annò
navem optimè instructam ad expeditionem suppeditavit, cum illum no-
vissimè Bergis dimitteret; qui Comiti Paulo fraude Sveni Asleifis filii im-
perio excusso successit, præfuitque annis duobus supra viginti. Quæ in-
terea gesserat, fuscè in nostris Orcadibus exposita sunt. Inde ea, quæ res
Norvegicas spectant, locis idoneis inferemus.

Eodem autumnò, sexto nimirum supra tricesimum seculi ejusdem,
vir

vir quidam, nomine Sigurdus, cognomento Slembidiafni, seu *Diaconatus defertor*, Regem Haraldum adiit, fratrem se ejus Magno Rege fatum professus, matre Thora Saxii de Vika filia, ipsius matris testimonio. Verum cum ex ipsius sorore Sigride Olafum Regem prius procreasset, incestum Regis amici occultabant. is itaque titulo filii apud flaminem Albrictum, paucis consensu, educatus est, teste carmine Ivaris Ingimundi filii, quod in honorem Sigurdi cecinit. Ætate tenellâ institutioni scholasticæ traditus, sacris destinatus est; tandem in diaconum promotus. Ut verò primum sui juris factus est, missis ecclesiasticis curis, etiam diaconatum abdicavit: hinc Slembidiaconus, seu *Diaconatus defertor*, aut etiam Slembit: *defertor*, appellatus. Inde peregrè Hierosolymam profectus, multos annos domo affuit: flumine Jordane palmariorum more ablutus sacra loca invisit. Inde Haraldum Haconis Pauli filium Orcadum Comitenti accedens, per hyemem apud eum remansit, eoque provincia Scotiæ Sudurlandia domum proficiscentem comitatus est, cum prius in aula Regis Scotiæ Davidis primi magno in honore fuisset; pollebat enim robore virium, animique fortitudine, variarumque rerum notitiâ, staturæ incremento, formæ venustate, solertiâ & agilitate, non modò supra æquales, sed penè omnes, quos id temporis Norvegia habuit: capillò raro, sed decenti, ingenio ferox & inquietus. His naturæ ornamentis affectus est, ut sumis in aula Scotica viris annumeraretur. Cum verò in Orcadibus moraretur, Comiti Haraldo valde acceptus, protinus unâ cum feminis præcipuis, quæ simulè Scotiâ eò profectæ sunt, Frakaurke Lioti Nidingi de Sudurlandia vidua, Comitis matertera, ejusque sorore Audhilde, Eirici Strætæ vidua, Eirici Slagbrelleris matre, gliscentes inter Comites (Paulus enim frater Haraldus alteram Orcadum partem tenebat) factiones resuscitabat, singulis Comitibus studia procerum certatim ambientibus.

Inter intimos Pauli consiliarios eminebat Sigurdus de Vestnesia, Ingibiorgis Ragnæ, alio cognomine Tigtu, id est *nobilis*, maritus, & Thorkell Sumarlidius, Comitis S. Magni agnatus, qui perpetuò in domo Pauli Comitis versabatur, ideoque Fosiri, seu *nutritius*, appellatus; diversus ab illo, qui proavum eorum Thorfinnum in puerili ætate, ipse vir, educabat; licet propria singulorum tum nomina, tum etiam cognomina, insuper etiam parentum, hic concurrant: de quo in vita S. Olafi dictum.

Fuit hic Thorkell factioni Haraldus magnopere suspectus, tanquam qui irritatus cæde propinqui S. Magni discordias inter Comites, in mutuas tandem cædes erupturas, ferere & fovere, adque utriusque perniciem deducere, propinque necem in intersectoris prolem vindicare, moliretur. His persuasione circumventus Haraldus, consilio auxilioque Sigurdi Slemberis Thorkelem occidi curavit. Id adeò molestè Paulus tulit, ut continuo in ultionem ejus copias armaret. Cives mutam perniciem sapientibus consiliis propulsaturi; utrumque à vi inferendâ dehortabantur, propositis conditionibus, utriusque privatim, tum etiam publicè, salutaribus, quibus Paulus nullatenus acquiescere volebat, nisi proscriptio omnium, qui in cædem illam conspirassent. Res ad exitium spectare optimatibus visa est, itaque precibus Haraldum tantisper fatigabant, donec se fratri morigeraturum polliceretur. Proscriptus itaque Sigurdus in Scotiam ed Regem Davidem rediit, pari, ut antea, honore cultus; ubi Scriptori Orcadum mansisse traditur, donec Hierosolymam proficisceretur. Extant tamen carmina, quæ præliorum trium, quæ in Scotia gesserat, vel potius latrociniorum, meminerunt, totidemque victoriarum.

In itinere Hierosolymam versus Romam petiisse dicitur; in reditu autem Græciam & Saxoniam, Ivare Ingimundi filio teste. Inde mercaturæ operatus etiam Islandiam adiit, inque prædio Saurbæ ad Thorkelem Oddii filium per hyemem degebat, paucis quoniam esset confectis. Accidit autem per autumnum, cum oves pro more à montibus, ubi sine custode singulis æstatibus lætis pascuis oberrare solent, requisiti, actique intra publica septa, possessoribus, notis vel matrum indicio asserti, redduntur, ut jam in privata sepimenta compulsi, dum inter eos, qui maectatui destinati legerentur, unus ad Sigurdum, tanquam opem ejus imploraturus, fugeret, illeque vicissim manu sublevatum dimitteret, præfatus, *paucos suam opem implorare: huic se saltem auxilio futurum*. Eadem hyeme mulier quædam domestica patrisfamiliæ iram furti crimine incurrens, cum ad panam posceretur, ad Sigurdum confugit, qui eam in scamnum ad se receptam, à reposcente hero sibi permitti petivit, cum ad se confugisset; quo repugnante gladium eduxit, jussitque sibi eripere. Visus facie terribili suspicionem iniecit, alium esse quam simularet; destitit itaque ei reluctari. Plures ibi Norvegi eodem tempore hyemabant, singulis tamen vilior habitus est. Contigit fortè ut dum ludum latruncolorum, quem *Skat* appellant, domesticus Thorkeleis Norvegusque exercerent; hicque periclitaretur, ut Sigurdum in auxilium vocaret, Islandus vero ulcere in primo pedis digito laboraret. Quò animadverso Sigurdus inspectans (nam & ludum illum, ut cætera omnia, cæteris melius callebat) popularem suum ad incitas redactum, ita ut restitui nequiret, animadvertit. Ludentes itaque in pavimento parvos feles, stramine per solum tracto, usque in pedem Islandi illexit, qui tacto ulcere exsilens unà latrones præcipitavit; atque ita, cum quo in loco steterent non convenerit, ludus absque utriusque jacturâ finiebatur. Inventum solers viuum est in re exigua. Literas nôsse nemini constabat; priusquam præliminari festi Paschatis die, cum unà cum sacrorum mysta super aquam cerimonias ordinarias celebrabat. Quoque plus innotuit, eo major habebatur. Discessurus hospitem Thorkelem monuit, ut Sigurdo Slembidiacono familiaritèr nuncios mitteret. Quærenti quid ipsi cum illo? se eum esse confessus est, Magnique Nudipedis filium.

In Dania Sigurdus, præsentibus quinque Episcopis, genus suum asseruisse perhibetur. Jamque Norvegiam repetens, Bergis Regem Haraldum adit, fratremque se ejus profitetur: idem ut is agnoscat, postulat. Antistitum Daniæ testimonio in medium prolato. Verum Norvegi fraudem hic Danorum interpretabantur. Rex responso in longius tempus extracto rem ad concilium intimum refert. Satrapis ingenium Haraldi facile minusque callidum probè perspectum erat, quòd cum in potestate haberent, metuebant ne Sigurdus in partem regni admissus, patri Magno Nudipedi, vel etiam nepoti Magno Cæco, crudelitate notâ similior, imperium durius esset exerciturus; itaque excogitant plausibilem causam, quâ non modo aditu regni prohiberetur, sed etiam necari absque populi tumultu posset, jubeturque causam dicere, quòd virum summum, intimumque Regis amicum, Thorkelem Nutritium, qui Regi, cum primò Norvegiam peteret, comitem se addidit, occiderit, tantaque contentione accusatio intendebatur, ut tanquam in contumeliam Regis id perpetrasset, capitis Sigurdus damnaretur. Subornati deinde quidam emissarii, qui serò vespere eum lembo impositum trans Nordnesiam Holldhellamque dejectum in alto mergerent; qui alia omnia simulantes, minimè tamen solerti-

lertiam ejus eludebant: insidens enim arcæ, quæ in puppi stabat, insidias odoratus hoc modo evasit; cæruleis braccis interulæque bardocucullum superinduxit, vestem, cui tegmen capitis affixum, quæ ligulis collo adstringebatur: has manibus contrectans interdum demisso tegmine caput aperuit, interdum levatò operuit. Remigibus multo potu exhilaratis, securèque & strenuè navem concitantibus, ipse velut vesicam levat urus ad latus stabat, cum custodes duo, honore magnatibus exhiberi solitò, vestem externam detinerent, ne excideret. Ille veritus, ne interiores quoque manibus comprehenderent, laxatis ligulis in mare se illosque simul dedidit præcipites; dumque conjectam in cursum navem nautæ fisterent, extraherentque deturbatos, urinando magnum spatium emensus, pritis litori, quam illi navem convertissent, redditus est. Pedum autem velocitate cum esset, sicut in cæteris, incomparabilis, ad montem prope-ro cursu contendit; frustratus custodes, qui univèrsam noctem eum quærebant, in fissura rupis latitans ad depellendum infestum autumnale frigus braccas circa clunes perforabat, applicatasque humeris, exerto perforamen capite, pectori tergoque extensis brachiis circumdedit; atque ita majori fortunæ ludibrio mortique truculentiori, aliorumque suppliciiis cædibusque reservatus, geminum id temporis periculum evitavit: custodibus ludibrium sui domum tantum, latensque Regis regni que periculum, serò nimis intellectum, referentibus. Is namque reputatò, quantum discrimen eluctatus esset, potestati Regis se amplius committere veritus, toto autumno apud sacerdotem quendam Bergis deliruit. *Morkinskinna* Daniam petivisse tradit, eodemque autumno rediisse, receptumque apud amicos, præcipueque sacrificulum istum, habuisse. Tum primum tollendi Regis consilium inquit, multis in conjurationis societatem assumtis, etiam parte eorum, qui in aulam Regis satellitiumque assumti prius Magno Regis agnato ministrabant: quos in propiorem familiaritatem asceverat, ita ut semper aliqui eorum mensæ Regiæ adhiberentur.

Evenit forte festò B. Luciæ sacro, ut inter cænam duorum inter se colloquentium alter Regem his verbis compelleret; *Tua*, inquit, *decisio, optime Rex, requiritur, quinam nostrum vasculum melle repletum, de quo certamus, reportabit. Ego te in complexu Reginæ hac nocte acquieturum, ille apud Thoram Guttormi filiam pernoctaturum asserit.* Rex, quantum sub hac quæstione dolus lateret, ignorans, niris incautè, sed subridens, respondit, *pignus illum non assecuturum.* Cognitum inde, ubi ea nocte quærendus esset: excubiæ enim præ iis foribus stare consueverant, ubi Regem noctem exacturum persvasum est, Reginaque quiescebat.

Hac eadem nocte Sigurdus armatâ manu cubile Regium effregit. *Morkinskinna* excubitores occisos adjicit: id quod vix consistit, cum isti foribus adhiberi non consueverint, ut ex præcedentibus colligitur. Regem somno meroque sopitum invadunt. Primus Ivar Kolbeini filius manus ei intulisse traditur. *Morkinskinna*, eò omisso, Augmundum Thrandi Skagini filium, Kolbiornum Thorlioti filium de Bataldrio (qui Einarem Sockii filium in Grönlandia occiderat, in ultionem occisi ab eo prius instinctu Episcopi Grönlandiæ Arnaldi, Aussuris Norvegi hæreditatem, sedi Episcopali assignatam, repetentis, offendit Kolbiornum, quod inde redux ursum niveum Regi donasset, nullaque remuneratione dignus visus fuerit, eo quod falsa quædam Regi retulerit) Erlendumque Islandum inter invasores refert. Rex vulneribus expergefactus, nec mentis compos: *Nunc, ô Thora, insolitum, inquit, & tristem ludum mecum exerceas.* Ac

At illa leſtulo exſiliens: *Illi certe te durius tractant, ait, qui peſus in te animati ſunt, quàm ego.* Mortuus in templo veteri Servatori ſacro ſepultus eſt: & quanquam ebruius inter amplexus pellicis occiſus eſſet, tamen quòd cruentâ morte occubuerit, ſanctus habitus eſt.

Staturâ fuit tenerâ, facie oblongâ, collo longiore, oculis capilloque nigris, veſtis Hybernicæ amans, quæ brevis ad agilitatem formata erat. Filios reliquit quatuor, Eyſteinum, Sigurdum ex Thora Guttormi Grabardi filiâ, Ingium Sigurdo duobus annis minorem; & Magnum, ſingulos Norvegiæ Reges. Filias tres: Brigidam, cujus primus maritus Ingius Hallſteini filius Sveciæ Rex, me iudice, perperam ſtatuitur, ut ſuperiore libro monſtratum eſt; ſecundus Comes Gothiæ Karl, ſeu Carolus, Sonii filius, tertius Magnus Sveciæ Rex (quem tamen non Regem creatum, ſed deſtinatum, *Johannes Magnus & Loccenius* haut ſatis circumſpectè tradunt) uterinus Ingii Norvegiæ Regis ex eadem matre Ingridi frater. Quartus Comes Byrger, cognomentò Brofa, quo patre quatuor filios enixa eſt, Comitem Philippum, de quo in Sverrere dicendum, Comitum Knutum, tertium Folkium, quartum Magnum: filias; Chriſtinam Margaretam & Ingigerdem, Sorqveris, vel Sverkeri, Sveciæ Regis uxorem; filius eorum Ion, ſeu Iohannes, Sveciæ Rex. Secunda Haraldi Gillii filia fuit Maria Simonis Skalpi Hallkelis Huki filii uxor, eorum filius Nicolaus; tertia Margæta, quæ nupſit Ioni Hallkelis Huki filio, Simonis fratri. Harum forſitan altera poſtea nupſit Olio Uargo, cujus nepos Olafus Mok Regis Haconis Haconis filii avunculus, de quo in ejus vita ad annum MCCXXXV, ſi placet, vide. Ingens progenies ex Haraldo Gillio pullulavit; cujus ſchema tale.

Haraldus Gillius.

Halkell
Hukus

Eyſteinus	Sigurdus, Ingius, Mag- ejus ma- ejus ma- ter Tho- ra Gut- tormi fi- lia,	Brigida, quæ pri- mo nupta erat Ca- rolo Comiti, dein de Magno Sv: R: poſtremo Byrge- ro Sv. Comiti: il- lorum liberi	Maria Mar- uxor gare- ta, Simo- nis	Jon Simo- nis Skal- pi frater.
-----------	--	---	--	--------------------------------------

Comes Philipp ⁹	Comes Knut ⁹	Folki ⁹	Mag- nus	Chriſti- na	Marga- reta	Ingigerdis, Sv: R: uxor. eorum fili ⁹	Nicolaus
						Jon Sveciæ Rex.	

Sigridis
Knuti
Sv: R: fi-
lia.

— Magnus Bro-
knius

Knutus.

Magnatum recenſione contentus plures non enumerò; cum clarum ſit, quòtquòt ad hos genus referunt ſuum, ex Haraldo Gillio oriundos eſſe.

CAP. VI.

DE SIGURDI SLEMBERIS, SIGURDI
BRONCHI, ET INGI GIBBOSI FACTIONIBUS,
ET DE REGNO ÆMULATIONE.

Cæcis Rege Haraldō, Sigurdus cum interfecto-
ribus Regiis exiit; curavitq; convocari eos, qui
se eum secuturos promiserant, si Regem posset occi-
dere. Hi lembum ingressi, remis a litore solventes,
è regione aulæ diluculo consistebant, cum Sigurdus
exurgens coram iis, qui in ponte stabant, se Re-
gem occidisse profiteretur, seque in ejus locum sus-
fragiis omnium substitui postulat, jure successionis, cum Magni Nudipe-
dis filius sit. Continuo magnus hominum confluvius ad pontem fiebat, qui
execrantes factum sceleratumq; percussorem unâ voce exclamabant,
*nunquam se ei obsequium præstituros, qui fratrem occiderit: quod si frater
ejus non fuisset, nec ei jus ullum ad regnum suppetere; armisque concrepan-
tibus exules eos, percussoribusque ubiq; obnoxios sacrosque, judicabant.*
Addit *Fagurskinna* adjectum fuisse, *sibi non constare, an Haraldus frater
esset: certum tamen, si Magnus Nudipes flagitium illud commississet, ut ex con-
cubine sorore eum sustulerit, infelici natu editum, qui commissum ab eo, quod
jam profiteretur, scelus portenderit.*

Mox Regiâ tubâ Satrapæ omnes satellitesq; convocati, metum Si-
gurdo fociisque ejus tantum incusserunt; ut protinus sibi fugâ consule-
rent. Delati in Nordhordiam conventum celebrabant; ibi Sigurdus con-
sensu rusticorum Rex pronuntiatus. Inde Sogniam Nordfiordumq; petit:
ibi quoq; in obsequium ejus juratum, impositusq; Regiis titulus.
Vere-
rum Regna Ingigeridis, ut primum casum Regem cognovit, Satrapis sa-
tellitibusq; annitentibus, lembum, quem habilissimum habebant, sine
mora in Thrandiam magnis itineribus direxit, qui parricidium nuncia-
ret, jussitque filium Regis Sigurdum, qui in Austuratt apud Gyrdem,
à multa frumenti satione *Sada Gyrdit*, seu *Gyrdem satorem*, dictum,
Bardi filium, enutriebatur, partis borealis Regem constituerent. Ipsa
proprio itinere Vikam petit, ubi filius ejus Ingius in domo Amundi Gyrd-
deris filii, cui pater Bersius, à legum penitia *Lagberti* dictus, nondum ex-
pletò altero ætatis annò, educabatur. Ibi comitiis Sarpburgensibus ex
consilio Amundi nutriti, Thiofstolli Alii filii, multorumq; procerum, In-
gius Rex creatur. Nec segnius Thrandi, cognitâ Regis cæde, præeun-
tibus Ottare Biringo, Petro Ulfi, ab ovium stupenda possessione Sauda-
Ulfi dicti, filio, fratribusq; Asolfi filiis de Reinio, Guttormo & Ottare
Ballio, aliisque proceribus, Sigurdum, jam quartum annum agentem,
Regem constituunt, totius serè plebis procerum suffragia secutæ consensu,
maximè quòd pater ejus Haraldus in Sanctorum numero haberetur. Tan-
tum in animis vulgi ad omnia mobilis opinio potest. Juratumq; in filio-
rum Haraldus obsequium tantis studiis, ut uno ex illis vivo neminem se ad
regnum admissuros sanctè promitterent.

Hoc modò duumviratus primò annò MCXXXVI. institutus est, re-
gnâruntq; simul SIGURDUS, ab oris vitio postea BRONCHUS dictus,
& INGIUS, postea ab eventu GIBBOSUS appellatus. Sigurdum autem
Slem-

berem seu Slembidiaconum (utroq; enim nomine appellatur, & isto quidem contractè, quò etiam in posterum uti placet) licèt provinciarum quarundam suffragiò Regio nomine magis oneratus quàm ornatus fuerit; inter Reges tamen haud numerandum censeo. Is Iustratis, ut dictum, provinciis, Nordhordia, Sognia & Fiordis, dum in comparandis suffragiis longiores moras nectit, à nunciis Reginæ in Thrandiam missis prævenitur. Stadas enim prætervectus cum primùm in Nordmæriam pervenit; ab incolis per Satrapas, qui obsequium fidemq; Haraldī filiis addixerant, de parricidio edoctis repellitur. Quòd verò debilior esset, quàm ut vim adhibere posset, Thrandiam petere visum est; nunciis enim ad amicos suos, ut & Regis Magni Cæci, præmissis, aditum sibi receptumq; præstratum existimabat; secus autem evenit: nam ut primùm fluvium Njdem emensus ad urbem pervenit, navesq; ad palatium Regium alligare paravit, exorti continuo cives Sigurdo Regi (qui ibi cum multis proceribus præsens) adhærentes aditum prohibebant; qui spe præconceptâ destitutus, cum nec viribus adversus tantam multitudinem polleret, ad cænobium Holmense, ubi tum Magnus Cæcus monachali habitu sustentabatur, deflectit, ipsumq; invitum, invitis Monachis, quòd monasterium multorum largitate, in ejus gratiam conferentium, ditaretur, exemit, sub auspiciis ejus regnum sibi paraturus: plures tamen non invitum, sed talem se simulantem, quò culpa in omnem eventum elevaretur, exemptum tradunt.

Finito anni MCXXXVII. festò Natalitiorum Servatoris, Sigurdus Magnum secum ducens è sinu solvit; secuti ad famam avecti Magni, jam iterum ad regnum aspirantis, hi proceres, Biornus Eigilis filius, Gunnar de Gimfis, Haldor Sigurdi filius, Aslacus Haconis filius, fratresq; Benedictus & Eiricus, totumq; satellitium, quòd Magno prius ministrabat: aliorum præterea magnus numerus in Mæras, inde Raumsdalum usq; profecti sunt. Divisis deinde copiis, Sigurdus eadem hyeme transmarinas occidentis regiones ad comparanda auxilia transmisit. Magnus Uplandas petivit, spe magnas copias comparandi, quòd nec sefellit; magno enim affluentium concursu potentior, totam ibi hyemem æstatemq; universam, quòd nullo modo consistit, cum gesta, quæ sequuntur, uni eidemq; anno competant, trivit. Satrapæ Ingii Regis auspiciis comparato exercitu, etiam ipsum secum ducentes, obviam Magno procedunt. Mynionio loco nomen est, ubi convenerunt. Magnus numero prævalebat; ibiq; acerrima facta est pugna. Thiofolfus Alii filius, Regem Ingium sinu gestans, signa secutus, in præsentissimum periculum venit, dumq; impotentem se hostem magno labore propulset, tradunt Regem adeò debilitatum, ut per universam vitam restitui nequiret; fracto enim dorso gibbum contraxit, pedemq; alium angustia isthæc ita decurtavit, ut justo brevior, quoad vixit, ægrè incederet. Tandem clades in Magnum versa in fronte aciei Haldorem Sigurdi filium, Biornum Eiricum, & Gunnarem de Gimfis, magnamq; copiarum partem absumsit: nec prius Magnus de fuga cogitavit, quàm spe victoriæ omninò destitueretur, tum demum Gothiam cruentâ suorum strage nobilitatus petivit. Comes ibi Karl, seu Carolus, Sonii filius, provinciam regebat, materno genere Norvegis oriundus; mater ei Astridis Augmundi filia, Comitis Ormi Eylifi filii ex Sigride Comitis Finni Arnini filia neptis, avunculus Munanus Augmundi filius. Hunc Magnus Cæcus, virum naturâ avarum, opibusq; & ditio-ne potentem, sollicitat, ut Norvegiæ regnum vindicet, facile subigi posse dictans, nullis jam Regibus, satraparum tantum imperio subjectum, quos mu-

tua invidia stimularet, invicemque committeret. Placuerunt hæc mouita Karli, aliàs sponte possessioni Norvegiæ inhianti; itaque exercitum comparat, inq̄ Vikam ducit, metuq̄ sui multos ad deditionem traxit. Quod ut Thioftholfo Alii filio & Amundio innotuit, & ipsi tumultuariâ manu comparatâ obviam ei eunt, ipsum Regem Ingium secum ducentes. In silva Krokensi conveniunt, magnoq̄ve impetu congregiuntur; ibi Munanus avunculus Karlis occubuit, magnaq̄ve clades illata est. Ipse Comes in fugam versus Gothiam repetit. Instat victor Ingius, augetq̄ stragem quoad is toto regnô fugâtus turpissimo deinde reditu domum delatus est. Testatur id versus Kollji.

CAP. VII.

DE EIRICI EYMUNII IN NORVEGIAM
IRRUPTIONE: SIGURDI SLEMBERIS ET MAGNI
INCURSIONIBUS, SIGURDIQUE ET IN-
GII REGUM CONTRA ILLOS
APPARATU.



Ac spe dejectus Magnus Daniam petit, comiterq̄ ab Eirico Eymunio, qui prius fratrem Haraldum Kesiam duosq̄ve filios ejus occiderat, excipitur: svadetis, ut in Norvegiam cum exercitu commite trajiciat; neminem omnino futurum, qui hostem in eum conjiceret ausit, speciosissq̄ rationibus eò traxit, ut classe sexcentarum navium, comitante Magno, Vikam peteret. Pacatè ad orientale sinus processum. Tunsbergam devecto multitudo ingens à Satrapis Ingii, duce Vatnormo Dagi filio, Gregorii fratre, concitata ascensu Danos & aquâ prohibuit, multos etiam interemit; igitur in interiora sinus Osleyam usq̄ve cursus directus, ibi Thioftholfo Alii filio, cognito accessu Regis, scrinium Sancti Hallvardi urbe efferrî placuit; id tentatum vesperâ adventum ejus præcedente, multis subeuntibus frustra fuit; è sacrario enim in fani pavimentum delatum ulterius dimoveri neq̄vibat. Postridie exercitu Danorum insulæ Hofudeyæ appropinquante, à quatuor tantum viris urbe elatum est, prosequente Thioftholfo cum omnibus urbanis civibus.

Interim Eiricus urbem jaculis lacescit, partemq̄ copiarum in Thioftholsum imittit. qui aculeo in Aslakum, quendam Regis proretam conjecto, fauces cervicemq̄ve transverberavit, nec certiore aut utiliore ictu alium attingisse sibi visus est; nihil enim præter partes illas corporis extabat non mutilum. Sancti scrinium in Raumarichæ superiora avectum integrum trimestre ibi permansit. Eâdem nocte Thioftholfs Raumarichâ copias excitas in urbem postridie deduxit. Interim Rex ædem S. Hallvardi flammis involvit, multasq̄ve urbis partes exussit. Cum Thioftholfs adventaret, Rex classem statione deduxit, nec excensus uspiam ad aquilonare sinus latus patuit, Satrapis ubiq̄ve, provinciarum viribus succinctis, obfistentibus, nec ullibi tentatus est sine quinque, sex, aut plurium Danorum jactura. Ingius in sinu Hornborensi cum classe copiisque magnis excubans adeo Eiricum terruit, ut in Daniam statim versoriam faceret, secutus Ingius naves, quas potuit, carpebat; evasit tamen tantâ cum ignominia, ut decantatum sit, non aliàs parem ullâ expeditione in peregrinam terram con-

contractam. Indignatus inde Eiricus, delusum se à Magno verborum delinimentis pervasum, non in posterum se ei pariter ac antea amicum futurum minatus est. Hanc expeditionem Saxo Lib. XIV. confusè narrat, inque auxilium Haraldi Gillii susceptam non satis correctè tradit.

Eâdem ætate Sigurdus Slembir in Norvegiam ex occidente redux, cognitâ clade Magni, certus etiam spes suas irritas, velis extra omnes insulas in austrum versis, Daniam rectâ petit, superatoque freto Sundico, ubi cum Vandalis pugnavit, ad Arriam insulam iterum in naves Vandalorum incidit, multos occidit, quosdam etiam laqueò necat; octo naves capit; inde ad Monam navigat: ibi prælium gestum victoriaque parta (in Sveciam quoque devenisse *Morkinskinna* perhibet, moratumque in portu Kalmarnæ.) In Dania multos sibi proceres adjunxit, nactus quoque ipsius Regis gratiam. Gautelsâ deinde lustratâ, tres ibi naves è classe Thoreris Hvinantordii, & Olafi Haraldi, Kesfæ sorore sua Ragnhilde filii, capit; quem relictis navibus in terram fugavit. Thorer autem Kongahellæ validis copiis instructus exscensu eum prohibuit, mutuisque jaculis certabant, cædibus vulneribusque mutuis. In his Ulfhedinus Saxolfi filius Islandus ex aqvilonari quadrante, Slemberis proreta, quoque cæsus est. Accessu ubique prohibitus in aqvilonares Vikæ partes concessit, factâque populatione provinciam vastavit. In statione ad Portyriam ad latus Lungardensè latrocinii infestus excubuit, navibus ultrò citroque meantibus, cum cives Tunsbergenses eum de improvîso in terra cum parte copiarum spolia dividenter adorti, transversum sinum navibus occupant, obsidentque universam classem. Advectus igitur scaphâ, navem suam petit, remisque concitat in Vatnormum, qui congressum detrectans ultrò cessit. Evasit itaque Sigurdus unicâ tantum nave, non sine magna suorum clade. Perierunt inter alios Finus Øeit, seu capra, & Askell Smidi filius. Hinc jactus in Ornum versus, qui hujus erat sensus:

Portyriæ portus Vatn-Ormum terruit olim.

Saxo Lib. XIV. pag. 318. ingentem classem tribus à Sigurdo navigiis subactam relatum tradit. Inde in altum delatus, Haraldi interfectorum unum Kolbiornum Thorlioti filium de Bataldrio, scaphâ navi alligatâ vetustum, excussum acatio amisit. Celeri deinde navigatione ad Jutiæ litora naufragium passus, Alaburgi hyemavit.

Proximâ ætate, quæ erat anni MCXXXVIII. Magno sociatus septem navibus simul Lystriam de nocte ad vestî, applicatis litori navibus, ante diluculum ex insperato villam ingressi sunt, faces tectis subjecturi. Habitabat ibi Benteinus Kolheini filius, Regis Ingii satelles, vir undequaque insignis; qui sumtis armis atque adeò universâ armaturâ, erupit in segregem domunculam, ad defensionem paratus: strictoque gladio intra januam clypeum prætendens casside tectus stetit. Erant fores humiliores, nec ingredientibus patulæ. Quo animadverso Sigurdus suos ad invadendum eum exhortatus, cum nihil effecisset, singulis vim hominis metuentibus, minasque, quibus se peremturum edicebat, quicumque ingrederetur. Ipse arreptò gladiò, interulam tantum indutus, nudo capite, tantâ celeritate se intulit, ut instar teli nervo excussi, prior interiora teneret, quam ingressum Benteinus sentiret; eumque ex interiore parte impeteret; quò lethali vulnere percussò, amputatum caput manu egressus efferebat, referente *Morkinskinna*, fide duorum versum, qui tamen hæc non adeò enucleatè exprimunt, ut *authoris Kringle* relatio labefactari possit; quæ tradit quævisse Sigurdum,

dum; *curnemo suorum domunculam ingrederetur?* eos autem respondiſſe, *ne minem ſibi iſtud periculum depoſcere;* dumq; colloquerentur, Sigurdum momento inveſtum, iſtum Benteino intentâſſe, nullo effectu; deinde ſe invicem mutuis iſtibus impetiviſſe, nec id diu; ſtratô enim Benteinô, caput ejus pari ac ingreſſus eſt celeritate exſilientem præſectum extuliſſe. Direptâ deinde villâ ſpolia omnia navibus ingeſta. His cognitâ ipſe Rex Ingius, quantumvis tenellus, cum fratribus Benteini Sigurdo & Gyrdere, comparatâ claſſe eos perſequitur, navemqve Haconi Pungeltæ Pauli filio, Aſlaki Erlingi de Solio filii ex filia nepoti, Haconis Magii conſobrino, cum omnibus, quæ vehebat, eripit, ipſumq; in terram fugat. Sigurdus autem Storkus, Endridii de Gautdalo filius, cum fratre ſuo Eirico Hæle, & Andreas Kelduskitus, Grimi de Viſtio filius, fugâ in Fjordos deveſti periculum effugerunt. Sigurdus verò Slembir & Magnus Cæcus Thorleifusqve Skiappa quinque navibus Halogiam uſq; pervenerunt, divertitq; Magnus ad Vidkunnun Johannis filium in inſulâ Biarkeya per iſtam hyemem. Sigurdus navem ſuam puppi prorâq; mutilatam perforatamq; in intimo ſinûs Ægiris, ſeu Ægiſfiordo, demerſit.

Exactâ hyeme Anno MCXXXIX. in Fialdaſundis, tractu *Hin*, ſeu *Rinn*, ubi ſinus Gliuſrafiordus; in interiore ejus parte in ſuperna rupe antrum eſt, ejus cum viginti ſatellitibus, latebræ veriùs quàm domicilio lectum, obductæq; fores, ne è litore conſpici poſſent. Coſneatum ſuppeditabant Thorleifus Skiappa & Einar Augmundi de Sandio filius, Gudrunâ natus filiâ Einaris Arii filii de Reykiaholis; celebri occidentalis Islandiæ quadrantis prædio.

Eadem hyeme Finnos duos lembos ad ſinûs marginem fabricare curaverat, ſine ligneis ſtaminibus: illorum uſum vimina, iſtorum nervi, quibus vinciebantur, ſupplebant: mirâ celeritate ſinguli duodecim remis a ſingulis latenibus concitabantur. Cumqve cereviſia Finnis ſuppeteret, conviviô eum exceperunt, ubi ſe adeò hilarem exhibuit, ut carmine etiamnum Membranis conſervato illud celebraret; nam indigentia etiam viliffima commendat, quæ abundantia damnat, nec mediocritas reſpicit.

Primò vere Magnus & Sigurdus his navibus ad auſtralia tendentes; Vogas delati, Svenum ſacrorum myſtam cum filiis duobus occiderunt; inde Vikas ingreſſi, Sigurdi Regis ſatrapam Vilhialdum Skinnarium, ſeu Sutorem, Thoraldum quoqve Keptum, aliis Keppum, pariter cædebant. Obvius in itinere Nidarofiâ ad Byrdam Styrkar *Glæſtroſa* (*fulgidam caudam vertes*) unâ occiſus, & ad Hvalsneſiam *Svina Grimur* / ſeu *Grimus Porcus*, pede manuqve dexterâ mutilatus. Thrandiam præterveſti Mariam invadunt. Ibi Hedinus *Hardmagi* / ſeu duri ventris, & Kalfus *ſit-gruauqa*, ſeu *nichans*, (aliis *ſtinglauqa* / ſeu *rotundus oculus*) capti, iſti parcitum, illi vita erepta. Tantâ tempeſtate excitus Rex Sigurdus & nutritius ejus Gyrdur Ionem Kaukem (aliis Kaudem, quibusdam etiam Kaudzem) Kalfi Rangii filium, fratrem Epicoſci Ivaris Skrauthankii; Johannemqve *Smirtl* / ſeu *Accipitrem*, navi omnium velociſſimâ, quam *Grett* / ſeu *rangiferum*, ab agilitate vel pernicitate appellârunt; ſcalmorum viginti duorum, imponunt, prædonesqve perſequi jubent. Speciem mandati obeuntes re infectâ redeunt, inglorii, ſeu potius infamiâ aſperſi, quod conſpectos vidiſſe diſſimularent, metu præpediti, quo minus adorerentur. Sigurdus nihilo ſegnius in nobilium capita ſanguinemqve ſæviens, funeſtum iter perſequitur. Herdram Hordiæ inſulam Einar Laxa Pauli, ſeu Pauli Salmonis, filius incoluit, jam in ſinum Hamarenſem ad forum vernum profectus.

fectus. Eo delati singula diripiunt, navemque longam locorum viginti quinque, filium quoque quadrimum accubantem in lecto ministri mercenarii: quem alii occidere, avehere alii malebant. Diffidentes mercenarii diremit, monendo puerum sive occisum sive avectum ad ultionis solatia nihil collaturum, vivum certe oneri futurum, suum quippe, non Einaris, filium. Fide dictis habitâ, puerò incolumi relicto, discessum. Laudabat fidem famuli Einar rediens, duobusque uncis auri compensabat, suam ei gratiam in posterum pollicitus. Ex hujus Einaris relatione Eiricus Oddi filius, qui primus hæc in literas retulit, se desumisse perhibet. Vikam deinde petebant; ibi Finus Sauda-Ulfi, Regis Haraldî Srenui Stallarii, pro nepos, dum annuos Regis canones conquirat, in loco Qvildis dicto captus, patibuloque suffixus: inde Daniam repetunt.

His impressionibus Vikenses Bergarumque cives præcipuè obnoxii, moleste, ut par erat, tulerunt, quæsti Ingium seque ad propulsandum communem hostem frequentibus preliis, expensis, laboribusque exhauriri, periculisque exponi; Regem vero Sigurdum Thrandosque tanquam spectatores alieni infortunii quietos considerare, patique patris interfectores, publicâ viâ Thrandiam præterire, tanquam sua nihil referat, quantum damni inferunt. Visum itaque Regis Ingii titulò illud per literas proceribus Thrandiæ significare: quarum exemplar tale.

Ingus Rex Sigurdo Regi fratri suo, Gyrderi Satori, Augmundo Svipteri, Ottari Byrtingo, Satrapis omnibus, satellitibus, aulicis domesticis, universæ plebi, divitibus & pauperibus, juvenibus & senibus, Dei suamque salutem. Periculum, quod nos utrumque tangit, simul ac ætas isti propulsando impar, quinquennis tibi (reponere septennis tibi; quandriennis tibi) vulgò cognita. Amicorum auxilio uterque indigemus; nos autem injuriis hostilique irruptioni proximi; quod ambos avertere oportet, soli sustinemus. Cura igitur, ut quam primò quam maximo pugnantium numerò nos accedas, quo communem necessitatem conjunctim sustineamus, damni, lucri, omnique eventus ex æquo participes. Hæc qui suserit, equalitatemque rerum omnium & concordiam inter nos conciliaverit, eum nobis amicissimum ducimus; quod si, ut hæcenus, querelam tam necessariam stocciferis, certò tibi persuadeas, me te cum exercitu aggressurum; eventum Deus disponet; neque enim ulterius tanta multitudini, que ad avertendos hostes requiritur, sustinende nos impuè mancipari patiemur, te canonum, prædiorum Regiorum, reddituumque omnium dimidium absque ullo onere participante. Vale.

His auditis Ottar Birtingus medio foro exsurgens Regem Sigurdum a Petro Saudaulfi filio portatum (qui exinde Byrdarsyrinn sive onerò famulus, dictus est,) hoc modo affatur. *Æquum est, Rex Sigurde, ut fratris tui Regis Ingii salutationem grato animo excipias, gratiarumque actione respondas; tum quod te prior salutare voluit, tum etiam quod magnis impensis communem utrique hostem tantisper solus sustinuit, periculaque suo periculo avertit. Insunt quidem aspera quedam literis, sed que necessitas extorquet. Dicam igitur quod mihi videtur, arbitrium Regis sententiamque procerum deinde audieturus. Placet igitur Regem ad communis regni defensionem frequentissimâ expeditione ad fratrem proficisci, quam primum id fieri poterit, communiibusque viribus hosti se opponere. Mutua auxilia honestamque concordiam Deus secundabit. Ad ea Rex respondit, se postulatis fratris, quam primum liceret, satisfacturum, ipsumque accessurum. Deinde procerum singuli oratiunculis, ut moris erat, in primis Gyrdi & Augmundus, suam mentem denudabant: omnium tamen suffragiis Ottaris sententia probata.*

Exinde expeditio festinata, ipseque Rex ad fratrem Ingium in Vikam profectus est.

CAP. VIII.

DE BELLO SLEMBERI ET MAGNO CÆCO FATALI, UTRIVSQUE MORTE ET ELOGIO. UT ET DE DANIÆ CIRCA HÆC TEMPORA STATU.



ostquam Sigurdus Bronchus vires suas cum fratre Ingio junxit, Sigurdus Slember & Magnus Cæcus è Dania triginta navium classe Danis Norvegisqve stipati circa initium hyemis in Norvegiam infusi, ad adventus sui famam Norvegiæ Reges viginti magnis navibus instructos in occursum sui exiunt. Ad Hvalas prope Holmam Gra die Dominica, quæ festum Martini, quod eo die in feriam sextam incidebat, proximè seqvebatur, concursus est, anno videlicet MCXXXIX. Primo concursu acerrimè pugnatum. Cum verò Dani octodecim navibus terga vertentes patriam repeterent, Sigurdus hostibus impar, suas ab impetu & viribus eorum amplius defendere nequiret; singulæ itaque vastatæ in potestatem venerunt, dumque prætoria ejus impeteretur, Reidar Griotgardi filius, qui longo tempore Magni satelles comesqve fuerat, dominum suum in puppi lecto quiescentem manibus ereptum periculo eximere nixus, inter scapulas telo trajicitur; quo vulnere Magnum quoque occubuisse fama est; qui superatus inq; foros decidens mortuus, mortuum Magnum pectore sustinuit, invictæ ad extremum fidei exemplum, cuius bono imitandum. *Morkinskinna*, sed (quantum scio) sola, exceptam vocem Magni, cum sagittâ vulneraretur, *ictum hunc septemio serius, quam oportuit, incidisse*. Id verò non consistit, si annos, ex quo excæcatus est, numeravit. Certum enim hunc annum litera Dominicalis A, dominicam festum S. Martini proximè secutam indicans, monstrat; nec contextus Historiæ conflictum hunc in annum MCXLIV, qui bissextus; eandem literam Dominicalem posteriore suâ parte recipit, extendi potest; quinquenniò incidisse fortè dixerat, nam initio anni tricesimi quinti exutus regno, cætero deinde calamitatum cumulo obrutus est. Sed & ætas Regum gesta qve superius à morte Haraldii memorata, Scriptoribus perperam observata digestaqve, ad hujus anni normam revocanda sunt.

Hoc prælio Lodinus Saupprudus de Linftadis in prætoria Magni nave, & Bessius Thormodi filius, Slemberis proreta, & Ivar Kolbeini filius, qui Regem Haraldum primus invasit, vulneravitqve, & Hallvardus Fægir, lev politor, occubuerunt. Exinde non prælium sed cædes erat; milites enim Ingii nemini parcebant. In unicâ ista parvâ insulâ plus sexaginta occisi: in his duo Islandi, Sigurdus Presbyter Berghoris Maris filii filius, & Clemens filius Arii Einaris filii. Ivar autem Skrauthankius, qui deinde Episcopus Nidarosæ factus est, Kalfi Rangii filius, Eirici Archiepiscopi pater, Magnum semper secutus, isti quoque prælio interfuit, fugâ verò in navem fratris sui Ionis Kaukis, seu Kaudis, de quo antea; qui Sigurdo & Ingio militabat, Gyrdersq; Bardi filiam uxorem habuit, elapsus, traxit secum Arnbiornum Ambium, qui deinde filiam Thorsteini de Audsholtio (villâ est Islandiæ præfecturæ Arnesensis) conjugio sibi sociavit, & Ivarem Dyntam Starrii filium, Helgii Starrini fratrem,

materno genere Thrandensem, insigni formâ virum. Hos exceptos à Ione cæteri cõmilitones indignati, armis eripere nitebantur: nec Ion prælium defugit, deditos cognitosq; defensurus.

Propè in intestinum bellum victoria desivisset, ni pactio intervenisset; permissum enim fratrem Ivarem & Arnbiornum pecuniâ sponcione redimi, quam postea dono accepit. Ivar verò Dynta in nullam pactionem admittus, ductus in terram capite plectitur, Sigurdo & Gyrdere, Kolbeini filiis, fratri suo Benteino cædem eo præsentè auxilianteqve factam accusantibus. Istam calamitatem Ivar Skrauthanchius se maximè affecisse questus est, cum socium ad cædem duci videret, qui novissimè eos hac solenni formulâ, *ut beati iterum convenirent*, salutabat. Quæstor Regis Ingii, nomine Thrandus, navem ejus direxit; ejus mandatò scaphæ expeditæ, quarum vectores natantes hostes occiderent: nemini parcitum.

Sigurdus Slembir, visâ nave suâ, in hostilem potestatem redactâ, undas præceps insiliens, immersus aqvis, exutâ loricâ, clypeo subito tergum, se quoque ipsum obtentu illius texit, quòd inter tantum fluitantium clypeorum numerum vix discerni posset, cujus esset, sub quo latitabat. Inter natantes captos unus cædi à nautis Thrandi destinatus, proditione Slemberis vitam pactus, inter clypeos, hastas, vestes, mortuorumqve corpora, quæ passim fluitabant, rubrum monstrabat clypeum, sub quo is occultaretur. Ibi Sigurdus captus in navem Thrandi defertur, qui Thiofstolfo, Ottari, & Amundio id protinus indicari curavit. Fomitem nuci juglandi ceræ involutæ incluserat, ut ab humore libera recipiendo igni in quavis necessitate capax esset, pariqve solertiâ sub undis industriam se quærentium elusisset, nî proditio intervenisset. A Thrandio in terram productus, cum constaret militibus captum esse, tantâ eos lætitiâ conspectu suo perfudit, ut sublato clamore ovantes sibi invicem gratularentur. Quò is audio: *Multos, inquit, malos supplicium meum hodie exhibilarabit. Quem aggressus Thiofstolfus Alii filius, serico capitis tegmine aureis limbis ornato detracto:*

unde tibi, ait, patre servo nato, tanta fiducia, ut patre Magno Nudipede factum te ementiri ausis? Non, respondit Sigurdus, est quòd patrem meum servo compares, vilis enim tuus illius respectu. Hæc Eiricus Oddi filius, antea memoratus, qui librum, quem *Brigatarstrecti* / seu *spina portionem*, appellavit, conscripsit (narrantur ibi Haraldi Gillii, duorumqve filiorum ejus, Magni quoq; Cæci & Sigurdi Slembidiaconi gesta ad finem vitæ eorum) ex relatione Halli Thorgeiris, Medici Steini filii, qui Regis Ingii satelles purpuratus singula propriis oculis inspexit, habuit. Fuit is Eiricus vir sapiens, atqve his temporibus diu in Norvegia versatus; quædam satrapa Hacon Magius filiis Regis Haraldi familiaris ipsi retulit, qui cum filiis suis turbis hisce & consiliis omnibus interfuit. Memorat etiam plures sapientes & veraces, qui hæc vel oculis vel auribus exceperint, quorum fidem se secutum proficitur, quædam se ipsum vidisse audivisseqve testatur. Et Hallus quidem prodidit, principibus eum statim occidi placuisse; is verò, qui propinqvorum cædibus lacesciti, infesto in illum animo erant, jus modumqve supplicii permissum, Sigurdo nimirum & Gyrderi Kolbeini filiis, fratribus Benteini, & Petro Byrdarsveino fratri Finni, suorum cuique fratrum ultoribus; principes verò & maximam partem populis ruptâ cute carnem penetrarent. Tum Sigurdus: *fortiter me jam, Petre, vincis. Id, respondit, te doctore didici, cum fratrem meum Qvildris occidisti.* Tibiæ deinde & brachia malleis fracta, nudatumqve vestibus excoriatu-

ri, fissâ in vertice cute, nimium sanguinem fundente, prohibebantur. Lorris deinde robustissimis, quæ ex scisso in corrigias corio phocæ (quam Rotungum vocant) complicabantur, (animal est amphibion, dente Elephantini, quâ nitorem, æmulo, è cuius corio rudentes navibus ad anchoras ligandis istis seculis idonei conficiebantur) flagellabatur, quoad cutis universæ ne species quidem, velut in excoriato, apparuit; trabe deinde dorso injectâ, postquam spinam fregerunt, ad stipitem ducunt, ibique suspensum postremò decollant, exanimeque corpus intra casam condunt.

Per tot suppliciorum gradus ductus punitusque Sigurdus, Regis fratrumque cades, & affectati regni temeritatem, aspersive incestus maculam Magni, quem sibi patrem asciverat, crimen expiavit. Certum est, filiis, quos naturales vel illegitimos Juridici appellant; pari cum legitimis in successione regni jure admissos; ex incestu natos nescio, exemplo quippe destitutus. Quicquid sit, nulla generis certiora testimonia præter matris, quæ fastigium fororis filio Olafò par destinavit, monstravit: fucum enim Antistitum alienigenarum de re alienâ, in fraudem opprobriumque gentis pro lubitum statuentium, jam tum Norvègi olfecerunt. Robur in supplicio perferendo fidem excedit; nec tamen exemplis destituitur. Tradit enim Hallus parcè locutum, paucisque se compellantibus respondisse, nec magis, quàm si saxum pulsaretur, motum. Opinatur quidem dari homines tanto robore patientiæque, ut inter tormenta gemitusque vocem habeant in potestate, faciemque parùm mutent; his tamen Sigurdum superiorem: non enim vocis tenorem mutasse, nec aliter quàm dum convivaretur, locutum, absque titubatione, nec altius; nec manus ei solito magis tremuisse, locutumque donec moreretur, tridentemque psalterii Davidis recitasse; id verò humanas vires excessisse videbatur. Certè omnium consensu, etiam hostium, æquales omnes, non robore tantum, sed & singularis etiam exercitiorum generibus, longè superasse perhibetur, quantumvis infortunatus. Sacerdos loci ad proximam ædem corpus ejus sepelivit, quò factò iram filiorum Haraldi, qui ipsi prius valde favebant, in se cum multâ pecuniariâ concitavit. Erutum cadaver eorum mandata latebræ priori illatum, quod amici Sigurdi, nave in eum finem in Norvegiam missâ, in Daniam deinde translatum, Alaburgi ad templum B. virginis condiderunt, teste Ketille præposito illius ædis, quæ Eirico Oddi filio hæc narrabat. Filiam, cujus nomen ignoro, reliquit; ex qua natus Eiricus Orcadensis, Haconis filius, qui nobilem viduam Islandam, nomine Gudrunam, uxorem duxit, quæ prius Thorgeiri Brandi Episcopi filio nupsit: pater ei Thorvardus, viri præcipui Thorgeiris Hallii filius, natus matre Hallbera, Einaris de Reykianesia filia, Arii nepte, Arii Maris filii pronepte, ex familia in illa gente nominatissima. Iste Thorvardus ex Islandia profectus aulicum Regis Ingii, nomine Ionem, quod se in portu Ryafjordensi deseruisset, Bergis occidit, eratque tum annorum octodecim, receptusque in ejus locum magnam deinde Regis gratiam consecutus est. Hæc ex *Sturlungorum hist. Partis II. C. XXXIX.* exscripti.

Thiotholfus Alii filius corpus Regis Magni Osleyæ ad ædem Hallvardi prope patrem sepelivit. Sic finit Magnus, fessus ærumnis, multifaria calamitate confectus: cujus ludibriò, quamdiu vixerat, fortuna satari nequibat, mors afflictiones miserata tandem eripuit; vigore ætatis quemlibet formâ præstabat, iracundus & inter iram truculentus, artium exercitiorumque apprime gnarus, immitis, immorigerus & perversus, & varus, potator insignis. Lodini Saupprudi corpus Tunsbergam delatum, cæte-

cætera turba in loco, ubi de Sigurdo supplicium sumtum est, humo mandata. Extant versus *Bodvaris Claudi*, ex oda, quam Sigurdo Broncho fecit, desumpti, qui his testimonium præbent. Saxo, etsi non per omnia, maximam tamen partem Lib: XIV. suffragatur, verbis, quæ sequuntur.

Sivardus quidam summe audacie, post multa & præclara facinora bellis edita, ab *Haraldo Hiberniensi*, cujus hostis extiterat, interceptus; cum navis in alto mergendus veberetur, quasi funus suum inferis præcessurus, emptâ de industria potione remiges oneravit; quibus exhibitaris gubernandi potestatem supremi beneficii loco poposcit. Ea re impetratâ, navitas impensus edere remigium hortatus, cum vehementissimum navigii cursum animadverteret, projecto gubernaculo, præceps undas insluit; priusque se litori, quàm concitatâ ratis impetum correxisset, restituit. Ita & suo acumine; & hostium socordiâ servatus, periculoque, cui destinabatur, ereptus, *Haraldum* amandi gratia noctu castro latenter egressum in amplexu pellicis per insidias interfecit, dantes & sibi, quem ceperat, & *Magnô*, quem regno luminibusque privaverit; igitur ut belli titulum apprehenderet, ipsum protinus *Magnum*, monarchalibus septis abstractum, virum induere perpulit, dejectamque Regis fortunam ad pristinum regni fastigium erigere statuit, ne deesset, cujus autoritate & titulo bellum adversum *Haraldi* sobolem susciperetur. Hujus itaque nomine & auspiciis fretus, cum tribus *Haraldi* filiis, *Ingone*, *Sivardo* & *Osteno*, patris regnum affectantibus, navali certamine dimicavit: in quo partim cæsis, partim fugientibus sociis, incredibili & præstantiori humanis viribus fortitudine solus aliquandiu navigium ab hostibus vindicavit. Ad ultimum compluribus eorum prostratis, omnique superstitum multitudine ad se unum opprimendum undique concurrente, singulari nandi peritiâ fretus, quanquam hybernium tempus instabat, armis militaribus tectus profundo se credidit. Atque sub undis, quas hostium cruore consperserat, enatans, dubium effecit, majoris audacie specimen in puppi præbuerit, an inter undas agilitatis ediderit. Siquidem lorica, quâ corpus muniverat, quo liberius enaret, cum reliqua armaturâ sub undis sibi detraxit, ac demum cum capefendi spiraculi gratia fluctibus emerisset, à quodam familiari suo per habitum hostibus indicatus, tunica, qua se prodi suspicabatur, rursus corpus aquis occultando, deposuit. Sed cum ne sic quidem proditoris notitiam fessellisset, ad extremum supremâ se veste nudavit. Nec adhuc tamen indice ludificato, cum solus ex sociis superesset, seque hæc omnia, quæ & callidè & animosè tentaverat, frustra reperitum animadverteret, tandem fati simulatione, profundo diutius immorans, insidiatoribus an viveret, dubium reliquit. Ad ultimum, cum humane respirationis consuetudine superne aërem capefere, cujusdam forte navigii gubernaculum pertnacissimis brachiorum amplexibus apprehendit, eique aliquandiu tacitus inhaesit. Plura tamen elapsionis genera animi firmitate tentasset, si non eum hyberni frigoris sevitia obstupefactum corporis robur deseruisset. Tandem cujusdam altum curiosius contemplantis iudicio deprehensus interceptitur, interceptus vincitur, & in concionem hostili sententiâ damnandus abstrahitur; ubi nemine sacerdotum adhibito, qui delictorum ejus confessionem exciperet, eam astantibus, modò quò licuit, explicavit, præfatus se emendationem ab eis decretam, penitentiae nomine præbiturum; memor sane, sacerdotali copiâ non suppetente, & ad privatorum cognitionem commissa referre licere. *Magnô* quoque, quem *Haraldus* Hiberniensis patrem adscrverat, se genitum memorabat. A cujus generosissimo spiritu, etiam inter adhibita sibi supplicia, non deservit. Primo siquidem verberibus affectus, ac deinde malleorum ictibus artuatim contusus, scilicet ut a cunctis corporis partibus pene exacte viderentur, non gemitum, non suspirium

tum edidit, non supplicem aut tristem vocem emisit. Denique nullum doloris indicium præbuit, sed quasi in otio psalterium relegens, inter sacras preces & solemnum verborum nuncupationem spiritum posuit. Felices profectò religionis alumni forent, si cuncti eo animo mortem amplecterentur, quò eam vir bellicus amplexatus est. Fuerit ille insidiosus, pacem patriæ corruperit, bellumque civibus intulerit; fortitudini tamen ejus impunitas ab hostibus donanda fuerat. Sed homines vindictæ cupidi, plus suas ulcisci molestias, quàm alienæ virtutis insignia venerari meminerant; nec in virum sevisse contenti, tanquam parum ejus exitio satiati, mox extinctum patibulo suffixerunt, eadem crudelitatem fatum prementes, quâ spiritum torserant, nihilquæ à se actum existimantes, si sævitiam suam saltem ab umbris & cineribus continuissent. At Magnus eodem prælio, quod à Svarro sub ejus auspiciis gestum fuerat, periclitatus est; quem prius oculis, deinde vita privatum, bis luce defunctum crediderim.

Insignem super ea, quæ jam retulimus, hunc eundem annum fecit Daniæ Regis Eirici Eymunii cædes: cujus ordinem *Knylingorum historia* describit. Per biennium à cæde Regis Nicolai & Magni Vandalis arma intulit, Archonensesque ad Christianæ fidei professionem adegit, qui post discessum ejus eandem abjecerunt; id quod Saxo in gestis ejus memorat, recteque expeditioni in Norvegiam præmittit, quam ad restituendum Haraldum susceptam falso credidit; quâ tamen cives suos nobilitatemque in se exasperavit, cum plerisque invitis imperata, impensis eorum & dedecore, nullo verò emolumento absolvebatur: inde fœcordiæ & desidiæ passim infimulabatur. Jamque nobilitati in dies infestior, tandem nec tolerabilis visus, non tulit ullum, qui sibi contradiceret, mala minatus, si quis decretis suis assentiri gravaretur; tantâ tamen potentiâ fuit, ut obnici auderet. Inter plures vir quidam, nomine Plogus, cognomento Niger, divitiis abundans, natus in Jutiæ provincia, quæ *Bloasthola* appellatur, in præfulatu Ripensi, præter cæteros infensus erat Regi, provocatus cæde patris, quem Rex, tantum quòd sibi in publico foro contradixisset, nec postea orbitatem suam ullis solatiis sublevasset, quam is injuriam, cum longo tempore, quippe adolescens cum patre orbaretur, coxisset, occasionem tamen exequendæ ultionis diligenter circumspexit. Cognitò autem, Regem ad forum frequens cives Jutiæ, non procul à domo suâ, convocasse, sacerdotem adit, corpusque Domini sibi communicari postulat. Illi homini nullâ ægritudine infecto ministerium excusanti mortem minatus extorquet, nullâ editâ confessione, cujus causâ extorsisset; tantum postquam manducasset, dato annulo digitali aureo, veniâque minarum petitâ, procedit in forum, hastam gerens validam, cujus mucroni tabulam seu frustum ligneum præfixit, quam terræ impegit. Inde admitti se ad Regem postulans, rem necessariam se afferre testatus admittitur. Mox detractâ pedibus tabulâ, hastam pectori Regis tanto nisu adegit, ut mucrone per tergum exerto continuo pronus in terram exanimis concideret. In confertâ autem turbâ author cædis subito internosci non potuit. Aderat ibi Eiricus, cognomento Lambius, aliis Spakus, utrumquæ mitem denotat, Eirici Semper-boni Daniæ Regis è filiâ Ragnhilde Haconis cognomento *Hæteræna*, seu Norvego, nuptâ, nepos; mater Haconis Sunnesa, Comitissæ Haconis Ivaris ex Ragnhilde Magni Boni Norvegiæ Daniæque Regis filiâ. Saxo nostris suffragatur, qui eum superioris Eirici, id est Boni, ex filiâ nepotem perhibet. Errant igitur *Hvitfeldius* & *Pontanus*, quorum uterque nepotem Eirici Boni ex filiis statuunt, ille Hacone (nescio quomodo) hic filiò Haraldò. Hic educto confestim gladio, cædem quocunquæ modo ulturus, a Plogo

a Plogo his verbis inhihetur. *Siste, inquit, impetum, Lambi, gladiumque conde, pinguis enim porcellina ollam tuam incidit, si sepulchri noveris.* Regnum significabat, cui eum proximum existimabat, cum alios ætas incapax arceret; novit etiam virum esse gratiosum, acceptum populo proceribusque. Nimia multitudo incertum tum fecit, quinam Regem occidisset: deinceps verò constabat. Fuit Plogus vir strenuus, longoque tempore periculum vitæ declinavit. Quatuor annos author imperio Eirici Eymunii tribuit. Annales nostri eadem ejus in hunc eundem annum, quò Sigurdus Slembidiaconus supplicio affectus est, referunt.

Eâ tempestate multi in Dania regalibus stemmatibus orti, parique successuum jure, sed per ætatem ad sceptrum capeſſenda inhililes, suffragia procerum ambigua reddiderunt. Relatus tum Russiâ in Daniam Knuti Lavardi filius Valdimarus, octennis cum Eiricus Eymunius patruus ejus occideretur. Æmuli quoque imperii, Svenus Eymunii filius, Knuti Magni filius, Regis Nicolai nepos, & Olafus Haraldi Kesæ filius; majorum patrisque invidia & odium, Svenum Knutumque premebant, cum complures soboli Nicolai aut Eymunii imperium in se permittere detrectarent; in Valdimarum omnium animi inclinabant, paternorum meritorum recordatione. Quod verò per ætatem nimis tenellam regno prospicere nequiret, matris amicorumque svasu Eiricus Lambius Regio titulo tutor pupillo constituitur, obligatus ad restituendum regnum, cum adoleverit. Et nostro quidem authori Eiricus Lambius vir sapiens habetur, ut qui cognomen Spaki, Helmoldo consentiente, inde contraxerit: nam utrumque & sapientem & mitem notat: multâ præterea civium gratia sublatum perhibet.

Anno qui mortem Eirici sequebatur, Ascherus quoque primus Lundensis Archiepiscopus è vivis excessit, magno ordinum luctu, cum triginta septem annos sacerdotio functus esset; successus in ejus locum fratris filius Aschell, vir potens juxta ac sapiens, qui longo tempore sedebat. Eodem anno, quò Eiricus Lambius sceptrum consecutus est, Olafus Haraldi Kesæ filius se quoque Regem edidit; triennium de imperio certabant, & uno quidem anno octies congressi, perpetuis Eirici victoris: quartò debellatum est Olafi cæde. Exinde Eiricus solus Regio titulo regnavit, princeps potens & pacificus. Lundæ plerumque resedit, auxitque urbem omnibus commodis, nec illius tempore aliam opulentiorē Dania habuit: lapideo muro, eoque continuo, universam cinxit, qui ex illo tempore conspicuus remansit. Octo annos regnavit, deinde abdicavit, Othoniense monasterium ingressus Monachorum ordini se inseruit, publicum mærorem morte sua, quam Annales nostri ad annum MCXLVII referunt, civibus inculsit. Hæc quamvis à Scriptoribus Danicis, non tamen ab *Helmoldo*, in totum discrepant. Ad Norvegos redeundum.

CAP. IX.

DE DIVISO IN TETRARCHIAM REGNO,
ET ALIIS EODEM TEMPORE GESTIS.

Hronicon Manniæ ad annum MCXLII. refert Godredum filium Olavi, nepotem Godredi Crovanis, transfretasse ad Regem Norvegiæ, cui nomen erat Hingi, & Sacramentum ei dixisse, moratumque apud eum & honorificè ab eo susceptum, annoque sequente rediisse, Regem Manniæ factum, inque ultionem

patris duobus Haraldi filiis oculos eruisse, & tertium occidisse.

Eodem anno, regni Sigurdi & Ingii sextô, Dyarchia in triumviratum vel potius tetrarchiam, mutata est; devectô è Scotia in Norvegiam ab Arnio Sturla, Thorleifô Bryniolfi filio, & Kolbeino Hruga, virô, qui se Haraldi Gillii filium venditabat, nomine Eysteino. In Thrandiam profecti comitia celebrant, circa vicesimum quintum Aprilis, anno MCXLII, ibi suffragio civium omnium Rex creatur, triensqve Norvegiæ imperio ejus addicitur. Horum ignari Reges in orientalibus partibus morabantur, qui deinde per legatos conciliati, arbitrio Thrandorum acqvierunt, sine ul-lâ generis probatione, cum Haraldus Gillius id confessus fuerit, cui fides habita. Mater Eysteini Biadoch eum comitabatur. Extitit & quartus Haraldi filius, nomine Magnus, apud Ornum Kirpingum educatus, similiter Rex constitutus, parsq; regni ei subjecta; pedibus debilis, parvo tempore vixit, morbo tandem confectus in fata concessit. Extat Einaris Skulfini versus, qui singulos comprehendit. Ejus morte triumviratum reductus est.

Secundum cædem Haraldi Gillii Regina Ingigerdis Ottari Birtingo, quem Sigurdus Hierosolymipeta ex humili statu ad satrapæ dignitatem evexerat, nupsit. Ille vir genere Thrandensis privigni sui Regis Ingii regnum potentia & prudentia firmavit, dum tener esset, idcirco odium Sigurdi Regis incurrit. Occisus est Nidarosia, preces vespertinas in templo celebrandas accessurus. Dum enim stridorem gladii ex globi nivei jactu pueris usitato procedere autumat, caput togâ protecturus, præter spem cæsus concidit; verum filius ejus Alfus Hrodus, qui pedes cæmiterium ingressus, & occisum patrem & percussorem fugientem circa templum versus orientem conspicatus, hunc illic persecutus, adque angulum sacrarii consecutus, occidit, viriliter patrem ultus visus, honoratorq; in posterum quam ad eum usque diem fuit. Quo tempore Ottar Birtingus occisus est, Rex Eysteinus in Thrandia præsens erat; qui cognita cæde, Nidarosiam cives provinciales convocavit, ipse quoque frequenti comitatu eod profectus est. Propinqui Ottaris authorem cædis Regem Sigurdum destinabant: ideo concitati cives vehementius in illum invehebantur. Is candentis ferri examine se purgaturum spondens, in gratiam cum iis rediit; in australes deinde provincias profectus, in posterum promissum executus non est. Regina verò Ingigerdis cælebem vitam pertæsa, stuprô filium ex Iva-re Sneis suscepit, nomine Ornum, qui postea Regis frater appellatus, formâ excellenti, in insignem virum evasit: de quo in processu operis plura. Istim verò maculam abstersura, ascivit sibi maritum Arnium de Stodreimio, exinde Regis affinem usurpatum. Liberi ex hoc conjugio procreati, Ingius, Nicolaus, Philippus de insula Herdla, & Margareta Bi-örni Bucki, deinde Simonis Karini, uxor. Cædem Ottaris Birtingi ad annum præter propter MCXLIV. ut referam, ætas Orni, quem Regina illo viduata stuprô concepit, perivadat; ille enim annô MCLXI. strenuè se in bello Ingio fatali gesserat, nuptiasque adornabat. Annorum sedecim fuerit, si altero post mortem Ottaris natus est; neque enim minorem fuisse putandum. Non ergò Rex Sigurdus annum duodecimum excessit, cum crimen sacramento diluendum in se suscepit. Nec is novercam continentiâ superavit; nam cum ad convivium in Vika præparatum, nobilis cuiusdam viri Simonis (quem *Editio Danica*, & quantum mihi constat, sola, Bergthoris filium, cæteri Thorbergi faciunt) domum stipatus satellicio e-quo præterveheretur, cantantis intra ædes dulcem adeo melodiam percepit, ut mirè afficeretur; descendens itaque eqvô, ingressus ancillam frum-

mentum molentem suaviterq; modulantem animadvertit, statimq; compressit; quò peractò cæptum iter persequitur. Simon verò conjectans quid illic egisset, Thoram (sic enim fæmina appellabatur) attentius observari curavit, donec filium peperit, quem Haconem appellabat; quem Simon uxorque ejus Gunnhildis pari ac filios suos Augmundum & Andream curâ enutriebant: quos cõmunis educatio adeò in postero devinxit, ut separari ab invicem nisi morte nequirent.

Einar Skulinus, officio Sacerdos, sed Sigurdi Hierosolymipetæ poëtæ titulo, simul etiam leno, Sigurdi & Eysteini aulas sectatus, artis peritiâ & adulationis lenocinò in interiore Eysteini gratiam se infudit, adeò ut eum Stallarium crearet. Ab eo sollicitatus carmen in S. Olafi laudes fecit, quod integrum *Codex Flateyensis* in limine conservat, nec in aliis MSS. reperit. Memorantur ibi quædam miracula, quæ ei adscribuntur, non tamen omnia. Recitatum ab autore in templo Servatoris Nidarosia vim quoque miraculosam elicuisse dicitur, suavi odore universonum perfundente, artibus, credo, sacrificulorum; ipse quoque Rex carmen commendasse dicitur. Atqui ille in occidente educatus, rhythmicum artificium nunquam cognovisset, nisi ibi quoque non lingvæ modò Danicæ usus, sed etiam exactior notitia, qualis in poëtico sensu eruendo requiritur, viguisset; nam postquam adultior Norvegiam adierat, tam profundam metricæ artis doctrinam assequi non potuit; patet tamen exemplis pluribus, probè calluisse; nam cum in monialium cænobio Backa tempus interprandendum Einar trivisset, Rex redeunti culpam imputat, jubetq; mulctam, antequam Rex scyphum evacuasset, redimere, quod & fecit. Iterum etiam, cum Bergis esset Rex Sigurdus, contigit ut ludionum quidam, nomine Jarlmannus, ob esas die Passionis Dominicæ caprinas carnes virgis in conspectu Regis cæderetur; cum adveniens Einar quæreretur, rigidè cum illo agi. *Rex modum pæne in potestate ejus futurum respondit: donec enim tetrastraphon sudisset, flagellis lacerandum. Interest itaque*, ait Einar, *ejus, ut properem*: absolvitq; intra quintum verber: qui adhuc extat satis cultus. Tertiò cum Ragnhildis Pauli Skoptini uxor, mulier honoratissima, Satraparum in morem iter facere solita, Nidarosia, ubi diutius divertebat, portu, inspectante Rege Eysteino, solveret, nec Einar præsens, nec tum, ut antea, in aula versaretur, Snorrius Bardi filius, poëta Regis, sed minus promptus, jussu ejus versum in honorem mulieris faceret, tardiusque inciperet. Tum Rex: *feliciter procederet, si Einar adesset*; jussitque eum vocari: qui ut in pontem proventus est, salutatus à Rege jubetur versum propempticon facere; *sed nec id*, respondit Einar, *sine pretio*. Interrogatus quid expeteret? postulabat, ut Rex & aulici septem suum quisque hemistichium memoriâ exciperent, recitarentq; cum absolvisset, secus tot vascula melle plena solverent, quot verba neglexissent. Placuit Regi conditio, nec præter primum ultimumq; assecutus est, intermedia memoriâ fugere: iterumque Einar in aulam receptus est. Quod si Regi lingvæ Danicæ familiaris non fuisset, carminisq; ratio, nihil horum memoriâ tenere potuisset; atqui hanc lingvam in exteris nunquam addidicisset, ni in aulis Regum procerumq; palatii frequenti usu nota fuisset.

CAP. X.

REX INGIUS COMITEM ROGNVAL-
DUM KALIUM ORCADIBUS EVOCAT: EJUS IN TER-
RAM SANCTAM PEREGRINATIO. REX EYSTEINUS RE-
NIOS ET HYSINGOS PACAT: COMITEM ORCADEN-
SEM PECUNIA EMUNGIT, SCOTIÆ ANGLIÆ-
QVE PARTES INFESTAT.



Minebant autoritate inter omnes, qui Ingio à secretioribus consiliis fuerunt, Augmundus & Erlingus, Ormi Kirpingi filii; & Augmundus quidem præcipuè, nam fratris luminibus, dum vixerat, adeò obstruxit, ut præ illo parvi fieret; eò verò mortuo, virtutes suas & nobilem animi indolem gestorum magnitudine decorabat. Pater Ormi Kirpingi Svenus Sveni filius, Erlingi de Gerdio nepos: uxor Ragnhildis Svenkii Steinaris filii filia. Mater Ormi Ragna, filia Comitis Ormi Eyllifi filii, ex Sigride Comitis Finni Arnini filia. Comitis Ormi mater Ragnhildis, Haco- nis Potentis Hladarum Comitis, filia. Fuit Erlingus vir sapiens, Regi Ingio in paucis carus: quo annitente, Christinam Regis Sigurdi Hierosolymipetæ ex Regina Malfride filiam, uxorem accepit, nobileque Sunnhordiæ prædium Studlam incoluit. Is cæteri que Ingi amici svadebant, ut Comitem Orcadensem Rögnvaldum Kaliium, veterem patris amicum, honorificè ad se invitaret, tractumque in partes suas sibi quàm fratribus suis addictiorem redderet.

Incidit hoc tempus in annum Christi MCXLIX. quo inter Norvegiæ Reges dissidia & discordiarum scintillæ gliscere cæperunt. Illustratur hic annus à nativitate alterius Orcadum Comitis Haraldi Maddadii, quæ incidit in annum MCXXXIII; anno autem quinqvagesimo tertio, morte Davidis Scotiæ Regis nobili, ætatis vicesimum egit, non explevit, id quod *Orcad. L. I. C. XXX.* monstratum est.

Placuit Comiti regia invitatio, tum quod id amplum sibi, ut erat, duceret, tum quòd desiderio cognatos salutandi teneretur. Proximo itaque vere, qui annus est seculi illius quinqvagesimus, assumpto secum Comite Haraldo, decimum septimum annum agente, in Norvegiam profectus Bergis Regem convenit. Multà benevolentiæ significatione uterque suscepti, in multam ætatem ibi remanserunt, ubi mutuis amicorum salutationibus sibi invicem gratulabantur.

Eadem ætate Constantinopoli rediit vir juvenis nobilitate & experi- entia celeberrimus, Endridius Ungi, *seu juvenis*, qui Græcorum Imperatori Emanueli, *seu* Manuelli Comneno, longo tempore stipendiis meruit. Hunc multa de Imperatoris magnificentia, splendore, militum numero, ordinibus & apparatu, imperii magnitudine, diffusissimarum regionum præfectis, legibus & populorum moribus, ærarii inexhausto thesauro, ejusque inmensis redditibus, terrarum indole, proventibus, & id genus aliis, narrantem, Rex proceresque libenter audiebant; in primis Comes Rögnvaldus, qui assidue cum eò colloquebatur, multa que super orientalium regionum statu naturæque rogabat. Instantem quærere Endridius semel hunc in modum affatus est. *Relationes experientia te, Comes, præferentem, audi-*

dita visis, historiam usui, cum utriusque copia sit, jamdudum miratus sum. Non modò maximà cum voluptate hæc omnia coram aspicerè poteris, sed & a spectu tuo gentes illas illarumque proceres magnà voluptate perfundere, cum ubicunque vixeris, semper magni fias; itaque nec indignum tibi, nec arduum existimes, eò decenti cum pompa proficisci. Hanc adhortationem multi, qui præstò erant, suffragiis probabant: in primis agnatus Comitæ Erlingus, ut hanc expeditionem susciperet, ducemque se gereret, multis flagitavit, se quoque eum comitaturum pollicitus. Cum multi magnatum idem postularent, voluntatibus eorum refragari non sustinuit; itaq; se iis id datum promisit. Itineris dux Endridius electus: navium præfecti, qui & provinciarum satrapæ, Ion Pes, Comitæ sororius, Aslaku Erlendius, inter provinciarum præfectos numeratus. Convenit ut nemo horum navem triginta oculis majorem, aut ornatu insignem, præter Comitem, haberet, reliqui pari magnitudine apparatusque singulas ducerent, idque ad invidiæ causas vitandas. Ioni Pedi injunctum, ut Comiti navem eximiam ornatu speciosissimo ædificaret. His ita ordinatis, Comes eodem autumno domum profecturus, duas naves longas, mole quidem minores, sed artificio ornatuque præstantes, remis aptas & habiles, ad celeritatem factas, dono Regis Ingui accepit, domumque rediit. Elapsis duabus hyemibus, quibus instrui profectio debuit, in Norvegiam trajiciens socios itineris secum Orcades devexit, ibiq; hyemavit.

Ætate proximâ, Anni MCLIII. Orcadibus quindecim navium classe solvebat, his navium præfectis, Erlingo, Episcopo Vilhelmo, Aslako Erlingi filio, Magno Havardio, Sveno Hroaldio, Endridio Ungio, & qui eum sequebantur. Ad Scotiam, inde Angliam, cursum directum *author Hist. Orcad.* tradit: cæteri omnes Hæbudas primò, inde rectâ in Galliam navigatum; vestigia deinde Sigurdi Hierosolymipetæ secutos, freto Herculeo penetrato, incredulos Hispaniæ incolæ irruptionibus lacevississe. Superatis freti Gaditani angustiis, Endridius à societate Comitæ sex navibus se subducens ab eo deflexit. Rognvaldus destinatum cursum premissus in ingentis molis magnitudinisque navem incidit: id genus Dromundos appellant, insularum speciem præbentes; quam novem navibus confertim junctis adoriuntur. Tanta autem erat altitudo navis, ut gladiatorum nullus esset usus: sulphuris frequentisque picis oleique, lapidum quoque & hastarum ingens copia in Nordmannos effusa, magis quàm ictus propugnatorum nocuit, qui extra subeuntes protendebantur, ita ut ab iis periculum nullum esset. Cominus navem suam Erlingus admovit, securus ictuum securibus latera rimatus, foramina virorum capacia incidit, per quæ se certatim insidentes foros superiores scandunt. Ibi pugna acerrima recruduit, Saracenis, & inter eos Æthiopicibus (Mauris) quorum acerrimus impetus, summâ vi se defendentibus. Ibi Erlingus ingenti vulnere in cervice prope humeros fauciat, cum segniter convaluisse, capite paulùm inclinato, quoad vixit, incessit, Stacti, id est, *distortus*, in posterum cognominatus. Audunus Rufus ejus prætore, primus navem ejus generis, quas Dromundos vocant, ascendit; opus arduum periculoq; plenum, quod ei magnum decus conciliavit. Captò Dromundò magna hominum turba occisa, spoliâq; immodica quæ sita. Eâ peregrinatione cum Hierosolymam flumenque Jordanem adiissent, converso itinere Constantinopolim navigant; ibi relictis navibus terrestri itinere Norvegiam usque proficiscuntur: excepti magno cum honore majorem gloriam consecuti visi sunt. In primis Erlingo peregrinatio isthæc, tum Regiæ virginis

nis conjugium auctoritatem laudemq; multò uberiorem quàm in eum diem habuit, conciliavit; quamvis eum cæteroquin sapientia, opes, generisq; nobilitas & eloquentia, valde comendarent. Ingio præ cæteris fratribus studia sua addixit.

Inter Regem Eysteinum Renique & Hisingiæ incolas, urbi Kongahellæ vicinos, lis exorta, eos ad arma in illum sumenda concitavit. Locus est Leiffberg, ubi pugnârunt: victoria penes ipsum, qui in pænam rebellionis Hisingiam passim incendiò vastavit, donec ad obsequium redirent, datisque obfidibus in multam, quam ingentem irrogavit, consentirent. Testatur hæc *Einar Skulinius* duobus versibus. Paulò post Eysteinus, eo sc. annò, quò Comes Rognvaldus Kalius peregrinationem suscepit, magnâ classe copiisq; Orcadibus advectus ad Rinarfeyam appulit. Ibi cognitò, Comitem Haraldum Maddadium, nave viginti (alii viginti quinque, aliis triginta) loculorum, cum octoginta comitum satellitio in Katanesiam profectum, mox tribus lembis, transmissò sinu Picico, securum & nihil tale cogitantem in Thorfa, occupatâ nave, comprehendi, sibq; fidi curavit. Trium (alii septem) auri marcharum lytro, postquam se sevdum ipsius beneficiò in posterum recogniturum juramentò promississet dimissus est: postea tamen idem Rex Comiti Erlendo id concessit, ut in *nostris Orcadibus Lib. I. Cap. XXXII.* dictum est. Inde Eysteinus Aberdoniam emporium Scotiæ celebre trajecit; quò exspoliato, manus cum equitum turmis ad locum Hiartapoll (Hiartepol) austrum versus conferuit, iisque fugatis aliquot naves occupat. In Angliam deinde, infestâ classe directâ, tribus præliis totidem victorias reportavit. Primum ad oppidum Hyvtabæas gestum, urbis incendiò finitum. Aliud ad Starpaster, adversus equestres copias. Tertium in sinu Pellavika. Plura etiam gessisse perhibetur; nam memorabile oppidum Langatun in cineres redegisse (*Chronica Guilhelmi Thorne pag. 1796. & p. 1799.* Langedon appellant) ita ut postea pristinum statum nunquam recuperaverit, membrana, quam sequor, tradit, tribusq; versibus Einaris Skulini simul confirmat. Eodem autumno in Norvegiam rediit, & quamvis titulum ultionis abavi sui Haraldum Strenui, ante plus minus centum annos in Anglia trucidati, expeditioni prætenderet, variis tamen hominum judiciis excepta est. Hoc tempore Stephanus Angliæ sceptratus in ejus locum nepos Melkolfus, ætate impuberi: qui annus *Buchano MCLIII.* habetur.

CAP. XI.

DE SIMULTATE INTER REGES, EJUSQUE CAUSIS; DEQUE GREGORII DAGI FILII, INGIO SE ADJUGENTIS, STRENUITATE.



Drimis horum fratrum imperii annis, dum ætate essent tenellâ, communis Sigurdo Ingioque aula, commune satellitium communibus impensis sustentabatur. Concordiam senatores, vetus patris eorum concilium, conciliabant fovebantque, Gyrdin nempe Sator, Bardi filius, Amundius Gyrdaris filius, Thiofstolfus Alii filius, Ottar Birtingus, Aug-
mun-

mundus Svipter & Augmundus Drengus, Erlingi Skackii frater. His cedentibus, desit concordia; inde discretæ singulorum aulæ stipatoresque. Gregorius Dagi Eyllifi filius, ex Ragnhilde filia Skoptii Augmundi, vir locuples & strenuus, ingens partis, cui se addiceret, accessio, Ingio se junxit, occasione tali. Materteræ ejus, nomine Gydæ, mulieris præclaræ, conjugium vicinus Geirsteinus, provincialis Borealis Norvegiæ civis, ambebat, vir iniquus, asper & perversus, cui duo filii, patris ingenium referentes, Hiarandius & Hifingus, filiaque Regis Sigurdi concubina, cujus lenociniò pater fratresq; Regi conciliati, subq; præsidio ejus tuti, suis moribus vivebant. Depulsus ipse conjugii Geirsteinus inimicitias cum illâ exercere cæpit, orsus ab injuriâ; nam armenta sua pecudesque frugiferis illius agris immittere confvevit, qverelis deinde infestior. His exasperata mulier, *parùm sibi nobiles propinquos prospicere qveritur, qui injurias suas negligant; quæ tamen sine periculo vindicari nequeant, offensò Rege Sigurdo.*

Die quodam, cum intra lata sua numerum magnum armentorum ejus conspicaretur, nec leve damnum acceptum, majorem in modum ex-candescens, hastâ arreptâ ad boves tendit. Fit obviam propinquus ejus, nomine Gyrdir, hastamque è manibus ejus rapiens pecus agris pellit. Quò viso Geirsteinus obviam tendens, in ponte, qui interfluentem prædiæ annem jungit, infestus occurrit, clamitans, *satis jam homunciones humili sorte natos superbire, si sibi æquari gestiant*: infestamque in illum hastam dirigens, à Gyrdere, qui ictum evitabat, sinistrum laus lethali vulnere confoditur. Reversus ad matremfamilias duos eqvos, quos, dum duel-lum duraret, insterni curavit, accepit, unum, cui ipse insideret, alterum rebus suis vehendis, adque sororem suam Ragnhildem, quæ prope Tunsbergam habitabat, multis circa possessionibus divitem, matrem Gregorii, id temporis viduam, eum ablegat, postulatque ut ipsum ab hostibus suis protegat. Verùm Gregorius difficilem se in isto postulato exequendo ostendens, multorum reprehensionem incurrit. Tandem à matre interpellatus, negabat se onus humeris suis nimium subiturum: *non esse rem cum filio occisi, sed ipso Rege Sigurdo: ejus iram in se concitare, temerarii hominis esse atque insani: se passim imprudenter traduci, ut qui præsecluram, quam gereret, minus consultè administraret. Quid sperandum, si Regi se opponeret. quante tunc vires requirerentur? malle se suo pede metiri, quam rem inexplicabilem aggredi.* Instabat mater postulare, ut hominem à sorore, cujus injuriam vindicaverit, missum, ejusque consiliò ad eum tanquam asylum confugientem, in tutelam reciperet; memor, non ei solum, sed familiæ toti probrum illatum, quod ipsum etiam ulcisci oportuerit, vindicandum. Gregorius haut minori maculâ semet familiamque aspersurum regeffit, si temere promissum præstare nequiret. Tantâ tergiversatione exasperata mater: *Serò, ait, emerges, si cadem amicorum pro nibilo ducis, propinquos deinceps omnibus vilior futurus, ni te corrueris; certè cades hæc in tui nostrumque gratiam, nec sine magna necessitate, perpetrata est.* Miratus ardorem matris reum produci jubet; qui cum eleganter causam suam egisset, pro-latis certis indicis, quæ à propinquis in causâ præsidium Gregorius posebatur, adjecit; *semel ei auspiciandum, si ad magna contenderet.* Ex-pugnatus necessitate causæ, matris increpatione, propinquorum precibus, *vernas suas & famulitium consulendum ait, ipsiusne incolunitatem vitæ sue periculo propugnare libeat?* Sexaginta liberos mercenarios quotidie alebat, quorum consensu supplex receptus.

His ad filios Geirsteini delatis, magna protinus irâ concitati Regem adeunt, exponuntque receptum à Gregorio in contumeliam Regis patris ipsorum percussorem; nimiam illam satraparum insolentiam, non quidem in his terris inauditam, nunquam tamen impunitam; paratos ad incendendum Gregorii primarium prædium opesque rapiendas. Rex *pacata consilia primò adhibenda, exigendamque satisfactionem*, respondit. Hoc responso ad propria reversi, propinque Gydæ ubique laceffunt, metu tamen Regis coerciti atrocioribus injuriis ex parte temperant, iterumque Regem de auxiliis ad opprimendum Gregorium sollicitant. Ille mitius procedendum monet, mittitque ad Gregorium virum quendam, nomine Lodinum, moderatione & prudentiâ perspectum. Hic de cæde Geirsteini exostulans, quærit, *quid Regi satisfactionis nomine offerat?* Svatdetque, ut illum sibi propitium quam iratum malit, placareque nitatur. Gregorius; *si quid in se hac cæde delictum Rex existimaret, satisfactionis statuendæ modum arbitrio ejus relinquere, ipsum verò Geirsteinum hanc vindictam jamdiu injuriis suis promeruisse, filios etiam aliis facinoribus cumulasse*, respondit. His dimissus Lodinus Regi Sigurdo singula, quæ responderit Gregorius, exponit: quæ concitiores fratres Regem ad vindictam accelerandam incitant. Ipsi vero placuit, alium nuncium ad Gregorium mitti. Raudus ei nomen, comitibus triginta stipato. Ingenium hominis per se ferox vis comitantium ferocius reddidit. Hic exposito Regis mandato, asperius quam Gregorii ingenium ferret, responsum accepit; *Virum bonum antea ad se missum lenitate legationis verborumque dexteritate, eorum, quæ postulabat, parum obtinuisse: illum certè asperitate & inscitâ nihil profecturum*: jubetque protinus abire: Egressi in silvam inter se consultant, quid potissimum faciendum? Raudus partem dimidiam ibi jubet remanere, ipse Gyrderem per insidias capturus, cum aliâ parte comitum redire in domum Gregorii, tricliniumque, in quo ipse potare solebat, intrant, occupantque sedes, armaturæ vestibus mendicorum superinductis. Per vesperam ingressus pro more Gregorius, quærit, *quid ibi mendici agant?* exploratoque intentius habitu, cum fraus constaret, in vincula conjiciuntur, posteroque mane in silvam ad suos deducuntur, coramque confessu deinde juridico accusantur insidiarum, damnantur ad furcas, plectunturque damnati. Jamque indubiam Regis offensam contraxit; faciliè igitur filii Geirsteini ab eo copias impetrant, quâs in Vikam ducunt; præcedaneo Natalis Christi festo Tunsbergam veniunt, Gregorium securum obruturi. Verum ille citò conquisitis auxiliis cum illis congressus, haut sine mutuâ clade eos in fugam conjicit. Alio tempore impetratis à Sigurdo Rege manipulis hominum, ad villam quendam, ubi affinium Gregorii unus habitans convivium ei instruxit, accesserunt, occisisque iis, qui convivium apparabant, ipsi in epulas succedebant, expectaturi donec Gregorius ad præstitutum diem accederet, incautumque oppressuri. Nihil de his Gregorio constabat. Propter ædes sinus erat, naviumque statio; eam Gregorius jam adventans pro more occupaturus, insvetam hominum multitudinem observat; quam cum suspectam haberet, jubet navem promontorio, quod à prædio excurrebat, ad moveri; *futurum dictitans, ut si hostes essent, se continuò aggrederentur; quod si contingeret, in portum iterum celeriter desectendum, inde ad ædes properandum, usque occupatis, reditu eos excludendos, oportunitateque ædium adjunctis incursum eorum fortiter excipiendum*. Nihil horum Gregorium fefellit; nam ut adnotam promontorio navem observârunt, illicò in occursum tendebant. Ille verò, statione

tionē compendiō occupatā, prior ædes capiebat. Pugnatum acriter, magnā utriusque partis clade. Hifingus singulare sibi cum Gregorio certamen depolcens ferociter in eum invehitur, inque ipso ardore pugnae occiditur. Uleurus fratrem Hiarandius pariter ejus gladiō occumbit.

His gestis Gregorius magnam gloriam consecutus famam latè extendit. Ne verò Sigurdi Regis iræ ultionique obnoxius, de vitā bonisque continuò periclitaretur, Ingio suum ministerium addicit, admissusque tutelam Regni administrationemque supremam in se recipit, liberā opum Regiarum dispensationemque promissā. Nec is suis opibus, laboribus, vitæ denique, in usum Regis pepercit, sed industriā fideque singulari commissum sibi munus, quoad vixit, obivit. Notandum, *authorem Morkinskinne* tradere, neminem satraparum, eorum memoriā, qui suo tempore vixerunt, ei comparari potuisse.

CAP. XII.

DE NICOLAO CARDINALI IN NORVEGIAM MISSE, EJUSQUE IBIDEM ACTIS, PONTIFICATU, ET EXITU.



Is temporibus Evgenius Tertius Pisanus, summus Pontifex, Romæ ab anno MCXLV, annos octo, menses quatuor & dies duodecim, sedebat, à Romanis, qui senatores suos & Consules confirmari velent, pulsus in Franciam profugit, & Gallorum præfidiō in Papalem sedem restitutus est. Is ad recognoscendum statum ecclesiasticum formandumque misit in Norvegiam Cardinalem Nicolaum Breckesparrum (quem Boni titulō *Fagurskinna* insignit) natione Anglum, R: E. Cardinalem, Episcopum Albanensem: qui prius in Angliam profectus, inde in Norvegiam, anno MCLII. die XIX. Julii, pervenit. Inde, qui primarius legationis scopus, quicquid circa sacra emendationem requirere videbatur, ad Pontificiæ institutionis normam reduxit, in fratres Sigurdum & Eysteinum severior, quòd innatā animi ferociā, libidine in licentiam versā, multa violenter agerent, tametsi Eysteinus aliquatenus ad moderationem inclinaret. Ingium amabat, Filiumque appellabat. Sed postquam illi amicitiam ejus (*Morkinskinne* acceptā pænitiā) sibi conciliassent, maximi muneris instar *Nidarosie* in honorem Sancti Olafi Archiepiscopatum instituit, Lundensique cathedræ Norvegiam subduxit, anno secundum Annalium nostrorum calculum, qui Conradi Imperatoris morte illustratur, MCLII. Subjecti huic Archiepiscopatu præfulatus, Orcadensis, Hæbudensis, Færeyensis, Islandici duo, & Grönlandensis, præter eos, quos Norvegia suis inclusos pomæriis complexa est, Asloyensem, Stafangriensem, Bergensem, æque eo institutum Hamarenses, cui Episcopum Grönlandiæ Arnaldum, renuentem in Gronlandiam redire, præfecit. Jonem vero, seu Johannem, Byrgeris filium, Antistitem Stafangriensem, primum Archiepiscopum, pallio istius eminentiæ donato, creavit. Ædes Christo sacra, Archiepiscopatu delecta, imperium ecclesiasticum in cæteras regni ecclesias accepit. Tum primum Regia Majestas circumscribi, factu deinde & intolerantiæ ordinis ecclesiastici, procellisque processu temporis impugnari vexarique cæpit. Nam autoritate, quā in eam diem nemo peregrinorum in Norvegiā pollebat, usque adeo profecit, ut edicto suo

fuo audientes proceres, pariter ac universam plebem, haberet, exemplò à Regibus, qui se fastigio ejus quodam modo submisisse, admiffa censurâ, videbantur, acceptò. Multa fancivit: inter alia, ne quis armato comitatu urbes ingrederetur, præter Reges, sed nec hi plus duodecem stipatoribus; qua constitutione potestati Regiæ leges præscriptæ sunt.

Ingentibus donis dimissus Nicolaus Sveciam quoque pari honore ornaturus videbatur; sed cum ipsi de loco & personâ eum Gothis digladiarentur, propositum ejus dilatum est. Itaque in Daniam digressus palium Archiepiscopalis eminentiæ, Svecis destinatum, apud Eschillum Lundensem præfulem deposuit, ut is in eum per occasionem conferret, cui id Gothorum Sveonumque concors suffragium attribuendum pronunciasset, eoque pacto Eschillum, quem urebat substracta Norvegia, pacatorem reddens, eidem & hoc & cætera sua acta Apostolicis literis propediem corroboratum promittebat; quod & obtinuisse exinde ad annum MCLIV. ab Anastasio constat, Evgenii successore, quem ipse postea Nicolaus Anglus, assumpto Hadriani Quarti vocabulo, continuè secutus est. Carion causam adducit, quòd Norvegiam ex gentilitate ad Romanam ecclesiam convertisset. Adeò legati illi gesta sua extenderunt, latius quam res erat. Sic Alberto Archiepiscopo Bremensi tribuitur, quod Islandiam ad Christianismum reduxerit, tantum quòd primum Episcopum Isleifum ordinasset. Tantâ autem in Norvegos benevolentiam Hadrianus jam Pontifex fuisse dicitur, ut etiam gravissimis rebus intentus eos advenientes ad colloquium admitteret, præteritis quoque aliis, quoties id poscerent. Id datum fortè pietati, cum illos præ cæteris spirituales filios censerit voluerit, utpote quos Christo pepererit. Anno MCLIV. Pontificalem dignitatem nactus, in annos quatuor, mensis octo, dies viginti octo produxit. Nonstri scriptores inter sanctos eum numerant. Inmodicum ejus in Imperatorem Fridericum Barbarossam factum, quem alii memorant, Sanctorum ordini minus convenire statuo; cellam enim suam quam Itapedem vocant, tenere detrectantem Imperatorem, vel tenentem quidem, sed sinistro latere, tenere gnatus ad osculum admittere noluit; postque longam disceptationem, quæ integrum diem tenuit, in sequentem diem ad servile illud ministerium adiegit, cepitque deinde inimicitias cum illo exercere, quod vasallum se ejus, quâ imperium urbis & regnum Longobardorum, agnoscere noluit, tandem etiam excommunicavit, sædissimâ conjuratione initâ contra imperium, teterrimaque bella in Italiâ concitavit. Tradit Carion scriptum reperiri, eum non diu antequam moreretur dixisse, *non esse in terris aliud vitæ genus calamitosius Papatu; & sanguine parare Pontificatum non esse Petro succedere, sed Romulo potius, qui propter monarchiam occidit fratrem.* Testantur satis hæc verba, penitusse eum ceptæ controversiæ adversus Cesarum, ait author. Cum Anagninæ, excommunicatione in Fridericum denunciata fortè cum suis refrigerandi gratiâ exspatiatus, aquam ex fonte hausisset, musca in os ejus involans gutturi ita adhæsit, ut cum nullâ medicorum arte eximi posset, miserè ab ipsa, vices carnificis agente, suffocaretur, anno MCLIX. die XXXI. Augusti, feriâ secundâ.

CAP. XIII.

DE REGUM INTER SE DISCORDIIS,
ET SIGURDI CÆDE.

Inter



Inter Sigurdum & Eysteinum inimicitia ob-
orta ob caedes aulicorum Eysteini, quas perpetra-
verat Sigurdus, ad compositionem spectabant, occi-
dit enim Haraldum Vikensem, cui domus Bergis,
& Ionem Sacerdotem Tabardi filium, Biarnii nepo-
tem; Sigurdi cujusdam, illo tempore celebris, jam
obscuri, pronepotem. Locus conventui per hyme-
mem in Uplandis delectus. Ibi cum diutius soli con-

sedissent, convenit ut proximâ æstate fratres omnes Bergis comparerent.
Conclusum præterea, sed occultè, ut remoto à possessione curaque regni
Ingio, prædia duo vel tria ei ad sustentationem permitterentur, tantæ-
que opes, ut triginta satellites alere possent. Id ad mensam hominis, ob de-
bilitatem regno inutilis, satis visum. Verùm subito emerfit publicatum
pluribus vel lingvæ incontinentiâ laborantibus consilium, adque Ingii Re-
gis & Gregorii aures delatum curam iis injecit. Itaque aucto plus solito
comitatu Bergas petunt, viribus Sigurdo superiores, qui tum solus, quòd
Eysteinus eadem celeritate Vikâ Bergas assèqui, quâ ipsi e borealibus par-
tibus, nequiret. In Holma comitia constituta sunt; eò Ingius sono tubæ
omnes convocabat. Freqvens forum convenerat, ipsi quoque Reges Si-
gurdus & Ingius præsentés. Duas longas naves Gregorius habebat, &
nonaginta domesticos, quos propriis impensis liberalius quàm alii satra-
pæ sustentabat: nam quoties in diversoriis potabat, omnes simul mensæ
adhibebat. Auratam galeam gerere solebat, isti quoque singuli galeati.
Jamque in curiâ Ingius surgens auxilium civium contra fratres suos im-
plorabat; quibus constitutum affirmavit se regno deponere, proque ar-
bitrio suo in ordinem cogere, testatus, vitâ se quàm patrimonio privari
malle. Cives tantam indignitatem execrati auxilium promittebant. Qui-
bus cognitis, Sigurdus consimiliter exsurgens, *falsa esse quæ Ingius ipsi im-
putaret, auctoreque Gregorio conficta*, respondit: *exiguam moram inter-
venturam, quoad auratam galeam detraberet, nec deinde ambos diu super-
victuros.* Ad ea Gregorius respondit; *istam illi horam hautquaquam tan-
to desiderio expetendam: se enim quovis tempore paratum.*

Paucis post diebus domesticus Gregorii à Sigurdo Regis domestico
in plateâ cæsus adeo Gregorium concitavit, ut jam tum Sigurdum Re-
gem armatâ manu invadere decreverit, ni Rex Ingius & multi alii inhi-
buissent. Eodem vespere, cum à precibus vespertinis Regina Ingigerdis,
mater Ingii, aulam accederet, incidit in Sigurdum Skrudhyrnam, veterem
Ingii plurimumque Regum satellitem, cæsum in plateis, gladii Hallvardi
Gunnaris, & Sigurdi Eysteini Trafalii filii; aulicorum Sigurdi; nec, ut
putabatur, sine ipsius imperio. Dolens itaque majorem in modum mini-
stri cædem, filium accedit objurgatque, *quòd cædibus ministrorum unius
post alterum, porcorum in modum mactatorum, nihil moveatur: inbonorum
Regem idcirco in longum tempus futurum.* His dum offensus Rex matri
obnitiatur, Gregorius cataphractus ingressus orat, *ne matri irascatur; ve-
ra enim dicere; se quoque in subsidium ejus plusquam centum virorum lorica-
torum galeatorumque comitatu adesse. Si Sigurdum adoriri, cædesque suorum
ulcisci placeat, locum in prælio sibi suisque, ubi maximum periculum, delectu-
rum.* Cum autem plures conflictum dissuaderent, clamitantes, Regem
Sigurdum satisfactionem haut detrectaturum, facile Ingium permovebant,
ut impetu abstineret. Quod animadvertens Gregorius eum his verbis
affatus

affatus est : *Nonne vides, quàm satellitium tuum imminuant, quove tendant; meus domesticus nuper cæsus, jam & tuus in sanguine suo volutatur: ego aut alter præfectorum, quorum industria consiliis eorum maxime obstat, cædi destinatur; quævis sublatis te viribus debilem regno removebunt. Certè quid illis placeat non moror, ego ictum securis more bovinum non expectabo: hac ipsa nocte Sigurdus & ego decernemus, quocumque tandem exitu. Et jam in proximo sum, vexillo erecto præforibus. Scio te vires corporis destituere, credo etiam voluntatem ad amicorum salutem sustentandam. His accensus Rex vestes poposcit, mandatq; singulis, ut se sequantur; nec in posterum passurum retrahi; patientiam satis superque oneratam; tam atroces injurias armis vindicandas.*

Inter hæc Rex Sigurdus in ædibus matronæ Sigridis, cognomento Sætu/ id est, *svæus*, potabat, parabatq; se ad resistendum, dubius tamen de oppugnatione; cum Rex Ingius repente ex Smidabudis seu tabernis fabricorum, Arnius Regis vitricus è ponte, qui Sandbru appellatur, Aslakus Erlendi filius ex ædibus suis, Gregorius autem ex platea, unde difficillima oppugnatio, domum adorti ex superioribus ædibus missilibus & lapidibus, quos confracti furni præbebant, obruebantur: sed Gregorium effractâ portâ propius accessit. Ibi Einar Laxa-Pauli filius, ministrorum Sigurdi unus, & Hallvardus Gunnarius, in superiore contignatione trajecti; quorum posteriorem nemo comploravit. Rex Ingius domum securibus demoliens, plurimos comitum Sigurdi, ut manus darent, compulit. Itaq; Sigurdus præsidio destitutus ad superiora provectus, colloquendi copiam silentiumq; postulabat: id cum frustra esset, auratiq; clypei notâ omnibus pateret, ingenti jaculorum grandine, quæ crebrò deseq;ve incidere, undiq; impetebatur, donec ædibus passim ruentibus id diutius subsistere nequiret. Tum verò comite satellite Thordò Husfrefya, viro Vikensi, egressus, fratrem Ingium accessurus, ut sibi parceret, inclamabat; sed impetu nihil remittente uterq; continuò cæsi fortiter occubuerunt, multiq; præter hos ex ejus comitatu, licet paucorum hic fiat mentio. Cæsi & multi è partibus Ingii; quatuor Gregorius desiderabat, multi quoque, qui neutrum seq;uebantur, prostrati, cum vel in pontibus vel navibus telis jaculantium obruerentur. Navem Sigurdi Rex Ingius Gregorio donabat.

Hæc acciderunt quatuordecim noctibus ante festum Johannis Baptistæ, feriâ sextâ, decimo nempe mensis Junii; quæ nota nobis Annum MCLV. monstrat, cum novemdecim annos regno præfuisset. Sepultus est Sigurdus ad templum vetus Servatori dicatum in Holma. Staturâ fuit procerâ, robore magno, capillò fulvo, labiis magnis, cæterâ facie decorâ, eloquio disertus, voceq;ve sonorâ, ut eum describit *Einar Skulmus*, versu quem continent Membranæ. Hucusq; *Morkinskinna* ad calcem mutilatâ res Norvegicas persequitur. *Fagurskinna* Regi Ingio in crimen imputatum refert, quòd inexorabilis fratri clementiam invocanti parcere noluerit. Verùm excusat eum *Einar Skulmus* duobus versibus tetrastraphis, quòd tumultum jam ferventem sistere nequiverit, nec ejus imperiò signa elata, inque fratrem mota fuerint, sed jussu Gregorii: additq; Sigurdum, si biduum in adventum Eysteini expectâisset, haud facillè vinci potuisse.

CAP. XIV.

DE INGH ET EYSTEINI REGUM
MUTUIS DISCORDIIS, ET EYSTEINI CÆDE.



Lapsis à cæde Sigurdi tribus diebus, cum triginta navium classè ex orientalibus provinciis advenit Eysteinus, filium fratris Haconem secum duvens, Bergasq; accedere renuens, in portu Floruvogis confedit. Interea pacis interpretes intermeantes fratres conciliare nitebantur: sed Gregorius pactio-nibus adversatus, ut manus cum illo confestim, se

duce, Ingius, ipse quietus, consereret, svasit; *neque enim aliam occasionem commodiorem se oblaturam, cum viribus nullo modò destituerentur: moram omnem periculosam, tantum ad instruendas hostium vires illis utilem, sibi noxi-am futuram.* Consilium in primis utile dissuadentium rationibus disceptatum, specie reconciliationis corruptum est; Eysteino retrò in Vikam, Ingio Thrandiam, pacatorum specie, sine tamen mutuis colloquiis, concedentibus.

Paulò post discessum Eysteini Gregorius domum repetit, mansitque in prædio suo Höfundo ad rupem Bratzbergam, Rex autem Eysteinus Osleyæ: inde naves trans glaciem, quæ tum sinum Vikensem constrinxerat, per duo milliaria trahi curavit, improvisusque Höfundum invadit; Gregorium in potestatem redacturus. Verùm ille per exploratores certior de proposito Regis, cum nonaginta comitibus in Thelamarchiam profectus, transito monte in Hardangriam devenit, inde in Èdniam Studlam usq; Erlingi Skackii domum, pervadit, ipso tum Bergas profecto; atq; Christina ejus uxore, Sigurdi Hierosolymipetæ: filiâ, alacriter excipitur, & singulis, quæ expetebat, instruitur, & inter alia longâ ejus nave, omnibusq; necessariis. Laudabat mulieris magnificentiam, à genere non alienam, Gregorius, placebatque marito, quòd eum tantâ benevolentia exciperet, cum id ei Gregorius Bergis, quò profectus est, retulisset. Inde sine longiore morâ in Thrandiam ad Ingium profectus, Nidarosiam appetente festò Christi natali pervenit: magno Regis gaudiò, quòd incolumis rediret, exceptus est, iustusque, ut quicquid suarum possessionum ex peteret, in suos usus liberè fumeret. Rex enim Eysteinus, domo Gregorii incensâ, pecudes & armenta singula mactaverat. Hac eadem hyeme Nidarosia navalia illa ingentia, pretii imensi, quæ Eysteinus Magni filius ædificaverat, incensâ, cum aliquot Ingii navibus pretiosissimis. Factum ut valde inhumanum omnes execrabantur, quòd tamen auctore Eysteino Sigurdi Philippi Gyrderis filio, Sigurdi Regis nutritio, imputabatur.

Proximâ ætate, quæ erat anni MCLVI, Ingius frequenti comitatu è septentrione, ex oriente Eysteinus, comparatis in itinere auxiliis, profecti, in portu Soleyensi ad aqvilonem promontorii Lidandisnesiæ conveniebant, Ingio comitum numero frequentiore. Ad prælium omnia spectabant; interventu tamen procerum res ad pactionem deducta est, irrogataque Eysteino quadraginta quinque marcarum auri mulcta, quarum triginta Regi Ingio ad restitutionem damni, ab incensis navibus navali-busq; excepti, quindecim residuæ Gregorio, exusta domus cæteriq; dam-ni pretium, spenderentur. Philippo cum omnibus, qui incendium promo-vissent, exilium indictum; exilio consimiliter mulctati quotquot vulnera Sigurdo Regi inflixissent. Regi enim Ingio ab Eysteino in crimen impu-tatum, quòd eos sustentaret. Inde discessum titulò pacis. Ingius Vikam, Thrandiam Eysteinus petit, improbabatq; conditiones, in quas consentit, tanquam vi expressas; mansitq; in Vika Ingius, Eysteinus in aqvilone, absque

absq; mutuo congressu. Aspera tantum verba minaq; mutua à delatoribus sparfa, alterum in alterius amicos trucidandos accendebant. Nec multa solvebatur, cum sibi invicem fluxam fidem improperarent, traxeruntque Ingius & Gregorius satrapas & amicos Eysteini in suas partes, quorum præcipui Bardus Standalius, Simon Skalpus, & Ion, Halkelis Huki filii, Haldor Brynjolfi, multiq; alii provinciarum præfecti. Ad hunc annum Annales consensu referunt obitum Sigurdi Episcopi Bergenfis.

Duo anni à cæde Regis Sigurdi effluerant, cum Reges in mutua viscera armati, Ingius ex oriente octoginta navibus, Eysteinus ab aquilone quadraginta quinque, in his dracone illo famoso, quem Eysteinus Magni Nudipedis filius fecerat, ad prælium properabant. In insula Mosture Ingius, Græningiafundâ, exiguo intervallo, ad aquilonem Eysteinus confedit, misteq; ad Ingium Aslakum, cognomentò Juvenem, Ionis filium, & Arnium Sturlam, Snæbiorni filium, unicâ nave. Agniti ab Ingii militibus post interceptam navem, multosq; suorum occisos, alios vestibus nudatos, ægrè in terram elapsi. Eysteino referunt, quo animò legatos ejus Ingius excipiat. Qui habito domestico conciliò, de fratris violentiâ multa questus, auxilium eorum postulat, abundè sibi virium referens ad retundendam hostium insolentiam, nec tantis copiis animum ad fugam appellere, si fidelem sibi operam navare velint. Verum nihil postulatis ejus responsum est; quin & Halkell Hucus, cujus duo filii Simon & Ion Ingio militabant, plurimis audientibus respondit: *Cista tue auree sequantur te, regnumque tuum defendant.*

Nocte proximâ multæ naves abitum clam molitæ, pars Bergas, pars finis interiores, pars Ingium accedebant: mane sequente decem tantum remanebant. Hac jacturâ fractus Eysteinus, cum nec draconem ducere posset, quippe nimis gravem, securibus eum lacerabat, pluresque naves cerevisiamq; omnemq; comæatum, quem auferre nequibat, ne hostes insinstruerentur, corruptit. Ipse, consensâ Endridii Ionis Mornefi filii nave, Sogniani tendebat, inde terrestri itinere Vikam. Ingius, interceptis navibus, navali itinere eò quoq; circuito sinu Osleyenfi, profectus, incidit in Eysteinum, mille circiter quadringentis militibus instructum: qui conspecto Ingio, territi in silvas & latebras diversis itineribus dilapsi, uno tantum comite remanentem Eysteinum relinqunt. Sensit Ingius non procul abesse fratrem, derelictum à suis: mandat itaq; Simoni Skalpo, ut eum inquirat. Progredientem è virgultò, ubi delituerat, offendens Simon: *Salve, inquit, protector. Sed tu fortè, respondit Rex, jam meus videris protector. Id verò exitus probabit,* respondit Simon. Rex ut se subduceret, petit; neq; id indecens ob longam, quæ intervenerit, amicitiam, quantumvis in præsens mutata. Negante Simone, sacra celebrari postulat, quibus novissimè interessè possit. Quibus peractis, primum se in terram manibus extensis prostravit, interq; scapulas se decussatim in crucis formam ferire jussit, experturos an & ferrum pati posset, cujus se incapacem focii Ingii asseverassent. Mandat itaq; Simon percussori, ut Regi, qui nimis diu inter fruticeta reperit, ictum inferat, qui exsecutus mandatum illicò occidit. Rex forti animo plagam mortiferam mortemq; ipsam sustinuit. Ad templum prædii Fors corpus ejus delatum, in devexitate, quæ templo ab austro adjacet, eâ nocte permansit: conditum deinde in templo, sepulcrumq; aulæ obductum. Invaluit deinde sanctum esse, quòd in loco supplicii, ubi sanguis terram irrorabat, fons perennis aquæ continuo scaturiret: alter quoq; in devexitate, ubi per noctem jacuit; uterque aquas

aqvas ægrotis salubres fudisse perhibetur. Tradunt Vikenses ad sepulcrum ejus multa miracula facta, donec hostes id jure canino perfunderent. De hiis certè sanctitas, cujus vires isto humore suffocantur. Facti huius invidiam magnam Simon Skalpus plebi exofus postea tulit. Hæc vulgi rumore feruntur; alii tamen tradunt, Eysteino Rege captò, Simonem nuncium Regi Ingio fecisse; eum autem conspectu suo fratrem prohibuisse; id quoq; Sverrir literis mandari, gestisq; eorum inferi curavit. Extat nihilominus *Einaris Skulini* versus, quò Simonem vehementer ob indignitatem facti hujus fugillat, cædibus assuetum, multiplici malitiâ virum, Regisq; proditorem appellans, cui etiam malum ominatur. Fuit Eysteinus capillò nigrò, facie fuscâ, mediocrem staturam parum excedens, sapiens & solers. Avaritia & illiberalitas regno eum vitâq; privabant. Uxorem duxit Ragnam, Nicolai Masii filiam.

Ad hunc annum Annales utriq; referunt obitum Archiepiscopi Ionis & Osloensis Antistitis Vilhelmi; ingentes quoq; tenebras notant.

CAP. XV.

DE HACONE HUMEROSO REGE

PROCLAMATO, TURBISQVE AB EO
EXCITATIS.

Ediisset ad Ingium universum regnum, jure victoriæ, ni factio superstes Haconem (quem à latis humeris Humerosum appellabant) jam decennem; Regio titulò sibi præfecisset. Principes factionis Sigurdus Hallvardi Hauldi de Reyre filius, Andreas & Augmundus, Simonis filii, educationis focii, parsq; magna procerum, qui Eysteino & Sigurdo ministrum. Primum illis in Gothiam perflugium; ubi dum morantur, Ingius fisco Regio bona illorum omnia, quæ in Norvegia tenebant, addidit, eosq; extra regni terminos proferibit, ipse per vices partes septentrionales Vikæ, interdum etiam regni, circuit; Gregoriò Kongahellæ ad irruptiones periculaq; propulsanda remanente.

Proximâ ætate ingentibus copiis adventans Hacon Gregorium ad auxilia circumspicienda convertit: qui convocatos urbanos civesque provinciales, ut hostem secum propulsent, hortatur, sed perspectâ tergiversatione eorum fidem suspectans, duabus navibus in interiora Vikæ valde sollicitus ad Regim Ingium, quem septentrionales ejus partes magno exercitu peragrante audiverat, profecturus, cum parum processisset, Simonem Skalpum, Haldorem Brynjolfi filium, & Gyrdrem Amundinum, simul cum Rege Ingio nutritum, obvios habuit. Horum occursu erectior undecim navibus istis focis retrogreditur. Quorum adventu è foro, quod extra urbem Rex Hacon celebrabat, perspectò, Sigurdus de Reyre Gregorium fati jam urgeri pronunciat, quòd tantillis copiis eos aggredi tentet. Verùm Gregorius nihilominus è regione urbis nave statuit, Ingium Regem, quem accessurum novit, expectaturus. Verùm cum ille præter expectationem diutius tardaret, adverso flumine ad urbem tendit.

Interea Hacon omnia in urbe ad prælium parat, inq; pontibus exercitum instituit, auctus accessione civium; omnes enim ad eum transiverant,

rant, Thorliotumq; Skaufuskallium (aliis Skorpuskallium, quibusdam Sorfuskallium) piratam & latronem, navibus mercatoris, quæ propter urbem excubabant, præficit. Hunc Gregorius adortus jaculis incessit; cumque mutuis sagittis se aliquantisper impetivissent, Thorliotus imbrivolantium telorum ulterius sustinendo impar aquas insiluit cum sociis navibus, quorum multi inter natandum enecti; pars in terram evasit. Mox Gregorius naves pontibus applicat, ponteq; navis suæ expedito, subque hostium pedibus urbico ponti admoto, ipse infestis signis subsecutus, audacter in hostem se infert. Isto impetu, dum ascensum moliretur, signifer occisus est; Hallo igitur Auduni filio Islando mandat, ut arrepto vexillo per pontem navalem urbem transcendat: ipse proximè secutus caput ejus objectu clypei sui protexit. In pontem delatus, conspectusq; hostibus tantum terrorem incussit, ut cedentes militibus ejus ab utroq; latere viam laxarent. Pluribus deinde è navibus erumpentibus, Gregorius acrius in vectus aciem hostium primò impulit, mox fugâ in urbem conversam insecutus, bis quoq; urbe expulit; instansque fugientibus trepidos palantesq; concidit. Vix majus decus ullo prælio partum, cum ipse minis quadringentis instructus quatuor millia fugaret. Post pugnam Gregorius, laudato Hallo, multos quidem agiliores in præliis Islandis esse, quod Norvegi exercitiores essent, nullos verò audaciosos sibi visos pronuntiavit. Paulò post supervenit Ingius, multosque eorum, qui ad Haconem transferunt, capite plexit, aliorum domos incendit, alios in exilium egit, variisque pænis afflixit. Eadem hyeme Hacon per superiora ante festum Paschatis Thrandiam pervenit, ubi civium suffragiis istius trientis, quem pater ejus tenuit, Rex constitutus est; quo tempore Ingius & Gregorius in Vika morabantur. Svasit itaque Gregorius, ut protinus eos persequerentur, sed dissidentium consilium prævaluit.

Ejusdem anni vere, qui erat MCLIX. Hacon triginta navibus Nidarosâ solvit. Vikensium verò cohortes, quæ ipsi militabant, octo navibus uramq; Mariam vastabant, novo exemplò, cum interjectus urbibus tractus in eum usq; diem direptionibus obnoxius nunquam fuisset. Quo cognitò, Ion Hallkellis Huki filius, rusticana manu collectâ, captò Kolbeino Odo, naveq; ejus expugnata, singulos vectores sine ætatis discrimine occidit: cæteras deinde septem post modicam inquisitionem deprênsas adortus, cum promissò patris Hallkellis auxilio destitueretur, amissâ bonâ rusticorum parte ipse vulneratus evasit. Hacon autem Bergas cum omni classe tendens, ubi Stornveltam delatus esset, fit certior de nupero Regis Ingii Gregoriiq; è Vika in urbem adventu; metu igitur coërcitus capto destitit; viâque publicâ Bergas prætervectus, in tres Regis Ingii naves, quæ tardius sequebantur, incidit. Earum rectores Gyrdir Amundii filius, Regis Ingii educationis socius, cui uxor Gyridis Gregorii soror, alter Gyrdir supremus provincialis judex, Gunnhildis filius, tertius Havarthus Kliningus; officio quoque judex, Gyrdir vitâ donatus, inque Vikam deductus; cæteri occisi sunt.

CAP. XVI.

BELLUM AD HISINGAM PROLIXE DESCRIBITUR, CUM ORATIONIBUS GREGORII, ERLINGI SKACKII, ET SIGURDI DE REYRE, INGIQUE VICTORIA.

His



Is cognitis Ingius eos Kongahellam usque in-
 secutus, australe fluminis brachium ingressus ad Hi-
 singam constitit, præmisitque exploratores, qui acta
 Haconis statumque cognoscerent. Hi referabant, ad
 palos singulas naves puppibus alligatas consistere,
 præsidia illis extrema duas magnas triremes orien-
 talium provinciarum, quarum in medio prorsusque
 lignea propugnacula, lapidibus & jaculis instructis-
 sima, altiores quam ut conscendi possent. His relatis, concilium dome-
 sticum convocat, expositoque, quò in statu res hostium essent, exquiri
 satraparum, naviumque præfectorum, in primis Gregorii & affinis sui
 Erlingi Skackii, consilia. Primus Gregorius hoc modo orsus est. *Huc-
 usque, ait, aliquoties cum Hacone copiis multo inferiores confiximus, victo-
 resque discessimus. Idem ut hodie nobis polliceamur, rationes invictæ suadent;
 sunt enim hic viri præcipui multi, quos nuper a propugnatorum cedes ad ultio-
 nem accendunt. Occasio prælii totâ estate quaesita, effugiis semper elusa, nec
 prona in posterum, si jam dilabi permiserimus. Satis in præsens ad fortia ver-
 ba factis implenda affulget. Promissimus enim nos cum illis decertaturos. ubi-
 cumque apprehenderimus: id ego paratus sum exequi, locumque mihi delige-
 re, qui maxime arduus; quod si Regi ita visum, jam in proximo sum, cer-
 tus me eodem quò bucusque eventu certaturum. Sententiam ejus omnes
 probabant, prælium flagitantes. Tum verò naves universæ adverso flu-
 mine actæ, quoad se invicem partes oppositæ conspicerent, processerunt.
 Inde relicto alveo ad insulam secessum. Ibi iterum Ingius navium guber-
 natores cohortiumque duces omnes oppugnationis ordinem disponere
 jubet, quosdam etiam nominatim compellat, monetque ut suas singuli
 sententias expromant, consensuque amico component; Erlingum præ-
 ceteris, quòd esset, ut & erat, vir rei militaris peritus & exercitatus, li-
 cèt alii concitatores, consilium, quod in rem videretur, jubet exponere.
 qui ad imperata his verbis respondit. *Quandoquidem, ô Rex, consilium
 meum requiris, par est ut asseram; hoc enim statu cum hoste decertare meis
 certè rationibus repugnat. Copiis quidem prævalemus, sed numerò tantum,
 non item oportunitate; adversum nobis flumen tertiam partem remiges requi-
 rit, trientem alterum hostium, tela, qui remiges protegat, solus triens super-
 est ad bellum gerendum: transtrum enim quodlibet à singulis lateribus tres re-
 miges occupant: unum remis intentum alter clypeo proteget, tertius pugnabit.
 Quid robur in remige ad pugnandum, qui terga hosti vertit? quid in eo, qui
 eum protegit? tempus ad deliberandum posco; quo impetrato, intra triduum
 consilium inveniam, quo hostem tutius aggredi liceat.* Oppugnationem dis-
 svadere videbatur, quam nihilofecius alij urgebant, metu, ne Hacon de-
 fertis navibus in terram conscenderet, variisque deinde subterfugiis indu-
 striam suam fatigaret eluderetque; jam vero modicis copiis in potesta-
 tem redigi posse sperabant. Gregorius paucis respondit, haut tamen ob-
 scurè injectit, libidine consilia sua evertendi, quam perspicaciâ ceteris a-
 cuitiore, hæc ab Erlingo prolata. Tum Ingius: *in ordinandâ, inquit, af-
 finis, oppugnatione, tua consilia sequemur, sed hodie eam maturabimus, quan-
 doquidem id tribuni ita urgent.* Tum Erlingus jubet lembos omnes & na-
 vium agiliores circa insulam per orientalem fluvii ramum duci, inde se-
 cundo amne in eas concitari, si fortè ad naves palis dissolvendas elici pos-
 sent; inde majora navigia adverso flumine remis in eos compellenda. Se*

quidem dubitare, an ii, qui jam concitiores sunt, se dexterius naves admoveant. Id consilium omnibus placuit. Promontorium intercedens mutuum navigatorum conspectum inhibuit.

Postquam Hacon lembos secundo fluviô adventantes conspexit, quorsum tenderent, nescivit; prius enim consultabant, an se aggressurus videretur Ingius; plurimis diffidentibus, ob moram longiorem, viriumque suarum fiduciam & apparatus, tum etiam virorum nobilium metum, qui militiam suam seqvebantur; nam præter satrapas multos tribunosque, Sigurdus de Reyre & duo Simonis filii, Nicolaus præterea Skialdvoris filius, & Endridius Jonis Mornesi filius, vir celeberrimus, Thrandis que omnibus acceptissimus, militiam eorum firmabant simul & ornabant. Cum autem prono fluviô multas Ingii naves ferri conspicerent, fugam molituros suspicati, vinculis navium palis alligatarum incisis, magno remorum nitu eos inseqvebantur, amnisque fluxu adjuti, citò intercedens promontorium superabant. Ibi maxima classis Ingii vis conspecta. His visis in exercitu Ingii festinatio ingens, dum arma expedirent, seque invicem hortarentur; cumque militarem clamorem sustulissent, Haconiani ad septentrionalem fluvii ripam, ubi parvus sinus, classem convertebant: alligatisque ad terram & inter se navibus, proras hostibus obvertebant, omnibusque ad prælium paratis, triremes orientalium provinciarum ante cæteras naves statuebant, aliam supra, aliam infra, catenis longis navibus connexas. Mediâ classe navis Regia, proxima Sigurdi de Reyre, & ab alio latere Nicolai, inde Endridii Jonis filii; minores ordine ad exteriora collocatæ, singulæ lapidibus missilibusque penè onustæ.

Paratos ad pugnam suos Sigurdus de Reyre his verbis allocutus fertur: *Quod diu expectavimus, hodie fortè consequemur, copiam nimirum pugnandi cum hostibus; ad quod nos jam diu præparavimus. Nec verba fiduciâ destituta aut promissa defuerunt, quæ Ingio non cessuròs multi receperunt, hoc tempore in memoriam revocanda. Nobis, qui iis toties succubimus, verba ferocia non conveniunt, virib? obniti planè necessarium, cum nisi in victoriâ spes nulla restat, quam licet vires impares extenuent, cause tamen justitia exsuscitat, fortunaque sequetur. Nota Deo Ingii flagitia. Duos fratres occidit, nec Haconi satisfactio ulla decreta, quem pariter necare parat; propositum dies hæc declarabit. Nihil ipse primum, præter Norvegiæ trientem, patrimonium suum, requirebat; id statim negatum; atque meo judicio hereditati patris ipso Ingio, aut Simoni Skalpo, aliisque, qui eum trucidârunt, propior est. Pii certe homines, quibus anima cura, mirabuntur, post tam atrocia flagitia Ingium, si ulla ei Dei reverentia, Regium nomen sibi adscribere ausum: sed ego tantam insolentiam Deum permittere, ni decretum, nostris eum manibus perire. Fortiter ergo pugnabimus, Deo victoriam spondente, vel certe, si superabimur, præmia multiplicia, gaudia æterna, malorum hominum tyrannide sublata. Circumspectè nobis agendum & sine metu, servandique ordines, curaque collateralium habenda: curam tamen omnium nostrum Deo commitemus. Omnes & singulos concio Sigurdi accendit, injectaque alacritas promissa rei strenuè gerendæ expressit.*

Inde Rex Hacon, triremi orientalium provinciarum ascensâ, testudine se sepit, vexillo in longâ illa nave, quâ antea usus est, erecto. Nec segnius Ingius classem instruxit. Solo flumine determinabantur, cum is navigio levi, ad revocandas naves, quæ Haconem ad bellum elicerant, missio, reditum eorum expectabat. Interea proceres consultabant, quo ordine naves potissimum collocandæ viderentur. Tum Gregorius: *Milites,*

lites, inquit, nobis numero & robore validi, placet tamen Regem bello non interesse; quo salvo, omnia tuta. E propugnaculis navium orientalium sagitte, jacula, hasta, lapides densè incident, incertum quem collineent; nec qui remotior, tutior. Satraparum periculo pugnabimus, & ego quidem navem meam maxime eorum jungam, animò victorie pro more reportandæ, de qua hoc minus dubitandum, quòd minore quàm hac manu eis eam eripere consueverimus, nec hodiè longum ab iis certamen expectabimus. Placuit omnibus Regem prælio exesse, in primis Erlingo; qui ex propugnaculis navium damnnum ingens sperandum monuit, ni sedulò sibi caverent; integram cunctem quàm vulneratam melius obligari testatus. Multis quidem consilium à se nuper datum displicuisse, exceptum tanquam à prælium detrectantem profectum, se verò jam præsentiore animo ad pugnam progredi, postquam revictas ad palos naves hostes solvissent, jam isto præsidio nudati, nec proinde pugnam disuasurum; tantà præsertim necessitate ad patriam sceleratà prædonum istorum colluvie liberandam; quam jamdiu latrocinii & cædibus peragrâtam vestâsunt, quò partâ pace civibus eam securè incolere liceat, Regique pio, justo, bono, qualis Ingius, honesta ministeria præstare, qui longo tempore fratrum injuriis vexatus labores ingentes, periculaque multa, pro patriæ libertate saluteque sustinuerit. Pluribus aliis Erlingus concionabatur, cui omnes assensum præbentes alacritatem animorum ostendebant. Rex quòque se exorari passus, navem, quam Beikifudam appellabant, quâ ipse usus est, intulæ admotam in prælium non eduxit.

Omnibus paratis utræque acies sublato clamore coeunt. Verum Ingii classis non invicem revicta sparsim transverso amne fluctibus obnitebatur. Erlingus Regis Haconis navem aggressus, proram suam inter Regiam navem & Sigurdi de Reyre inseruit; navis autem Gregorii fluctibus in vada acta vacillansque serius ad pugnam venit; nam Ivar Haconis Magii filius, inter fyrtes nutantem aggressus, puppi suam navim admovit, harpagone vestibus Gregorii injecto, ipsum in latum inclinantem parùm vulneratum, quippe loricâ tectum, extrahere laborabat, interfatusque periclitantem, foros navis ejus propugnatoribus referatos. Cui Gregorius respondit, istius rei necessitatem eum imposuisse: nec tamen milites sibi ultra necessitatem redundare. Retraxisset fortè Gregorium in suam navim, ni Aslakus Juvenis, injectâ navi ejus anchorâ eam fyrtibus eduxisset. Liberatus illo periculo Gregorius Ivarem longo tempore oppugnat; cumque magnitudine navis militumque numero prævaleret, multi ex Ivaris militibus cæsi sunt, pars undas insiliens in fugam conversa est; ipse Ivar admodum saucius à Gregorio, cum navem expugnâisset, in terram deductus periculo eximitur; inde inter eos amicitia in posterum exorta. Ut verò Rex Ingius Gregorii navem in fyrtibus periclitantem conspexit: Infelici, inquit, consilio desertor meorum periculum Gregorii commilitonumque procul inspicio, ipse nave longe maximâ optimâque instructus. Periclitatur Gregorius, vir cui maximè obligatus sum. Ei itaque subveniam; par enim est me prælio interesse, ad quem victoria, si obtingit, redundabit; quin & mihi communis cum meis fors subeunda erit, etiam si certus essem nos vinci; iis enim destituto, qui me regnumque jam longo tempore tutati sunt, nihil superest: jubetque ut continuò remos expediant, signaque erigant. His concitati, amne transito, cum prælium maximè fervebat, adveniunt, sed inter confertas naves loco exclusus in triremes orientalium provinciarum invehitur, quò multus è minoribus Haconis navibus jam vastatis conflusus; qui stipites, spicula, hastas, saxaque tanti ponderis

deris in eum ingerebant, ut sustineri nequirent. Inde regressus, jam à suis advenisse observatus, inter laxatam navium suarum phalangem recipitur, Endridiumque Jonis filium aggreditur.

Interea Erlingus prope proram in loco syrtruune rem fortiter gerens, inclamansque proretas, jubet ut navem Regiam Haconis transcendant. Iis rem difficilem clamitantibus in obvium ferrum ruere, ipse in proram progressus, post exiguam moram eam conscendens, sequentium numero adjutus, vastat obvios, aut impellit, aut cædit. Tum primum tota acies in fugam versa, pars in gurgites præceps ruit, pars certè maxima terram consecuta trepidâ fugâ evasit; id quod Einar Skulinus duobus versibus cecinit, qui in honorem Gregorii carmen cohortium generis fecit; quod Elfar visitur, seu *Odum Albiaman*, appellavit. Nicolaus Skialdvöris filius, expugnata nave, deditione receptus ad Ingium transit, ejus partes in posterum, quoad vixit, secutus. Endridius vero Jonis filius, vastatâ quoque sua nave, ad Regem Ingium confugiens, vitamque precatus, ab Havardi Kliningi filio, Rege jam parvuro, vulnere mortifero feritur. Facinori multis & quidem vehementer execrato vindictam patris præterdit, utpote! qui ejus autoritate occisus fuerit. Multis Endridius magnoperè comploratus decessit, Thrandis verò maximè. Nec plures proceres ex acie Haconianâ desiderabantur, multò plures è vulgo; pauci ex exercitu Ingii, pars licet magna vulnerata fuerit.

CAP. XVII.

DE NICOLAI BARBATI ET GREGORII
DAGI FILII CÆDIBUS, INGIQUE CUM HACONE
VARIIS CONFLICTIBUS, EXCIDIOQUE EJUS
ET ELOGIO.



Secundum hanc pugnam Hacon in continentem fugâ evasit. Ingus Vikam repetivit, ibique hyemem anni MCLX. præsentè Gregorio exegit, sed Bergliotus cum fratribus suis, filiis Ivaris de Elda, quæstorem Regis Haconis Nicolaum ^{Stæd} / seu Barbatum, occiderunt. Inde in Thrandiam profecti, quò & Rex Hacon ante festum Natale pervenit, Sigurdo interdum in propriâ domo Reyre remanente, idque intercessione Gregorii propinqui sui; cui non modò usum domicilii ab Ingio, sed & agrorum omnium restitutionem, impetravit. Hacone festum Natalitiorum Nidarosiæ celebrante, accidit quadam vespèrâ inter primos festi dies, ut satellites ejus septem suorum exitio multorumque vulneribus invicem confligerent. Post octavum festi diem Alfus Hrodius, Ottaris Birtingi filius, cum octoginta Haconis satellitibus, Eldam petit, noctis concubio, ebriosque omnes nactus, exusto triclinio egressos ad defensionem trucidavit; ædes deinde concremata. Ibi Bergliotus Ivaris filius cum fratre suo Augmundo multisque aliis usque triginta cæsi.

Eadem hyeme Andreas Simonis filius, unâ cum Hacone Rege enutritus, magno omnium lætù Nidarosiæ obiit. Regis Ingii ministri & Erlingus Skackius, iparso rumore, quasi per hyemem Haconem essent adoraturi, nihilo magis se movebant; quò cognitò, Gregorius Kongahellâ nuncium iis fecit, qui sequitiam exprobrans diceret, *se, si Bergis fuisset, ibi*
hauð

haut otiosum spectatorem cedium satellitum Igii suorumque sodalium futurum.

Vere proximo Ingius & Gregorius Bergas profecti Haconem & Sigurdum Nidarosiã in Vikam ipsorum defensione nudatam traxerunt. Interea Bergis lis magna è re minimi momenti exorta, proceres quoque inter se comisit, nec sine cædibus, Rege quantumvis se interponente, componi potuit. Biorni enim Bucki domesticus in domesticum Haldoris Bryniolfi filii in ponte incidens, quærit, *cur adeo palleat?* Respondenti, *sectione vene sanguinem effusum; atqui, reposuit, nolim ad tantillam rem ita expallere.* Imò, respondit alter, *magis expallesceres, & mollius te gereres.* Inde verbis se invicem objurgantes tandem quoque confligebant. Nunciatum tunc Haldori, qui non procul inde in diversorio publico potabat, ministrum ejus in ponte vulneratum. Eò igitur concedens, deprehendit plures Biorni famulos in auxilium focii allapsos, haut æquum auxilium ei tulisse; id quod famuli ejus jam plures in eos vindicaturi eos passim pellebant. Quo cognito Biörnus Buckus ilicò sumtis armis in pontem fertur, ulturusque suos motum haut levem excitat; nec jam verberibus disceptabatur, vulnera haut levia certamen augebant: ut verò Gregorio innouit, affinem suum Haldorem auxiliò indigere, cujus ministri in plateã pecudum in morem mactarentur, ilicò advolans in ponte se ei jungit. Tandem Erlingus Skackitus, auditò sororis suæ filium Biornum Buckum periclitari, ipse quoque magnã cum manu ingerit se in præliantes, poscensque civium auxilium, indignitatem magnam dedecusque pronunciat, *si unum hominem Vikensem sibi intra provinciam natalem, agros hereditarios, propriasque domos, insultare permittant:* inque tantum eos exasperabat, ut post tredecem hominum necem vel lethalia vulnera (quorum novem statim occumbent, reliqui è vulneribus deinde decesserant) compluresque fauciatos, Regem ipsum Ingium ad eos dirimendos accurrentem non admitterent. Tanto enim ardore Erlingus & Gregorius se invicem impetebant, velut furiis agitati. Gregorio verò monenti, ut Rex in præfens discederet, ne telis & jaculis ultrò citròque volantibus læderetur, aut forsitan proditoris alicujus hanc occasionem arripientis artibus pateret; is quoque auscultans abscessit. Tandem, remittente tumultu, Gregorius cum suis ad ædem Sancti Nicolai processit, sequente Erlingo; qui tum se mutuo in clamabant. Rege demum redeunte, cum iræ parum desiderant, uterque cuncta arbitrio ejus committentes sese reconciliari passim sunt. Indè cognitò, Haconem in Vikam profectum esse, Ingius & Gregorius multis navibus eum persequuntur; qui adventu eorum territus pugnam declinabat. Ingius itaque Osleyam, Kongahellam Gregorius concessit; qui paulo post certior, Haconem ad Saurbæas prope Marchas diversari, eo se protinus contulit. De nocte superveniens, prædio majori, ubi eum & Sigurdum diversari autumabat, ignem injectit; qui tamen in minore villâ hospitabantur, indeque accurrentes, incendium, quòd fortuitum existimabant, extincturi, in hostes incidunt. Ibi patruus Haconis Munanus, Alii Ukeinis filius, cæsus est, dum iis, qui intra domum erant, succurrere parat: quorum plerique, dum exitum moluntur, trucidati. Asbiornus autem Jalda pirata infestissimus, vulneribus valde faucius, elapsus in agrestem quendam incidit, oblatâque pecuniâ, ut se subduceret, postulavit. Verùm is injuriis ejus sæpius vexatus, quod magis liberet se facturum respondit, eumque lethali ictu percussit. Elapsi quoque Rex Hacon & Sigurdus, magnâ suorum jacturâ. His peractis, Gregorius Kongahellam repetit.

Paulo post Hacon & Sigurdus Vettalandiam aggressi, ædes exusserunt, ibique Haldor Bryniolfi filius in exitu cum viginti ministris cæsus est, uxor ejus Sigridis Gregorii soror solo indusio nocturno in sylvam dimissa, Amundius Gyrders Amundii filii filius, ex Gyride Dagi filia alterâ Gregorii sorore, tunc annorum quinque, avectus est.

Cæde affinis admodum exasperatus Gregorius de itineribus Hæconis sedulo exquirit, aduloque festo Natalitiorum magnis copiis Kongahellâ movens, festo Epiphaniæ ad templum Fors pervenit, ibique nocte exactâ, die sequente, qui in feriam septimam, seu diem Saturni, incidit, precibus matutinis interfuit, textumque Evangelicum audivit. Exinde visâ Hæconis copiarum, multo minores quàm ejus apparebant; flumen, nomine Besia, congelatum intercedebat, infidâ glacie passim imperiò Hæconis festâ, desuperque nive fraudi tegendæ constratâ. Qua visâ, Gregorius infidam pronuncians, ad pontem, qui paulò supra, procedendum monuit. Verùm agricolæ firmam clamitantes, *mirari se responderunt, non audere trans flumen hostem copiis debilem persequi. Is novum ajebat, se ab illis ad audaciam accendi; etiam glaciem, sed eorum consiliò, non sub, periclitaturum: eosque se intrepide sequi jussit; neque enim passurum, timorem sibi exprobrari; prælatoque signo procedit, viginti, vel, ut alii habent, decem ponè sequentibus, cæteri namque, deprehensâ glacie infirmitate, retrogressi sunt: cum Gregorius, licet non altè incidens, tamen alios, ne se sequerentur, moneret, eodem momentò inter crebros telorum jactus advolans sagittâ gutture transfixo eum enecavit.*

Hunc finem habuit Gregorius, vir bellò fideque invictus, quem *auðbor Kringla* hoc loco omnium sui temporis satraparum maximum tradit, Islandorumque, post Eysteinum Seniore, Magni Nudipedis filium, factorem eximum. Funus ejus ad prædium Höfundum delatum in cænobio monialium ad Gimsoam sepulchro conditum est, cui tunc soror ejus Baugeidis Abbatissa præfuit. Decem (alii viginti habent) cum eo jaculis hostium prostrati, idque septimo die Januarii, anno, quem dies Saturni, in quem festum Knuto Obotritarum Regi sacrum incidebat, indicat, millesimo centesimo sexagesimo primo.

Duo villici Osleyam profecti hæc Regi Ingio denunciabant; Is autem quæsit, *unde tantum infortunium? A consiliis incitantium in glaciem referentibus; consuluerunt, respondit, pervicaruntque imperitiores. Adeò autem morte Gregorii commotus est, ut pueriliter lachrymaret. Cessante deinde fetu; novi, inquit, Gregorium, cum præmium Haldorem de Vettalandia casum accepi, ultionem hauri diu dilaturum, itaque eum accedere statui. Dissuaserunt nostri, quasi nihil equè necessarium esset, quàm festiva Jolenis commissatio, nec sine piaculo intermitteri posset. Si tum meo arbitrio permisus eum adissem, aut prudentius rem gessissemus, aut idem utrumque exitus mansisset. Jam vero viri optimi, qui omnium diligentissimè regnum mihi esserunt, jactura facta est. Sperabam quidem neutrum nostrum alii diu super-victurum. Solus itaque Haconem aggrediar, vel ejus sociorum vel mee vitæ excidiò, quamvis tantus vir, ne omnium quidem strage vindicari possit. Hæc dicenti quidam respondens negabat qualemcunque moram impatienti ferendam, brevi enim hostes eum ultrò accessuros, Manserat in urbe soror Regis patruelis Christina, Regis Sigurdi Hierosolymipetæ filia, Erlingi Skackii uxor, jam discessura. Eam igitur per nuncium interrogat Rex, qui tam subito abitum maturet? Imminet bella fæminis ingrata excusantem, orat ut maneat, se enim, uti speraret, victore,* *defu-*

defuturum; quod si contingat se occumbere, amicis suis funeris apparatus non permitti. id itaque ministerium ei expetendum, quo solo beneficia in se collata rependere possit: nec hostem denegaturum.

Vespere festi S. Blasio sacri nuncius de proprio Haconis ad urbem adventu Regem facit certiorum. Lituo igitur copias urbe excitas numero octingentas supra millia quatuor in aciem educit; quam in longum extentam quinque ordinat. Svadentibus deinde aliis, *ne praelio interesset, sed arbitrium rei gerende fratri Ormo committeret; in Regis enim salute cardinem omnem verti:* respondit; *Certe Gregorius, si vivus, meam necem vindicaturus hic adesset, latebras neququam quaereret; viribus quidem corporis ipsi impar sum, fide & ultionis exequendae ardore & perseverantia me vinci haud patiar; nulla igitur spes, me praelio subduchurum.* Tradunt Gunnhildem Simonis uxorem, quae Haconem nutriverat, mulierem sagam, nomine Thordisem Skeggiam, conduxisse, ut exitum belli per nocturnas vigilias ad mortuorum tumulos exploraret, victoriamque ei impetraret: responsum, *de nocte ei cum Ingio, nec unquam interdiu, certandum:* cuius tamen veritatem author sibi non constare perhibet. Simon Scalpus cubitum iverat, jam ad clamorem hostium excitatus.

Affecta nocte, Ingio de hostili accursu, qui tum tum ad Hofudeyam appropinquabant, relatum; inde vero sinus omnis ad urbem usque glacie constrictus, super quam toto exercitu Ingius Haconi obviam procedit Alteri cornu, quod rupi Thralabergae propius, Simon Scalpus praefuit; isti vero quod caenobio Monialium adhaerebat, Gudriodus Habudarium Rex, Olafi Bitlingi filius, & Ion Sveni filius, patre Bergthore Bucko nati. Hacone aciei Ingii Regis appropinquante, clamor ab utraque parte sublatus est. Mox Gudriodus & Ion indicio quodam, quae in parte aciei starent Haconi significantes, eum in se converterunt; secuta illico Gudriodi fuga, quae mille octoginta una abrepti ejus ductu terga verterunt. Apertior proditor Ion cum multo agmine ad hostes transiens, signo in Ingium converso Haconi militabat. Quo ad Ingium relato; *Hic ingens, inquit, meorum amicorum discrimen agnosco; in primis exemplum a Gregorio alienum.* Svadebant ergo amici, ut equo celeriter ex acie provectus Raumarikiam peteret; hoc eodem die magnum hominum numerum collecturum augurantes. *Is fugam se aversari professus, quod saepe ex eis audiverit, fratrem suum Eysteimum tum primum fortunam, deinde in posterum, destituisse, cum fugere occupasset: id quidem ita esse: fuisse eum tamen virum strenuum, instructum omnibus virtutibus, quae Regem exornarent. Quid sibi semel in fugam verso deinde sperandum, viro agro, viribusque corporis casto? Annum, inquit, alterum attigi, cum Rex fierem, jam vero vicefinitate, regnavi; multa toto illo tempore majore sollicitudine curaque, quam voluptate, regnavi; multa bella gessi: nunc viribus hostibus superior, nunc inferior, illo solo fortunatus, quod nunquam fugatus. Vite stamina Deo committo, fugam semper aversabor.* Defectio Ionis sociorumque, etiam iis, qui proximi stabant, terrorem incussit, quae plures in fugam dilapsi totam aciem turbaverunt.

Interea Hacon acriter in vectus territis instabat. In primis circa diluculum signa Ingii oppugnata, ipse quoque eodem impetu caesus; sed frater ejus Ormus praelium sustinuit, multosque in urbem fugam dilapsos semel iteratoque post caesum Regem in aciem glaciemque reduxit, pugnamque restituit. Hacon deinde in alam, cui Simon Scalpus praefuit, vim vertens, fortiter excipitur. Ibi Gudbrandus Skaphoggi filius, Regis Ingii affinis, concidit. Simon vero Scalpus & Hallvardus Hit cum turmis suis

se mutuo impetentes ad Thrælabergam usq; ferebantur, ibique occubuerunt. Post longum conflictum Ormus Regis frater, cum tantam hostium molem amplius sustinere nequiret, non sine magna fortitudinis reiqve gesta laude, tandem etiam fugit.

Desponderat eadem hyeme uxorem Ragnam Nic. Masi filiam, Regis Eysteini viduam, decreveratq; dominicâ festum Blasii, quod tunc in feriam sextam incidit, proximè sequente nuptias celebrare. Apparatum omnem opesq; alias Hacon diripuit. Ormus ad fratrem suum uterinum Magnum Sveciæ Regem profugit, Henrici Claudi Skokulis, seu Skataleri, filium (Sveci parando regno intentum occisum volunt) cujus frater germanus Rognvaldus (Svecis, credo, ignotus) ibi tunc Comitis titulo usus nostratibus dicitur. Multi ab utraq; parte cæsi sunt, plures ex Ingio. Arnus Friderici filius inter Haconianos celebris (signiferum *Danica editio* habet) cæsus, sed solus, præter Haraldum Hitem notatur.

Corpus Regis Ingii, Christinâ, ut postulavit, procurante, in australi pariete ædis Hallvardi ante chorum conditum est. Annos viginti quinque regnavit, ætatem in vicesimum septimum produxit; Princeps facie perpulchrâ, capillò flavo, crispò, sed rarò: tardè crevit, pede altero exarscentè, justòq; breviorè, adeò ut solus ægrè incedere posset; scapulis petioreq; gibbis deformis, accessu eloquioq; comis, amicis morigerus & fidus, proceribus indulgens, quibus administrationem regni maximam partem ipse corpore ægroto commisit, liberalis & plebi facilis. His virtutibus, posthabitis fratribus, studia civium in se convertit, queis tandem majorem regni partem affectus est. Flagrantissimum Gregorii desiderium, ejusq; vindicandi studium, fidei quidem & constantiæ fortitudinisque laudem ingentem meretur; isto tamen impetu regno parùm consultum est; cujus tota salus à salute Regis, isto præsertim statu, pependit.

His *Saxo*, etsi non per omnia, maximam tamen partem, Lib. XIV. suffragatur his verbis. *Post hæc summa penes Haraldii filios fuit. E quibus Ingo duntaxat justo matrimonio ortus, fratribus, quorum alter Norvagicæ, alter Hyberniciæ pellice editus fuerat, ut ingenuitatis, ita & morum ornamentis præstabat. Erat enim omnibus honestatis numeris instructissimus, cum eorum alter avaritia maculis respersus, alter luxuriæ sordibus obsitus habebatur. Sed infantie suæ tempore per incuriam, nutricis fortè sinu delapsus, ita humo insictus est, ut confracto dorso reliquum vitæ tempus gibbo oneratus exigeret. In quo quidem homine excellentis animi venustatem corporis deformitate affecti ludibrio sedatam putares, neque discernere queas, majus fortunæ beneficium receperit, an opprobrium senserit. Contigit autem, ut ejus satellites, apud Berginum oppidum jurgio cum Svardi militibus habito, dum socii ab eis occisi penas instantius expetunt, non interfectores modò, sed ipsum Svardum sevissimæ consternationis furis concitati, per vim & seditionem appeterent, eumque in eadem fugere coactum, convulsis tabernaculi claustris, raptum trucidarent, homicidium specie, re verò conjugum suarum, prius ab ipso constupratarum, contumeliam ulciscentes. Cujus rei nunciò Ostensum cum classe Berginum peteret, per obvios accepto, petendi fratris quàm cavendi cupidior, nihilominus ad eum processit. A quo cum debitam sui regni partem negari animadverteret, paucis eum affatus discessit, vultuque fidem promittens, sed perempti fratris exemplò perire metuens, fugæ se quàm novi sceleris auctoribus offerre maluit. Quem Svardi interfectores, priori facinore parùm contenti, Ingonis amulum judicantes, navalem fugam terrestri mutare compulsam, sed eam, ob nimiam corporis saginam, lentius exequentem, pro-*

pter littus peditem occiderunt, duobus regni participibus sublatis, à superflite dignitatis & stipendorum incrementa sperantes. Quorum scelestas famas in tantorum ducum cladem esuriens, vixque gemino exsatiata parricidio, ab Haquino quodam, paterie cadis ultionem petente, postmodum vindicata est. Si quidem trium fortuna ad unum Ingonem per vim & facinus redacta, non sustinuerunt Amundus Simonis filius & Philippus, alique complures insignis industria viri, regnum ei, quod partim proprio, partim alieno scelere quaesivisset, tutum intentatumque persistere. Indignum quoque compluribus visum, ut homini ridiculas corporis notas habenti liberum regnandi locum militum suorum conciliaret impietas. Quapropter Haquinum, quem dixi, factionis suae ducem creantes, ejusque tyrocinium regio nomine venustantes, bellum adversum Ingonem decernunt, & quasi Swardi vel Osteni manes ulturi crebro pugnam cum hostibus ineunt. Verum pluribus continuis praeliis subacti, in Sveciam tandem cum pupillo diffugiunt. Quos Ingo prope Sialandiam fugandi studio subsecutus, magnam hostium parte propinquas pelago sylvas petente, Absalonem per legatos sollicitat, eos, qui in littoralia nemora profugerant, prendendos curaret. Quod Absalon honestate sua ac dignitate indignum judicans, parum precibus obtemperavit. Appetente hyeme, qui cum Haquino profugerant, patriam repetere adorsi, tanquam fortunam loco mutaturi, praelio in hyberna glacie conferto, Gregorium summa post Regem dignitatis virum, manu & consilio promptum, in quo spes & fiducia Ingonis, quasi quodam cardine, nitebatur, non minus acumine quam viribus usi, cum omnibus copiis deleverunt. Si quidem in eam glaciei partem, cujus firmitatem nocturnis excisionibus debilitaverant, praelii tempore protractos hostes profundum petere coegerunt. In quorum morte Ingo maximam spes partem deposuit, nec secus animo quam viribus fractus, exitiosum fidissimi fautoris Gregorii interitum ominatus est. Tandem instaurato bello, sed adhuc eodem avarum habitu persistente, nibilo felicius Gregorio glacialis elementi fortunam tentavit. Si quidem gelato mari in pugnae locum electo, dum ejus duritia quasi camporum firmitate gauderet, quanquam militum numerò præstaret, cum omnibus penè copiis interemptus est, luensque pœnas, seu admisi, seu tolerati parricidii fracterni, umbris piacula exsolvit. Hoc bellò, quò nullum majus aut cruentius Norvegia habuit, universum regni illius columnen postmodum à stirpe interit.

Ornum Ingii Regis fratrem ad Magnum Sveciæ Regem Comitemque Rognvaldum fratres suos confugisse author noster tradit: quos Henrici Claudi, Danis Svecisque Skataleri, ex Ingiride filios fuisse affirmat. Hunc Magnum Saxo sine dubio intelligit per eum, qui servum in necem Svercheri Sveciæ Regis subornavit; dum *Lib. XIV. Sect. 2.* ab initio scribit, eadem ferè tempestate Svercherem Regem, servum, qui cubiculo ejus præerat, noctu dormientem occidisse.

Sverchero successit in Gothia filius ejus Carolus, in Svecia S. Eiricus; sublatus dainde ab hoc eodem Magno, ut Sveci nostris Annalibus consentientes tradunt MCXL, quem unum tantum annum regnasse adjiciunt, quem etiam Carolum Sveciæ Regem unam occisurum fuisse ex Saxone discimus. Henricum autem patrem ejus multos antè annos mortuum fuisse, jamdudum autoritate *Historiæ Knytlingorum* cæsum fuisse tradidimus certisque argumentis adstruximus.

APPENDIX DE REBUS DANICIS.

SECT. I.

DE SVENO ET KNUTO AD REGNUM ERECTIS, EORUMQUE INITIO IMPERII GESTIS.



Ubnectam his res in Dania gestas horum Regum temporibus à morte Eirici Lambii ad exordium Monarchiæ Valdemari Primi. Eirico Lambio, seu Agno, successus est à Sialandis & Scanis Svenus Eirici Eymunii filius, eiq; oppositus à Jutis Knutus Magni filius, Regis Nicolai nepos. Valdimarus licet omnium suffragiò lectus, proximiq; Regis tutelæ commissus, hoc tamen tempore præteritus, pristinum nihilominus civium affectum illibatam tenuit, annos tum natus septedecim. Hic propensior in Svenum, prolem Magni, patris sui interfectoris haud inmerito averfatus est. Mox inter Svenum & Knutum contentiones magnis bellis exercitæ. Prima ad Slangathorpum pugna victorem Svenum fecit.

His temporibus Principes Evropæi mandatò Eugenii Tertii Pontificis ad arma in Gentiles capienda evocantur. Præit obedientiæ exemplum Conradus Imperator. Nec Reges Daniæ controversias de regno pietatis officiis officere passi, ipsi quoq; ad expeditionem istam se parant. Promiserat enim Papa, Deiq; vice asseveravit; *quemlibet simul ac cruce ad hanc militiam signatus esset, peccatorum omnium, quæ confessus fuerat, remissionem consecuturum, quicquid demum commiserit, animamque prius celestis curiæ compotem futuram, quam cadaver intra cavernas terræ frigerit.* Pacem igitur & amicitiam procerum intercessione conciliatam obsidibus firmant: datus à Sveno Olafus Gluggus, à Knuto Nicolaus Skarius. Dobinum deinde trajiciunt, Knuto prius in portum Vismariensem delato, secutus Svenus, Fionensibus, Sialandis & Scanis instructus. Accesserunt & Germani religionis causâ paganis simul bellum facturi. Unius navis vecturæq; & hominum jacturam Svenus fecerat, suam muneri loco Knutus obrulit, nec, ut reciperet, perpulit. Reverti domos, cum neuter sine altero regno exesse vellent, obsides recipiunt. In Jutia Knutus, Svenus Scaniâ residit, ubi Antistitem Eschillum captivum aliquantisper tenuit; inde Sialandiâ in Knutum movet. Congressi ad Thorsteins-thorpum, victoria per Svenum: Knutus fugâ in Jutiam relapsus.

Id temporis Valdimarus Knuti filius præfecturam quendam in Jutia consecutus est, qui partibus Sveni adhærens, tum finito demum præliò supervenit. Inde Sveno Fioniam trajiciente, cum Odinfeyam venisset, moritur consiliarius ejus, Absalonis, qui postea Archiepiscopus factus est, patruus (Ebbonem Skialmonis Saxo appellat) Sialandiam deinde repetens Rex hybernis delegit. Ibi tres ministri in aulam asciti, qui in intimam ejus gratiam se insinuantes studium civium magnam partem ab eo averterunt; nomina his Ulfus Ripensis, Thetleifus Edlæ filius, & Yngvar Kveifsa; qui prava consilia Regi suggerendo, paternas injurias in memoriam civium

civium revocabant; mussitabant enim, patrem Regis Eymunium Danis durissima quæquæ minatum; hunc verò Svidandum, novo cognomine, per contumeliam appellârunt; denotat autem eum, qui lento igne torret, quòd durus & immittis opes suas expilaret. Per Yngvarem Kveisam Plogum Nigrum, patris sui interfectorem, deinde sustulit; alio fortè tempore quàm Saxo intelligit, cum ei parcitum tradit, oppidò ad Mildam deditone receptò.

Hoc tempore Einar Skulinus, Norvegorum Regum poëta, in Daniam profectus, Svenum Regem pro more carmine honoravit: sine mercede dimissus versum reliquit, quò significavit, *se nihil obtinuisse; id enim melius in cytharistas erogari; Ulsum Ripensem & Pipum quendam Regias opes disponere.* In Jutiam deinde Svenus exercitu traducto Knutum impetit, comite Valdemaro; Knutus autem Heidabæis constitutus per provincias Jutiæ militem colligit, qui deinde Væburgi magnâ pugnâ victus Alaburgum, inde Gothiam ad vitricum suum Sorqverem Koli filium Sveciæ Regem fugâ pervasit, auxiliq; loco provinciam aliquam intra Sveciam oblatam accipere renuit, se regni Daniæ portionem jure sibi debitam recepturum professus. Rostocham (Poloniam Saxo habet) deinde ad avunculos suos accessit, qui suspicati imperio se depulsurum eum apud se remanere noluerunt. Ad Hardvichum igitur Archiepiscopum Hamburgensem profectus, ab eo ad Henricum Saxoniam Ducem, Conradi Imperatoris filium, deducitur, ibiq; benignè recipitur.

Excessit tum vivis Imperator Conradus, successit Fridericus Barbarossa. Impetratis in Saxonia copiis, & quæ ad bellum requirebantur, in Jutiam movit. Conscribit & exercitum Svenus, Ulfo ministrò, ad rivum Gestbeck, cujus in circuitu solum palustre concursum vetabat. Notum Valdemarus vadum petit, sed impetu irruentium in se quatuor Saxonum excipitur, ita ut equus hastis duabus pectori, totidem simul coxendici, adactis, in clunes concideret; qui deinde posticorum vulnerum dolore se erigens sessori profuit. Mox subsequentes Valdemari satellites hostes accerrimè urgebant. Ibi Tolcradus, quem Saxo Saxonem promptissimum tradit, cæsus est. Cruenta inde pugna haud diu duravit; pulsus enim Knutus cum Saxonibus fugæ sociis Saxoniam exilii sedem repetit, nec ibi diu moratus Frisios adit, sustentationem exercitûs, auxiliq; remissione nuñi, quem Ortuq; vocant, quorum tres unciam faciunt, de annua pensione, Regibus Daniæ debitâ, pacificatur. Hi conditione avidè arreptâ castellum ad fluvium Mildam excitârunt, quod Mildeburgum appellabant.

His cognitis, Svenus Heidabæas magnâ classe profectus est, quam terreftri inde viâ ad Hillingstadas Frisiæ oppidum ducit. Cruento ibi prælio Mildeburgum expugnatum, tantaq; strages facta est, ut per repletum cadaveribus flumen aridis pedibus incederent. Refugus in Saxoniam Knutus Brunsvicham petit, liberaliter apud Ducem habitus. His successibus celebrem Svenum Rex Fridericus ad se invitat; fidem deinde in perfidiam vertit, Rege jam hospite ad juramentum fidelitatis sibi, quod hominum vocant, præstandum adactò. Eo conventu Rex Henricus præsens unâ cum Cæsare ad pacificationem dissidentes reducit, eâ conditione, ut Sveno subjectus Knutus, abdicato jure regni, Sialandiam in clientelam acciperet. Sponsorem (eligente Knuto) Svenus Valdemarum poscit, valde invitum; obtendit enim, *se quidem Knuto minimè amicum, cui tamen datam semel fidem violari haud passurum; nec se Sveno in posterum adhaesurum, si*

pacta rumperet. Svenus ad ea respondit; *illo fidejussore fidem quoque sibi curæ futuram; nec detreclare, quin causam deferat, se violante.* Vadimonium itaq; prout exigebatur, Valdemarus præstitit, simulqve inde in Dania redeunt. Tum verò Svenus, pactis rescissis, omnia Regia prædia in Sialandia sibi vendicabat. Fraudatus promissis Knutus Valdemarum vadem interpellat, & is pariter Regem, ut pacta servet. Svenus mutari postulavit, obtinuitq; data Knuto Apafysla Jutiæ provincia (præfecturam Aparadensem intelligo) sex in Sialandia prædia, sex provinciæ in Scania. Quòd verò Knuto fides Sveni adhuc suspecta esset, iterum Valdemarus fidem pro eo obligavit; ipse quoq; Svenus his pactis se statutum asseveravit, quæ ultrò obtulisset, non item iis, quæ in præsentia Cæsaris vi expressa essent. Hæc Viburgi convenerunt.

His peractis, Sophia Knuti soror uterina Valdemaro desponsa est, triensq; omnium possessionum Knuti in integræ amicitia pignus doti datus; quod tamen *Saxo* in posteriora tempora rejicit. Fuit Valdemaro filius ex concubina Tosa, nomine Christophorus.

SECT. II.

DE SVENI CUM VANDALIS ET SAXONIBUS PRÆLIIS, VALDEMARO REGE CREATO, ET PACE IN DANIA INITA.



Hæc proximâ à reconciliatione inter Knutum & Valdimarum Rex Svenus expeditionem in Sveciam parat, irritatus, ut *Saxo* scriptoresqve Svedici produnt, immani injuriâ, præfecto Hallandiae Carolo à Jone Sörqveris Sveciæ Regis filio illatâ, qui eo absente conjugem ejus sororemq; viduam, exsuperante formâ fæminas, ad libidinis commercium raptas, sed invitâ, in Sveciam usqve devexit; quibus tam contumeliosè usus proditur, ut eas in stupri vices noctibus evocaret alternis: ad ultimum, patre & populo tantæ temeritatis facinus execrante, utramq; remisit. Quod flagitium Svenus perindè ac commune probrum in omne Sveonum regnum ulcisci statuit. Evocat itaqve ad militiæ societatem Knutum & Valdimarum; quibus detrectantibus, ipse nihilo secus propositum executus Verendiam subegit; est autem Episcopalis diæcesis; provinciis constans quinq; templis centum. Subegit & aliam provinciam, quam Fineide auctor *Knytingorum historia* appellat, Finiam *Saxo*, Finlandiam *Pontanus*, Finnvediam *Johannes Magnus*, terminosq; Gothiæ meridionalis has provincias tradit, noster imperio Daniæ proximâ, refertq; sex territoria hac contenta, tria tantum, *Austbu/ Sudrbu/ & Vestbu/* recenset. Hac expeditione *Nicolaus Dotta* cæsus.

His peractis Svenus in Daniam rediit, præsidio in Hallandia relicto, cui præfecti Carolus & Knutus. Quò cognitò, Gothi diversorium, ubi diversabantur, igne sparserunt; qui à candelis erant, elapsi, mox occisi, ipsi præfecti perfossâ glacie aquis injecti submersiqve. Inter Svenum, Knutum & Valdimarum pax ea hyeme duravit. Æstate proximâ Sialandiam cum classe provecti, stativa ad Sundbyam navi affines habuerunt, *Nickildæ* morante, limisq; oculis adventum eorum spectante, quòd esset

esset minis à copiis instructus. Iis tamen nihil hostile molientibus Rex misit obviam, qui causas cognoscerent. Placuit ut conventus institueretur. Ad eos itaque Svenus profectus pacem fœderaquè conditionibus prioribus renovavit: sequè invicem salutantes singuli ad sua remeârunt. Postridie Svenus ad Vinda-Kalfslundam magno prælio Vandalos fudit.

Angebât Svenum majorem in modum firmata inter Principes concordia. Svâserunt ergo Ulfus Ripensis & Thetleifus, ut utrumquè per insidias tolleret; solus deinde Daniæ Rex futurus. Placuit Regi sæpius iteratum consilium; adnotamquè occasionem ratus, cognitò, ambos Ripis modicâ manu morari, Scaniâ magnis itineribus instructa classe profectus, ambos comprehensurus in Jutiam tendit. Ii verò de itinere illius certiores, in diversa dilapsi, Viburgum Knutus, Heidabæas Valdemarus proventi, Svenum de protectione sua certiores spei irritum reddunt, domumquè convertunt; inde exercitum instruunt. Sialandiâ petita septem dies ad Lingby in districtu Valbyensi constiterunt. Collegerat quoque copias Svenus, Roskildæquè substitit. Scanis autem dilapsis, impar sibi Principibus visus nocte profugit, nec prius destitit, quam ad focerum Conradum Marchionem Misniæ Rensburgum pervenit, trienniumque ad eum permansit. (Trimestre habet author, scriptoris vitiò). Ibi dum detineretur, Valdemar Regem se pronuciari curat, idque omnium ordinum ardentibus votis & suffragiis; simul & Knutus Rex consecratus est; qui deinde absente Sveno sponsam suam Sorqueris Sveciæ Regis filiam arcessit. Iis rebus dum immoratur, Svenus cum Duce Henrico Daniam petit, inque Jutiam infusus, dies quatuordecim ibidem terit, Valdemaro Fioniam insidente; qui cognitò eorum accessu, fretum Melfartinum, crustis glacialibus infestum, octodecim satellitum comitatu trajiciens, in partibus æquilonariis exercitum sine morâ colligit. Hujus adventu territi Svenus & Henricus, tantâ festinatione regrediuntur, ut quod iter in accessu duodecim dierum spatiò perfecerunt, in recessu biduò emetirentur. Quorum discessu magnis curis levatus Valdemarus exercitum dimittit; inque Jutia hyemans reditum Knuti exspectat. Svenus parùm in Saxonia moratus Vandalos adit, trajectumquè in Fioniam ab iis pretio emercatur. Ad reditus ejus nuncium Knutus & Valdemarus validis copiis instructi, in occursum ejus tendunt, statimquè Fionenses à Sveno ad eos deficiunt, conjuges & liberos, remque omnem familiarem, eorum potestati permittentes: à quo tamen *Saxo* dissentit.

In has angustias compulso Sveno pax omninò petanda erat. Pauci ad id delecti, ut Principes ad certum diem convenirent, impetrârunt. Eo conventu arbitrum Valdemarus Svenus eligit, latis ab eo conditiones se approbaturum pollicitus. Hic sapientissimorum virorum consilio sibi opus esse professus, Svenum in Falstria (*Lolandiam Saxo* habet) reditum suum exspectare jubet. Verùm is angustias terræ ad alimentamilitiæ minus sufficientes causatus, vicissim postulat, ut Reges ejus sustentationem in se reciperent, donec in fœdera convenisset, impetravitque, postquam juramentò, Diis hominibusquè in testimonium vocatis, firmasset, se inde non discesurum, nec copias aucturum, quoad pax coaluerit.

Interea Knutus & Valdemarus totius Daniæ proceres convocant, Svenum verò veterum militum confluxus in dies auferens adeò erexit, ut de conditionibus disceptare ausus vix magis accepturus quam latius videretur. Tandem tamen arbitrio Valdemari rem omnem commisit, etiam optionis prærogativam, consentiente Knuto. Is Daniam in

tres partes divisit : primâ Jutiam cum vicinis insulis , alterâ Scanium , Hallandiam , Bleikingiam , & Borgundarholmam , tertiâ Sialandiam , Fioniam & Arriam cum adjacentibus insulis complexus ; ipse sibi Sialandiam possessionem deligit (Saxo Jutiam) Chronicon , quod *Pomerano* describitur , Scaniem delegisse tradunt) Sveno. Scaniem cum aditis , Knuto Jutiam assignavit. Omnium consensu magnam erga Svenum hac pacificatione moderationis laudem meruisse vius est , qui omni ad regnum jure bonisq; allodialibus merito ex-cidisse credebatur. Portiones regni , quæ Knuto & Valdemaro obtigerunt , ipsi inter se conferebant , pariter possidendas. Pacificatio hæc , tactis Evangeliiis , sacrisq; reliquiis omnibus , à singulis Regibus confirmata est , decretumq; in violentam anathema summi Pontificis , Antistitumqve omnium & totius cleri execratio.

SECT; III.

SVENUS A REGIBUS AD CONVIVIUM

ROSKILDAM INVITATUS INSIDIAS IIS STRUIT.

REGIS KNUTI CÆDES. REX VALDEMARUS ET

ABSOLON ELABUNTUR : EORUM IN

JUTIAM ITER.



Is ita compositis , Knutus Svenum Roskildam ad convivium invitat. Annuit Svenus , novæq; amicitia instituta convenit , ut Knutus & Valdemarus ad solennitatem convivii instruendam Hringstadas ad eum deducendum simul redirent. Paratis omnibus , Valdemarus Svenum accituros Knutum socium deposcit ; qui consultum ratus se simul ejus potestati permittere , suspectam ejus fidem testatus , quantumvis reconciliationis specie coloratam ; notas Consiliariorum Thetleifi , Ulfi Ripensis , & Yngvaris Kveise , suggestiones : dubium , an & ipse hac pacificatione acquiescat : semper acquiescentis speciem præbuisse ; placere Valdemarum comitatorum eum arcescere : se interea convivium apparatus , præsidiaque detenturum , ne dilabatur ; vix ausurum eos separatim aggredi , metu vindictæ a superstitie exspectandæ , cum amborum simul copiam exoptet. Sic demum , utrisque sublatis , securum. Negat Valdemarus tantam in agnatum suum malitiam cadere posse , ut structis in eos novis dolis Deum bonosque omnes in ultionem provocet , fidem quidem jam servaturum , nec pactis ruptis , sacramenti religione conculcata , credulis dolos nexurum : se tamen nihilominus monitis ejus obsecuratum. Atque ita sine eo Hringstadas provehitur. Ibi Svenus magnô , eoque lorricato , comitatu , novæ perfidiæ speciem præbuit ; decrevit enim simul accedentes de medio tollere. Valdemarus , hoc habitu conspecto , prudenter Knutum consuluisse judicabat , hortatus nihilominus suos , ut audacter adequerentur. Cum convenissent , interrogat Svenum , unde alia pace armatura talis ? Is relatum sibi retulit , insidias ab iis parari : ad eas evitandas satellitum armasse ; nec Knutum , ut convenerat , adesse. Valdemarus , sincerè à suis partibus omnia agi ; sibi cuique à perfidiâ cavendum ; sibi certè vitam sacramenti religione viliozem. Svenus , vera hæc videri , nec de sinceritate ejus se dubitaturum , respondit , quicquid sibi alii retulerint ; simulque Roskildam petunt ; ubi convivium magnificentum ; multi etiam Svenoniarum partium adfuerunt. Communitatitiam & hilaritate , mutuâq; , ut videbatur , benevolentiam , Regibus simul nox transacta prima.

Posterâ die simul omnes in uno triclinio potabant. In primis satellites Sveni hilares circa ædes vagabantur, nimirum ebrietatem declinaturi; pauci in cœnaculo Regibus assidebant. Thetleifus autem Edlæ filius, paucis comitantibus ingressus, Svenum nutu evocat; qui exsurgens cum illo aliquantisper collocutus; inde exiens in aliâ domo se abdidit, cum idem Thetleifus, Tolius Hemingi filius, & Ivar Kveifâ, pluresque proceres conversi ad ædes, ubi Valdemato ludo taxillorum cum alio intento affinis Knutus in Scamno assidebat, ingressi sunt. Observato periculo, Knutus Valdemarum oculos a ludo avertentem osculatus est; cui quærenti, *quâ tam præter solitum blandus?* respondit, *brevi eum sensurum.* Illic armata Sveni phalanx irruens, structos tam longo tempore dolos eductis gladiis detexit. Omnes convivæ inermes, armatis resistendi impares erant. Ad primum tumultum Valdemarus manu amiculo obvolutâ: omnium primus è sede in pavimento prosiliens, tam acriter in Thetleifum se invexit, ut ad januam simul conciderent. Tolius isto femore, vulnus ei leve (grave *Saxoni*,) infixit, pollice quoque aliud vulnus acceperat; super eum humi stratum satellites ejus se proicientes corporibus suis protegebant, ipsi crebris vulneribus interea confossi, id quod ei evadendi occasionem præbuit. Interea Thetleifus humo se erigens inversâ manu Knuto ictum inferens, caput universum dissecuit; vulneravit eum & alter, nomine Hialmvidar. Caminum Rex faucibus incidit. Tradunt Dani (non tamen *Saxo*) Abfalonem, postea Archiepiscopum, non interfuisse eo tempore, cum tamen minister esset Valdemari longe carissimus promptissimusque, singulis satellitum Knuti, postquam mortuum cognoverant; latebras petentibus, ipse Valdemarum occisum existimans, ne examinem quidem deserturus, triclinium ingressus est. Exierant tunc satellites Sveni, tum requisito Valdimaro, cum nusquam invenisset, togam capiti Knuti subjecit, susceptumque genubus, quoad expirasset, fovit.

Inter primarios Knuti Valdemarique ministros intra ædes Constantinus remansit. Hic Abfalonis auxilium implorans, responsum accepit, *cum se ipsum extricare nesciret. nibilo plus ei succurrere posse;* jussit tamen, *ut per ostium nullis Svenoiorum excubitoribus obseptum exitum moliretur: se illud, quod periculosius custodibus vallatum aggressurum, simulque ambobus exequendum.* His dictis inter micantes gladios se inferens, cum hostes eum occidere pararent, propinqui sui Asleifi, qui tamen inter Sveni ministros erat, præfidiò evasit; is enim minatus est, se protinus occisurum, quicunque violentas manus ei inferret. Constantinum foribus elapsum Thetleifus observans, protinus immisissis persecutoribus occidit. Petrus Thenia (Themam *Saxo* appellat) fuit vir, qui Valdemaro maximam illo tempore opem tulit; primò enim equis eum instruxit, adq̃ locum Hvamsio deduxit, quò Abfalon prior ad affinem suum Petrum pervenerat; inter quos gratulatio mutua, cum convenirent, velut morte ereptos excitata est. Inde omnes simul Buathorpum usq̃ equitabant, ubi in quosdam suorum inciderunt. Ad Threismosas deinde proVectis obvius fit Abfalonis frater Asbiornus Snara, qui iis universas opes obtulit, adque Vikingavadas navem iis suffecit, quâ sinum trajiciebant, cælo valde procelloso, incolumes tamen terram affecti sunt. Eodem vespere sexcentæ Vandalorum naves ad Jolholmas perierunt.

SECT. IV.

VALDEMARUS, OCCISO SVENO, SOLUS REGNAT.



N Jutiam delatus Valdemarus Viburgum proficiscitur, ubi cædem Regis Knuti, suum periculum, Sveni dolos, ostensis in fidem vulneribus, exponit, petitisq; auxiliis, necessitatem præsentem monstrat. Omnes factum fraudemq; Sveni execrati, liberaliter opem suam pollicentur. Mox habito delectu validam manum contrahit. Interea Svenus suâ celeritate ulius Viburgum petit, spe Valdemarum intercipiendi, priusquam se copiis munivisset. Is vero Randarosiæ affluentes in dies auxiliorum partes exspectabat; cum Asbiornus Snara obvius iis, qui copias Sveni præcedebant, trium militum armaturâ eos spoliât; qui hac ignominia perfunsi ad Svenum prope Kornung subsistentem redeunt, acriusq; increpati, ignavia & desidia notati sunt, quòd contumelias repellere nescirent, nauci homines, fruges consumere nati, in quos inutiliter sumtus impenderentur. Asbiornus Valdemarum accedens, de adventu Sveni propere instante certiore eum facit. Verùm is, transito ponte, Randarosiæ reliquias copiarum exspectans prælium detrectabat, quòd viribus esset inferior, quam ut aperto Marte contendere posset, accedentemq; Svenum remoto ponte ulteriore aditu prohibebat. Nec illo tempore ad manus ventum est.


Eodem autumnò post festum Michaelis Valdemarus exercitum omnem in locum, qui Grandarheidi appellatur, non procul Viburgo in occursum Sveni, à copiis, instructissimi ducit, certusq; pugnandi locum castris idoneum esse, capit. Postquam cænassent, ad corpora quiete rescindenda conversis omnibus, ipse quoq; acquievit. Inter quietem visus ei pater S. Knutus se his verbis alloqui. *Hic tu, fili, sollicitus de eventu pugne rerumque exitu te ipsum torques; bono te animò cause bonitas esse jubet; dictis animorum advèrte, non enim vana visio hæc visio. Cum evigilaveris, corvum volantem conspicias; locum, quem capit, diligenter nota, ibi enim acies tua in ordines dirigenda; plenam deinde victoriam, Deo dante, reportabis.* Experrectus deinde visionem diligentius expendit. Ut verò corvum somno indicatum volantem animadvertit, statione, ubi is confedit, in locum pugnae delecta, instruit aciem. Mox approperans è solitudine magno cum exercitu Svenus, suum quoq; ordinat. Ulfus Ripensis vexillum ei præferebat. Horrendus ab utrâq; parte clamor comittit acies: inde pugna pari ardore diuq; anceps multo sanguine gerebatur. Valdemarus e quo insidens fortiter rem gessit, investusq; in aciem circa signa Sveni, dignam tanto fastigio pugnam ciet; nec segniter excipitur, donec dejecto signo Ulfus caditur, vir profecto laudabilis, si rebus secundis in instruendo sanis consiliis Rege parem fidem prudentiamq; adhibuisset, quam bello rebusq; ejus adversis præstitit. Exinde pavor & trepidatio exorta aciem Svenoniam solvit; mox effusa fuga, insequentium tergaque prementium ictus plagæque, fugientium cædes magnæ: pars in acie pugnando concidit. Ipse Svenus fugâ abreptus in itinere veste armisq; cum clericis quodam mutatis, cum hortatu ejus accelerare fugam pararet, in fruticeto quodam subsistens à Petro Thenia internoscitur; qui Regem interrogans. *Qui, inquit, Domine, tam humiliter incedis?* Mox accurrens

Kyemar Ketillis filius Regem occidit. Thetleifus captus mandato

Valdemari rotæ supplicio affectus est. Testatur *Atlius*

Sveni filius Islandus, se, cum in Dania esset,

ejus supplicii spectatorem fuisse.





HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS TERTIÆ

LIBER DECIMUS,

DE GESTIS MAGNI ERLINGI FI-
LII, REGIS HACONIS, ALIORUMQVE,
USQVE AD MORTEM EYSTEINI MEILÆ
ET INITIA SVERRERIS.

CAP. I.

HACON STATUM REGNI ORDINAT;
FACTIONIS INGII PRINCIPES MAGNUM ERLINGI
SKACKII FILIUM REGEM CONSTITUUNT, VAL-
DIMARUMQVE PRIMUM DANIÆ REGEM
IN AUXILIUM ASCISCUNT.



Mortuo Ingio, duplici jure, sanguinis simul & victoriæ, regnum Norvegicum sibi vindicavit HACON, in ordine nominis TERTIUS, cognomento HUMEROSUS. Hic regni statum ordinaturus, provinciis & urbibus satellites suos & milites præfecit. In æde S. Hallvardi de gravioribus regni negotiis consultatum erat. Metuens autem marito sibiqve

Christina Erlingi Skackii uxor, antistitem ecclesiæ illius, qui claves custodiebat, donis corruptit, ut virum sibi fidum sagacemqve in consultationibus penetrandis intra penetralia templi loco idoneo abderet. Per quem deinde certior, perniciosâ in adversam factionem consilia coqui, misso Bergas nunciô, monuit maritum, ne illis in posterum fidem ullam haberet. Qui periculo præcavendo proceres, satrapas, satellites, domesticosq; omnes, quos Ingio addictiores noverat, quicq; è prælio evaserunt, nunciis ad conventum celebrandum evocat. Ibi expositô communi periculô, si in imperium Haconis consentirent; ad communem omnium salutem non aliud remedium utilius visum, quàm ut repudiâtô eô, ali-

um sibi Regem deligerent, qui in Ingii opes regnumque succedens, occisum Regem ulciscatur, & partes, quæ illum secutæ sunt, protegat, bellum sustentet, imperioque & vitâ Haconem, si ita fors ferat, spoliât. In id omnium suffragiis consensus est. Proxima consultiô de idoneo ad tantum fastigium eligendo incidit. Erlingus Simonis Skalpi filium, quippe nepotem Haraldi Gillii ex filiâ, designavit, tutoremque & principem militiæ Jonem Hallkelsi filium. Quô tantum onus excusante, Nicolaum Sigurdi Hranii ex Skialdvöre Magni Nudipedis sorore filium imperio destinant. Sed & ille tanti nominis invidiam declinans, svasit ut è Regiâ familiâ Regem deligerent, virum autem strenuum solertemque negotiis regni domi militiæque expediendis idoneum: id ad auxilia contrahenda, civiumque studia comparanda requiri. Ingii vitricum sollicitandum, ut unum filiorum suorum, quippe Regis Ingii fratrem, Regem creari sinat, ipsum autem, ut vices ejus in administrando regno gerat. Qui de tantâ re interpellatus respondit, *filio Christinae, Regis Sigurdi Hierosolymipetae filie, juris prærogativâ regnum deberi: curatorem ei naturam providisse, qui nullâ ratione onus tantum subterfugere aut excusare possit aut debeat, quippe arctissimo sanguinis nexu devinctum, patrem scilicet Erlingum, virum sapientem, belli pacisque artium juxta peritum, usuque & exercitatione doctum, promptum, strenuum, de quo nihil non sperandum, si proceres eum non destituant.* In hanc sententiam multi concesserunt. Ad ea Erlingus hunc in modum respondit. *Periculum quidem, arduasque regni hoc statu curas laboresque immensos, singulos aversari video. Majestas hæc vitæ periculô quaeritur; anceps eventus, honoris bonorum vitæque jacturâ ab aliâ parte, ab aliâ fastigium in humanis maximum regnumque offenditur. In quaerendo multi oppressi, acquisito nec pauci exciderunt; par in utroque periculum. Si tanti ausus felicitate cessaverint, penitebit fortè quosdam vestram conditionem oblatam repudiâsse. Cavendum ergò sedulo ei, qui vestris tam arduis postulatis subscribit, ne sententiis postmodum eum destituatis, equæ amicis hostes isti fiat. Placuit omnibus cautionem adhiberi, fidemque singulorum pactis obligari. Ne quod attinet, respondit Erlingus, certè conditionem cum vitæ conjunctam periculo recipiam: si Haconi serviam, nec istius me metu exsolvam, procuratorene regni suscepta: vestra tamen providentiâ studiisque fretus, hoc, quæque est periculi, eltam, si vobis omnibus id cordi, suffragiaque & fidem in posterum sacramentis obsequeris.* Omnibus applaudentibus, ejus filius Rex destinatur, comitiisque in urbe frequentibus omnium suffragiis, totius Norvegiæ Rex renunciatur, annos quinque natus, MAGNUS Erlingi filius, in ordine nominis, si Haraldorum Strenui & Gillii filiorum ratio habenda, Sextus. In ejus satellitium quotquot ibi præsentibus Ingii Regis satellites fuerant, officiis honoribusque iisdem, quibus antea gavisi erant, adfiscuntur.

His perfectis Erlingus decem navibus in Daniâ navigat, assumptis secum filio Rege Arnio, Regis affine dicto, ejusque uxore Regina Ingrida, Regis Ingii matre, cum communibus duabus filiabus, Ioneque Kuttiffa, Sigurdi Storki filio, domesticis suis omnibus, iisque, qui Gregorii domestici fuerant; accessioque Valdemaro Rege, Burizeque Henrici Skokulis, seu Skataleri, filio uterino, Regis Ingii fratre, Regis Daniæ auxilium implorant. Erat enim Magnus Valdemaro in tertio gradu inæquali junctus propriis sobrino, Comiter acceptis post longam consultationem convenit, ut Valdemarus Magnum auxiliis, quantis ad Norvegiam in potestatem redigendam retinendamque opus esset, instrueret, tutumque in

in Daniâ receptum præstaret, recepturus vicissim possessionem partis, quam majores ejus Gormus Senex & Svenus Admorsæ barbæ tenuerunt, Vikam nimirum omnem Rygiarbit usque. In hæc fides juramenti data acceptaque. His peractis iter Erlingus instruit, promontoriôq; Vendilæ solvens Norvegiam petit;

Meminit hujus *Saxo Lib. XIV.* Cum enim exposuisset bellum, quò Ingius cæsus est, verbis à nobis superius relatis subjungit. *Hoc bello, quo nullum majus aut cruentius Norvegia habuit, universum illius regni columnen propemodum à stirpe interit. Hujus cladis superstes Erlingus cum filio suo Magno, admodum parvulo, sed Valdemarium arctam generis propinquitatem habente, ad Futiam appulit. Ibi in summâ Regis dignatione versatus, uberes exilii impensas & amplissima comæatum instrumenta percepit.*

CAP. II.

DE HACONE A THRANDIS REGE
PROCLAMATO, SIGURDOQUE DE REYRE CO-
MITE CONSTITUTO; ERLINGI IRRUPTIONI-
BUS, ET HACONIS CÆDE.



Primo vere post festum resurrectionis Domini-
nicæ Hacon cum universa classe in Thrandiam pro-
vectus, comitiis Nidarosiæ celebratis, suffragiò ordi-
num, adeoq; universi populi, totius Norvegiæ Rex
renunciatur: mox Sigurdum de Reyre Comitatus
honore ditioneq; ornatus. In Vikam inde retrogressus,
Tunsbergæ resedit, Comite Sigurdo Kongahellam
ad limitum defensionem Erlingumq; è Dania propediem imminentem ex-
cipiendum remissò. Verum ille declinato isto regni tractu, Agdis alla-
plus, rectâ Bergas festinat, ibique occiso Regis Haconis præfecto Arnio
Brigdashallio rursus in orientem Haconi occursum movit, Sigurdò Comite,
reditus ejus ignarò, etiam tunc ad Gautelsam consistente. Nec Hacon
Tunsbergâ moverat, cum Erlingus aliquot dies ad Hrofsanesiam, aliis
Hrafsnesiam, classe consisteret. Ad oppugnationem igitur in urbe susti-
nendam omnia præparat, cum Erlingus ferentis venti oportunitate u-
sus navem actuariam, stipulis lignisque aridis repletam, injecto igne
flamantem, ad eam impellit: cui duas liburnicas, totidem rudentibus con-
nexas, remis ita ponè concitari curavit, quemadmodum illa ventis agita-
ta præcessit. Ne verò urbs incendiò periret, illi, qui lembos agitabant,
incendiariæ navis, jam urbi appropinquantis, cursum rudentibus stiterunt.
(sic MSS., quæ ad manus habeo, referunt: quasi incendium urbis minari,
tantum ad terrorem civium, non autem exequi, Erlingus decreverit.
Editio Danica, & fortè veriùs, Haconi id adscribit.) Densi interea fumi
caligo ventis impulsa urbi pontibusq; adeò incubuit, ut acies classisque
Regia, quam tamen propius applicabat, conspici nŕsqviret. Ignis itaque
ædibus appropinquantis, sagittarumq; metu, missus ad Erlingum sacro-
rum interpres Roaldus, à prolixis concionibus Lanatata, seu *copiosi ser-
monis*, dictus, pacem urbi civibusq; impetravit. Quò cognito cives, de-
ferentis ordinibus, ad sua redierunt. Rarefcente deinde acie Haconianâ, e-
rant tamen qui hortarentur ad pugnam. Quò audito Aunundus Simonis
filius (*Saxoni Lib. XIV. p. m. 307.* memoratus) cui in exercitu Haconis ma-
gna

gna autoritas, se pro parte regni Comitis Sigurdi, jam absentis, minime curtaturum pronunciauit. Atq; his dictis se in fugam coniecit: secutus Rex, eumq; turba plurima. De his duo carmina extant. Inde ad Haco-nem, per montana Thrandiam usque profectum, Comes Sigurdus classe contendit. Hac victoriâ naves omnes, quas Tunsbergæ Ingius posside-rat, & in his prætoria Beikifuda, receptæ.

Vikâ deinde, rectò in aqvilonem itinere, transitâ, inq; Magni Regis obsequium redactâ, cum reditum Bergas esset, Erlingi iussu Ingibior-nus Sipill præfectus Haconis occisus est. Ipse Hacon in Thrandia hyber-nans, in proximum ver expeditionem contra Erlingum edixit, ei in tran-situ occursum, his præcipuis proceribus comitatus, Comite Sigurdo, Ione Sveni filio, Endridio Jungio, seu Juvene, Aunundo Simonis filio, Phi-lippo Petri filio, *Saxoni* eodem loco notatò, Rognvaldo quodam cogno-minis Obscæni, Sigurdo Kapa, Sigurdo Hiupa, Frirecho Kæna, Askele de Forlandia, Thorbiorno quæstoris Gunnaris filio, & Biornio Salaci.

Interea Erlingus Bergis frequenti milite stipatus mansit. Ne verò Hacon per intermeantes naves res suas rimaretur, mercatorias omnes Bergis edictò definuit, obtentu, ne hostis mercibus, quibus Bergarum ci-ves provinciæque assitæ indigerent, instrueretur, etiam si Bergis mino-ris venderentur. Naves autem in dies magno actu affluerunt, cum ad-itus omnibus, regressus nemini, pateret. Navium deinde bellicarum le- vissimas subduci curavit, sparsorumore, se hostium adventum ibi ex-spectaturum, nec de viribus ad resistendum diffiteri, amicorum propin-quorumq; præsidio suffultum. Die quòdam nautico præfectorum col-legio advocato, mercatoribus omnibus liberum commeandi arbitrium permisit. Tantâ autem alacritate venia illa excepta est, ut cum multæ paratæ ventum faventem noctæ essent, aliæ ad merces distrahendas, aliæ ad alia negotia peragenda, in diversâ tenderent, omnes tamen ad horam a meridie tertiam, quæ aqvilonem petebant, portu solverent. Certami-ne deinde navigationis instituto, ratione molis aut agilitatis segnius aliæ, aliæ citius, provehebantur, omnes tamen ferente vento properè Mæras ad-vectæ sunt, ubi tum ipse Rex Hacon satrapas civesque in expeditionem legebat, jam longo tempore notitiâ eorum, quæ Bergis gererentur, cas-us. Cum autem singuli uno velut ore referrent, Erlingum naves subdu-xisse, magnis tamen copiis instructum adventum eorum expectare, nec sequentium relationes præcedentibus discrepant, Regem ministrosque sollicitudine solverunt; qui, velut certi quid potissimum in rem esset, pro-fectionem hunc in modum instituerunt. Rex Hacon ad insulas Veeyas navigans Comitem Sigurdum in Raumsdalum ablegavit cum Aunundo Si-monis filio, ad naves, milites, nautasque comparandos; alios in utramque Mæriam. Ipse post exactas in oppido tres dies paulisper in austrum na-vigans auxilia reditumque suorum expectabat, ratus eum in locum fa-cilius ad se confluros, unde iter rectius maturaretur. Die dominica Er-lingus naves interdicto detentas dimiserat; die Martis, finitis precibus ma-tutinis, tubâ Regiâ cives urbani militesque ad deducendas stationibus na-ves nuper subductas evocabantur. Ibi domestico collegio propositum ex-ponit, præfectos in naves singulas ordinat, chartisque nautarum nomi-nâ recitari curat; suum quemque locum observare jubet, capitis aut membrorum pænâ adjectâ, si quis in urbe remanserit, cum navem por-tu educeret. Eodem vespere Ormus Regis frater suam navem statione eduxit: plurimæ quoque in prociectu stabant.

Die Mercurii ante matutina sacra univerſam claſſem, quæ navibus unâ ſupra viginti conſtabat, portu ſolvens, vento carbaſa acriter percutiente, auspiciis filii Regis, multis ſatrapis inſtructiſſimoque milite inſtructi, unaque profecti in aqvilonem curſum direxit, dum Fiordos præveheretur, miſſus ad domum Jonis Hallkelis filii, quæ in reſſu à viâ publica erat, lembus, qui Nicolaum Simonis Skalpi filium, Regis Haraldii Gillii è filiâ Mariâ nepotem, quem prius Regem designabat, arceſſeret; qui adveſtus eſt, nunquam deinde rediturus.

Manè die Veneris Steinavogo adnavigabat; ibi Rex Hacon in ſilvâ cum ſuis ludos exercebat, ſatrapæ verò in colle confidentes ſcapham obſervabant, a duobus remigibus omni niſu concitatam, ad auſtralem inſulæ partem contendere, quam in litus deductam ne alligare quidem ſuſtinentes, ſummâ feſtinatione in inſulam properabant. Rem magni momenti afferre viſi, in occurſum ſuum ſatrapas convertebant, exquirentes, *an ullam Erlingi notitiam haberent, cum tam iniuſtata feſtinatione ferrentur?* Qui prior vocem laſſitudine intercluſam tollere potis erat, Auſundo Simonis filio, qui primus interrogabat, reſpondit; *Habetis eum viginti circiter navibus adnavigantem, jamjam cervicibus veſtris imminentem; inter quas multæ magnitudine eximiâ.* Tum verò Endridius Jungius; *prope naſum, ait, dixit juvenis, cum conjectam oculo ſagittam excepit.* Mox ad ludum appropinquantem viſa nunciant. Inde tubis copię omnes convocatæ ad naves, quæ quatuordecim in portu ſtabant; ſummâ feſtinatione accelerant, ratemque proximam quamque ſine ordine inſiliunt; quare evenit, ut quædam nimia multitudine gravatæ præ anguſtiis minùs defendi poſſent, quædam deſenſoribus deſtituerentur. Et jam dies ad prandii tempus proceſſit. Malis deinde erectis, velis remisque ad Veeyam in aqvilonem tendunt, ab urbanis civibus auxilium exſpectantes.

Interea claſſis Erlingi appropinquant, fruunturque mutuo altera alterius conſpectu. Inter Haconianas Endridius Jungius longâ magnaque nave, Draglon dicta, ſed à milite peſſimè inſtructâ, vectus, ultimus navigabat, quippe noviffimè portu evector, quòd remiges ejus alias in naves in tantâ trepidatione ſe intuſiſſent. E regione inſulæ Seck navigabat, cum inſecutus Erlingus Beikifuda vectus eum premebat, ita ut inter ſe naves connecterentur. Pænè Veeyam aſſecutus eſt Hacon, cum tubarum clangore audito, naves, quæ proximæ Endridio erant, in auxilium ei converſas aſpexit; eò igitur properans ſuam Erlingo claſſem cominus jungit, nec tamen naves vinculis invicem connectebantur, multaque vela in mediam navem corruerant. Vix longum tempus interceſſit, cum Haconiana navis multâ cæde vaſtata, multis undas inſilientibus exinanita, in poteſtatem venit. Tunicâ igitur colore cæcio aſſumtâ aliam navem inſiliit. Verùm poſt exiguum tempus, certus ſe inter hoſtes agere, cum nullos ſuorum circa ſe conſpiceret, inops conſilii in proram Beikifudæ proſiliens dedit ſe proratis, vitamque precatur. Iſti acceptum in fidem prodere deinde noluerunt. Multi ab utrâque parte hoc impetu caſi, plures tamen Haconianorum; caſus & Nicolaus Simonis Skalpi filius. Et jam ſuſpenſo certamine naves ſe explicabant, cum Erlingo relatum eſt, Haconem à proratis deditione receptum, qui ſalutem ejus armis quoque tueri ſtatuert. Miſit ergò ad eos cum mandatis, ut ipſum diligenter aſſervarent, *ne elaboretur; ſe non impediturum, quòd minus ei parcereſtur, ſi id procerum voluntate fieret, & deinde de pace ageretur.* Ipſi tantâ clementiâ opinione inſtillatâ laudibus eum extollunt.

Horrendo deinde tubæ sonô prælium instaurat, imperans ut reliquas naves, quæ nondum captæ, pariter in potestatem redigerent; *non aliam occasionem affulsuram commodiorem ad Ingii Regis vindictam exsequendam.* Mutuâ deinde vociferatione adhortationeq; se invicem invitantes in hostium naves se inferunt: Isto congressu Hacon lethale vulnus accepit. Ejus cæde cognitâ, milites ejus in rabiem efferati, projectis corporum munitimentis, salutis securi ambabus manibus gladios in hostes vibrabant. Impudens illa audacia eis protinus damnosa fuit; Erlingi militibus, ubi maximè nudi ad ictum paterent, intentis. Magna pars exercitûs Haconis isto præliô concidit, tum quòd numerò impar, tum quòd projectâ audaciâ hostiles ictus contemnebant; maximè autem quòd de venia desperarent, quæ nec patebat ulli, præter eos, quos potentiores in tutelam receptos certâ pecuniæ summâ redimi curârunt. Ex Haconianis desiderati Sigurdus Kapa, Sigurdus Hiupa, & Røgnvaldus Kunta. Quædam naves præliô in Fjordos elapsæ periculum evitârunt. Corpus Haconis in Raumsdalu delatum sepulturæ mandabatur; quòd postea frater ejus Rex Sverrir Nidarosiam translatum in æde Servatoris australi chori muro illatum condidit.

Sigurdus & Endridius Jungius, relictis in Raumsdalo navibus, unâ cum Anundo Simonis filio, Frieco Kanâ plurimisq; proceribus, ad Upplandas dilapsi factionis reliquias sustentabant. Erlingus autem Skackius cum filio Magno Nidarosiam profecti, provincias, per quas transierunt, sibi subjecerunt. Indictis deinde comitiis Eyrensibus, suffragii ordinum, pòpuli voce Magnus totius Norvegiæ Rex salutatur. Sed nec ideò Thrandis major fides habita. Erlingus namq; cum Rege post exiguam moram inde discessit. Ex eo tempore Magnus Norvegiæ Monarcha habitus est.

Fuit Hacon specie formæ commendabili, proportionè staturæ justâ, procerus & tener, humeris latioribus; inde à militibus suis Humerosus appellatus, faceris & placidus, ludis more juventutis deditus, vulgo carus. Etatis tenellæ indoles procerum administrationem requirerat.

Hæc alio tenore Saxo, nec pari cum nostratibus experientiâ, retulit. Cum enim exposuisset, Erlingum in Dania in summa Regis Valdemari dignatione versatum, uberes exilii impensas & amplissima cõsuetuum instrumenta percepisse, hæc subjungit. *Interea Sivarus quidam per summam commilitonum invidiam, fortitudinis præmium receptorus, dux ab Haquino constituitur, idque agrè ferentibus cæteris summæ seditioni locum dedisset, nã Erlingus repente è Dania superveniens, internæ factionis certamen rumpendo, novum hostibus negotium peperisset; quippe prædictum filium, quòd maternum genus cum præcis Norvegiæ Regibus communicaret, Regem continuò nominavit, ne aut Haquino æmulus aut Ingoni ultor deesset, ita novis rebus increbescens, Haquinus à Sivaro, quòd ei impensas belli negasset, desertur, acieque cum Magno congressus occiditur. Quòd quantum à superioribus discrepet, legenti patet.*

Ad hunc annum Annales Flateyenses referunt initium regni Karlis, (sev Caroli) Sorqveris filii, Sveciæ Regis, quem octo annis præfuisse tradunt.

CAP. III.

DE SIGURDO SIGURDI BRONCHI FILIO REGE CREATO: ERLINGI CUM COMITE SIGURDO PRÆLIO, HUIUSQVE ET ENDRIDI JUVENIS CÆDE.

Solut



Olus jam rerum potitus esset Magnus, ni factio viſta atrocioris pænæ metu æmulum ei exci- tāſſet SIGURDUM, alterum Sigurdi Bronchi fili- um, in Uplandis apud Marcum de Skogo, Comit- is Sigurdi propinqum, educatum; qvem ipſo Comite proceribusq; aliis, qvi Haconi adhæſerunt, anniten- tibus, Uplandi Regem dixerunt. Magnum iis illò

tempore ſub novi Principis initiis robur, ſectantiumq; numerus, diverſis itin- eribus partes regionis infeſtans, vel tranqvillè obiens. Marcus Regem ſecutus loca periculòſa declinavit. Uplandas Comes peragrabat, in Vikam interdum inſuſus. Cùm autem agri anguſtis premeretur, multitudine- que hominum abundaret, brevi æris penuriâ laborare cæpit. Inde duræ exactiones per provincias à Rege & Erlingo remotiores, pars etiam ra- pinis ſubjectæ.

Partem autumni Erlingus, Rege filio ſemper lateri ſuo adhærente, Bergis tranſegit; inde Vikam petens Tunsbergæ remanſit, iis, quæ ad hyberna requirerentur, undiq; collectis, unâ cum redditibus & tributis, quæ iſtæ provinciæ debebant; nec ei copia militum ſelectorum deerat, aut Vi- kenſium inſigne ſtudium, quod ei maximè memoria Regis Ingii, cui per- petuâ integrâq; fide inſerviverant, conciliavit. Illo tempore Norvegia magnopere flourit, ruſticis divitiis abundantibus, injuriarumq; & rapina- rum, quas factiones inferebant, inſvetis. Inde crebri rumores per pro- vincias ſparſi, quoties una expilabatur, cæteras ad ultionem excitabant. Erlingus ad avertendum periculum vigilum excubiis urbem ſingulis no- ctibus vallabat, quotidie conventus celebrabat, ubi injuriæ Comit- is Sigurdi factionisq; illius multis verbis traducebantur: annitenteqve Erlin- go ejuſque ſatellitibus perſvaſum eſt agricolis, præclarum facinus patra- ri, ſi factionem iſtam diris devoverent. Affinis Regis Arnius multis hac de re concionatus. Sub orationis finem ab omnibus, qvi in foro erant judiciario, poſtulabat militibus, civibus urbanis & provincialibus, ut ta- cis armis Comitem Sigurdum cum tota factione patrii legibus principi tenebrarum vivos mortuosque adjudicarent, idque ardore impetuque po- puli obtinuit; conſenſuque omnium patrii juris proceſſu in curiis recepto infanda ſententia lata eſt, commendante Roaldo preſbytero Langſala, ſeu copioſo, viro eloquente, vel potiùs inſaniente.

Natale Chriſti feſtum anno MCLXIII. Erlingus Tunsbergæ cele- brans ſuis impenſis convivia præbuit. Feſtò purificationis ſtipendiâ au- liciſ data. Interea Comes Sigurdus, ſpreto judicio Tunsbergenſi, valido exercitu provincias Vikenſes peragrans, multos in ſuas partes vi adegit, aliis pecunias expreſſit, inſperatoqve diverſas partes fatigans, raptu po- tiſſimum vivebat. Erant tamen in factione ejus, qvi Erlingum clam de- impunitate ſollicitarent. Cùm autem reſponſo ejus vitæ quidem ſpes om- nibus talia quærentibus fieret, patriæ tantum iis, qvi atrocioribus injuriis ipſum non incitâſſent, robur factionis conciliabatur, cùm multi ſibi ma- lè conſcii exilio qualemq; belli eventum præferrent; Philippus tamen Gyrderis filius non modò veniam ab Erlingo, ſed etiam agros ſuos om- nes, impetravit, redienſq; prædium, ut prius, incoluit. Verum paulò poſt à militibus Comit- is Sigurdi invaſus occiditur. Multæ inter eos ve- litationes, multæ quoq; privatorum hominum mutæ cædes, quæ literis proditæ non ſunt, cùm Principum tantum geſta notaverit author.

Initio Sexagesimæ, Erlingus per exploratores comperit instare Comitum; verum nullo certo itinere investigari posse, cum modo propius, modo remotius vadat. Speculatores igitur plures subornat, qui diversaria illius viasque exploret. Ipse singulis vespertis copias omnes signo tubæ urbe educit, inque ordines dirigit, noctes sub dio agit. Tandem cognoscit, non procul urbe Hamare Comitem in loco Ræ commorari. Eo igitur se confert cum universis copiis, nullò præter duodecem mercatores ad custodiam urbis relicto; assumpti quotquot armis portandis habiles erant. Fertiâ tertiâ secundæ Quadragesimæ hebdomadæ post horam tertiam à meridie urbe exiit, singulis duarum dierum cibariis instructis: unus duobus equus, unus quoque clypeus datus. Mille quingenti plus minus sexaginta erant. Tardè urbe egressi iter per noctem faciebant, cum occurrens speculator Erlingo suggerit, in prædio Hrafnnesia paræciæ Ræ sexcentis militibus Comitem diversari. Quò cognito, convocatis omnibus, quæ cognoverit, exponit. Ardor inde militum eadem illos nocte imparatos invadendi, incendioque vel armis delendi. Tum Erlingus: *Spes quidem assulget certaminis; sunt inter eos, quorum facta memoriam refricant. Regem enim Angium occiderunt, aliosque nostros amicos, quorum longus numerus, nec id virtute bellicâ, sed viribus Diaboli, magicisque artibus & nefario scelere; nostris enim legibus nefariè sceleratus audit & clandestinus sicarius, qui de nocte homines occidit. Hoc tamen institutum veneficorum instinctu scelerata hæc societas amplexa, quæ ab averso Sole fortunam sibi spondit, assecutaque tanti principis interitum. Mores ipsorum dudum nobis exosos non est quod imitemur. Eorum potius exempla sequenda, qui nobis notiores, candoreque suo semet commendant. In diem prælium differemus: palam instructâ acie aggredi certum est; latrunculorum & furum est, dormientes homines opprimere. Satis nobis virium adversus paucos manipulos; nox nobis sub clypeis, observatis ordinibus, ne imparati opprimamur, peragenda.*

His dictis copiarum universi confidebant, quidam fruges sæni solventes sibi supponebant, quidam clypeis insidebant; ita nox sub pluvio cælo frigidoque peracta. Et jam ædibus appropinquabant, cum Comiti Sigurdo adventus eorum nunciatur, nec tamen, quantis viribus essent, constabat. Surgunt itaque armaque capiunt; consiliis tamen variatum, fuga-ne an prælium præstaret.

Fuit Comes Sigurdus sapiens & eloquens, bellò tamen minus promotus habebatur: jamque ad fugam inclinabat; illo nomine à militibus statim valde quoque increpatus. Lucente die utrique acies instruunt, & Comes quidem in devertitate pontem inter & ædes, Erlingus in diversa ripa poneque aciem equites bene armatos disposuit. Visa tunc acies opinione major metum Comitibus militibus incussit; quibus sylvam proximam fugam petendam svadentibus Comes respondit; *metum quidem mihi improperatû, illius jam documentum petendum; vobisque cavendum, ne ullus vestrum, nisi me præeunte, fugiat. Loci oportunitate præstamus transitus pontis nisi permittendus; quo superato de colle præcipientes in illos confertim irruemus, nec minus alterum derelinquet. Tunicam gestabat nigram, pallium rubrum, cuius inferiores partes in baltheum retortæ connectebantur, perones (Sistua) pedibus aptabat; clypeum præterea & gladium, quem Bastardum appellabat. His instructus; teste, inquit, Deo, multo auro præferrem uno Bastardi ictu Erlingum Skackium collineare. Pontem transituræ Erlingi copiarum ab ipso inhibebantur, qui secundum flumen ingredi eas imperabat; esse enim facile transitu planis ripis, nec impeditis. Ex adverso Comes Sigurdus*

gurdus secundum collem suas copias ducebat; quò deficiente, imperante Erlingo, ut sui *Pater noster* & *Kyrieleis* altâ voce cantent, Deumq; ut iis victoriam det, poscant, quibus id magis conveniret, scutaq; simul gladiò qvatiant. Isto strepitu trecenti ex ejus exercitu dilapsi se subducunt; inde reliqui amnem transeunt. Comitis autem Sigurdi exercitus, militari clamore sublato, ex colle in eos proruit; in radicibus collis pugna ciebat, primò hastis, deinde gladiis, donec signo Comitis impulsò Erlingiani collem occupant; nec diu deinde certatum, cum Comitis copiæ in sylvam, quæ à tergo erant, fugâ dilapsæ sunt. Id cum ei nunciatum esset, simulq; consultum, ut fugâ sibi consuleret: *Progrediamur*, inquit, *dum licet*; proventusque cum suis in aciem hostium, memorabilem pugnam edebat, ab utroque latere feriens. Eo impetu ipse cum lone Svenio circiterque sexaginta aliis fortiter occubuit. Ex Erlingo pauci casi, reliqui palantes persequentes in sylvas compellunt. Inde Erlingus conversus ad suos, incidit in servos, qui Comitem jam palitantem, nec mentis compotem, vestibus nudabant; repertoq; ejus gladio, qui vaginâ conditus ei adjacebat, illos verberibus repulit. Inde copias omnes Tunsbergam reduxit. Post septem dies à cæde Comitis Endridium Juvenem Erlingii milites cum nautis omnibus, quotquot naves ejus vexerat, occiderunt. Hæc iterum Saxo alio tenore refert. *Sivardus*, inquit, *ad Sveciam dilapsus, dum interjectis diebus in patriam revertitur, ab Erlingi militibus interficitur: quò evenit, ut obscura & ignobili cæde spiritum deponeret, quem honestè in acie profundere noluisse.*

CAP. IV.

DE SIGURDI ET MAGNI ULTIMIS
SUPPLICIIS, ET ERLINGI IN HISINGOS
SEVERITATE.

Ere appetente Marcus de Skogo cum alumno suo Rege Sigurdo Vikam ingressus classem comparavit. Quò cognito, Erlingus eos persecutus Kongahellæ assecutus est. Ii verò in Hisingam fugâ delati ab incolis undique confluentibus excipiuntur; qui illis se associantes accedentem Erlingum telis incessunt. Is navibus eorum interceptis, insulam conscendere inconsultum ratus, quòd essent Hisingi bellatores strenui, sed stulti; nec viderentur factionem hanc diu sustentaturi, quòd angustiis terminis insula circumsciberetur. Naves deinde Kongahellam deductæ; Marcus cum suis in Marcus delatus est. Mutua inde notitia, mox etiam impressiones, inter Erlingum & eum, quamvis hic magno militum numero stipatus, etiam ex provinciis delectum auxerit. Uplandas inde Marcus Rexque Sigurdus profecti per mediterranea Thrandiam petunt, ubi omnium studiis excepti. Sigurdus etiam Rex in publico Eyrathingensi foro renunciatur. Mox factionem magno concursu nobiliorum civium filii augent.

Initiò ætatis properè in Mæras tendunt, Regios ubique reditus exigentes. Bergis hi Satrapæ urbem subjectasque provincias tuebantur, Nicolaus Sigurdi filius, Neyckvius Pauli filius, aliique militum tribuni, inter quos Thorolfus Dryllus, & Thorbiornus Qvæstor, magnis copiis suffulti.

fulti. Quò cognito, Rex & Magnus viâ exteriori Bergas transeunt. Fama increbruit illâ æstate ventos eis, quocumq; pergerent, obsequentes fuisse. Ut verò Erlingus de eorum itinere certior factus est, in aqvilonares Vikæ partes magnis copiis multaq;ve classe, majoribus navibus magnam partem constante, se proripit. Verùm totam æstatem variis in portibus, repugnantibus ventis, impeditus.

In Lyftarum provinciam Marcus devectus est, cum de apparatu Erlingi certior, retro pergere compulsus Hördalandiam devenit. Bergas profectus, ut primum urbi appropinquabat, obvium habet Nicolaum, validioribus copiis, navibusq; majoribus, quam ipsi, instructum. Quibus cum se omnino impari animadvertit, fortunæ aleam tentare veritus, fugam capeffit; alii in altum, alii Fiordos, alii Sundam devecti: ipse cum magno comitatu insulam Skrapam conscendit. Nicolaus, captâ eorum classe, plerosq; occidit, Ioni Hallkelis filio paucisq; aliis pepercit. Paucorum dierum interjectu Endridius Heidaflia in Sigurdum Marcumq; incidens, utrumq; comprehensum Bergas deducit. Sigurdus prope Grafbulum capite plexus est; Marcus ad Hyarfsnesiam uno cum comite patibulo suffixus, idq; festo Michaelis Archangeli. Tanto labore ipsis tam tristis vitæ exitus constitit. Atque ita factionis istius reliquæ dispersæ sunt.

Posthæc Frirecus Kæna, Biarnius Malus, Aunundus Simonis filius, & Aurnolfus Skorpa, qui aliquot navibus in altum evecti sunt, extra omnes insulas in orientem navigantes, ubicumq; terræ applicuerunt, Erlingianos diripuerunt occideruntq;ve. Verùm Erlingus, cognitò Marcum Sigurdumq;ve cæsos, satrapas omnes militesq; in expeditionem lectos dimisit, ipse cum copiis residuis sinum Foldicum, seu Osloensem, transmisit, reliquias Marci persecuturus, Kongahellamq; delatus autumnum ibi transegit. Primâ vero hyemis hebdomadâ magno comitatu insulam Hisingam accessit, conventumq; indixit. Quò cum frequentes incolæ confluisent, postulavit cum iis, quod Marco se instruisent. Præcipuus inter eos Aulfur quidam crimen perduellionis longâ oratione diluturus, tempus comitorum extraxit, ad ultimum arbitrariâ pænâ de se statuentâ Erlingo permissâ. Post octiduum quindecim, quorum nomina edita, redire iussi ad sententiam audiendam. Multatî trecentis sexaginta bobus tristem nuncium tristes & ipsi domum referebant. Verùm cum paulò post constrictus gelu fluvius classem inclusisset, multam pendere recusantes congregati aliquandiu excubabant, vim propulsaturi. Erlingus interea convivium Jolense apparabat. Sed Hisingi comotationem de symbolis celebrant. Noctè, quæ quintum festi diem excepit, Erlingus insulam advectus, Aulfurem cum universâ domo incendit, centum homines occidit; villas tres in favillas redegit. His peractis Kongahellam rediit; quò deinceps rustici convenientes multam solverunt. Atque ita is Erlingus, qui nocturnas cædes adeò prius detestatus est, jam à se ipso diversus, iis pænam potissimum exequendam statuit. Primo deinde vere anni MCLXIV. cum rarefcente glacie classis expediri posset, Kongahellâ solvens, in aqvilonem Vikæ, ubi reliqui ex collegio Marci atrocinebantur, cursum dirigit, perque speculatores de itineribus eorum certior, in portum quodam iis improvisus supervenit. Aunundus Simonis filius & Aurnolfus Skorpa elapsi, Frirecus Kæna & Biarnius Malus (*Editio Danicæ* malè vertit *Milde*, id est *mitem*) capti, multi eorum commilitonum cæsi, Frirecus ad anchoram ligatus in mare projicitur; quò factò maximum

Thrandorum odium Erlingus in se concitavit; nam ibi Frirecus nobilissimo genere ortus erat. Biarnius furcæ adjudicatus, etiam tum, uti semper confverat, spurcissima voce, antequam suspenderetur, vitam clausit. De his extat versus Thorbiorni Skacka-Skaldi, id est Erlingi Skackii poetæ.

Aunundus & Aurnulfus cum aliis, qui prælio evaserant, interdum in Dania, interdum Gothiâ vel Vikâ, vitam tolerabant. Hos forte Saxo intelligit, cum superioribus hæc subjungit. *At qui ex Haconis militia superfuere, partim novarum rerum cupiditate, partim hostium fortune invidia accensi, Marci cujusdam alumnum, optime spei puerum, in Regem asciscunt, nec felius quam proximè fortunam tentarunt, siquidem prælio ab Erlingo obtulit, victoriâ pariter ac Rege privati ad Carolum Svecie Regem profugiunt, ipsamque belli ducem exposcunt, cui cum Norvegie Regibus etiam aliqua necessitudinis communitio videbatur. A quo diu promissorum alacritate protracti, postquam eum magis de proprio regno servando, quam alieno obtinendo, sollicitum compererunt, legatos ad Valdemarum auxilium implorantes miserunt. Tandem ipsi benignioribus responsis invitati venere.* Reliquâ his connexa inferius idoneo loco excribam.

CAP. V.

ERLINGUS, ARCHIEPISCOPUS EYSTEINUS, ET ROMANÆ SEDIS LEGATUS, BERGIS CONVENIUNT, EYSTEINUS OBVENTIONES CA-
THEDRÆ NIDAROSIENSIS EXTENDIT. MAGNUS REX CORONATUR.



Profligatis Sigurdi Marciqve copiis Erlingus

Tunsbergam petit, inque multum ver ibi remanet; appetente ætate Bergas accedit, ubi tum ingens hominum congregatio; inter quos eminebat Stephanus, Romanæ sedis legatus, & Archiepiscopus Eysteinus (Augustinum *Theodricus Monachus* appellat, cui Historiam suam inscripsit) aliique præfules indigenæ.

Præter hos Brandus, diæcesis Holanæ in Islandiâ Antistes, nuper initiatus. Ibi quoque Jon Lopti filius Islandus, Magni Regis Nudipedis ex filiâ nepos, à Magno Rege aliisque propinquis suis in familiam seu sanguinis Regii commercium approbatus. Et Eysteinus quidem Archiepiscopus, Erlendi Himaldi filius, cujus genus ab Ulfo Stallario alibi retulimus, post mortem Jonis, seu Johannis, Byrgeris filii, primi sedis Nidarosiensis Archiepiscopi, supremus sacrorum pontifex electus est; initiatus autem eodem anno (MCLXI.) quò Rex Ingus cæsus est. Hic flagrantissimâ totius populi gratiâ cultus est, in primis Thrandorum, quorum nobilissimus quoque, exceptis oppido paucis, sanguinis, singuli autem amicitia nexu ei devinciebantur: cujus pariter ac propriæ autoritatis & promptitudinis fiducia redituum sedis Archiepiscopalis auctum à colonis postulavit, æris, qui multæ nomine penderetur, in duplum valore, argentea nimirum uncia pro vulgari, quæ dimidiò minor prius solvebatur, nec condemnatio pecuniaria, quæ fisco Regio debebatur, aliter censetur; causatus sedis Archiepiscopalis proventus ad dignitatem, quæ acceperat iis redditibus, quos antea, cum suffraganeorum tantum sedes esset, obtinuerunt

runt, sustentandam non sufficere, amicorum inde auxiliis eloquiiq; dexteritate obtinuit, ut publico iudicio pensio isthæc per universam Thrandiam provinciasque alias Archiepiscopali cathedræ assignatas sanciretur. Sæpius Erlingus remotis arbitris cum Archiepiscopo Bergis collocutus, inter alia prævit, *an vera relatione compererit, eum obventiones suas, quas rustici multæ nomine penderent; auxisse?* Is verè quidem relatum ait; id enim illos sponte in se, sed nulla coactione, recepisse, nimirum ad gloriam Dei, ecclesiæque cathedralis opes amplificandas. An ergò, Domine, ait Erlingus, id ex legum Sancti Olavi præscriptis factum est? an verò aliquid a vobis adjectum? Leges, respondit Archiepiscopus, Sanctus Olafus tulisse videtur secundum populi consensum; sed nec ibi legitur prohibitum, quominus jus divinum liceat amplificare. Tum Erlingus: *Quandoquidem vobis licet vestri juris incrementum promovere, licebit fortasse simul adiri, ut Regis quoque jus per nos pariter increseat.* Tum Archiepiscopus: *Satis quidem nomen imperiumque filii tui amplificasti.* Equidem si ego supra leges reditus ecclesiæ Archiepiscopalis auxi, certè multo magis in eas peccatum est, dum is Rex constitutus est, qui Regem patrem non habet, cujus rei ne exemplum quidem hoc in regno extat, nedum lex, quæ sanciat; ita, credo, statuent Thrandi, si forte quis de Regia familia exsurgat. At, respondit Erlingus, quo tempore Magnus Rex constitutus est, id tuo & aliorum Episcoporum consilio consensuque factum est. Tum tu quidem promisti, ait Archiepiscopus, te jus Dei ex omni parte pro virili aucturum. Promisi quidem, ait Erlingus, me jus Divinum civileque & Regium, quantum possem, tuiturum. Sed quid fluxæ fidei nosmet mutuo insimulamus? promissis uterque stabimus: tu modo Regem Magnum in regno, uti promisti, confirma, ego tuam causam imperiumque ecclesiasticum semper & ubique proveham, pennasque vestro negotio addam. Exinde ista contentio desivit. Tum Erlingus, Si Magnus secundum patrias leges Rex constitutus est, tu quoque pro tua potestate coronam ei potes imponere, æque juris Divini præscripto illum in Regem inungere; Rex quidem non sum, nec Regio ortu, fuerunt tamen his temporibus Reges multi quidem, qui nec regni administrationem nec leges pariter atque ego calluerunt. Mater tamen Magni Regis Reginæque legitimo natu edita est. Magnus quoque Reginæ idemque legitime uxoris filius est, quem si in Regem ordinaveris, postea regno deici nullo jure poterit. Non fuerat Vilhelmus Bastardus, aut Sœnus Ulfi filius, Regum filii: ille tamen in Angliæ Regem unctus coronatusque est, manetque in hunc diem regnum in ejus familia, singulique successores coronati sunt. Hic quoque Rex Daniæ creatus corona ornatus est, filii quoque ejus, quotquot in regnum successerunt, consimiliter omnes eorum posterii Daniæ Reges. Jam vero nostro regno ingens decus Archiepiscopatus accessit; aliud itaque decus adjiciemus, Regem nimirum coronatum, ne in his Anglis vel Danis cedamus.

De his crebrò inter eos deinceps actum, postea ab Archiepiscopo ad Legatum relatum, qui facile in id consensit. Consulti deinde ab Archiepiscopo cæteri Episcopi, aliique ordinis ecclesiastici; qui cognita Archiepiscopi voluntate niveum postulatis calculum addiderunt, utque sollennitatis tanta festinaretur, hortabantur; nec Erlingus quæ ad festivitatis apparatus facere videbantur amisit; nam in palatio Regis convivium splendidissimum apparabat. Pretiosissimis tapetibus ædes omnes luxuriabant, nihil ad magnificentiam defuit, nec sumptibus parcitum: aulici omnes satellitesque honore ornati, procerumque multi convivio adhibiti. Magnus ab Archiepiscopo initiatus, præfente legato & quinque Episco-

Episcopis, longâq; Ecclesiasticorum serie. Erlingus cum duodecim provinciarum præfectis, seu satrapis, Regis juramentum suò secundum patrias leges confirmabat; finitòque consecrationis actû, Archiepiscopum, Legatum, cæterosq; Episcopos, Rex eodem die epulis exceptit. Munera deinde pro cæterâ magnificentiâ à Rege patreque Erlingo distributa.

Octavum tum ætatis annum Magnus agebat; tres regno præfuit. Parum tamen Scriptori hujus historiæ de contractû inter Erlingum nomine Regis Magni & Archiepiscopum Ecclesiasticosq; factò constitisse videtur. Patet enim ex pacificatione inter Magnum illum, qui Legum Reformator usurpatur, & Johannem Archiepiscopum Nidarosiensem, quod Magnus regnum Norvegiæ in perpetuum in clientelam ecclesiæ Nidarosiensis tradiderit; queritur enim, *ecclesiæ Nidarosensi multipliciter detractum, & ut creditur, non utendo, & præcipuè privilegio* (utor enim verbis instrumenti Latini) *a Magno quondam, ut dicitur, Rege Norvegiæ, in ea parte, qua continebatur, quod præfatus Rex donavit se & regnum suum beato Olafò Regi & martyri, & in signum perpetuæ subjectionis præcepit coronam suam post discessum suum & omnium in regno sibi succedentium offerri præfato Martyri Nidarosie in ecclesia cathedrali, nec non & cuidam constitutioni antiquæ patrie forte per eundem Magnum editæ, quæ innuit Reges Norvegiæ debere eligi, & in electione Archiepiscopum & Episcopos regni inter cæteros electores vocem præcipuam obtinere.* Integrum instrumentum in Magno Legum Reformatore infra exhibebimus.

Temperamentum talis electionis vetustior Legum Gulathingensium codex, constitutione hac legibus inserta, nobis exhibet, titulò de Christianismo cap. II. ubi de electione Regis hærede deficiente agitur. *Tenantur singuli Episcopi, Abbates, aulæ magistri cum aulicis omnibus, sponte Nidarosiam ad consulendum Archiepiscopum proficisci, unâ cum duodecim prudentissimis a singulis Episcopis delectis: ita eodem mense, quo obitus Regis ad aures eorum pervenerit, omnes iter ingrediantur. Ibi pro anima defuncti Regis ejus corona offeratur. Ibiq; in æternum pendeat, ad gloriam Dei & Regis Sancti Olafî; sicut constituit Magnus, primus Norvegiæ Regum coronatus.*

Hic primus Archiepiscopatus in Norvegiâ instituti fructus. Regni enim usum veterator hic sub sacris induviis vulpes simul ac rapax lupus, jure hæreditatis antiquato, justisq; hæredibus erepto, vendidit, sibiq; & suis successoribus illud pariter ac Reges in perpetuum subdere conatus, materiam litium cædiuq; uberrimam reliquit.

CAP. VI.

VALDEMARUS PARTEM NORVEGIÆ
REQVIRIT: ERLINGUS CIVES CONSULIT, EORUM-
QVE DISSENSUM PROMISSIS SUIS OBTENDIT, THRAN-
DORUM FIDEM EXPLORAT, DEFICIENTES COMPESCIT,
ALFUMQVE HRODIUM OCCIDIT.



Tom. III.

T jam Valdemarus Daniæ Rex, cognitò sublatis æmulis solum jam Magnum sceptrâ Norvegiæ tenere, memor pactorum, quæ intercesserant, missis ad eum patremque Erlingum oratoribus, partem regni, quam auxiliorum præmium pactus est, nimirum Vikam ab ortu Rygiarbit usque, si Magnus universum regnum vindicaret, postulat. Erlingus visis

vifis literis Regiis fidiffimis Confiliarium, iisque, qui res Magni Regis adminiftrabant, exponit; qui uno quafi ore negabant ullam partem regni Danis permittendam; *illud enim feculum Norvegiæ graviffimum incidiffe, cum Danorum imperio paruiffent.* Legatis refponfum, ut proximo autumnò Erlingum in Vikam feqverentur, ibi refponfum accepturos, cum fapientiffimos territorii illius confuluiffet. Eò cum ventum efferet, Erlingus Tunsbergæ fubfiftens Sarpsbürgi quatuor provinciarum comitia indixit; quò numerofo fatellitio profectus, pacta conventaque inter fe & Daniæ Regem, cum primùm fe Haconi opponeret, exponit; *tis fe stare paratum, fi cives iftarum provinciarum Regi Danorum quam ei, qui confecratus coronatusque in Regem Norvegiæ efferet, obfequi mallent.* Fagur-Skinna, hac formula omiffa, fimpliciter literas conventionales in curiis recitatas tradit. Omnes negabant fe Daniæ Regi fubijci velle, quoad unus eorum vivus fuperefferet; nec paffuros regnum dividi. Fremitus inde vulgi mumurque exortum, petentium *ut memor juramenti, quò fe populo ad defendendum regnum filii fui obftrinxerat, jugum alienum ab iis averteret; fe ei fidelem operam præftaturos, fecuturosque quò jufferit.*

Hac fententiâ conventus folutus eft, legatiffique refponfum, *Erlingum amicitiam Regis etiam donis culturum; in ejus autem poteftate non efferre invito populo portionem regni alienare:* hisque dimiffi, quæ gefta funt, domum referabant. Dani, haut fecus ac par erat, hac fraude offenfus Erlingum omnesque Norvegos vituperantes, perpetuâ experientiâ malos pronunciârunt. Hoc ipfo tempore Saxonem inveftivam iftam in Norvegos fcripiffisse credam, quæ *Lib. X.* in Svenone Tiugufkeggo Editionis Danicæ pag. 190 extat: poftea æqviorum factum, poftquam Erlingum in gratiam cum Rege Valdemaro rediiffe, fidemque datam ad extremum halitum religiofe fervaffe comperit, facilis conjectura eft. Non enim, ut *Stephanus* putat, inde firmiter concluditur, eum, antequam Abfalon Archipræful fieret, opus fuum non fuiffe orfum, quod ab illo Danorum maximo Pontifice fibi impofitum teftatur: id enim per prolepfim dictum videtur; poterat enim id ei injungere cum efferet Epifcopus Rofkildenfis: jam vero, cum hæc teftatus eft, Archipræful erat. Fama tulit, Regem Daniæ proximo vere armatâ claffe Norvegiam infeftaturum.

Eodem autumnò MCLXIV. Erlingus Bergas hyematurus devenit, ftipendiaque militibus diftribuit. Proximâ hyeme Danorum quidam per montana profecti Nidarofiam, prætextu vifitandi S. Olafi, ut moris erat, pervenerunt; qui magnates adeuntes, literas Daniæ Regis figillò obfignatas proferunt, quibus ad defectionem follicitabantur, fi Rex Norvegiæ armatâ manu oppugnaret, præmiaque tantis meritis digna offeruntur. Vis æris magna, imperia provinciarum & id genus alia oftentantur: tantum ut in præfens fidem literis obfignatis obligarent, poftulatur. Complures tranfitionem pollicentes, literas, fidei obfignandæ inftrumenta, nunciis perferendas tradunt; qui affectâ fexagefima difcedunt.

Appetente vere MCLXV. Erlingo ab amicis nunciis affertur de Thrandorum molitionibus; nec jam occultè conjurationem fepere, in publicis curiis hoftilem eos annumum profiteri palam minantes, *fi in Thrandiam Erlingus fe invadebat, nunquam ultra Agdanefiam vivum rediturum.* Erlingus verum rumorem pronunciavit; profeffus deinde ad forum, quod Unnarhëimo, in hebdomada, in quam feftum afcenfionis incidit, fe auftrum verfus profecturum, trirrem fcalmorum quindecim navemque onerariam cibariis ferendis inftruit; quibus paratis, venti ab auftro

austro acriter stabant. Die Martis, qui festum ascensionis præcessit, nau-
tas urbe tubâ excit; qui segniore, quod aduersis ventis obnitendum sibi
viderent, parebant tamen, navesque, uti præceptum erat, in portum E-
piscopi versus aqvilonem ducunt. Tum Erlingus; *agrè ventis obnitimi-
ni, ait: malos erigite, velaque in aqvilonem arbitrio ventorum vertite.* Tan-
to cursu profecti sunt, ut die Mercurii sub vesperam Agdanefiam supera-
rent. Ibi multis onerariis confluentibus misti, nullam suspicionem ur-
banis civibus incusserunt; nam & diversi generis navigia ad pervigilium
festivum properabant. Itaque omnibus inobservatus Erlingus sub ma-
tutinas preces ad ædem Christi celebratas urbem intrat, fitque certior, sa-
trapam Alsum Hrodium, Ottaris Birtingi filium, cum suis satellitibus ad-
huc potare, quem Erlingus cum universo penè satellitio occidit; pauci
aliorum cæsi, plurimi enim precibus matutinis interfuerunt. Manè fe-
sti diei in forum Eyrense signò tubæ omnes evocat, crimenque proditi-
onis in Regem seque iis objicit, nominatim Paulo Andræ, Bardo
Standalio, & Raza-Bardo, qui tunc urbi præfuit, multisque aliis. Qui-
bus objectum crimen negantibus, Erlingi capellanus (sic appellatus est
qui à secretis erat, fuitque semper, ut opinor, sacerdos) surgens multas
litteras signatas manu tenens quærit, *suasne ibi noscerent, quas hoc ipso
vere ad Regem Daniæ misissent?* Quibus perlectis, producti Dani, qui eas
ferebant, ad hoc ab Erlingo conducti. Qui ibi palam singulorum verba
recitabant, quibus in cædem Regis & Erlingi datâ occasione se obliga-
bant. Tandem Erlingus ad Raza-Bardum conversus; *Hæc, inquit, for-
mula omnium prima ex tuo ore excepta est, ex tuo pectore omnia hæc consilia
primò proflexerunt.* Tum Bardus tunc pectore: *Domine, certè non eram
mentis compos, si talia locutus sum.* Tum tutamento causæ nullo suppe-
tente, criminis convictis in solâ Erlingi clementiâ præsidium quæren-
dum visum; itaque arbitrio ejus res omnis commissa. Multi ingenti pe-
cuniæ summâ multati; qui cæsi, jure cæsi iudicati, satisfactionis quoque
jure hæredes orbatos reliquerunt.

Ad hunc annum Annales utriusque notant, chartaceique eodem con-
sensu perhibent, sanguinem Domini nostri Nidarosiam devenisse. Ad-
dit *Sturlungorum hist. Part. III. cap. I.* Româ illuc delatum.

CAP. VII.

DE VALDEMARO DANIÆ REGE IN
NORVEGIAM PROPECTO, ET ERLINGO
ILLI RECONCILIATO.

Odem vere Valdemarus Daniæ Rex classem
numerofam in Vikam devexit: cui statim incolæ un-
dique confluentes se opposituri, ad vim propulsandam,
si adhiberetur, se accingebant: ille verò, quantum-
vis pacatè classe procederet, non tamen evitavit,
quin è littoribus tela in suos, etiam si unus aut duo
simul sub conspectum venirent, ingererentur. Id
verò exasperati animi indicium sufficiens visum est. Tunsbergam cum
devenisset, ad Haugense forum cives convocat. Nemine verò ex proxi-
mis provinciis accedente, *conspicius, inquit, populi hujus malè erga nos
animati affectus. Duæ restant conditiones; aut enim populatione gravissimâ*

terra vastanda, nec hominibus, nec pecudi parcendum; aut re infectâ domum redeundum, id quod etiam animo sedet; hanc enim jacturam ab oriente, paganorum spatiosissimis regnis, ubi ingens rei gerendæ materia, resarcire malo, quam in homines Christianos, licet haud immeritos, servire. Omnes præter Regem populationis ardor tenuit, Rex tamen pervicit, ut domitio pararetur, nec tamen innoxia; complures enim insulæ, cum is procul esset, rapinis laceffitæ; atq; ita in Daniam piô magis quam glorioso consilio reditum. Verùm Erlingus, ut primum Danos in Vikam insulos percepit, singulis regni provinciis naves, nautas, milites commeatumque imperat, collectumq; ingens classis robur Lidandisnesiam usque ducit. Ibi cognitò, Regem domum rediisse, passim tamen Vikæ oras spoliatas, imperatas in expeditionem naves dimittit. Ipse cum aliquot Sattrapis, navibusque haud paucis, ad persequendos Danos Jutiâm usque amnem Dyrfâ provehitur, manusque cum multis, qui, veniâ Regis impetratâ, nuper ex expeditione redierant, conferit: qui viribus impares magnâ suorum clade, subitâ fugâ periculum declinârunt. Derelictas itaque naves adsitamque urbem Erlingus spoliavit, prædâque locupleti auctus Norvegiam repetivit. Exinde mutuis injuriis Dani Norvegiq; se invicem lacefferunt.

Eodem autumno Erlingi uxor Christina, ipsius Valdemari consobrina, in Daniam ad Regem profecta mirâ benevolentia excipitur, datis insuper impensis ad familiam ex dignitate sustentandam; sæpiusque Regem allocuta, nec unquam sine peculiaris gratiæ & favoris ostentatione, ibique per hyemem remansit. Proximo vere, quod fuit anni MCLXVI, marito per nuncium svasit, ut Regem Daniæ adiret, sibiq; reconciliaret. Is tunc in Vika moratus, ejusdem anni æstate longam navem robustissimo milite instruit, orisq; Jutiæ advectus, ubi Regem Randarosia comorantem comperit, eò quoque navigavit, naveq; tentoriis instructâ, adq; anchoras ligatâ, ipse cum undecim comitibus, qui cassides pileis velabant, gladiosq; sub togis nudos gerebant, ædes Regias, ubi Rex cum multis urbanis civibus prandebat, apertis; dum ferula inferrentur, foribus ingressus, solumque Regium accedens; *Pacem, inquit, Rex, hic ego pro ad domum redierimus, poscimus.* Rex eò inspecto: *Huc-ne ades, ait, Erlinge? Adsum, respondit; tu verò citò declara, pacem-ne des, an neges.* Octoginta viri intra palatium erant, omnes inermes. Tum Rex; *pacem, qualem poscis, habebis; neminem enim, qui me ultrò accedit, malâ fide accipere soleo.* Mox Erlingus manum Regis osculatus ad naves rediit, mansitque ad Regem aliquantisper, dum de pace inter illos & regnum utrumque componendâ ageretur. Tandem convenit, ut, dum Erlingus in Dania his tractandis immoraretur, Asbiornus Snara Archiepiscopi Absalonis frater obses Norvegis traderetur. Hæc *Fagur-skemma* paulò aliter, nec minus lucidè, explanat. Tradit enim, postquam Erlingus naves Regias ad fluvium Dyrfâ invaserat, Valdemarum Vikensibus commercia cum Danis interdixisse, nec frumentum è Dania in Norvegiam invehiri, nec merces inde in Daniam inferri passum. Id cum Vikensibus, qui commerciis istis carere nequibant, incommodum esset, Erlingum de quacunque pace cum Danis faciendâ sollicitasse. Tunc Erlingum facinus post periculum memoriam audacissimum edidisse; unicâ enim nave in tanto periculo Daniam vectum omnibus improvisum accessisse, ingressumq; cum satellitibus Regium triclinium, loricas annulares, cassides leves tunicis pileisque tectas indutos, strictos subter gladios gerentes, nec ulli observa-

tos, priusquam accesso Rege eum hac forma salutasset. *Bonus dies, Domine. Pacem mihi meisque comitibus omnibus annue. Regem autem respondisse: Rata tibi pax erit, Erlinge; neminem, qui me accessit, malo affecti; loquere quæ placet, redique tu cum tuis unde venisti.* Erlingum autem regessisse; *Vos primò pacem habebitis, commodiore tempore vos alloquar, nam Regis Magni principumque Norvegorum negotia gero.* Hæc Fagurskinna, sed sola, hoc tenore refert. Postea Erlingus; cum solus cum Rege colloqueretur; *Ad pacem, inquit, firmam stabilemque consiciendam spectat, ut receptis dudum conditionibus stetur, partemque universam regni, quæ eis continebatur, recipias. Sed quem ei jam receptæ præficies? an Daniæ gentis aliquem? Certè Danorum neminem illam provinciam in se recepturum credam, ut relictâ patriâ suâ, ubi cuncta affluunt, in Norvegiam ad populum durum & intractabilem regendum concedat, Tuæ gratiæ recuperanda causâ, quam incomparabilem existimo, huc accessi, nec hoc sine præviis exemplis; fecit idem Hacon Ivaris filius, & Finmus Arminus; utrumque Svenus Daniæ Rex proavus tuus Comitibus dignitate auxit (id quòd de Hæcone in vita Haraldis Strenui variat.) Nec mihi hodie minor in Norvegia potestas, quàm illis temporibus iis, utrique tamen Hallandiam clientelari nomine dedit, eamque provinciam regni sui: nec ego indignus videor, qui eodem jure partem hanc Norvegiæ abs te recipiam, si tibi meam subjectionem addixerero; nec filius meus Magnus poterit refragari. Ad omne itaque ministerium, quod officium illud decet, tibi ero obligatus. His talibus Regem in suam sententiam induxit. Adit Fagurskinna, Erlingum in Dania per hyemem mansisse, Asbiornum autem Snaram in Norvegia. Vere autem proximo (id erat anni MCLXVII.) postquam instrumentum ad Regem relatum esset, quò Magnus Rex Norvegiæ transcripsit Regi Daniæ partem hanc Norvegiæ, pactis comprehensam, Erlingum dimissum, cum prius eum in sedem deductum Comitern, datâ Vikâ in fevdum, creasset. Exinde dignitatem, territorium, inviolatamque cum Valdemaro amicitiam, quoad vixit, conservavit.*

CAP. VIII.

SAXONIS DE HIS NARRATIO CUM
ANTECEDENTIBUS CONFERTUR ET EXAMINATUR.

*S*andem, inquit de his Saxo, ipsi benignioribus responsis venere (scripsit enim de iis, quos ex Haconis Humerosi militiâ superfuere, adq; Valdemarum venerunt) quos cum Rex supplices recepisset, seque per eos Norvegiæ petitione promissâ sedulo sollicitari animadverteret, tantum belli pondus solâ legatorum adhortatione suscipere solidum ratus, prius popularium animos tacitis legationibus tentavit. Postquam eorum mentem legatorum vocibus consentaneas repperit, absque cunctatione expeditionem instituit. Quò audito Erlingus, quàm longissimo secessu potuit, abstrusas Norvegiæ partes petiit, extremosque patriæ fines fugâ amplecti, quàm primas armis tueri tutius existimavit. Pauca siquidem navigia, sed habilia, fugæ quàm prælii commodiora, paraverat; quò evenit, ut Regis adventus formidolosus Erlingi sautoribus, hostibus acceptabilis haberetur. Itaque Valdemaro consultationem cum amicis habente, quidam, postpositis omnibus, hostes ociosè persequendos, alii prius

præis plebis favorem conciliandum, auxiliaque popularium contrabenda docebant. Sed accelerationis consilium tarditatis sententiam superavit. Igitur Valdemarus ingentem regionis partem prosperè permensus, magnâque plebis alacritate receptus, cum ad urbem Sarpensem venisset, nomen Regium à Viken-sibus sibi decretum suscepit, ibique cum popularibus concionem per summam verborum concordiam habuit; quod si omiſſis aliis inſequentis hostibus operam præbuiſſet, hæud dubiè regno Danico Noricum conjunxiſſet. Inde ad oppidum Tunsbergam navigatione progressus, paucis Erlingi studioſioribus in editam rupem salutis cauſâ confugientibus, religionem ſevitiæ præferens, vicum incen-dere paſſus non eſt, ne ſacras ædes privatis penatibus interſitas communibus flammis abſtineret; nemo tamen Pontificum, quorum eâ tempeſtate ingens apud Norvegiam authoritas erat, eum adire ſuſtinuit. Quod quidem eos poti-ſus patriæ quàm Erlingo tribuiſſe crediderim. Ormo, ut quem Regis germa-num cognominabant, petito Valdemaro, ſalva fide, quam Magno ædiſſet, ob-ſeqvia pollicetur. Tandem ob inediã tractu temporis obortam, cum Rex de-ſectam impenſis expeditionem remitteret, Norvagiensium, qui ad eum tranſ-ierant, multitudo, penæ metu cum ipſo diſceſſit, diuque partim Regis, par-tim principum impenſis, exilium ſuſtentavit.

Hæc quidem Saxo ipſi Valdemaro familiaris ſcripſit, minore tamen veriſimilitudine quàm noſter author. Si enim ab Erlingo nullus metus, quippe fugâ in remotiſſimas æquilonis partes abreptô, nec navibus belli-cis inſtructô, Ormuſq; in obſeqvium ejus promptus erat (quod ſalvâ fide, quam Magno dederat, quàm fuerit exiguum, nemo non videt) Vikenſi-umq; ſtudia acceſſerunt: quid obſtabat, quò minus ulterius progredere-tur, aut certè totam Vikam imperiô ſuo adjiceret, urbemq; & provincias præſidiis muniret, pactumq; pridem territorium non armis, ſed civium ſtudiis, nullo negotiô reciperet? idque ante illam inediã, quam tractu temporis obortam tradit; quæ tamen facilè adveſto è Daniã conſeatu ſub-levari poterat. Multis deinde interjectis, poſtquam inſidias Burifiſi, ejus-que cum Erlingo conſpirationem adverſus Valdemarum, & ſubſecutam captivitatem, expoſuiſſet, Erlingi & Ormi expeditionem in Jutiam hiſ verbis deſcribit.

Interea Erlingus & Ormo Burifiſi frater, cum navali exercitu ſuperve-nientes, Jutorum claſſem in anne Dyurſa repertam, gubernatoribus vacuum facile debellant, ipſuſque Burifiſi intercepto navigio, protinus ad vicum, qui Mercatorum Portus nominatur, deproperant. Quos Abſalon cum Sialandenſibus occurrens etiam littorum aſcenſu prohibuit. Qui cum compertum habe-ret, Norvagiensès plurimum præſidii in arcubus ducere, provocandi gratia cum quindecim peditibus in littus progressus, ultrò ſe eorum ſagittis appeten-dum præbebat, præſectò oſtendere cupiens, in quam parvo præcipuam eorum fiduciam poneret. Igitur Norvagiensès, quò propiùs littus accederent, cimbas conſcendunt, ob quarum trepidationem deſtinata certis ietibus ferire non po-terant. Itaque tela partim in undas innocua cadebant. Itã artis ſue effectû fraudati, noſtrisque ludibrio habiti, ingenti cum rubore majora navigia repe-riunt. Poſtea cum Abſalone, datâ acceptaque fidè, ſociale colloquium habere. A quo diutiùs illic acquieſcere juſſi, non priùs obtemperaverunt, quàm Abſa-lon fidem ſuam interpoſuiſſet, ſe nihil inſidiarum eis terra aut mari interim paraturum. Hiſ fructis collocutores à ſe invicem diſceſſerunt. Die poſtero cum paribus armis, æquali comitum numero, conventum. Cumque Erlingus uno cominator aſſuiſſet, Abſalon, circumſpectis omnibus; miror te, inquit, Erlinge, hominem etate conſectum, ac toties gravia expertum, non adeo ſapientem quàm ſenem

senem existere. Nam cum tu scaphâ adveneris, nos equis insideamus, teque nullo negotio (si libeat) opprimere possimus, cur condicto comitator adversum caput tuum rumpendæ pacis occasionem fortioribus præbuisisti? Nisi autem fides nostra præstaret, solute conditionis penas exitiû per solvisses. Tunc Erlingus inter metum & ruborem, circumspectis comitibus, cum veram Absalonis assertionem animadverteret, unum ex his objurgare cepit, quod non rogatus comitandi rapuisset officium. Postquam diu excusationis verba quæserat, ut siticulosum recrearet exercitum, palustris aquæ petendæ licentiam obsecrat. Cujus rei permissionem haur modici beneficii loco ducebat, ac protinus patriam repetere properabat, letus quòd sibi incolumi Daniæ partibus excedere contigisset. Postquam Regi insidiarum fidem rerum experientia fecerat, Burisum perinde ac majestatis reum inter vincula asseruari præcepit. Interea Erlingus extremum Sialandiæ compositâ classis applicatione complexus, dum à sacris Missæ, quæ consuetò religionis cultu petiverat, remearet, Absalonis equitibus clandestino itinere prorumpentibus, improvisam palantium sociorum stragem accepit. Nec minori Hallandensium virtute exceptus apud Nizam annem unâ rate ejusque remigibus universis spoliatus abscessit.

Exponit deinde Saxo, quomodo arte Gutscaldi Sclavi ab Henrico Leone ad Valdemarum defecissent: cui alteram expeditionem in Norvegiam his verbis subjungit. Post hæc Rex belli Norvagicæ meditationem, ad id usque tempus rebus Sclavicis interpellatam, magnâ curarum parte ingreditur. Quam veris principio copiosis patriæ viribus executus, per summam Wicarorum dignationem, non modò liberos aditus, verim etiam letos occurfus habuit. Nec hostis, sed ducis more sermone cum incolis habitò concionibus armamutavit. Quorum benevolentia ad eò delectatus est, ut hostium oblivisceretur: otiosâque procedendi tarditate exemtum Erlingo contrabendarum virium tempus reliquit. Magnitudo exercitûs ejus letos Wicentium oculos in se convertit. Navigatio quoque ejus gratis eorum luminibus aspecta, liberos impetravit excursus. Eumverò complures in angustias, per quas classi seriatim meandum erat, multitudinis ejus admiratione protracti, quò certius navigiorum numerum deprehenderent, non nocendi, sed spectandi aviditate edita loca complebant. Tunsbergenses, quò cæteris Regem impensius colerent, finibus suis exceptum honoratissimæ processionis officio venerati sunt, religione servitium cumulantibus. Erlingi milites, qui superiorem Regis adventum monumenti illic siti fiducia spreverant, præsentem fugæ declinatione cavebant. Rex superatò clivò, collustratæ rupis cacumen miratus, inexpugnabile loci præsidium comprobabat, artis opus transcendente naturâ. Fertur interim Erlingum cujusdam sinûs angustias, Danorum navigationi oportunas, prohibendi transitus gratiâ crebris machinarum tormentis vallasse, plus locorum difficultati, quam propriis viribus in excipiendo hoste confidentem. Quapropter Rex tarditatis suæ dispendium execratus, vocatos amicos celeritatî exhortatione sollicitat, erubescendum moræ crimen operoso festinationis impendio redimendum affirmat: quòd jam, comæatibus quasi per otium & inertiam assumptis, inaniter tempus trivisse videantur. Ea res diverso majorum judiciò excepta est, variaque sententiâ ducem consilium agitabant; aliis tormentorum magistròs, expositis in terram equitibus, deturbandos, objectasque rates transiû submovendas hortantibus; aliis in tantas angustias ingenti classe temerè procurrendum vetantibus. Quidam, hostibus laxiore freto præteritis, regionem armis occupandam censebant. Protinus enim Erlingum aut pugnandi, aut fugiendi, necessitate perstrictum, quæsitâ locorum præjudia relictorum. Alii verò absentis periculi præsentem metum ridentes, non antè deliberatione agendum

dum docebant, quàm res se propius inspectandam dedisset. Hi celeri processu intendendum hortantes otiose navigationis moras amputari jubebant. Ita cunctorum sententia variante, Nicolaus quidam, cognomentò Bos; natu quàm virtute nobilior, mirari se inquit, cur viris ratione utentibus, inclytoque solo natis, amenissimo patriæ gremio relicto, tot inculta locorum spatia pererrare liberet, præsertim quibus nihil præter aspera saxa atque invias rupes occurreret. Eo siquidem dementiae ventum esse, ut ultima ærumiæ summarum voluptatum loco ducantur. Nam si Regem Norvegiæ potiri contingat, fore ut plus laboris ex utroque regno, quàm voluptatis ex altero, sit percepturus. Præterea cum jam labentium alimentorum necessitas urgeat, si longius navigatio proferatur, baudquæquam commentus reditui suffecturos. Hæc ab eo timidius quàm prædentius dicta silentiò probari videbantur. Quod dictum Absalon diversa à cæteris estimatione commensus, dimissis amicis, solitarium Regem acrius oburgare capit, quòd Nicolai sententiam, summa reprehensione dignam, taciturnitate probaverit, eamque plenis contumeliæ responsis prædammare passus non sit. Quæ enim ab eo per ludibrium dicta videbantur, acerrima factionis incitamenta fuisse. Cujus si comitatum nullo in momento posuisset, cunctaque eo defertore quam comite melius exequenda duxisset, ceteros illius robore permotos similis opprobrii metu silentium acturos. Nunc verò, cum aut consenserit, aut consentire visus fuerit, neque palam eum timiditatis exprobratione confuderit; brevè complures licentioris impunitatis exemplo protractos similibus monitis succlamatos. Nec secus ac prædixerat, accidit. Nam cum Principes omnium studio redendi cupiditatem processui præferrent, eamque manifestis votis prosequi non auderent, plebem clandestinis incitamentis insinuatam seditiosis armare consiliis; ex qua quidam petulantioris audaciæ, exploratâ Absalonis audaciâ, cujus in protrahenda expeditione perinaciam causabantur, navem ejus silicibus petivèrè. Sed à remigibus mox excepti, quanquam numerò præstarent, terga vertèrè. Quorum dementia Rex: debitâ animadversione persecutus non est, abundè eos hoc fugæ dedecore punitos existimans. Inde ad finem Porturiam, egregia Svardi victoriâ inclytum, ubi sc. innumeram classem tribus ab eo navigis subactam ferunt, velificatum est. Illic è Jutensibus aliqui iniquissima gubernatorum exhortatione provecti, concione factâ, remissionem expeditionis violenta succlamatione poscebant. Ad quos comprehendendos milites sub ignoto cultu missi, aliquandiu in eorum concilio, obscurata sui notitia, consederunt. Tandem à circumstantibus agniti, veste, quam latendi gratia sumfèrè, discussa, correptos seditionis auctores obtorta gula secum traxèrè. Qui cum ob naves obducti fuissent, graves Regi penas vapulando dedèrè. Qui, quòd punitiores forent, vicissim in undas dimittebantur, iidemque extracti renovatis verberibus multabantur.

Post hæc eò loci progressum, ubi solstitii æstivalis tempore niustatæ claritatis noctes sensèrè, dieque tam similes, ut minimum temporum discrimen videretur. Ad quarum lumen, solis beneficio procuratum, levi contemplatione exiles literæ legi poterant. Illic Jutensium magnates, quos aut metus aut impatientia simulabat, Regem apertis repetendæ patriæ monitis aggressi inopem alimentorum expeditionem dimitti jubebant, anno postero, si animus insententia mansisset, non per prolixos Wikensum partium anfractus, sed è Wendilæ sinibus directæ navigationis compendio reverjuram. Quorum voces etiam querulum mediæ vulgus adjuvit, adè ut nemo ex plebe esset, qui non rerum inopie citato reditu subveniendum clamaret. Ita Rex, obstrepente multitudinis imperio, proposito cedere compulsus solvendæ expeditionis sententiam protulit. Et ne hostem omnis incommodi expertem relinqueret, præstantis-

finis totius Norvegiae navigiis secum abductis, peregrinam patriam classe ditavit. Ita quorundam futurorum impatientiam maximam victoriae spes substituta est, quia si debita perseverantia non deesset, res Norvegica sub Danis mansisset. Norvagensis nobilitas, quae venienti Regi comes extiterat, linquenda patriae pudore revertentem prosequi supersevit.

Post longam deinde de Rugia ad obsequium fidemque Christianam reductam, & classe in piratas sub ductu filii Regis naturalis Christophori & Episcopi Absalonis emissam, Iliadem, quae sequuntur, variat: nimirum Valdemarum apud Ringstadium magnam cum optimatum frequentia Regio apparatu feriatum fuisse. Ubi, inquit, Lundensis Pontificis ministerio, cuius id exequendi officium erat, & patris ejus ossa arae traduntur, & filius septem annos natus Canutus Rex consecratur, regia in sella purpura venustatur. Quibus debita religione celebratis, Helgo Pontifex Asloensis & Stephanus Upsalensis ab Erlingo missi, editiore loco occupato pacem Norvagensibus benigne precabantur alloquio. Quam a Rege eo potissimum die concedendam esse monstrarunt, quo & filium diademate, & parentem altario honoratum vidisset. Tantumque excellenti eorum facundia tributum est, ut Erlingo familiaris colloqui aditus promitteretur. Ad quem Esbernus, postente Helgone, nondum resanatis vulneribus, legatus dirigitur, Erlingo & Ivaro Norvagensibus interim obsidum loco apud Regem retentis. Multa illi in concione Erlingus insolenter, hic multa Erlingo audacter respondit. Quo Erlingus domi suae detento Valdemarum allocuturus, Sialandiam quatuor navigibus Stephano Upsalensi comitatus accedit. Quem cum Absolon nuper a Regis in Jutiam proficiscentis comitatus magna classe regressus, Isorensis in portu adventantem videret, socii quicquam hostiliter conari vetitis, ne supervenientibus metus injiceretur, tranquille ejus navigationem excipit; quem etiam majore classis suae parte dimissam ad Regem perduxit. Is cum prima colloquii die oburganter exceptus de concordia desperaret, Absalonem per Stephanum orat, tuto sibi discedere liceat. A quo timidius, quam si in patria foret, sentire prohibitus, colloquium repetivit, pacemque probatis conditionibus impetravit. Enim vero cunctis Norvagensium magnatibus in eandem sacramenti formam obstrictis, iurejurando pollicitus est, se filium Regis Valdemarum admodum parvulum educationis officii prosecuturum, eundemque prius Norvegiae ducem, deinde regni heredem futurum, si filius suus Magnus absque liberis jussu matrimonii susceptus decederet. Quin etiam miles Regis effectus, quotiescunque res posceret, sexaginta Norvagensium naves in ejus comitatu expectandas promisit. Cujus pactionis tenorem Danorum fide laudata domi postmodum in concione vulgavit. Quem Tovo descendente reducere Esbernus gratia proprio sequebatur navigio. In quo profecturus Esbernus munificentiam gentis arcuum telorumque donis onustus abscedit.

Quam diversa ab his, quae modo exposuimus, Saxo tradat, jam discipiemus; duas enim Valdemari expeditiones in Norvegiam adversus Erlingum & Magnam susceptas docet; priorem post deletum Sigurdum, Marci de Skogo alumnum, quod apprimè cum superioribus convenit; reliquias enim copiarum Sigurdi Valdemari gratiam & auxilia quaesivisse, ubi ejus offensam Erlingum contraxisse cognoverunt, magnam verisimilitudinem habet; nam variis characteris excursus iste illustratur. Primò schismate inter Pontifices Alexandrum Tertium & Victorem Quaratum: secundò evocatione Regis Valdemari, ad Imperatorem Fridericum Barbarossam (quam anni MCLXII. mensis Augusti vicesimo nono Calvisus, plures chronologi MCLXIII. applicant) Tertio his connexam nati-

vitæ Knuti filii Regis Valdemari, quæ in annum MCLXIII. incidit; & denique quartò post annum tantum ascitâ ei sponsâ filiâ Henrici Leonis, cujus quoq; *Knylingorum Hist. Cap. CXVII.* meminit. Anno igitur MCLXIII. Valdemarus primò Norvegiam investus est. Nec apparet illo tempore Erlingum illum fuisse persecutum. Valdemarus deinde domum regressus Vandalicis rebus usq; ad annum MCLXVII. distentus videtur. Illum enim annum captivitas Burisii, auctore Anonymo ab *Arna Magnæo* edito, nobis indicat; tunc enim Erlingum cum eo conspirasse, ad amnem usq; Dyrfa profectum, *Pontanus Hist. Dan. Lib. VI. pag. 248.* ex *Saxone* haud obscure colligit. Seqventi verò anno Valdemarum in Norvegiam iterum movisse, moxq; inde digressum Arconam expugnasse, Rugianosq; ad Christianum cultum adduxisse, Pontificis Maximi Alexandri epistola, à *Pontano* allegata, Beneventi II. Non. Decembris anni MCLXVIII. data confirmat. Quod *Helmoldus & Chronici Sclavici incertus auctor* quoq; stabiliunt. Ejusdem anni autumno, vel etiam proximo, qui est LXIX. Christina Erlingi uxôr in Daniam profecta Valdemarum placasse videtur, & de conditionibus cum illo transgisse, eiq; Comitatus dignitatem impetrasse, eâ lege, ut in honorem Regis pacem per legatos solemnissimo tempore supplex peteret. Unicâ enim navè Randrosiam evectum, sine tuti comœtus literis, incertum de auræ secundæ abitum permissurâ favore, minus mihi probatur. Accedit *Knylingorum Historia* testimonium, quæ licet ad Historiæ Norvegiæ expositionem provocet, tamen in tempore, cum pax restituta est, cum *Saxone* convenit. Nec tamen de solemnibus illis celebratis (ait *Job. Mevrsus Hist. Dan. lib. V.*) idem est autorum sensus, aliiq; sexagesimum nonum annum illis tribuunt, alii septuagesimum primum; utq; de meo addam, sunt qui septuagesimum designant, interq; eos *Anonymus Arne Magnæi pag. 29.* licet Additamenta *pag. 78.* posteriores annum tueantur. Saxo tamen septuagesimum monstrat, Canutum, dum in Regem consecraretur, septennem fuisse perhibens. Hôc eodem anno corpus S. Sunnefæ miraculis coruscans publico gaudiò Bergas translatum, loculis capacibus & magnificis inclusum, super altare elevatur. Clarus & hic annus martyrio S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis; quod discipulus ejus *Gervasius* in diem XXIX. Decembris hujus anni refert.

CAP. IX.

DE OLAFI SKAPHOGGIS FILII FACTIONE ET CÆDE; HARALDIQUE, QVI REGIS SIGURDI FILIUM SE DIXERAT, SUPPLICIO.



Um in Dania publicis distentus negotiis Frilingus versabatur, novus iterum rebellium cæsus in Uplandis exortus est, ductore Olaso, filio Gudbrandi Skaphoggis ex Maria Regis Eysteini Magni Nidipedis filii filia, consiliò Sigurdi Agnhotti, viri inter Uplandos potentissimi, apud quem Olafus educationis officia percepit, quem & Uplandi Regem dixerunt, auxiliisq; instruxerunt, secutiq; sunt. Uplandas plerumq; quoc-

quoque Vikam, interdum & Markas, terrâ semper, nunquam classe, peragravit. Quod ut ad Erlingi aures pervenit, protinus in Vikam concessit, navibusque per æstatem litora percurrens, Osleyæ autumnum partemque primam hyemis exegit, Nataleque Christi festum conviviumque celebravit. Interim speculatoribus ubique dispositis, itinera illorum mansionesque rimatus, mox etiam ipse, assumpto Ormo, quem Regis fratrem appellabant, ad superiora concessit. Delatus ad lacum Røndem naves omnes interceptit. Presbyter autem, qui Ridjökliis parœciæ præfuit, eum ad epulas ad festum Purificationis invitavit, assensitque Comes, sacris libenter interfuturus, vespereque præcedaneâ, lacu navigiis transmissis, eò concessit; largioribusque poculis fortissimæ potionis inebriatus, cum satellitibus cubitum in eodem cænaculo, ubi epulabantur, petit.

Interea Olafum sacerdos propero nuncio ad opprimendos hospites evocat. Cum aliquantisper dormivissent, Comes evigilat, quæritque, an precum matutinarum hora adesset? Sacerdote concubium nondum exactum referente, adque somnum repetendum adhortante, Comes multa sibi per quietem offerri respondit, iterumque dormit. Excitus deinde sacra matutina celebrari postulat; pastor securum dormire jubet; nondum noctis meridiem præterisse. Paruit Comes; parumque dormivit, cum evigilans electo templum accedit: armisque ad fores relictis, ipsi inermes sacris, pastore celebrante, auscultant. Interea Olafus, qui per vesperam nuncium accepit, sex ristas, seu milliaria, per noctem raro itinere emensus inter preces Ridjoklas venit. Nox erat illunis, tenebrisque omnia involuta, subductique visui qui ad templum divinis operabantur. Iteque Olafus, sicut à nunciis edoctus, triclinium, magno clamore edito, petit, occiditque quotquot ommissis sacris illuc quieti indulgebant. Verum Erlingus cum reliquis; audito clamore, correptis in tantâ trepidatione armis, ad naves tendit, cui Olafus ad sepem quandam occurrens arma infert. Ille vero secundum aggerem ad naves viâ rectâ pergit, præsidium à sepe mutuatus, non sine magnâ suorum strage vulneribusque; erat enim numero longè inferior. Atque ita tenebræ, quibus internosci neque is neque Ormus poterant, periculo & præsentis eos morti, sed valde ægrè, subdixerunt. Nam & Erlingus gravi in latere vulnere ictus erat, idque, ut creditum, proprio gladio, dum in subitâ consternatione illum stringeret: Ormus etiam pluribus, iisque magnis, faucibus. Naves hoc modo occupatas litore subito moliti, etiam vulnera in lucro posuere. Cæsus inter cætoros Erlingi satellites Arius Thorgeiris filius Islandus, Episcopi Holensis Gudmundi pater, frater Thorvardi, quem in vita filiorum *Haraldi Gillii cap. VIII.* ubi de supplicio Sigurdi Slemberis actum est, aulicum Regis Ingii occidisse, receptumque in ejus locum magnam Regis gratiam fuisse consecutum, tradidimus. Hic post cædem ejus in Islandiam redux, nemini se Regum in posterum ministraturum, palam professus est, quod neminem eum equaturum judicaret; æque fratre suo Ario exegit, ut cum in Norvegiam accederet, ne eas partes sequeretur, quarum armis occubisset. *Haut se falli in Vika exorturam factionem, que necem ejus vindicare omni ope anniteretur; eique se aggregaret, sumque locum suppleret, oravit.* His obsecutus Arius, ut primum in Vikam pervenit, Erlingum accessit, ejusque signa secutus, omnibus præliis cum Hacone Humeroso Tunsbergæ, & (quod in omnibus Chronicis omissum est) Hrafenburgi, ubi is quoque in fugam coniectus est, & in loco Seck prope Raumsdalum, tandem etiam ei, quod Reyris prope oppidum Hamar gestum est, interfu-

it, ob operam semper strenuè navatam a Rege & Comite magnopere honoratus. Vere proximò in Islandiam concessit, nave oneraria omnibus armamentis instructà donatus, ibique per duas hyemes moratus. Insequente anno Norvegiam cum fratre suo presbytero Ingimundo repetivit, in aulam Erlingi receptus. Eadem hyeme Olafus Gudbrandi Skaphøggis filius infestis agminibus præsentem regni statum turbavit. Vere proximo Arius patriam repetiturus itineri se accinxerat; verum occultis calumniatorum susurris laceratus, quòd Comitem ingruente necessitate auxiliò indigentem destitueret, vestes aliaque, quibus indigebat, navi efferi mandavit, iterumque se Regis Comitisque satellitio addixit: istaque ætate eos secutus est, autumno quoque in Vikam comitatus.

Eadem hyeme bellum, quod describimus, Ridjoklis incidit, quod *Sturlungorum historia*, cujus relationem hic persequimur, adjectis quibusdam circumstantiis, illustrat. Tradit enim Erlingum pro more sacra matutina cum iis, qui illi carissimi erant, accessisse, iisque finitis consedis, psalmosque cantasse; auditos interim tubarum clangores, certissimum hostilis impetus indicium, nihilòmagis eum à cantu deterruisse, donec hymnum absolvisset. Tum demum æde sacrâ egressum cognovisse hostiles copias ædificia omnia replevisse. Conatum tunc Comitem ad suos contendere armaque corripere; Biornum autem Buckum monuisse, in solâ fugâ præsidium restare, cum armis ad eum defendendum destituerentur; Arium autem respondisse, salutem ejus, quòcunque modò possent, propugnandam; moxque omnes simul, Comitem nimirum, factrapasque duos, Biornum Buckum & Ivarem Gillium, Biornum insuper Stallarium, & Arium in fugam se conjecisse; cumque ad sepimentur ligneum pervenissent, Biornum Buckum, & Ivarem Gillium transivisse, Comitem autem, quòd pondere corporis gravior esset, manibus sublevasse. Arium interea se persecutoribus & Comiti inseruisse, eorumque impetui se objecisse, suaque cæde eum conservasse; levi enim telo guttur transfixus, mox mucronibus ad sepe collisus, occubuit. Comes in transcensu sagitta per femur trajectus eodem momento decem suorum amisit. In secessum deinde quendam delatus, illius jacturam indoluit, paridem & fortitudinem justis encomiis extulit. Quod cum in Islandiam delatum esset, Thorvaldus ejus frater carmine eum celebravit.

Exinde Olafus Infelix usurpabatur, quòd eos tanquam in nassam compulso capere nequivisset. Pietas, cælo grata protexit Erlingum, divino, ut creditur, nutu in somniis monitum, ut exurgeret, preces in templo fuisse Olafum ab eo averterunt. Qui deinde per superiora, ut consueverat, vagabundus Markas & Uplandas pererravit. Quidam cæcum istum Hettusveina, quasi *encullatos*, appellarunt. Erlingus navibus Vikam petivit, ibique ætatem exegit. Verno tempore Olafus Vikam perlustrans, canones Regios reditusque alios recepit, inque multam ætatem mansiones protraxit; adversus quem Erlingus copias educens ad orientem sinus, locò qui Stangæ appellatur, accerrimo præliò dimicabat, victorq; cælo Sigurdo Agnhotto multisque aliis, Olafum in fugam transegit; qui Daniâ exilio delectâ, proximam hyemem Alaburgi transegit. (Annales, silentibus Chronicis, alio deinde bello, sed eodem anno, ad Dröfnem, hodie Dramen, gestò, victum in Daniam confugisse volunt) Vere proximo morbo solutus ad ædem S. Virginis sepultus est, Danis quoque sanctus habitus.

Correptus deinde à Nicolao Kufungo, Pauli Skoptini filio, Magni Regis satrapa Haraldus quidam, furtivo incestuosq; congressu Sigurdi Regis Bronchi cum sorore patruele Christina, Erlingi Skackii uxore. editum se professus, nec ortus ementiri creditus, uterinus Magni Regis frater, magno matris probro, mariti dedecore; ductusqve Bergas Erlingo traditur. Solebat Erlingus captivos hostes, quos neci destinabat, aut conspectu suo prohibere, aut admissos paucis, iisque moderatis, verbis alloqui; quibus autem parcere constituit, jurgiis contumeliisque laceratos denique dimittere. Quibus cum ab Haraldo abstineret, suspicionem atrocioris sententiae injectit. Amicorum itaque rogatu impulsus Rex Magnus pacem ei à patre precatus est. *Hæc tibi*, respondit Erlingus, *amici tui consulunt: verum situ tantum meis consiliis auscultaveris, brevi regnum statu incolumi tenebis.* Addit *Fagurskinna*, sed sola, adjecisse; omnes Haraldum Regem votis *deponere*, Magnum vero *securi subiectum cupere*; id quod repugnat cum vulgi procerumque favore, quò Magnum semper persecuti sunt. Inde Rex Sverrir in duabus orationibus suis eum patibulo suffixum tradit. Hic dissensus in quatuor annis inter *Saxonem & Chronica* finitur. Notandum, tamen, quòd anno MCLXXII. Annales omnes Bergas fædo incendio exultas tradant, sed objectu scrinii S. Sunnesæ sedatas flammæ *Surlungorum Hist. Pari. III. cap. J* refert.

CAP. X.

DE EYSTEINO MEYLA NOVAS TURBAS CIENTE, EJUSQVE CÆDE, ET BETULOPE-
DUM FACTIONIS ORTU.

Lafò deinde mortuò, non tamen tuta quies regno Regique parta; nam decimo tertio Magni imperii anno, Christi MCLXXIV. nova iterum turba tumultusque excitatur. Author Eysteinus, Eystei Regis filius, Haraldus Gillii nepos, cognomento Meyla, jure ad regnum Magno multum præstans, licet nondum adultâ ætate. Hic quadam ætate in Sveciam profectus, Comitum Ostrogothiæ Byrgerem (*Saxo Lib. XIV. pag. m. ss.* Præfectum Gothiæ appellat) cognomento Brosam, accessit; qui amicitiam ejus Brigidam Haraldus Gillii filiam id tempus uxorem habuit; ejusq; auxiliò sollicitatò benignè auditur, postqve longiorem moram milicibus & æris haud contemnendo munere in viaticum instructus. magnâ humanitate dimittitur, constantiorisque amicitia promissis in posterum firmatus Norvegiam Vikamq; partes repetivit; ubi auxiliorum incrementis aucto plures acceperunt, Markarum nimirum incolæ, Gautelsæ acolæ, magnaqve Thelamarkenium manus: qui in factionem coalescentes Regis ei titulum ingerunt, Vikamq; totâ illâ hyeme peragrant. Defectu autem pecuniarum rerumq; necessariarum ad rapinas conversi, incolas in agmina congregatos; ad se persequendos conciliârunt; quibus excipiendis impares, per solitudines sylvasq; sparsi, diucius ibi sine subsidiis idoneis commorantes vestes conterebant. A corticibus itaque arboris betulinæ, in usum calceorum adhibitis, nomen quoq; contraxerunt, quò Betulopedes in posterum audiebant. Nomen in contumeliam primò excogitatum fortunæ industriæqve progressu magnificum reddiderunt. Sæpe incurfibus Viken-

se fatigârunt, ubi rarior habitatio, ruraqve sparsus colebantur. Collatis signis aliquoties manus cum civibus conferebant, semper victores: in saltu tamen, qui Krossfaskogus appellatur, penè ad incitas redacti, agminibus agresium excisarum arborum concædes opponentes, in solitudines dein- de elapsi sunt.

Duobus annis hac inquietudine Vikenses exercuerunt; tertio compa- rata classe, litora Vikensium diversis locis carpentes, copias supplementis, comæatum spoliis, opibusqve se ipsos auxerunt. Affectâ verò æstate ani- ni MCLXXVII. magnis itineribus velociter nuncios omnes prævertentes Thrandiam invecti sunt, id tempus ab armis satis instructi. Nidarosæ præfecturam gerebat vir genere dignitateqve insignis, Nicolaus Sigurdi Hranii filius, ex Skialdvöre Brynjolfi Ulfaldi, seu Cameli, filia, Magni Nu- dipedis sorore uterinâ; cui mater Thorâ Johannis filia, quæ postmodum Brynjolfo nupsisse videtur. Haldor Brynjolfi filius, qui Gregorii Dagi sororem duxerat, Skialdvöris frater consanguineus fuit.

Erat Nicolao prædium nobile in Aungule Halogiæ, nomine Steiq: plurimum tamen in urbe remansit, ubi ei domus supra basilicam S. Jo- hanni consecratam, ubi non ita pridem (ait author) Thorgeir sacella- nus habitavit. Filia Nicolai Skialdvör conjux erat Eirici Arnii filii, qui & præfecturam gerebat. Hic de appropinquantibus Birkibeinis, seu Betu- lopedibus, per piscatores festo B. virginis, posteriore, quò nativitas ejus ce- lebratur, VI. Iduum Septembris, certior, cum à precibus matutinis redi- rent, monet focerum, visas piscatoribus longas naves intra sinum ad ur- bem contentendes; videri Birkibeinos: convocandum cantu tubæ quam citissimè in locum Eyrensem civium quemq; armatum, ad excipiendum retundendumq; hostium impetum. Nicolaus, *non se piscatorum rumori- bus moveri* respondit: *missurum, qui sinum lustrent, interim forum acturum.* (quòd observationem meretur, festos sc. dies illo tempore rebus seculari- bus non fuisse exemptos) Hoc responsò domum rediit. Signò deinde cam- panæ ad sacra Missæ auditò, Nicolaus templum accessit: quem iterum Ei- ricus monet, *verum esse nuncium; præsentis quippe, qui vela bellicarum triremium observaverint: præstare cives urbe educi, armaque ad defensionem corrip.* Tum Nicolaus; *nimis, ait, rumoribus tribuis, gener, audiamus missam:* ingressiqve templum sacra audiunt. Is peractis, accedens eum Eiricus, *paratos jam equos refert; præstare urbe excedere.* Nicolaus, eò valere iussò, se forum in Eyris indicturum profitetur, cogniturumqve nu- merum civium urbanorum. His dictis Eiricò urbe provectò, Nicolaus domum rediit pransurus. Appositis ferculis, nunciatur Birkibeinos stu- men ingressos remis adniti. Tum Nicolaus arma singulis imperat; qui- bus instructi, superiorem contignationem cum suis conscendit, consilio inauspicatissimo; si enim domò eos prohibuisset, affluxissent cives opem laturi; jam verò ab admittis intra aream undiq; se cingi passus, jaculisq; cum impetu aliis super alia emissis, undiq; impetebatur. Cum deinde se mutuo inclamassent, Betulopedes nequicquam conditionem vitæ ei obtu- lerunt; quâ spretâ, conflictus denuò ardescebat, Nicolao arcute, sagittis projectis, missilibusq; aliis furnorumq; lapidibus, in subiectos ingerente, Betulopedibus ex adverso jacula sine cessatione in eum dirigentibus, con- tignationisque inferiora securibus molientibus. Erat Nicolao clypeus colore ruber, politus & levis, opere (nescio qvo) Vilhialmino; quem ut hastis amento tenus exceptis perfoßum animadvertit; *Fallit, ait, nunc clypeus noster.* Ibi temeritatis, sed fatalis, pænas excidiò luit, ipse cum maxima

maxima domesticorum parte cæsus, maximo omnium iuctu. Civibus de-
 inde omnibus paritum. Inde Eysteinus omnium sufragis Rex creatus
 aliquantisper in urbem remansit; provinciamq; iustrans magnò auxilii con-
 currentibus undiq; incolis copias amplificat, inter quos præstabat Thor-
 finnus Niger de Snøse, cum sua phalange se ei iungens. Primà hyemè in
 urbem reditum. Aggregabant se ei Gudruna de Saltnesia filii; Ton, co-
 gnomentò Ketlingus, Sigurdus & Vilhelmus. Nidarosia Orcadum pro-
 fecti circiter quadringenti supra duo millia erant. Uplandas inde profe-
 cti Thotniam, Hadalandiam & Hringarikiam peragrârunt. Eodem autem
 nô Rex Magnus cum Ormo Regis fratre multis succinctus copiis Vikam
 ingressus, Tunsbergæ residebat. Ibi festi Christi natalis solennia facta,
 Comite Erlingo Bergis magnis cum copiis remanente, itineraq; hostium
 per illum tractum observante, paratum ad congregiendum, si transitum
 per exteriora quærent. Ii verò Magno Regi propiores cum ad locum
 Ræ profecti essent; hospitii per indicem detectis, eum cum Ormo omni-
 busq; copiis urbem excitis ad se persequendum perpulerunt, multâ quan-
 tumvis nive frigidò cælò terris incubante. Ubi ad prædium ventum est,
 extra aggerem, qui sata prataqve cinxit, aciem ordinant, locò nivè quæ-
 dem oblito, sed calcibus ita subactò, ut ingredientium vestigia facile su-
 stineret. Numerò vix octoginti supra mille erant. In alia villa Betulope-
 des diversabantur, quidam etiã per rura sparsi; qui hostis adventu co-
 gnitò, in unum confluentes, suam quoq; aciem instruunt; inspectisque
 Magni Regis ordinibus, paucitate eorum contemta, cum ipsi numerò
 superarent, alacriter prælium ingrediuntur. Verum ut primùm à via
 deflexerunt, incompacta nivis hiatus hausit, ne pedes quidem proferre
 poterant. Qui primi præcèdebant, nullis antè vestigiis signarum iter in-
 gressi; dejecto vexillò occisi; qui proximè eos sequebantur, impuls; alii
 in fugam coniecti. Instabant tergis fugientium Magni Regis manipula-
 res; crudelique cæde, quotquot assequi poterant, deleverunt: tantoqve
 impetu persequabantur, ut ne spatium iis ad redintegrandam aciem suppe-
 teret. Multi deinde cæsi; plures in fugam effusi, tantusq; pavor injectus
 est, ut idem iis, quòd viris cæteroquin fortissimis accidere solet; ubi se-
 mel trepidatio mentes occupavit, eveniret, ne mens quidem ad se recolli-
 gendos rediret. Inde universa acies solutis ordinibus properà fugâ per ni-
 veos campos sparsa latebras quærebat. Tum verò Magni milites in per-
 culsos in vesti-funeribus palantium stragem aggravabant. Nulli paritum
 est, omnes promiscuè cæsi; nec victis nisi in pedibus ulla salutis spes re-
 stabat. Ibi Thorfinnus de Snøse pluresqve Thrandorum occidebant. In-
 ter palatos ipse quoq; Rex Eysteinus fugâ abreptus in domum quãdam
 pervenit; pacemq; rusticis precatus, etiam ut se absconderet, orabat. Ve-
 rum is, sive contemtu fortuna eius, sive metu panæ, si pepercisse con-
 vinceretur, sive spe præmii gratiaqve victoris, sine ullo misericordie
 aut celsæ conditionis respectu eum occidit, Regemqve Magnum Rafsin-
 nesæ in hypocauto ad ignem se calefacientem adit, remq; ut gesta est,
 refert. Rex; missis qui corpus ejus afferrent, altatum hypocauto inferri
 iussit, omnibusq; inspicendum exposuit. In angulo scamni vir quidam,
 Betulopedum unus, sed nemini observatus, sedebat; qui visò agnitq; do-
 mini sui cadaverè, subito exsiliens, inque interiora properans, uno im-
 petu Regi Magno; qui in pavimento stabat, securim, quam manu gesta-
 bat, impingit; cervicisq; ictum humerotenus intentans; gravi vulnere
 humeros feriebat; occidissetq; nî quidam præviso ictu Regem derepentè
 impu-

impulisset: quò versâ in manu ferientis securis, in humerum à cervice aberrans decidit. Eodem momento alterum ictum in Ormum, utrumque pedem amputaturus, dirigit; qui necem sibi intendi observans, libratâ super caput pedibus, destinatum periculum evasit, securi scamno fortiter impactâ fixâ remanente. Verùm Betulopes tot hastis corpore exceptis coopertus est, ut præ multitudine earum vix cadere posset. Observatus est intestinis exertis pavementum verruisse, magnisq; laudibus fides ejus & fortitudo celebrata est; licet nimîâ incuriâ & in virtutem famamq; injuriâ nomen oblitteratum sit.

Hæc factio, quæ *Birkibetnar*, seu *Betulopedes*, appellata est, frequentî concursu aucta in magnam multitudinem excrevit, naturâ ferox, durata molestiis laboribusq; nihil non audebat, bello intrepida, viribusq; confisa, impetu quàm consiliò ferebatur; paucis in collegium accitis, qui imperandi regulas sive usu sive præceptis noscerent; nec, si esset, obsequium tamen instillâssent, singulis licentiam propriiq; arbitrii dictamen sanis consiliis præferentibus. Multi, qui hoc præliò evaserunt, vulneribus debiles, vestibus quoq; & armis nudati, sine lare, sine spe, sine ære; alii per Markas orientem versus dispersi, alii Telamarkiam, maximè qui inde oriundi, pars etiam Sveciam petebant. Omnes periculi metu Magnum fugiebant & Erlingum, veniæ desperatione, unde pertinacia accenditur. Magnus verò victoriâ tantâ ovans Tuusbergam repetivit, hõc majori gloria, quòd simul cum hostibus etiam de civibus triumphavit, qui firmâ sibi opinionem persvaserunt, patris Erlingi imperiò omnia geri, ejus auctoritate & consilio Magnum pariter ac regnum regi, incolumitatem utriusq; ex illo capite pendere, qui velut clypeus & lorica insultus omnes hostiles ictusq; exciperet, fortiterq; retunderet. Jam verò, postquam hostem numero viribusq; potentioris propriis auspiciis ductuq; sine patre debellâssent, exemptâ mentibus eorum vanâ persvasione aliam instillabat, quâ adversus omnes invictus, patreque tantò major bellator habebatur, quantum ætatis flore animi viriumque robore superior, accedentibus annis maturitateque justâ, peritiam prudentiamque & solertiam cum usu adjecturus quoque videbatur; quæ decrescens in Erlingo ætas in dies minueret. Hic codices tres, *Kringla*, *Hrockinskinna* & *Fagurskinna*, desinunt.

CAP. XI.

SVERRERIS ORTUS ET EDUCATIO,
PERICULUM, SOMNIA, QUÆ FUTURAM MAGNITUDINEM PRÆNUNTIABANT, MATRIS DE VERO EJUS PATRE CONFESSIO, IPSIUS HÆSITATIO MIRIFICICO SOMNIO ADEMTA.



Excisa jam à stirpe videbatur Haraldi Gillii per mares demissa progenies, majorque potentia Magno accessisse, quàm ut factionum viribus in posterum everti posset, opibus Danorum indigenarumque studiis suffulto; provisò insuper in posterum, ut regnum in familia ejus perpetua hæreditate permaneret. Sed hic Deus, quàm sint humana consilia, etiam cum prudentissima, viresq; cum firmissimæ, nullius ponderis, se invito quæsitæ, ostensurus, Magni Erlingique vires sine viribus, potentiam

tentiam debilitate, opes inopiâ, subvertere decrevit, more sibi à seculo familiari, quò potentes à sede deponere, humilesque exaltare confveverat. Ex ultimis ergò orbis infulis, contentâ mundi parte, cultorum nationum habitaculis disistâ, ultorem sanguinis Regii, cujus fundendi Erlingo, ut instrumento, iræque suæ flagello, mox in ignem conjiciendo, potestatem permiserat, evocat, belli artisque rectoriæ imperitum, patriâ propè exulem, opibus cassum, amicis destitutum, adversus exercitissimum peritissimumque ducem, patriæ potentissimum civem, regni que usurpatorem, cujus gratiam omnes quærebant, opes spectabant, auctoritatem venerabantur, iram exhorrebant. Nomen ei Sverrir; mater Gunnhildis, imputatus matris indicio pater Unius pectinariarius, Hroiî Færeyensium Antistitis frater, Gunnhildis in Norvegia conjugio sibi sociatæ maritus, ibidem anno gratiæ MCLI. Ingio, Eysteino & Sigurdo Broncho Regibus, quadriennio ante illius cædem, cujus postea filium se professus est, natus.

Hujus futuram magnitudinem nuncia sæpe futurorum somnia præmonstrabant: quorum hæc notata sunt. Cum eum uterò mater gestaret, visâ sibi in ædibus superioribus, tapetibus splendide exornatis, parturire, obstetricæ ad genua partum excepturâ sedente; quæ eò in lucem editò exterrita, matrem inclamat, inusitatum factum produisse testata. Simul deinde insipientes, lapidem colore niveo flammantem deprehendunt, scintillas ignitas ferri in modum sine intermissione vibrantem: qui obstetricis monitu sellæ impositus, vestibusque tectus, nihilominus penetratis pannis per universas ædes easdem cum impetu disperfit; unde magnus utrique terror incussus.

Quinquennem mater vitricusque Unius eum è Norvegia in Færeyas translatum in nutricatu Episcopi Hroiî humanioribus literis imbui curâruit, donec in presbyterum consecratus est. (ita tradunt libri omnes membranei, quòtquòt vidi: nec scio qua autoritate *versiones Danicæ Petri Claudii Uindahni* aut *Johannis Martini* hæc variant) minus tamen facrorum administrationi quam litibus deditus erat; nam & inter eum & Kalfi filium Brynjolfum, re an cognomento Nuncium, qui præfecturam in infulis gerebat, ex verbera, quò virum quendam Sverrir feriebat, exorta controversia est; persecutusque eum cum multis aliis Brynjolfus, qui à verberati partibus steterat, fugâ in cœnaculum quoddam compulit. Vi ab eo avertendæ mulier quædam eum fornaci intrufit, petramque præstruens, focum ante eam accendit: quò commento inquisitores elusi, domum, sed frustra, lustrantes, latebram ingeniosè quæsitam invenire nequibant. Solers consilium, haut ab ejus animo alienum judicatum, postquam intellectum, quinam esset. Unii & Gunnhildis liberi erant filius Hidius, & filia quæ nupsit Stephano Porco; natus inde filius Petrus Steipir; plures etiam filias habuerunt.

Ipse deinde Sverreri visiones nocturnæ futuram sortem præfigurantes obtigerunt, aliis haud vanæ, aliis mira ludibriâ visæ. Visus enim sibi in Norvegiâ consistere, repentèque in immensâ magnitudinis avem transformari, quæ rostro limites orientales regni, caudâ Finnmarkiam attingens, universam regionem alis contegeret. Id cum viro sagaci, nomine Einari, conjectandum exposuisset; *abstrusa sibi hominum fata; videri tamen imperium portendi*, replicuit: *nec tamen absimile, Archiepiscopum futurum*. Illud vero Sverrir, ut absurdissimum, cum vix unius parocciæ sacerdotio sufficeret; regessit.

Romam deinde Gunnhildis ad peccatorum absolutionem impetrandam, ad limina Apostolorum, more seculi, Pontificibus in primo, quæstusos, profecta, cum eorum confessione coram eo, quem Pontifex isti muneri præfecit, conscientiam exoneraret, filium sibi Regio latu confessa est, quem genus suum celaverit. Quò ad Pontificem delatò, imperiò ejus in absolutione mandatum accepit, de vero ei ortu retegendo, cum primum ad eum rediret. Norvegiam redux (ubi domicilium habuisse videtur, secus ac tradunt editiones typis impressæ, quæ ob persecutionem Erlingi in stirpem Regiam solum eam vertisse volunt, in Færeyas migrasse; quod nullo modo consistit, cum biennio tantum post mortem Sigurdi Bronchi, Sverrir in Færeyas ablegatus & educationi Episcopi commissus fuerit, Ingio adhuc & proximo quadriennio imperante, nondum exortâ Erlingi factione) sine morâ Færeyas profecta, filio, jam viginti quatuor annos nato, rem universam pandit; id quod illi curam ingentem iniecit, sollicitè reputanti ab una parte Magni Erlingique impotentes vires, procerum; quorum alii præfecturas ab iis concessas gerebant, studia, populiqve universi gratiam, quam etiam frugiferorum, annorum proventus auxit, odium vulgi in familiam Haraldi Gillii, quem velut omnium malorum facem devovebant, studium in Sigurdi Hierosolymipetæ profapiam, cui inservire præoptabant, quò Magnus ad Regium fastigium omnium consensu provectus esset; solertiam insuper Comitis Erlingi, rei que militaris & civilis administrationis peritiam, constantemq; in eum diem felicitatem. Rem itaque inexplicabilem, infinitis objectam periculis, an ordiretur, dubitat. Ex aliâ parte stimulabant pudor & ingnomina, si datum sibi divinitus jus hæreditarium præ ignavia animi persequi negligeret, cum tamen non deessent vel inter proceres vel plebem, qui in Erlingum malè essent animati, præsertim in Thrandiâ.

Hæc secum varis curarum æstibus volentem somnia eorumque interpretatio erexit; quorum unum, dum hæc secum agigaret, denuò oblatum tale memoriæ proditum est. In Norvegiâ sibi constitutus videbatur, officioque alicui designatus, muneri præsertim Episcopali, tota regione belli injuriis, cædibus, Regumq; discordiis flammante, capitibus factionum ab unâ parte Sancto Olofo, ab altera Rege Magno, ejusque patre Comite Erlingo. Parti cui accederet, addubitans, Olofo operam suam venditabat, magnoq; gaudio & comitate ab eo receptus est. Post moram haut longam mane quodam Regem quindecim aut septendecim tellitibus stipatum ad minorem mensam manus lavantem observat; quò peracto, alter eadem aquâ manus abluturus extensâ manûs indicio à Rege inhibetur, se verò nomine Sverreris Magni, ut eadem aquâ suas manus abluat, quibus lotis, approperans quidam repentinum hostium adventum nunciat; Rex suis, ut arma capiant, edicit: nihil tamen periculi respondit, se enim pariter ac se ipsum illos clypeo suo protecturum. Allatis deinde armis sibi gladium à Rege porrectum accipit, vexillumque simul his verbis traditum. *Accipe vexillum meum, domine, certus te illud in posterum semper gesturum;* quò receptò, ingens merus successerat. Arrepto deinde clypeo omnibus sequentibus; vestibulo, per quod exitus dabatur, (visum est autem iusto humilior, nec vexillo erigendo idoneum, in sexaginta cubituum longitudinem patens) emenso, cum ad januam simul pervenissent, in armatos septem ante fores incidunt, vexillarium invasuros, quem Rex cum cæteris omnibus objectu clypei protexit. In planum deinde camposque virides processum, ubi vexillum in

sublime protensum, acieiqve Magni & Erlingi illatum, quæ protinus impellebatur. His excitus, quid viderit, contemplatur, paucisque arbritris exponit; quibus juxta eventum conjectantibus, cum reliqua somnia cum hoc contendisset, animò factus est erectiore. jamqve ulteriore dubitatione discufsâ, cum in insulis annum vertentem substitisset, Norvegiam primò proficiscitur, rerum, quæ ibi gererentur, vultum propius inspecturus.

CAP. XII.

DE SVERRERIS IN NORVEGIAM ET INDE IN OSTROGOTHIAM PROFECTIONE, REDITUQVE IN NORVEGIAM, ET BETULOPEDUM REGIMINE AD ILLUM DELATO.



Nno MCLXXI, postquam patruelis ejus Eysteinus publicâ voce Thrandorum Norvegiæ Rex proclamatus est, Sverrir in Norvegiam devenit, inqve ejus acta intentior, consiliorum ordinem gnæviter perpendere cæpit. Ardore juvenile magis quàm ratione cuncta dirigi percipiens, haut è re suâ ei se adjuncturum statuit. Thrandiam igitur meditatùs eò quoqve iter flexit. Verùm in insulâ Seliâ subsistens, quòd ibi amicos haberet, accuratè cuncta inquirere cæpit, etiam in viâ statum Thrandiæ ab iis, qui inde profecti sunt. Erat in Seliâ pastor quidam, qui sincerè, quæ ejus scire intererat, retexit. Ex consilio Episcopi Hroaris Archiepiscopi Eysteini auxilium implorare decrevit; jam verò, cognito eum additissimum Magno propinquis suis infestissimum fuisse, propòsitum revocat, imprudenter opem à familiæ suæ everfore quæri, unde certum exitum expectandum, ratus. Converso itaqve itinere Tunsbergam navibus adit, inde Kongahellam, inqve comitatu ipsius Erlingi sæpius ipsum allocutus, animum ita occultavit, ut ne indicia quidem paterent. Sæpius inter aulicos Regios Comitisque versatus, multarum rerum noticiam elicuit, quas postea prodidisse pænuit. Tanta enim inerat comitas atqve ad omnia naturalis ingenii vigor & dexteritas, ut facunde alloquendo eos in admirationem sapientiæ suæ traheret, simulqve facetiis exhilararet. In primis plebis mentem explorabat, num in studiis in Magnum dissentirent; (nemini enim quæstiones ejus suspectæ erant) constanterqve ab omnibus coli deprehendit. Kongahellâ Liodhusam difficili & laborioso itinere pervenit, triduo ante Natale Christi festum. Inde in Ostro-Gothiam ad affinem Comitem Byrgerem Brosam, amicitæ suæ Brigidæ Haraldi Gillii filiæ maritum, venit, eorumq; auxilium implorat, conatu quàm successu majore; nam & Eysteinum militibus aliisq; necessariis instruxerant, nec eò vivo novas factiones excitandas censebant, & Sverrerem suspectum habebant, tanquam speculatorem ab Erlingo subornatum, idqve aliorum instinctu, qui & illum occidi sva-debant: ad quod Comes sine manifestâ causâ se perPELLI passus non est; detinendum potius temporeqve festi inebriandum ratus, si quæ inde per ebrietatem verba exciderent, quæ falsitatis eum convincerent; tum demum meritò supplicio afficiendum. Subornat itaqve, qui largioribus populis eum invitarent; sed ægrior ei curis & sollicitudine animus erat,

quàm ut vinum admitteret; quin & insidiis animadversis, sedulo sibi ab eorum astu cavet; nec tamen unquam intermisit Comitem amitamque opem & subsidia poscere. Finito festo, nec opibus nec spe, quàm dum venerat, erectior, duobus comitibus discedit, transitque in Vermalandiam, integrumque octiduum solitudines pererrans (alii sex aut septem dies habent) humanâ ope destitutus, inediâ & frigore propè confectus ad sororem Ceciliam, supremi Vermiæ judicis Folkvidi (ut tunc fama erat) uxorem, pervenit. Quæ de adventu ejus certior, convivium ad eum excipiendum instruxit (odiò, credo, magis Erlingi & Magni, speque fortis melioris, quàm ullâ cognationis certâ notitia: videtur enim quemlibet in fratris locum fuisse admittura) Eò pars eorum, qui bello, in quo steinus Meila, (aliàs *Birkirbeinus* seu *Betulopes*) in Ræ cæsus erat, fugâ delata eventum prælii, cædem Eysteini, victoriam Regis Magni, vulnera suorum, cædesque & maximæ partis exercitus cladem, relinquorū per Vermalandiam, Thelamarchiam & Daniam disperforū exilia nunciat. Quæ fama variè motus Sverrir cum sorore deliberat, quid potissimum auspiciandum? cumq; mera temeritas videretur, hoc statu adversus tantas vires fractis contendere, quibus integri succubuerunt; convenit ut exterâs nationes lustraret, ibique fortunam expectaret; quæ plerumque humanæ prudentiæ inimica futuros casus in occulto tenet.

Et jam fama vulgaverat, filium Regis Sigurdi in Vermia præsentem adesse, id quod ii, qui è novissimo prælio illuc dispersi erant, oportunum suis rebus rati sine mora eum adeunt, ducemque exposcunt. Quibus inspectis, alios tabe vulnerum marcidos, alios vestibus nudatos, plerosq; & armis, omnes juventæ vitiò consiliis & prudentiâ destitutos animadversens, incongruum, respondit, *nostram societatem existimo; cum vos omnibus egeatis, etiâ consiliis; mihi, quò vos instruam, nihil suppetat, nec notitia ulla intercedat; nec vobis de genere meo quicquam exploratum. Si quid in consiliis meis displiceat, promptum est responsum, nec vobis in Principes vestros insoetum, nescire quo patre satus sim, nec cui serviatis. Quid in hanc societatem conferamus, video nihil, præter inopiam & pericula, mutinamque imprudentiam; nam & ego potissimam atatis meæ partem in insula, circum suo mari scopulo, ubi militaris rei scientia exigua, experientia nulla, exegit: nec cum iis versatus, qui instruerent. Quid itaque aliud quàm sollicitudinem mihi, vobis pericula, utriusque foris, quò Deus avertat, perniciem hoc contubernis arcessam? Ne verò frustra tam afflictis vestris rebus me accesseritis, dabo vobis consilium, quò in spem meliorem vos poterit erigere. Adite affinem meum Comitem Byrgerem, ejusque filiorum è tribus unum ducem poscite, de quorum genere nemo ambigit, meo omnes: pari enim jure cum Magno regnum vindicant, unde necessariis aucti fortunam iterum possitis periclitari.*

Hoc responsò dimissi Comitem adeunt, qui miseriam eorum graviter ferre visus; negabat tamen ullius filiorum suorum illis copiam futuram: singulos enim etate minores, quàm ut tanto ovari viribus vel consiliis essent pares; nec sibi amplius tutum Norvegos incursionibus Gothorum irritare, aliud ipsis consilium communicaturum; exitum Deo committi; filium Regis Sigurdi festo Natalitiorum apud se fuisse, jam in Vermia quærendum: illum huic o-cipem deligendum. Illi se eum convenisse responderunt, sed ab eo ad Comitem remissos. Quo audito, acriter eos exhortari capit ad eum deligendum; adjecto, *ita animum præ sagire, aut illo duce damna reparaturos, aut nullò; jubetq; referre, amicitia suæ usum integrum ei, ditionem quo-*

que suam etiam exercitui tutum receptaculum futuram; svadet deinde, si impelli non posset, ut eorum causam in se recipiat, mortis minis terreat, traditque literas Sveciæ Regis Knuti, S. Eirici filii, suasq; hac formâ. *Ut inopem hanc cohortem in tutelam recipias, oramus; nos quoque, quò minus nuper causam tuam respeximus, hoc magis in posterum promovebimus.*

His dimissi ad Sverrerem in Verriam redibant: ubi eum occultâ custodiâ, ne, dum abessent, elaboretur, observari curârunt; destinabat enim Hierosôlymam proficisci, nullâ ad regnum repetendum spe reliquâ. Non enim Erlingus rebellibus tantum sævus & crudelis, sed iis quoq; immitis, qui Haconem vel Sigurdum Reges familiaribus colloquiis appellâscent, ad eò ut ejus metù vocabulum illud effatu periculosum iis aptari desiverit. Redditis literis Regis Comitiscq; , quamvis haud obscuram auxiliorum spem facerent, promissis tamen nudis ad tam arduum opus subeundum adduci neq;ibat. Memores itaq; consilii Comitis: *Scito, inquit, nos patri tuo familieque Regiæ nostrorum excidiò fideliter servivisse: patrum, fratrum, proquinquorunq; jacturam fecimus, patriæ denique bonorumque omnium; nec fides nostra tantis cladibus expugnari poterat, quoad unus è Regia stirpe superesset. Pro incolumitate ejus regnoque patriò comparando veterum recentiumque calamitatum oblii novâ semper pericula poscimus. Eadem constantiâ tibi, in quem ultime domus Regiæ spes reciderunt, sociari cupientes, velut inutilia membra fastidimur; sineque capite, tanquam corpus sine spiritu, relinquimur. Tu quoque generis Regiî gentilisque fastigiî immemor, sorte, in quam natus es, indignum te ipsum facis; dum operis nostris & alacritate ultrò oblati, alioquin tibi omni studio curâque expetendis, ut piget, præ insito animi mentisque torpore. Tuo igitur capite veniam pacemque ab Erlingò Regeque Magno redimamus, versisque in illos studis, familie tuæ, quam tantâ omnium jacturâ corporibus nostris propugnâvimus, erimus infensissimi.*

His exterritus Svërrir, certum interitum Regiæ stirpis masculâ prævidens, accepit conditionem eamque qualemcunq; præsentî exitio. Dominicâ quadragesimalis jejunii, quæ tunc in quintum Nonarum Martii, seu sextum ejusdem mensis diem, Cyclo Solis tertio, litera Dominicali D: incidit, annum MCLXXVII. indicans, sædus cum iis sancit, postridie septuaginta eorum in tutelam recipit: alii satellites purpurati, veste licet indigentes, creati, alii emissarii, alii mercenarii, quos Hústarsa appellavit. Proximâ nocte species per quietem adumbata, omen fortunæ in posterum auspiciatissimum afferre visâ iterum eum accendit. Ad Ropem quippe sibi consistere visus, ubi Raumelsa oceano se miscet, ibi Regem Magnum & Comitem Erlingum cum omni populo se quærentes observat, ipse clam urbe exire visus, ædem S. virginis in via offendit, ingrediturque sacris interfuturus; cum vir quidam illum accedens manu apprehensum in cameram quandam propter sacrarium deducit, his verbis: *Me, frater, comitare; rem enim arcanam tibi pandam. Quem illicò secutus habitum ejus attentius rimabatur, apparuitque valde senex, canis universam cæsariem conspersus; barbâ promissâ, veste fluidâ ad talos usque dimissâ, facie rubicundâ & terribili, capillò brevi. Cogitantem deinde, quid illi secum? iterum ille idem observans affatur. *Bono animò sis, frater, missu enim Divino huc veni. Quò audito Svërrir ad pedes ejus prostratus; quoniam ergò sis, ait, profiteri, domine; quò sciam te à Deo missum. Noli timere, respondit; Deus enim me misit.* Majori hac voce timore Svërrerem invadente, Senior eum manu apprehensum erigit, tertioq; , ut timorem*

mitteret, exhortans: *Sum*, inquit, *Samuel Propheta, nuncium Divinum ferens*; exerrumq; perâ, quæ collo dependebat, cornu promit; inde unguento defumto manus ejus inungit, hac verborum formâ: *ungantur conscriptorumque manus iste in odium hostium adversariorumque, multorumque populorum protectionem*: osculatoque Sverrere, dextrâque ejus apprehensa: *In orientem*, inquit, *perge, angustiasque hostiles evita; eris enim Rex*; iterumque eum osculatus: *Angescat tibi*, inquit, *robur, viresque accedant; Deus enim promovet*. Atque his dictis evigilavit, virisque duodecim, qui in eodem cubili quiescebant, & inter eos duobus sacerdotibus, visionem exponit. Omnibus admirabilis visâ est, lingulisq; animos audaciamque addidit. Conjectore quæsito, cum nemo id in se reciperet, laudarent tamen omnes indicium, in plures spargere vetuit. Ab illo tempore, quò hæc visio oblata est, animum ingeniumque & mores omnes in melius, sed valde mutatos, observârunt; nam postquam factionis tam artificialitæ regimen suscepit, omnis ei cura solique incumberebatur periculis in terra peregrina prævidendorum avertendorumque; cum nullus esset inter eos, qui in futurum provideret:

CAP. XIII.

DE REGIO NOMINE SVERRERI INVITO IMPOSITO, EJUS IN THRANDIAM IMPEDISSIMO ITINERE, ET DIREPTIONIBUS IBIDEM EXERCITIS.



Eriâ deinde quartâ, quæ dies cinerum erat, recepto manipulo septuaginta virorum, Hamare Vermiæ villâ in Vikam movit: cujus prædium Saurbæas vix attigerat, cum in itinere affluentium, qui se in ejus militiam adscribi voluerunt, numerus ad sexaginta supra quadringentos excrevit. Ibi conventu celebrato, milites militiæ ejus, quantumvis invitati, tirocinia Regio titulo cohonestârunt, ipso nequicquam replicante, *disserendum honorem, quoad genus Regium evidentibus argumentis asseruerit*. Illi verò negabant se viro pari secum conditione, privatos privato, servituros. Dominicâ primâ post quadragesimam fidem ei tacto gladio jurârunt. Verum exiguo tempore ipsos rexerat; cum suspectum antea eorum usum talem quoq; deprehendit. Suis igitur consiliis usus, cum non esset, quem consuleret, primò quidem perpendere cepit noviter ascitorum ingenia, expertusq; diversa; pleriq; enim rapinas tantum & scelerum licentiam captantes cum secuti sunt. Uberius deinde eorum experimentum capturus, cum Vikam armis ad officium cogere quam rapinis infestare mallet, itinere in Vermiam reflexo, sub nemore Eidenfi copias lustravit, nec præter septuaginta residuos habuit. Tunc primùm animadversum, latrocinandi libidine ei se associasse, non regni communibus periculis vindicandi studiò.

Tam exiguâ manu floridissimi regni vires laceffere, temeritatis, non prudentiæ, visum est. Mutatò igitur consiliò, cum propositi exequendi nulla via se panderet, quid potissimum faceret, animò valde fluctuabat. Deferere invalidam manum, turbam inconditam, quam invitus receperat, intutum; sed nec ejus occasio in promptu: nam ab iis, qui fortun-

nas cum eo cōmunicare firmiter proposuerunt, sedulo observabatur. Et jam recepto Regio titulo notus, sine armis nusquam tutus erat. Elegit tandem Vermiam repetere: ubi conviviō opiparo à sacerdote quodam exceptus festum Paschale exegit. Inde literis per nuncios in Telamarchiam missis, reliquias exercitus Eysteini, jam exules, metuque Erlingi & Magni per latebras dispersas, in aqvilonaria regni, ubi se adfuturum pollicetur, evocat; quò cum per Norvegiam iter sibi tantā paucitate præclusum animadverteret, (postquam enim innotuit, novum hostem in Vermia exortum, omnes viæ firmis custodiis obseptæ ipsis factæ sunt inaccessæ) aliam viam insuetam, eamque inobservatam, ingredi statuit, quantiscunq; difficultatibus obitam. Igitur finitâ Paschatis hebdomade, terrestri itinere ad agri Svedici avia reflexo, viâ planè inviâ, per saltum duodecim raras, seu milliaria, longum ad provinciam Nistishyat provecti, alium inde pari spatio ad Molundas usque emeruntur. Intercedebat inter hunc tractum & Jarnberiam sylvæ tertia, pari longitudine; eademque difficultate superata est; iter certè id anni propè inexplicabile, jumentis invium, nivibus calore solis in uberrimum aquarum profluvium resolutis, transitum prohibentibus, tum etiam alimentorum defectu avium tantum carnibus; sed nec his semper, suppetentibus, vita sustentata; quarum defectu fames infanda, longoque tempore incubans, diurno labore fessos aggravabat. Sæpe per palustria, sæpe arida, famelicis iter. Jarnberia illo tempore idolis dedita Sveciæ Regibus paruit, nulli unquam Regum accessâ. Rrarus accola, cui Regis, vel per famam, notitia, qui vel quid tam Augusto vocabulo, homò-ne an fera, notaretur, discerneret; nec levis molestia rudem inter gentem versari. Eâ tamen humanitate fuit, ut intellectâ Regis necessitate, non solum transitum innoxium permetteret, sed etiam necessariis instrueret. Ex Jarnberia per solitudinem octodecim milliarium, donec in culta ventum esset, itum est. Inde ad nemus cæteris vastius, in triginta quinque milliarium longitudinem expansum, nullius humani alimenti ferax, succus betulæ tunicarum interior (Sasi) baccarumque sub nivibus per hyemem incorruptæ fami leniendæ adhibitæ. Intercedebat lacus, per quem transitus erat; sed navigiorum defectu arbores in usum ratium excisæ: cruda tamen ligna graviora erant, quam ut pondera facillè sustinerent. Multiplicatæ itaque rates singulæ tres aut quatuor homines vehabant. Ultimus Rex tribus ex suis comitatus ripâ solvit; mensaque ratis medias usque furas aquis innatabat, cum inclamans peregrinus, viribus ob lassitudinem planè defectus, recipi se postulat, secus perituro testatus. Hic Regem, licet haud sine magno vectorum periculo rati ponderum mole prægravatæ imponi posse animadverteret; ad miserationem tamen permovit; quò recepto, lignea compage aquæ genii tenuis suppressâ, stagnum semi-milliare latum transmittit, plurimis fuorum ad ulteriorem ripam transvectis. Quam cum primum ipse cum suis comitibus attingit, excensiditque, mirum dictu, lapidis in morem, quæ eatenus onere pressa utcumque urinabat, jam pondere levata derepentè fundum usque demersa est.

Biduum cibus defecerat, cum ad stagnum pervenirent, subitque omnium rerum desperatio; sed miraculo observato in spem ulteriorem conservabantur, concludentes, rebus profecto haud exiguis gerendis eum reservari, quem saxea moles sibi ipsi sustentandæ inepta travexit. Biduum deinde alterum solitudines tenuerunt, quo fuctu tantum succosorum ramorum, esuque tunicarum arborearum tenuiorum, seu interiorum librorum, vitam tolerarunt; tertiâ inediâ laboreque marcescentes nihilominus

eò progressi sunt, ut duodecim tantum milliariibus Jamtiâ distarent, longior tamen fessis jejunisqve via, quàm pro virium suarum captu, visâ, animos eos demittere coëgit; vasto enim amne transito, tribus in ultimâ rate arbitrio fluminis ad inferiora trusis, cum & illi optatam quoq; ripam contigissent; omnes per campos strati spem ulterius annitendi abjecerunt. Rex aptâ oratione dejectos confirmans, *exiguum spatium in Jamtiam restare* prædicabat; *ibi commercid Christianorum destitutos, quibus indigerent, facile impetraturos*; perpulitqve ut langvida corpora in labores firmarent, infestumq; iter emetirentur. Quò cum ventum esset, illos sibi infestos experiuntur, ductu præfectorum Regis Magni. Mittit itaq; Rex Sigurdum de Saltnesia; qui naves defendendæ patriæ deputatas sui adventus securis eriperet; quibus amissis, supervenientem Regem, deditone factâ, conviviis excipiunt, instruuntq; quadraginta (alii sexaginta habent) militibus. Inde digressi, quinque dies noctesq; cibò destituti insomnes ducebant, unicè contententes, ut nuncios omnes in Thrandiam præverterent.

Nocte, quæ feriam sextam hebdomadis festi Pentecostes præcessit, inter nonum & decimum mensis Junii, urbi Nidarosicæ appropinquabant; nec tamen ita inopinatò, quin fama iminentium præcesserit. Adversus eos Sigurdus Nicolai filius, Eiricus Arninus, Ivar Hortius, Ivar Silkius, Ivar Giasaldi filius, mille quadringentos viros educunt (*Gullinskinnu* mille septingentos habet.) Ad vires igitur eorum consiliaq; exploranda, ipse Sverrir uno tantum, cui nomen Ion, comitatus, cohortibus se eorum miscens, speculatoris partes agit, consiliaq; venatur. Qui cum plures essent, quàm ut tantillis copiis resisti iis posset, prudenter in præfens cessit. Cives autem Selbuenfes trecentos sexaginta armârunt, accessu eum prohibitori. Cum autem Sverreris manipuli vigiliis & inediâ debiles quietis refectione indigerent, mittit Vagleiko de Digrino nuncium, cum postulato, ut eos sustentet; qui id quoque alacriter præstitit. In reditu Selbuenfes propriis navibus exclusos spoliant, villas occupant, comæteum auferunt. Tantâ jacturâ fracti, obsequio accepto, in duas hebdomadas alimenta præbere jubentur. In insula quadam, quæ exinde *Ronungesholm*, id est, *Regia insula*, appellatur, Rex aliquot dies delituit, certior de omnibus, quæ in urbe agerentur.

Eodem tempore Gaulardalenses se quoq; colligebant, eos agris suis exacturi: id quoque Sverrir in latebris conspicatus. Cum autem plures dies sine ullâ illius notitia præterirent, abiisse rati, ab invicem discedentes, domos quisque suas repetunt. Tum verò Birkibeini in sparos inventi, villas eorum occupant, adque imperata facienda nullò negotiò adigunt. His Nidarosiam relatis, iterum cives aciem urbe educunt. Sverrir vim majorem prudenter declinans in Soknadalum secessit. Ibi de Ruto de Thelamarkia literis nuper excito, sibi cum octoginta viris occursum, certior, Rannabaas in occursum ejus ducit, adventu ejus valde confirmatus. Jamque converso itinere, robore ducentorum virorum, duplo quàm antea firmior, collem Gaularas conscendit, eqvisque transvehitur, illis viginti, qui primùm arnæm transmiserunt, duce Jonæ Gudrunæ (*Gullinskinnæ* Gudrodi) de Sando filio speculatum præmissis, seipsem quoque ex urbe speculatores missi: utriqve in se invicem incidentes conflixerunt; quatuor urbanorum cæsi; duo cladis nuncii redierunt, unus captus est.

His cognitis, cives urbani ducentorum quadraginta hominum aciem urbe

urbe exciunt, octingentis & viginti in insidiis sub aggere quodam absconditis, qui medio congressu hostem adorirentur; eoque audaciæ (ut tunc visum) processerunt, ut vexillum S. Olafi faustis, ut sperabant, avibus, sed valde inauspicato, efferent; equus enim, cui vexillarius insidebat, velut furis agitatus, cum quancuncumque conatu sisti neqviret, laxatis habenis, suo permissus arbitrio actutum in obvios duos irruens, altero occiso, altero fractis membris luxatisque male multato, nec deinceps in integrum restituto, sessorem cum vexillo excutit, quod à Svverris militibus interceptum, omenque auspiciatissimum habitum est. His peractis Svverri aciem ordinat, quam sexcentis, qui in procinctu stabant, opponit, & præcipue suos sagittarios, quorum tela confertim emissa velut fortuito in eos incidebant, qui in subsidiis latebant: unde Ivar victoriam sibi spondebat. Verum hi tantæ grandini sustinendæ impares, primi in fugam vertuntur, insperatoque victoria penes Svverrem fuit. Cæsi ex parte urbanorum Ivar Selkius & Ivar Giasaldi filius cum aliis plus centum. Vexillum S. Olafi in urbe triumphantium more circumlatum; proceres huc illuc dilapsi, Ericus Arninus captus. Et jam multi, qui contentu Svverris se ei opposuerunt, humiliter veniam vitamque peccati victoris clementiam experiebantur: omnibus enim veniam implorantibus parcere solebat, licet haut incertus, proceres, qui prælio effugerant, brevi, sed majoribus viribus, impeturos. Speculatoribus itaque circa vias ab urbe undique ducentes dispositis, post triduum cognoscit interioris Thrandiæ incolas cohortes contrahere, duobusque millibus militum se invasuros: Ivarem quoque quinquaginta navibus ad Raudabiargas consistere. Territus tantâ vi Svverri haut expectandum ratus, undecim lembos conscendit; nec longè ab Holma remigatum, cum interiorum Thrandorum classem conspiciunt. Hic mutuo concursu eminus sagittis ultrò citroque immixtis se invicem infestant. Ad Raudabiargas undecim naves onerariæ mercibus Vogis deductis onustæ, in mercatorum gratiam, quibus noceri noluit, integræ dimissæ; undecim præterea lembi cum unâ longâ nave, ab Ivare contracti, vim fugâ averterunt, impares se Betulopedibus haut vana conjecturâ judicantes. Ad Agdanefiam novem lembi, sed hostiles, intercepti, vectores armis nudati, exque vecturâ in quantum usui erat, interceptum, vita singulis beneficiò victoris concessa. Ad Folkfmarum lembus onerarius Ivari possessus mercesque pretiò sex selibrarum auri in spolia relata. In Mæria quatuordecim lembi ad Ivarem unâ cum prioribus navigaturi direpti.

CAP. XIV.

SVERRIR TOTIUS NORVEGIÆ REX
PROCLAMATUR, CUM PRÆFECTIS MAGNI
PUGNAT, EOSQUE FUGAT.



Lom. III.

Is peractis, Svverri in urbem reversus à civibus speciosissimæ formæ, quam processionem vocant, solennibus, in occursum sui sumâ obsequiorum declaratione institutis, excipitur. Inde ad comitia Eyrensia octo è singulis præfecturis, quæ intra Agdanefiam jacent, evocat. Isto conventu Svverri publicò judiciò Regius titulus, tactis armis, solenn-

F f f

len-

lenni judiciorum more ingestus, regnumq; & populi, secundum veteres & patrias leges, adjudicata, singula juramentò civium univerforum confirmantur. His celeriter ad Regem Magnum & Erlingum delatis, copias illicò comparant, inq; septentrionem dirigunt. Iis excipiendis debiliorem se animadvertens Sverrir classe in Orkadalum movet; ubi subductis navibus faces subjicit. Inde Uplandas, transitis Alpibus Dofrinis, petens, in Gudbrandsdalum pervenit, actoqve conventu, ad lacum Miors movet; ubi tres Regis Magni satrapæ congregati sunt, Ivar nimirum de Saftadis, Sæbiornus (aliis Snæbiornus) Sindrii filius, & Ivar Gellingus, aliis Gæslingus, qui supra mille quadringentos viros contraxerunt, Sverrere tantum ducentis quadraginta instructò. Consulit itaque suos, cedere an configere mallet? Omnes ardor ad pugnam stimulabat; fuga displicuit. Tum verò Sverrir: *Displicet quidem, inquit, ille ardor, qui adversus impossibilia contendit, & manifestis nos periculis, iisque inexplicabilibus, objicit; certè nec morte meâ, nec fuga, patris fratrumve aut propinquorum meorum ultio peragitur, quæ tamen vitâ incolumi speranda sunt.* Mandatqve ut unius diei iter inde deflectant, parentq; quantumvis invitati. Inde quadraginta (sexaginta alii habent) viros ad stagnum Raundem ablegat, qui navigia omnia, quæ ibi erant, occupant. Adventante Rege, tres cohortes discretis locis sibi oppositas deprehendit, quarum una trecentis sexaginta capitibus constabat (*Codex Flar:* duas hoc nomine recenset, tertiam quingentis constituisse tradit) Rex copiis suis bipartitò divisit, centum & viginti ad diripiendam domum Aufluris Bilsi, aliis Hissii vel Hilsii, amandat. Damnum viginti selibrarum æstimatum est. Iis absentibus, nihil sibi movendum statuit, tantum cohortem trecentorum sexaginta virorum aggressus, parvoqve negotio, motis tantum armis, injecto terrore arma simul eis sponte projecta excussit; pacem deinde præcantibus more suo dedit. Reliqui horum exemplò, viribus quoq; suis diffisi, dederunt se Regi, more, teste *Codice Flar:* in Hadalandia inusitato. Ibi comitia titulo pacti formandi ad certum diem instituta, sed agrestium decretò ad Regem majoribus viribus accessione suorum comparatis subvertendum, vivisq; subducendum. Cum autem eodem die, quò villam Aufluris diripiebant, redirent, auctum viribus aggredi extimescentes, in non ita pridem promissum obsequium consentiunt.

Et jam reconciliatorum speciem præbebant, cum occultis nunciis Ormum Regis fratrem Vikâ, ubi cum classe excubabat, excitum in caput Regis subornant, se ei adjuncturos promittentes; qui sine mora magnas naves lacu Tyrfio deductas, in stagnum Raundem propulsurus, Sverrere in navibus agentem navibus quoq; oppugnare decrevit. His cognitis, Sverrir Ormum se expectaturum simulans, cum quadraginta suorum sylvam ingressus, arbores dolabris sterni jubet, nemine, quorsum tenderet, intelligente. Ad vesperam omnes adesse iussi: mane sequentis diei turbis exciti, cæsas arbores in usum copiarum ipsius imperio rapiunt, super quas naves spatio quinque milliarium, viâ navibus ad eum diem incognitâ, in æmulum maris lacum Miors propelluntur. Tum primum intellectum, cui finis arbores excisæ. Quatuordecim naves Heidmarkenses isto in lacu constiterunt, Ormo quoque, quem tacite advocaverant, auxilium facile eripuit, pulsusq; fugâ in australia lacus ipse oppidum Hamar ingressus omnes dicto audientes habuit. Ex illo tempore via, per quas naves duxerat, *Ktostvegr*, id est, *carinæ via*, appellata est.

CAP. XV.

DE SUBACTIS A REGE SVERRIRE UPLANDIS; EJUS IN VORSIA PERICULO FELICITER SUPERATO, ET VARIIS ITINERIBUS.



U Alvardo quodam de Sastadis cum aliis Satrapis domi festivum convivium dedicationi ædis sacræ impensum tantâ liberalitate celebranti, ut præter trecentos convivas aditus insuper omnibus promiscuè pateret, inexpectati hospites Betulopedes quoque obvenerunt. His præter invitantis mentem accurrentibus, vis repente opposita, collatisque signis concursum, sed tempore parvo Satrapis in fugam ocyus effusis, septem ex suis amissis, quinque captis, apparatus convivii omnem Betulopedes, pulvis qui instruxerant, rapuerunt; reliqui Satrapæ ad Ormum fugâ provecti sunt, ejus auxiliò damna reparaturi. Verùm Sverrir, navibus Heidmarkensium sedulo inquisitis, ubi de stationibus earum certior factus est, omnes in suam potestatem redegit; mox opes Satraparum, reditus & canones omnes Regis Magni intercepit. Jamque universis Uplandis & Eystridalis, seu orientalibus vallibus, imperio suo subjectis, potentiam auxit. Ut enim observatum est, prudentiâ eum quam viribus magis proficere, major ad eum concursus fiebat, ita ut copiæ ad trecentos sexaginta crescerent. Cujus famâ Magnum & Erlingum ad comparandum ex Vika magnum numerum pugnatorum convertit; quibus cum Sverrir viribus suis resisti non posse prævideret, vires eorum declinaturus in Sogniam deflexit. Verùm præmissi ab hostibus nuncii adventum ejus prævertentes, Sognenses contra illum armârunt. Via, quæ eò ducebat, uno in loco angusta, nec plurium simul capax, singulos tantum ordine procedentes admisit. Supra rupes editæ, avium lustris frequentes: ab aliolatero fluvius ingens, rapidis vorticibus catâractisque passim intercisus, nullis præterquam avibus impervius. Rupem Sogneses magno numero infederant, saxa lignorumque moles in subeuntes disjecturi. Rex, suis monitis, ne subirent, negotium tamen, quantum possent, facescerent, ipse monte à tergo conscenso improvisus adoritur, injectoque terrore fugat, quosdam etiam cædit, suos deinde Læradalum ducit.

Mane sequentis diei Auffur Hissius, seu Billius, cum viginti quinque navigiis adest, cui Betulopedes armati occurrunt. Agrestes verò, etsi numero longe plures, terram tamen conscendere veriti, re infectâ discesserunt. Rex periculo isto anni tempore itinere Vorsiam, inde Bergas, petiturus, multiplici se suosque, quanto nec ante nec in posterum, periculo involvit; primò enim Vorsenses universi, multi quoque ex Sognia & Sunnhordla armati, festo Simonis & Judæ inter prandendum impropositos aggressi fortiter impetebant. Sed Betulopedes vim vi opponentes adeo, acriter in eos inveci sunt, ut pulso eorum cuneo aciem turbarent; quæ deinde in fugam versa, intercedente flumine, circa rupium disrupta hærebat, ibique consistens, tela in hostes ingerit, ingestaque ab illis vicissim excipit. Tandem nocte obumbrante dirimuntur. Nec jam ulterior Bergas adeundi copia, præmissis ab hostibus, qui venturos nunciarent,

ciarent, suppetebat, Magno & Erlingo à copiis longè instructioribus eos excepturis. Placuit itaque eadem, quæ processum, viâ reatum maturare, delecti qui eam monstrarent, quinque peritissimi.

His ita dispositis, horrenda cælo & prope fine exemplo delapsa tempestas, niviumque inusitata moles jumenta pariter ac homines hausit. Centum viginti equi auratis ephippiis frænisque & apparatu cætero amissi, infando frigore corpora adurente: viginti commilitum enecti. Accessit inedia, locorumque, quos pererrabant, ignorantia. Sed nec aquæ ulla copia, nives cibum potumque præbebant. Tot mala velut in perniciem eorum conjurata ventorum rabies cumulabat; pridie enim festum omnium Sanctorum (*codex Flat*; postridie habet) exortus derepente turbo unum eorum celeriter in aera raptum illisumque solo trifariam fracta dorsi spinâ exanimavit, nec adversus turbis furias remedium, nisi prostratis inter acervos nivium corporibus objectu clypeorum vis in jacentes declinaretur. Et jam duces viarum lassitudine & inediâ defecti, insolita tenebrarum haut dispari nocti caliginè insuper turbati animum desponderunt, stratiqve per nives ulterius progredi nequibant, quoad remittentibus ex parte tenebris, jugum montis præruptum apparuit. Quò se delatos animadvertentes, abjectâ vitæ ulterius progandæ curâ, mortem compendio arcessere, quàm tantæ crudelitati corpora sua per mille mortes lanianda objectare placuit. E præcipitio si se dejicerent, potissimum accelerari putabatur; alii genus necis exemplo priscorum eliteriisse viderentur, mutuis ictibus concisi.

His auditis Sverrir: *observavi, inquit, vestra consilia, vel potius inconsultissimam barbariem. Manus sibi ipsi inferre, corpora per prærupta præcipitando, est simul cum presenti vitâ etiam spem futurâ abrupte, mortem temporalem eternamque simul cum ira Dei penisque perpetuis arcessere. Mutuis ictibus se invicem conficere, est quidem priscos imitari, sed insanos, nec Divina legis cognitione illustratos; nos Christiani Christianorumque filii instinctus Diaboli a præceptis Divinis facillè discernimus. Mutamus igitur impias cogitationes; peccata nostra confiteamur & recipiamus, constanti vitâ in melius mutandæ proposito, scientes mitem nobis Deum, peccatis iratum has plagas immittere. Is ergo nobis precibus & humilitate propitiandus, quoad vitam largitur. Meis itaque mandatis, meis consiliis vobis parendum. Omnes conjunctim piis precibus Dei, B. virginis, & Sancti Olavi misericordiam supplices implorabimus. Vix tactis armis in votum, quod Rex imperaverat, se obligarunt, cum, mirum dictu! rabies furentis tempestatis, quæ concionantis vocem vel proximorum auribus pene surripuit, finito voto omnis de subito concidit; atque adeò, ut unde ventus flaret, discerni nequirit, pulsisque nubibus, desideratus diu Sol haut fecus ac mediâ ætate placidus resplenderet.*

Et jam quò abrepti erant, nimirum in transversum à viâ publicâ, cognitum. Ad æstiva deinde gradum ægrè molientes, ipso Rege ignem silice excutiente, langvida corpora accenso foco reficiunt, vestesque considerabant, pro indigenarum facultatibus præbita. In Valdresiam deinde profectio instituta, inde in Gudbrandzdalum, ubi in villâ Regiæ Steig duæ hebdomadæ convivii indultæ; nec diuturnior ibi quies, civibus Heidmarkensibus duodecim, iisdemque Magni Regis satellitibus copias, adversus eum colligentibus, duce Thorgrimò, eorum primariò. Sverrir itaque

itaque more suo majorem vim declinaturus, discessum maturabat; nocte tamen quâdam, quindecim comitibus assumtis, villam Thorgrimi improvise accedit; novem ibi domestici verberibus afflicti; ipse dominus vinculis conditus, villa direpta, exactumque lytrum selibra auri, nec ægrè expensa, graviorum metu. Inde Sverrir oppidum Hamar petit, ubi Haraldus Gudbrandi filius, Magni Regis propinquus, captus, duodecim uncis auri (aurar) se redimit, cæteri Regis Magni milites pernecitate pedum evadentes, quicquid pretii alicujus esset, reliquerunt diripiendum.

In Eylfridalos appropinquante festo Natalitiorum ventum: sed incolæ metuentes, ne hospiciis suis se ingererent, conveta convivia intermissuros se pronunciant, defectuorum necessariorum causantes. Quo animadverto, Rex iter in Vermiam pronunciat, proficisciturque ad nemus Eidense. Ibi divisis copiis, centum viginti in Vermiam ablegat: qui & ibi comiter excepti sunt: ipse converso itinere, ducentis quadraginta viris in Dalos rediit, ubi tunc convivia paratissima deprehendit. Novit enim simul ac discessisset, convivia instructuros, quæ metu sui suorumque distulerant; quæ jam in suum usum convertit.

CAP. XVI.

SVERRIR ERLINGUM ASTU ELUDIT,
KONGAHELLAM ÆRE MULTAT, IN VERMIAM
SECEDIT, TRANSITUM NEGANTES
MITIGAT ET DOMAT.



Omes Erlingus eo tempore in Vikâ refedit; qui de mansione Sverriris certior, post festum Natalitiorum anno MCLXXVIII. magnam vim copiarum comparat, in Dalos profecturus, ratus se Sverrrem ibi velut oves intra septa includurum. Verum is, prævisis ejus consiliis, convivia à septentrionali Dalorum parte orsus, semper in austros, procedente festo, progrediendo continuavit, priusque in Vermalandiam se recepit, quam Comes eum aggressurus accederet; qui se delusum sentiens, re infectâ, unde venerat, rediit. Sverrir verò militibus sexcentis in Vikam infusus, villam Simonis de Skriksvika diripit, ædesque & omnes naves longas, unamque mercatoriam novam, incendit, sexagintaque in Vermiam boves misit. Fuit autem Simon vir potens & auctoritate gravis, ita ut nemo ei facile obniteretur. Hic damnis offensus servos & mercenarios supra duo millia raptim collectos ad Gautelsam ducit; quò Sverrir præcedens, in angusto quodam territorio copias in diversoria disperferat, subiti hostilis accursus ignarus, sed celeri nuncio de proprio Simonis adventu certior, subito exurgens, in exiguam sylvam, nomine Husans-Stoa, secedit, suosque expectat; quibus consultis suggerit, haut facile Magno Erlingoque illos concursuros, si cum satrapis configere arduum duerent. Omnibus manus conferere certis, adversum eum movent, primosque adoriuntur, idque diluculo, tenebris prospectum impediuntibus, ut non prius quam signis collatis se invicem conspicerent. Acriter ab utraqve parte, sed nec diu, certatum est, Simone, amissis supra centum, in fugam verso, e Sverrrianis tantum sex (alii septem) desiderabantur: sed fugientes ulterius persequi, utpote numero abundantes, inter tenebras intutum visum.

Secundum hanc victoriam Sverrir Kongahellam petit; ubi bonis eorum, qui fugiebant, in prædam digestis, viginti marcas appensas ab urbanis exigit. Non ultra biduum ibi exactum, metu Simonis, quem tantis copiis instructum facile rediturum sperabat. Inde Liodhusam conceidens, paucos dies ibi moratus est, cum iterum Magnus & Erlingus copiis totâ Vixâ cum singulis satrapis excitis contra eum movent. Is quoque in Vikam progressus, rei gerendæ oportunitatem captabat. Sed neutride alterius itineribus constabat; nec tunc quidem, cum quadrans milliariis duntaxat intercedebat: sensissetque profectò damnum Sverrir, ni tempestivò nunciò de repentino eorum accursu admonitus in Vermiam confestim rediisset. Ibi congregatis locupletissimo & sapientissimo quoque, exquirat, *an societatem secum jungere placeat? illis numerum roburque pignatorum subministrandum, se consilium eos directurum.* Arripiunt alacriter oblatam conditionem, sequæ perinde ac proprio Regi parituros pròmittunt, & Sunndalenses defensores quoque adjecerunt, haut levi hostium damno, si eum illuc persequerentur.

His cognitis Magnus & Erlingus propriis penatibus repetitis Orum in Uplandas mittunt, ubi propinqvorum ejus magna vis, ad arcendum aditu Sverrirem, si forte è Vermia eò tenderet. Quò animadvertis Sverrir, accessum præclusum, viasque alias præfidiis obstructas reputans, ducentis quadraginta instructus ad finem Botnicum reflectens, Jarnberiam denuo invisit. Verùm indigenæ se invicem colligentes aditu eum prohibent; negantes se Regum transitum ultra per terras suas permissuros. Quibus Rex aptâ oratione permulsis, non solum liberum transitum impetravit, sed faciles etiam & humanos & in necessariis suppeditandis benevolos nactus est.

In Helsingiam deinde profectus, cum ad locum, qui *Ålster* appellatur, pervenisset, incolas sexcentos supra tria millia ad pugnam instructos offendit, in his centum viginti cataphractos. Omnes publicâ executione tactis armis jurant, se transitu eos curiarumque suarum ingressu prohibituos; nec orationis habendæ potestatem ulli eorum facturos. His nihil obstantibus, tandem se flecti passi sunt, ut postulatis aures præberent. Rex aciem instrui jubet, paratosque esse, si quid ulterius incola tentarent. Quo viso, ipsum quoque in forum admittunt, ministris, quæ expeterentur, referre, ipso silente, permissum, prius tamen justis viâ, quâ venerat, retrogredi, tandem quoque Regi unius saltem causæ orandæ potestas facta est. Tunc Rex hunc in modum orsus perhibetur. *Quâ nostrâ culpâ vestram offensam promeruerimus, ignoramus, quoque delicto nexum, quo sociati sumus, dissolverimus? Unus enim nobis Deus, quem pariter patrem appellamus. Hac necessitate devincti, ad matris officia pacemque in primis conservandam tenemur. Quo meritò Magni Regis aut Erlingi, quoque nostro delicto, infestis nobis armis meminimus, ipsi videritis. Pro ductos deinde duos eqvos mactaturum se ante eorum oculos refert, mactat eorum infamiâ, sparsò in omnes terras, homines Christianos apud eos ad obsænas dapes coactos, ne inediâ interirent. In religione, quam profitebantur, Sveci religiosi erant, & in hospites in primis humani. Ne igitur utramque laudem infamiâ permutarent, ipse execrationis author, & ejus exemplò cives milites reliquos. Jamti exemplum Helsingorum secuti, & ipsi quoque benignè Regem excipiunt, necessariisque juvant: cumq; in æquilonaria illius terræ pervenisset, fiduciâ promissorum, milites*

tes per hospitia spargit, præter centum, quos apud se detinuit. Mediâ quadam nocte fit certior, Jamtos (quos omnes satrapæ concitabant) ex oriente in unum collectos, adhibitis etiam servis, ad se opprimendum properare, Convocatis igitur qui propè erant, aciem instruit, metuens illis, qui procul in diversoriis sparsim hospitabantur. Tribus agminibus Jamti processerant, numero in univèrsum mille quadringentis, Regem explicatâ acie circumventuri: qui dum sinum quendam inter Undreseyam & continentem transit, in obvios incidit, qui orbe facto eum inclusum aggredi constituunt. Rex suis imperat, ut tesseram Jamtorum imitantes eos simulent, deinde se occultè subducant in insulam, primâ tamen congressione impetum in illos faciendum, explorandumque, an impelli possent. Illi jussû observantes, sublato clamore in Jamtos irruunt. Fit ingens pugna, mutuisque vulneribus exercetur, donec se per tenbras internoscere nequibant. Tum Betulopedes sensim in insulam, sed inobservati, secedentes, intestini belli materiam Jamtis reliquerunt; qui quod reliquum noctis erat invicem pugnantes, se ipsos hostium loco conciderunt, usque in lucem vix destiterunt, cum Betulopedes integri in festos vulneratosque exorti, magnâ strage editâ, occisis centum, cæteros in fugam pellunt. Inde reliqui, qui in hospitibus erant, evocati, suis se jungunt. Jamti verò incusso terrore pacem petunt, recepti deditione fidem obsequiumque Sverreri jurant. Multati magnâ pecunia, obfidibus datis, præfectos ab illo quoque recipiunt. Atque ita Jamtia haut magnò negotiò subacta est.

CAP. XVII.

DE SVRERIS CUM MILITIBUS CONSULTATIONE, THRANDORUM, AUSPICE ARCHIEPISCOPO, IN EUM IMPETU, IPSIUSQUE E CONFLICTU EFFUGIO.



Jamtia transitò monte Sverrir in Naumdalos pervenit, navigiaque rusticorum usui adhibuit. In Skillingas cum deflexissent, militare forum celebratur; cui Rex provinciales cives interesse noluit, ne propositum suum resciscerent. Consulit itaque milites, quorsum tendendum videretur? tres conditiones offerri: primam iter in Halogiam ad amicos navesque comparandas, quò Bergæ tutius peterentur; ubi hostium receptaculum: alterâ occidentem monstrari, nec absimile vires ex insulis posse comparari: tertiâ Hiberniam, uberem prædaram materiam, cum cætero occidente. Ominari, cum diurnitate imperii Magni Erlingique inimicitias augeri. Militibus Nidarosiam peti placuit: facile in potestatem redigi posse, nullis Regis Comitisque præfidiis munitam; multos sibi Sverreris amicos, magnam rerum suarum accessionem futuram. Rex, improbato consiliò, ordinem somniorum aliud svadere dicitur. Sed nec sic quidem in sententiam suam traxit. Thrandiam itaque pergunt Folkstnaram usque. Ibi Rex iterum monet, sinum vitandum, fortunam Bergis experiendam. Verum consensu militum prævalente sinum intrant, navesque Raudabiörgis applicant, ubi singulis navium vectoribus convocatis, quo ordine urbem aggredi placeat, exquirunt. Classem urbi admoveri excensumque armis exprimi visum.

Rex, intellectu, solius fortitudinis fiducia rem gesturos, veritus, ne à pluribus rapinarum (quarum infamia laborabant) rei que familiaris jacturæ metu subverterentur, consiliis agendum existimans, singulæ hoc ordine disponit. Lumbum tentoriis splendide instructum sub Hladhamris, locò qui ab urbe prospici possit, statui jubet, sed vectores omnes sylvam ingredi, viâque superiore, quæ supra Hladas ducit, procedere ad collem, qui supra pontem, ibique in diluculum subsistere; se cum alterâ copiarum parte, sinu transmissio, Fladkas petiturum pronunciat; inde juxta collem Gaularase Gullhamras. Futurum, die illucescente, ut conspecto lembò sub Hladhamris, cæteras quoque copias hostes ibi requirant, classemque urbe ad eas opprimendas educant. His occupatis, se ad Eyras remigaturum; *ambiguum inde*, ait, *nos-ne illi, an nos ipsos urbe prohibeamus.* Gudlaugus Regis Stallarius respondit, *ne integras quidem copias adversus hostes nimias: divisas certè debiles futuras.* Cujus sententia cum pluribus quàm Regis suffragiis firmaretur, respondit Rex; *posse quidem se ibi esse, ubi illi; sed invitum in præsens, nec sine certa jacturâ sua consilia aspernaturus.*

Et tempore Archiepiscopus Eysteinus in urbe præsens, pridie ejus diei tubâ cives convocatos docet, *certè se relatione cognoscere, Betulopedes è montanis Naumdalos devectos, inde in austrum properare, procul dubio sinum ingressuros; cæterum paucitate, lassitudine & inopiâ premi, naves insuper exiles in usum raptas. Indignum certè cives provinciales vel urbanos, aut mercatores, furibus & latronibus, quos Sverrir consarcinasset, vestes suppeditare. Quod si in animo esset urbem ab incurribus eorum defendere, se quoque naves domesticosque omnes, qui in ædibus suis essent, adjecturum.* Archiepiscopi providentiâ laudatâ, ad defensionem urbis quatuor naves expediuntur, remigibus & classariis, civibus urbanis & mercatoribus instructæ; quintam Archiepiscopus suis domesticis armat, præfecto Aulfre Ballio, quæ etiam reliquas omnes præstabat. Pira in Digurmulâ à civibus diluculo erecta, navibus ad Raudabiargas observatis, injecto igne arsit; quò signò ad naves properantes, subito eas stationibus educunt. Sed Betulopedes, remotis tentoriis, sinum transeuntes, sub colle Gaularase remigabant; cives verò ad Digurmulam pervenerunt, cum se invicem conficerent. In sinu inter Hattarhamras manus conferunt, quatuor civium navibus, totidemque Sverreris; inter quos una scalmorum viginti.

Ventò ab aquilone flante, singulaque navigia ad terram impellente, aliquantisper pari spe & ardore pugna conferta est, donec navis Archiepiscopi, quæ diutius tardabat, urbe adventans cæteris se junxit. Tum verò Betulopedes concursu superiore satis superque fatigati, abjectâ victoriæ spe, de salute cæperunt cogitare. Mox orta ingens trepidatio omnes in fugam compulit; terra effugiò quæsita. Inter cæteros Rex quoque fugiturum cæruleum promissumque pallium indutus, ad malum proventus, fractò suppedaneò, in saburrâ corruens, pedibus properantium unius post alterum calcatur, idque longo tempore, ita ut ne erigi possit. Inter posteriores unus Helgius, cognomentò Byggveimb, quod *ventrem horæacum* vertimus, fugiens agnitus à Rege, ipse quoque Regem respiciens. *Heu scelus*, inquit, *siccine in sentina Regem derelinquemus?* Rex inhibito eo, ne titulò Regis proderetur, manibus tamen ejus erectus, unâ cum eò in terram pervenit; sed in litore tres urbanorum occurrentes eos impetebant. Omnes Helgius excepit, Rege interim in ripam per deve-

xa contendente; qui cum penè suprema attigisset, veste vestigio pressâ offenso pede per declivia ruit. Eodem momentò unus eorum, qui Helgium impetebant, in Regem conversus est. Quò visò Helgius, missis cæteris, in eum tantâ celeritate se infert, ut prius occideret, quàm se impeti sentiret. Ejus casu territi reliqui ulteriora fortitudinis illius experimenta suo periculo capere desistentes effusè fugerunt. Equidem vir tantus, ingenio suo dispar cognomentum sortitus, clarius aliud, quod in fidei & fortitudinis testimonium perennibus fastis inscriberetur, me iudice, promeruit. Rex iterum in ripam, sed ægrè, quippe pede sagittâ Serki de Riordris vulneratus, enixus, comite Helgio, deinde in collem Gaularasem delatus, multorum suorum accursu roboratur. Ipse in præcipitio montis excubans, omnes hostium sermones haurit. Inter alia quæsitum, *an Sverrir occubuerit?* Mox Helgius respondit, *Regem Sverrerem, illis ad-buc sevam procellam excitaturum.*

Multi insignes bellatores ex Betulopedibus illo prælio amissi: Sigurdus de Saltnefia; ejusque frater Ion Ketlingus; sed frater illorum Vilhelmus nave promontorium prævectus effugit. *Codex Flat*: cives eum persecutos in litore occidisse tradit; horum vestes armaque inter cives divisa. Gudlaugus Stallarius graviter faucibus in collem quoque enixus, à pallio, quod gestabat, pretiosò, à rustico unus fugientium habitus, in confinio cervicis & humerorum securi magno ictu feritur; cumque concideret, occisum ratus, nudatum vestibus, injectis virgultis condit; qui deinde recepto spiritu ad villam exiguam pervenit, inde ad Regem. Longum tempus vulneribus sanandis datum; sanatus deinde interdum *Öttastor* appellatus est.

CAP. XVIII.

DE GEMINO SVERRERIS CUM MAGNO
PRÆLIO, VICTORIA, ET CONDITIONIBUS
ERLINGO AB IPSO OBLATIS:

Secundum memoratam cladem Sverrir Uplandas petit; quidam infusi in Mæras Serkum cum viginti suorum occidunt. Rex & Ormus, exploratis eorum itineribus, iterum in eos magnis copiis movent Sverrir viribus inferior, cum congressum diu vitasset, tandem necessitate coactus statuit armis certare. Militum itaque animos hac oratione præparat. *Me, inquit, valde invito Thrandiam petivistis; magnam ibi strenuorum virorum cladem passi, fame insuper, qua hæcenus res nostræ steterunt, jacturam; metu nostri & spe fortunæ manus à nobis absente sunt; contemptos omnes etiam servi invadent & persequentur. Instat jam Rex Magnus cum validis copiis. Si congruedi detreclamus, cumulabitur prior clades novo contentu; sequentur injuriæ persecutionesque etiam à vobis; dispergemur per provincias, nec ullibi hospitii tutis recipiemur, cadibus inde cladibusque ingloriâ cedi vincere poterimus, nec sine magno rerum nostrarum auctu speque in posterum vincere. Id vero certò constat, haut aliter nobis regnum, quam visis Magni Regis vexillis, quæri. His talibus eos exhortatus, adjecit, animum prælagire, certamen hoc feliciter cessurum.*

Tom. III.

Gggg

Hac

Hac oratione erectiores cæptum iter ingressi ad flumen quoddam, nomine Heyrtam, deveniunt, transitoque ponte de appropinquante Magno fiunt certiores. Sverrir vallibus quibusdam non longè à ponte partem copiarum tegit. Magnus autem & Ormus, vexillò trans eum cum parte exercitus deductò, ab irruentibus fortiter in se Betulopedibus infestantur, acriter quidem, sed nec diu; nam cædes cladesque in Magnum conversa, etiam eum Ormumque, trans pontem fugientes, utrumque vulneribus faucium, provexit, multisque eorum cæsis, jacula eminens trans amnem ultro citroque ingeruntur. Magnus hac clade acceptà Tunsbergam repetit. Raumarikiam Sverrir, inde viâ superiore Liodhusam petit, acceptoque nuncio, Magnum Kongahellæ morari, eò quoque inexpectatus venit. Cietur pugna, sed absque magnâ clade, Magno prono amne fugam maturante; qui partibus Vikæ tranfitis, Osleyæ aliquantisper mansit, speculatoribus usque Gothiam subornatis. Sverrir, exustis Kongahellæ aliquot Magni navibus, orientales Vikæ provincias omnes sibi subjecit. Atque ita Vika ab utroque Rege mutuis irruptionibus variisque successibus incesfa est.

Quâdam nocte Sverrir in Septentrionalia Vikæ profectus, Heklungis (sic exercitus Magni appellatus est), insidias struxit: dumque sex tantum comitibus stipatus silvam non procul villa Saurbæis transit, quinqueviginti Heklungos paribus se dolis circumventuros audit, omnes ebrios assâ voce se invicem compellantes, sui que securos, viâ, quam ingressi sunt, angustâ, unius tantum, non plurium simul, capax. Silentio igitur imperato, disponit, qui ab utroque viâ latere tela sagittasque confestim in eos torqueant, recipiantque se confestim in silvam, si paucitatem suorum observatam deprehenderit. Magnò igitur telorum imbre in Heklungos jactò, cum per tenebras numerus iniri non posset, à multitudine hominum, quæ silvas occupaverat, impeti se rati, fugam ilico capiunt. Sequuntur Betulopedes, lucefcenteque die tredecim ex iis occisos, præter multos equos sagittis trajectos, deprehendunt.

In hunc annum *Annales & Chronicon Danicum* obitum Christianæ uxoris Comitis Erlingi referunt. Hac mulier eò impudentiæ proceffit, ut exito pudore, vivo marito (non, ut habet *Editio Danica* pag: 462. post filii mortem, se enim pagina 508. ipsam corrigit) cum adultero Grimmo Ruslio Constantinopolim usque profecta liberos ex illo susciperet, ipsa Regis filia, Regisque mater, quæ etiam à patruæ suo Sverreris patre ante nuptias stuprata, filium, de quo maritus supplicium sumferat, enixa est. Apparet inde, immensam illo tempore aulicarum sæminarum licentiam, moresque corruptissimos fuisse, cum Regina Ingigerdis vidua enorme impuditiæ exemplum reliquerit, & nihilominus tanquam nullius sibi probri conscia ad ipsum Daniæ Regem Valdemarum, filiumque suum ex primo marito Burisiam, Erlingum comitata fuerit, ut autoritate sua & gratiâ eum apud Regem commendaret. Non videtur Christina Erlingo, sed Erlingus Christianæ, nupsisse.

Eodem autumno Sverrir in Thrandiam redit, prælioque cum Heklungis gesto, victoriam prædamque decem navium reportat. Vere proximo MCLXIX in Mæras profectus, navigatione per exteriora directâ, cum circa Stadas vela faceret, in occurrentes sibi Regem Magnum, Comitem Erlingum, Archiepiscopum Eysteinum, Ormum Regis fratrem, magnamque satraparum partem, fortè fortuito incidit. Modica ei manus classisque exigua, navigiis parvis. Illis numerus pugnatorum magnus,

gnus, naves editiores longèqve plures suppetebant, actumq; erat de Sverrere, si ad manus venissent. In altum igitur remis velisqve classem dirigit; pari ardore laboreqve Erlingus cæteriqve sequuntur: cujus cum navis cæteris celerius procederet, vela contrahi jubet, donec vis omnis navium coëat. His congregatis, remis quàm enixissimè naves agitat, plusqve spes eum provehit, quàm metus Sverrerem. Jamqve ita invicem appropinquabant, ut se mutuò remiges conspicerent, cum Comes Erlingus eos ad rem fortitèr gerendam adhortans, hanc illis occasionem haud negligendam monet, jubetqve in animum revocare, quantum scelerata hæc societas mali intulerit, cædibus, latrociniiis, rapinis; nemini parcendum; præter solum sacrorum mystam Sverrerem, quem sibi vivum, si fieri possit, tradi velit. At Sverrir humano se auxiliò destitutum animadvertens (nullus enim effugii locus erat) prostratus in genua Dei & S. Olafi opem supplex poscit. Vix finitâ supplicatione caligo ad eò densa incubuit, ut naves invicem conspici non possent. Quo animadverso Erlingus cum cæteris, versis in terram proris, continentem petit, effatus: *non sic olim, cum benè.* Pòstero die classem omnem Hereyas ducunt. Ibi cognitur duas (ut *codex Flat:* quinque *Jófraskinna* habet) naves Betulopedum freto transmissò ad interiora sinuum contendisse. Quo audito, Comes convocatis omnibus consultisque refert, *nullam regionis partem à latronibus istis tutam, singulas præsiidiis muniendas: placere itaque ut Archiepiscopus Eysteinnus & Ormus cum satrapis, naviumque præfectis, ad id à se designandis, Bergas petant, ibiqve maneant; se cum Rege Thrandiam petiturum.* His mandatis acceptis, singuli quæ suarum essent partium exequivuntur. Rex verò & Erlingus in Nordmæriam delati cognoscunt Sverrerem Ædeyam prætervectum, deinde Knarrat steid, adque ostium Thrandiæ pervenisse Nidarosiam, classemqve pontibus admovisse. Eum igitur eousqve persequuntur. Qui cognitis hostium navibus, aperit consilium suum militibus, nimirum naves deserendas, nihilqve omninò inde præter vestes, quas quotidie gererent, & arma, auferendum.

Stabat ad pontem classis universa, velis obducta: vestes suis quæqve locis jacebant, arcæ, quæ singulis mediis oculis adductæ, clavibus seris inquectis, remanserant intactæ; cum Rege Magno amnem ingrediente Betulopèdes, relicta classè, per pontem ascenderent; & quidem ipse Sverrir postea gloriatus perhibetur; *vix exemplum dari, fugientes classem, vestem, & omnia, quæ usus postulare, deseruisse, hostiumque potestati permisisse: sibi vero perspectum, singula hæc victorem secutura;* quò certe Magnum illum Alexandrum imitatus, ejusqve magnanimitatem æmulatus videtur. Rex Magnus & Erlingus ad Bratteyram extra Skipakrokum, seu navium angulum, classè applicatâ, urbem intrârunt. Dum vero Comes ascenderet, prostratus in genua utramqve manum solo impexit, casu in omen felix rapto; casus, inquit, itineris successum præfigurat. Inde per plateas singularum navium duces, prout parati erant, suos quisqve classarios præcedunt. Primus omnium Comes paratus erat; qui transitâ æde Servatori sacrâ, ædibusqve Episcopi, cum in eam urbis regionem pervenisset, vidit aciem Sverreris signis prælatis celeriter ad Kleppabu contendentem, existimabatqve Sverrrem unâ vadere; maxima tamen vis exercitus per pontem & Sprotavallas pergebant. Sverrir verò cum maximâ parte copiarum in valle quadam supra pontem, parvoqve intervallo haut procul inferiore Sandbrecka, seu arenosa devexitate, jacebat. Id verò Comes ignorabat, existimans se novissimos quosdam capturum. Verùm Be-

tulopedes subito in eos insilentes Comitem in urbem convertabant, pontemque transeuntem usque ad domum illam persequuntur, quæ inter extrema pontis & urbem intercedit. Sed Magni Regis Comitisque cohortibus in eos conversis retrocesserunt. Deinde jaculis trans amnem coniectis se mutuo impetebant. Comes suos extra telii jactum abductos confidere in agro jubet, exploraturos, quid Betulopedes aggredierentur. Sed & ipsi alio loco in devexâ arenâ sedebant, longoque tempore utriusque confidebant; multis interea ex utrâque acie jactu telorum se invicem incessentibus. Rex Magnus portionem urbe afferri curabat.

Jamque dies ad horam tertiam à meridie processerat, cum Gudlaugus Regis Sverris Stallerius ad extremitatem pontis procedens obtento clypeo milites Magni Regis inclamans colloquium postulat; quem Ivar Hortius excipiens, jubet referre. *Tres, inquit, conditiones Rex Sverrir Regi Magni, Comiti Erlingo, omnibusque ejus militibus offert; primâ copiam transeundi pontis facit, ipse interim ad superiora secessurus, daturusque Erlingo locum spatiumque aciem pro arbitrio suo instruendi. depositaque pugnam in campis Sprotenfis, eventu, quem Deus disponet. Hæc si displicet, ad Borgam procedat, digeratque aciem in ordines. spatio quam voluerit longissimo; nos Betulopedes transitio ponte manus cum illo conferamus. Si nec id placet, Eyras ad naves suas accedat, ibique, prout libet, aciem ordinet, nos quoque illuc accedamus; pugnam enim Sverrir expetit.* His auditis Ivar Comitem adit, refertque postulata.

Interea Rex Magnus ad latus patris dormiebat; quò leniter palpatis humeris excitatò, Erlingus conditiones à pastore Sverrere propositas exponit; quibus patris arbitriò permisis, nullam se accepturum respondit, se potius pastori Sverreri conditiones prescripturum, quam ab eo accepturum. Hoc responso cum Ivar Hortius Gudlaugum dimisisset, ipse Regi Sverreri iterum retulit. Quò cognitò, cum paulisper sedissent, omnes simul surgunt, ordineque longo unus post alterum incidentes magni agminis speciem præbuerunt; secundum orientale amnis latus ad Rleppabu progressi, ad villam, quæ Kof appellabatur, ibant: ubi dirutâ domo rates fecerunt, quibus fluvium Nidam transmiserunt. Horâ nonâ paludes Thiodmyras transvecti Stafam pervenerunt, equisque amnem transibant: Tum Rex confidere eos jubet, sibi quippe somnum obrepere. Illo dormiente rusticus quidam clitellatò eqvò polentam in urbem investurus occurrit, quem dum morarentur, excitus Rex dimitti eum jubet, ipsumque in urbem referre, occurrisse sibi Betulopedes trans amnem Gaulem, in Medalhufis pernoctaturos. Quinque dies hoc modo extracti, donec in urbem redirent.

CAP. XIX.

DECÆDE ERLINGI, ET MAGNIREGIS FUGA.



Esperere quòdam postquam Comes cænasset, Sigurdus Nicolai filius & Ion & de Raudaborgis eum accesserunt. Quærit tum Sigurdus, *an excubie ordinatæ sint? relatum sibi Betulopedes imminere; placere copias omnes Borgam signo tubæ cum armis exciri.* Comes, *averem, inquit, vera hæc esse, suo enim malo hic accederent; verum securus hac nocte nos dormitu-*
ros

ros spero, relatò ad montes concessisse; neque enim Sverrir nos indicio, uti jam, pramonitis audebis aggredi. Tum Ion: optata quidem nobis, hac fiducia, quam nobis infillas, domine, dum nullum ab iis metum prædicas; sunt tamen qui dicant, mellitam aquam vinumque majori tibi curæ quàm militiam. Tum Comes irator; negligentie, inquit, vitium raro mihi impropertatum; nec scio, imprudentia mea, an superfluus vester metus; has voces expresserit; hac tamen nocte securi dormietis, ipse enim excubias agam, quod quidem olim haut leve presidium aestimatum, cum tamen res esset cum fortioribus, viribusque potioribus, quam hi sunt, imo quàm ipsi eramus. His dictis uterque ad naves suas regressi sunt. Comes autem promissi oblitus cum omnibus aliis cubitum ivit: excubiæ tantùm more solito ordinatæ.

At Sverrir antelucano tempore ad Steinbiargas profectus, suis satrapis ansam dedit quærendi, quorsum tenderet? Is Comitum se aggressurum respondit. In collem ad devexitatem, quæ Feigins - brecka appellatur, cum devenisset, descendens eqvò, inque genua procumbens, preces ad Deum fudit: deinde exsurgens, ut se fortiter sequerentur, hortatus est; nolite se commemorare, quod se pariter ac illos haut leviter pungat. nimirum nullis aut exiguis præmiis tot labores, tot ærumnas, tot pericula sustinuisse; interdum quoque rerum suarum, & que resarciri nequeat, amicorum jacturam passos; nihil præter comæutum aut exilia quædam cadibus parva acquisitum, jam verò uberrimam segetem ostendi, urbis Nidarosie superbas opes, honorumque comparandorum ingentem materiam; ubi Regem ipsum; ibi Comitum, ibi satraparum aulicorumque purpuratorum vim magnam. Nihil de victoriâ dubitandum; quippe per quietem sibi ostensam; nec alacritatem in honorem futuram, se enim unumquemque, qui satrapam occiderit, in ejus locum substituturum: qui aulicum purpuratum, similiter: & cujuscunque conditionis virum fuderit, modo id evidentibus testimoniis probaverit, præter alia præmia ei susceptorum. Sed nec hunc congressum arduum futurum, improvisis enim omnibus ebriis, aliis somnolentis, aliis in urbe buc illuc, aliis in navibus dispersis superventuros; nullum enim nuncium præcessisse, omnes sine consilio in subitâ trepidatione fluctuatos: recessisse enim ab iis fortunam ad se, quem in patrem, jam pridem sibi debitam, sedem restituere decreverit, Deo jam fraudes eorum vindicaturò, possessioneque rerum alienarum jam diu per vim & injuriam detentâ eos, nec sine vitæ excidio, deturbaturo; primum impressionem facerent acerrimam, vix impetum vino somnoque languentes sustenturos. His militum animis in spem rei bene gerendæ accensis pergit ad urbem.

Eadem nocte vigiles Regis Magni in Eyris excubias agentes ludis se exercebant. Qui visis ad Steinbiargas Betulopedibus, tubarum cantu omnes ad arma convocant. Omnes per hospitia dispersi valde poti quiescebant, inebriati à Rege, qui eis convivia præbuit. Ipse quoque Comes, auditâ inopinatâ hostis irruptione, lectò exsurgens ad arma vocat; cui Ivar Hortius propinquus ejus respondit; sparsos per urbes milites, besterna potione debiles, vix subito colligi posse in usum instantis pugne, ad naves potius vocandos; quibus portu deductis integrum futurum dato spatio exercitum instruere; si tum libeat pugnam conserere, id quoque ei patere; sin autem malit discessum maturare, perinde in ejus esse potestate: vix enim urbanis civibus fidendum. Cui Comes respondit: Utilia foris suaseris, si ferre possim a diabolico illo sacerdote filii mei solium occupari: egressusque nave copias omnes in terram per plateas urbis, prælato vexillo, ducens, ad templum Christi deflexit. Ibi quòque Rex Magnus, præeunte signò, se ei jungit, his satrapis comitatus, Sigurdo Nicolai filio, Ione de Raudabiorgis, Ivare Hor-

tio, singulis cum suis cohortibus. Multi in genua procumbentes Diis pro successu supplicarunt. Deinde Comes templo digressus omnes surgere armaque fumere jubet: videri aliquibus eorum diuturnæ quietis ad ædem illam conditionem affulsuram. Tunicam gerebat rubram sustanciam, ex panno scilicet xylyno, sive gassipino, tegmen capitis sericum, loriam solidam (spangabrunio) quam tamen non connectebat; strictum gladium alterâ manu versabat, dicens: *Videbitis senem hunc gladii usum bodie noscere*: tubasque acriter inflari jubet. Procedens per turrim, in utrumque latus conversis oculis, paucitate suorum cognitâ; *ubi jam omnes nos?* inquit. Betulopedes in urbem properantes in campis ultra turrim Comitum offendunt. Trecentos sexaginta Gaulardalo profectus Sverrir milites, aut plures, duxerat, omnes armis instructos; ad Steinbiargas autem quidam vir magnus & robustus è manipulo procurrens, fustem tantum gestans, quæstionem Hiarandio Hvidæ expressit, *quo sine fustem gereret? an & crederet Regis aut Erlingi milites frumenti in morem trituraturum? Ille se arma in urbe comparaturum* respondit, *Erlingique militibus erepturum*. Quo laudato, traditâ secure sua & hasta iis pugnare iussit. Sexcentos milites Rex & Comes habuerunt, jamque paribus animis votisque, robore ex aliâ, ex alia parte numero impari, concurritur acrius quam diutius: cædes inde multa, majore tamen Comitum damno. Vexillum Regis Magni gerebat Thorer Spæla, qui jam hostibus undique circumfusis hastam vexilli agro fortiter impactam stantem ipse in discrimine vitæ constitutus reliquit. Tum vero Betulopedes pleno gradu se inferebant, adeo ut promissimi signum Comitum post terga reliquerint; ipsum autem Comitum signum sequi multi crediderunt. Rex Sverrir vexillarem hastam concidi jubet, deturbarique vexillum. Illo congressu Comes medius gæso foditur; quo viso quidam ait; *periculosum vulnus, domine. Sequimini fortiter Regem*, respondit, *nihil mihi nocet*. Mox sacerdotes Aulfur & Helgius Thorfinni filius accesserunt, Comes Aulfurem per transversam faciem magno turpique vulnere feriebat, deinde proximâ turbâ concidit. Tum verò exercitus Magni universus fugere, ipseque Rex se iis miscere, qui inter fugiendum in patrem supinum jacentem proventus, osculato eo; *die*, inquit, *illo festivo iterum, pater, jungemur*. Labia quidem Comitum moveri visa, sed viribus ad respondendum defecta; nec instans periculum ulteriorem moram admisit. Patris igitur nave arreptâ portu solvens, ingenti clade accepta recessit. Cæsi hi proceres, Sigurdus Nicolai filius, Ion de Raudabiorgis, Ivar Hortius, Einar Parvus, Botolfus de Fiördis cum duobus filiis. Biornus Buckus in urbem profugus natando fluvium Nidam ad Skellingahellam trajecturus loriam prægravatus vorticibus hauritur. Complures in flumen proventus pars demersa est, pars victoris clementiâ conservata. Ivar Sverni filius & Guttormus Snerill in acie ceciderunt; & hi omnes satrapæ fuerunt Regis Magni, satellites præterea purpurati plus minus sexaginta, præter obscuram multitudinem. Prætoria Regis Magni navis, nomine Olafs-fuda, cum navibus omnibus, quas prius amisit, recepta, cum cæterâ prædâ fatis locupleti.

Talem exitum habuit Erlingus, vir animo magno, audax, fortis, firmulque providus, belli pacisque artium probe gnarus, vindictæ præterquam conduceret, cupidus: id quod eum familiamque universam subvertit, spe veniæ civibus amputatâ, quò fax bello civili admota est. Corpore procero pariter ac compacto, humeris erectioribus, facie oblongâ & candidâ

didâ, sed macilentâ, capite inclinato ex accepto vulnere, veste prisca moris usus, thorax longus, tunica vestisque interior longis manicis, calcei cothurni more alti, toga militaris. Tali habitu vestem quoque Regem induit, dum minor esset, qui adultior factus valde se exornabat. Erant ei tres filii extra conjugium nati, Hreidar nimirum & Augmundus ex unâ matre, tertius Finus, quartus Sigurdus: eorum mater Asa Candida, seu Clara, iique juniores. Filia ei est Christina Regis filiâ Ragnhildis, quæ Ioni Thorbergi filio de Raudabiorgis elocata est. In cæmiterio templi australi situs erat: postea sepulchrum ejus templi arcæ inclusum est.

Ad exequias Comitis Erlingi Rex Sverrir hunc in modum verba fecisse traditur. *Tanti viri tam eminentis exequias, inquit, silentio debonestare nequaquam decet. Magna hic & repentina mutatio, nec vulgaris, cernitur. Peractò seculo novum exoritur. Trium hominum locum unus impleo, Regis Magni, Comitis Erlingi, & Archiepiscopi Eysteini. Templum certè presens multorum sanctorum funeribus exornatur, si Archiepiscopus pluresque ecclesiastici promissis stabunt; qui Paradysum polliciti sunt omnibus Magni militibus, prælio pro patriâ castis, priusquam sanguis eorum in terram effusus frigerit: jam verò friguisset certum est. Miracula in presens nulla apparent, in posterum tamen expectanda, si eos ritè colueritis, quorum precibus in cælis juvaminis. Cur igitur contristamini, tanto beatorum provenitu, nobis pari sorte absumtis omnino gavisuri? quorum supplicis in alterâ vitâ indolendum esset, si fide Archiepiscopi ista nobis, quæ us minatus est, lucenda essent. Gaudendum potius horum beatitudine, nostrâque sorte; qui non subito abrepti Dei misericordia ad respicientiam reservamur: unde tranquillâ vobis quies in posterum expectanda, si nobis quiete frui permittatur, uti permittitur, per hos, qui hic exanimis jacent. Cum tamen hic haut immerito suspecta sit Archiepiscopi fides, qui in Magnum, quem ipse ad regni fastigium evexit, propensior, fallacibus vos promissis inescavit, par est ut ab expectatione intercessionis tot Sanctorum nos ad supplicationem pro iis piis precibus ceremonisque ecclesiasticis instituendam convertamur, precantes ut Deus Erlingo condonet factum illum inauditum, quo filium suum satrapâ natum ad Regium fastigium evexit, regnumque per perditionem invasi, iustis heredibus Hacone & Eysteino, aliisque, occisis, potenterque tenuit. Orandum & pro animabus eorum, qui pravos ejus conatus armis, opibus, corporibus, consiliis, viribusque omnibus promovebant, jamque repentinâ morte sine præviâ penitentia, inque impio proposito perseverantes, sublatis sunt, ut Deum habeant propitium. Ego certè, quicquid in me commissum est, ex animo condono, permittoque singulis ut Missas pro iis, uti volunt, celebrari faciant, quod ego illis opus esse credo, cum saviore animo, quàm jam optarent, hinc mirarentur: tantumque aberit, ut hoc officii genus veterem, ut præmia etiam, qui fecerint, expectare habeant, & quidem majora quam ii, qui eos his non indigere sibi persuadent. Tandem oratione, more seculi, ad circumstantes versâ gratis agebat, sacerdotibus, qui precibus mortuos juverant; deinde omnibus, qui funus profecti sunt, omnibusque potestatem dabat pro arbitrio sepeliendi, quos vellent; quorum verò curam nemo in se reciperet, eos sibi cordi futuros. Hac humanitate Sverrir multorum studia in se convertit, meruitque oratione omnium laudes.*

Fractus tantâ clade Magnus Bergas contendit; ubi Archiepiscopus Eysteinus & Ormus graviter, ut par erat, jacturam Erlingi ferebant. Mox convocatis civibus urbanis, militibusque, singulorum fidem operamque implorat: cujus postulata Archiepiscopus, verbis ad benivolentiam

tiam inclinatis, excipiens; inter tanta damnâ omnes in lucro reposituros affirmat, quod incolumem eum receperint, pro cuius salute omnes & singulos non modo facultates omnes, sed etiam propriam vitam, exponere exoptarent; patris quidem morte damnum magnum acceptum, opinione tamen minus, quod atate senex legem naturæ explere debuisset; qui quamvis vir esset potens, subditis tamen gravis visus sit. Magnum verò ab omnibus diligi, nec ullum detrectaturum operam ad restituendum eum in regnum. In Archiepiscopi verba omnium suffragiis itum, singulis acclamantibus, malle se cum Magno mori, quàm sacrificulo Sverreri servire. Horum studiis comparatis Rex Vikam repetens magno ad bellum apparatu ibi hyemavit.

Cæde Comitû Erlingi Sverreris potentia in tantum aucta est, ut nemo totâ Norvegiâ præter Magnum ejusque milites alio quàm Regis titulo eum appellare auderet; titulusque Birkibeinorum, seu Betulopedum, prius per contumeliam ingestus, honoratissimus omnibusque expetendus haberetur, eoque in posterum primæ dignitatis censerentur: tantumque illorum fors mutata est, ut qui prius vilissimis vestibus tegerentur, jam pretiosis, queis usi sunt aulici Magni, vestirentur, armaque eorum gestarent, ambigerentque videntes, num & illi iidem essent, quos antea abjectos conspexerant, vixque ipsis prior fors in memoriam recurreret. Id certè constat, fortiores milites nullum seculum tulisse, quàm tunc erant, qui Sverrerem sequebantur; id quod ipse postea semper testatus est, quovis negligentiam ebrietatemque posteriorum, qui se voluptatibus ex parte dedentes vigiliis minus aut labores tolerabant, observasset, veterum Betulopedum memoriam reficando. Eodem tempore Sverrir satellitibus stipendia distribuit, multosque ad honores evexit, præfecturisque Thrandiæ præfecit.

Factio Magni Heklungi appellati sunt, quod decedentis in Vika anis mendicæ relictam stolam, seu togam, quam propriâ lingua heftu appellant, multum argenti continentem, rapuerint, divisio inter se argento; quò cognitò, Betulopedes id iis nomen per contemptum indiderunt. Eventum pugnæ Sverrir ex somnio collegisse traditur, quod tale. In superioribus ædibus quiescere sibi visus, per noctem ardente candelâ vidit virum quendam terribilem, lectum suum accedentem, seque jubentem surgere, nec se ei refragari ausum. Hunc aburbe ad superiora excedentem, sequi visum, usque dum in focum inciderent, ubi vir quidam torrebatur, se ab eo federe iustum appositumque hominem edere, renuentem replicantemque, quòd cadavera nunquam edisset, nec in posterum esurum, respondisse virum: *Imò verò edes, avebis etiam edere, id enim ei cordi, qui omnia regit; se verò ruptas ossibus carnes devorasse, singulas licet buccas ægrè deglutientem, sed sapore processu mitescente alacriter ad edendum illectum.* Omnibus voratis, caput quoque voraturum; quod vir ille auferens, jam sistere iussit; se verò ægrius desivisse, quàm à principio aggressus esset. Inde in urbem processisse, seque eundem lectum repetivisse, illum verò abcessisse. Visionem ita conjectabat: virum, qui igne torrebatur, Comitem Erlingum esse, jam senescentem; nam ignis idiomate Norvegico esdr appellatur, senescere esdrast. Similitudine vocum senem adumbrari credebat. quod verò eum edisset, occidendo exesurum videri, cumque omnibus ejus satrapis viribusque deleturum. Subtractum caput Regem Magnum significare, id temporis evasurum. Hac somnii interpretatione firmatus, ad invadendam urbem suos alacriter hortatus est. Secundum hanc visionem nobilissimus quisque Thrandorum ditissimusque se ei adiunxit, etiam

etiam absentes per nuncios adeo, ut illis præcipuam fidem haberet, meritis & beneficiis sibi devinciret, quod invictâ fide patrem suum fratremque Haconem & Eysteinum Mellam, seu Betulopedem, coluissent, Erlingo semper adversi; itaque domicilium suum sedemque Thrandiam exinde appellaret. Eodem anno, delcctu per universam Thrandiam commeatuque indicto singula agrorum navigia itineri adhibuit, Bergasque Magnum persecutus est. Verum ille in australia profectus vim ejus evaserat. Singulis igitur provinciis, quas transiverat, suos præfectos imposuit, eodem autumno Nidarosiam provectus.

CAP. XX.

DE MAGNO IN THRANDIA A SVERRERE REFUGATO, EJUS CUM SVERRERE CONFLICTU, ET IN DANIAM DISCESSU.



Ere proximo, anno nimirum MCLXXX. Magnus omnium provincialium, quæ ab oriente Liddandisnesiam usque extenduntur, Rogiæ insuper & Hordiæ, Fiordorum, Mariæ & Raumsdali viribus succinctus in Thrandiam adversus Sverrerem copias classemque dirigit, hos quoque proceres secum habuit, Eysteinum Archiepiscopum, Ormum Regis fratrem, Nicolaum & Philippum Arnii Regis affinis filios, omnesque satrapas austris excitos. Ad prædium Bensteinum, ut habet *Codex Flar: Editio Danica* Bestusteinum, *Jöfraskinna* Steinem) versus australe promontorium classis omnis aliquot dies substitit, Sverrere Nidarosiæ manente; qui adversus Magnum misit Thiodolfum (*Jöfraskinna* Tholfum) Rympilem, Thioftarem Nigrum, Eyolfum Aplii filium, & Havardum Laxem, seu Efocem, cum magnis cohortibus: qui inopinato in villam Langloas provecti, in valle quadam arboribus consista latentes, cum Magnus Rex ad balneum ad villam Steinem, vel Bensteinum, accessisset, cædibus & vulneribus infesti erumpebant. Rex ægrè ad naves evasit: triginta cæsi sunt. Missæ deinde è navibus quædam turmæ ad vindictam repetendam. Verum Betulopedes id agi prævidentes ad Sverrerem redierunt. Inde Magnus ad Holmam classem promovit, Sverrere in urbe cuncta, quæ usus exigebat, appropere. Misit deinde Magnus lembum Hladas, ducibus Byrgere Gaurne & Thrando Lyrta, ad Apliam villæ illius dominum (*Hafsum Jöfraskinna* appellat) ad se deferendum, ejus filius Eyolfus inter aulicos Sverreris purpuratos unus erat. Quo in potestatem redacto, ad Eyolfum nuncio Hedino de Hladis scripsit, si vitam patris redimere vellet, deserto Sverrere ei ad se transeundum. Is acceptas literas Sverreri cum ostendisset, laudatus quod paucorum exemplo tales epistolas monstrasset, alias literas Magno deferendas accepit, hac formâ. *Si tu Magno Aplio nocuos, Eylifum Eplastayngem, Eiricum Skrudam & Endridium Slandium, pari supplicio afficiemus; nam & eorum filii tibi militanti, Thorver nimirum Knapus Endridii, Ulfus Kneclius, Eirici, & Gunar Eylifii filii. His literis per Hedinum allatis, Rex Magnus valde excandescens, procurrensque è puppi Video, inquit, sui arbitrii facturos, quos vivere volunt, me posthabito. Tum filii illorum, quibus minabantur, accesso Rege, petunt ut parceret iræ: nullo honore suo civem unum sublaturum, sed nec se parentum vitam impii Sver-*

reris arbitrio relictuos: perviceruntque, ut Halsius dimitteretur. Quodam die Sverrir in Eyris cum Magno collocutus, dividendi inter se bifariam regni conditionem obtulit, utque simul, exemplo filiorum Magni Nudipedis, regnarent; quod licet Magnus repudiaret, tamen varie ab utroque exercitu differebatur, aliis svadentibus, aliis dissvadentibus; sineque effectu discessum est, Magno Holmam iterum repente. Die Lunæ, quæ festum ascensionis Servatoris anno MCLXXX præcessit; Magnus summo mane ad Eyras reverfus Sverrerem ad prælium evocat. Betulopedibus in Eyris confligere placuit, Magno in campis llenfibus, hortaturque Sverrerem, ut castro ligneo exeat. Sverrere pugnam minime defugiente, convenit ut in campis llenfibus congregentur: atque ita discedunt. Interea armis & peccatorum confessione absolutioneque se muniunt. Die Martis sub ortum Nolis Magnus classicò còpias ad prælium evocat, classeque campis llenfibus admotâ sub monte exponit exercitum. Navis prætoria admodum magna in statione anchoris ligata stabat, minores litori admotæ. Magnus cum suis ad Steinbiargas procedens, quoad Sol altius ascenderet, expectabat, ne obtutu oculi militum obtunderentur.

Ordinatâ deinde acie in campos penè sub rupem provectus, vexillum in alâ, quæ mare spectabat, erexit, eo quòd conspecto in acie Sverre-lris signo miri ornatus id ei præferri existimaret: quod tamen cohortibus Gudlaugi Stallarii prælatum est, quem cives urbani & provinciales delecti sequebantur. Sverrir enim per superiora montis progressus cum suo vexillo, à satellitibus Magni, qui nondum omnes monte digressi erant, vehemens certamen expectabant. Magnus quoque partem magnam in infidiis, duce Nicolao Arnino, Regis Ingii fratre, collocaverat. Sed id prævidens Sverrir alias turmas eis opposuit, quibus Ulfus de Laufnesia præfectus. Nullius igitur usus Nicolai agmina erant.

Extat Sverreris concio ad milites his verbis descripta: *Multa hic & robuste sobortes coierunt adversus nos, quæ campos omnes inundant, auratis galeis, vestibusque pretiosis illustres, numero quidem nobis superiores, non item viribus. Præclare actum sentio, si singula inter spolia in urbem hoc vesperare invexeritis. Non tamen ut arbores satrapæ quoque Magni Regis facile caduntur. Ictus hic recipiendi, vicibusque reddendi sunt, pari honore, ut poeta cecinit. Certamen cum Regum satellitibus non ita geritur, ut cum arbores in carbonum usum exciduntur. Notatum est præceptum patris cuiusdam familias, quo filium ad naves bellicas deducens instruxit, hortatus ut in periculis fortiter se gereret, fameque quàm optimè consuleret. Quomodo, inquit, rem gereres, si te bello occubiturum prænosceres? Quid aliud, quàm ut utraque manus hostes feriam, restabit? ait. Tum pater, Quid si te evasurum nôsses? Nihil tum subesset, respondit, quo mihi parcerem. Tum pater, singulis certaminibus scias, aut moriendum tibi, aut vivendum: utramvis sortem expectaveris, animo præfenti esto, fortiterque pugna; exitus enim vite cuique jam ductum præfinitus est: nec victurum ullus occidet, nec occasurum servabit. Fuga morte pejor. Nec vobis calamitosus aliud accidere potest, quàm in Heklungorum portestatem pervenire; in manibus singulorum vestrorum vita est: vestigia, quæ quisque cepit, fortiter premenda, nisi cum gradum inferatis, cedere probrisum periculosumque; gladios autem in adibus mulieis Vikensium exercere gloriosum simul & tutum. Satis virium nobis: multitudine illi abundant, quàm bello adhibere nequeunt; plerique enim illorum panibus vorandis, quàm bello gerendo, aptiores, in potando quàm periculis excipiendis exercitationes.*

satel-

satellites vexillo Magni opponam, nam ab aulicis ejus strenuum certamen expectandum. Satrapæ autem ejus parçè procedent, ut et rusticorum cohortes, quas invitas buc coegerant. His aciem cohortatus adjecit: scire se multis idem, quod poeta cecinerit, in animo sedere; nimirum formosam virginem (victoriam intelligit) unum quemque sibi deposcere.

Hac adhortatione alacritateque Regis omnes spe animisque confirmatis in prælium ibant. Thiodolfus (aliis Tholfus,) Rympill fraterque ejus Karl Kötter, id est, carneum femur, cum decem aliis signa præcedebant. Et jam acies coibant, præliumque magnis motibus geritæ captum est, multitudine quantâ nunquam ante, etsi Magnus multum prævaleret. In cornu, ubi Sverrir ipse prælatis signis satellitio emissariisque sequentibus inductus est; ibi pulsa Magni acies cedebat. Gudlaugus autem Sverreris Stallarius Magnum ejusque aulicos haut sustinuit; nam & quidam jam fugiebant, reliqui fugam circumspectabant. Quod ut Sverrir eqvo insidens spectabat, magnâ voce inclamans, quorsum fugitis? ait; nome videtis hostium vestrorum agmina singula ad naves properâ fugâ tendere? quin igitur converſi eos insequimini. Qui confirmati exhortatione, alacritateque Regis in spem victoriæ erecti, memores nunquam sine successu victoriam ab eo sibi promissam, in hostem iterum vertuntur. Ut vero aulici Sverreris vident vim aciei Magni fugam capeſſere, circumfusi vexilla ejus cruentâ strage terga fugientium premunt. Tum vir quidam: sic me fugit Rex Magnus? ait. cui vir alter; non equidem solus; insiliensque in eum magno ictu protinus occidit, eratque Rex Magnus; qui deinde cum omnibus suis fugâ avectus naves petit. Proceres partium Magni hoc prælio interempti; Philippus Arnius, Bryniolfus Blandinus, Endridius Ionis filius. Ivar Gallius vulneribus admodum saucius erat, ad quem Rex Sverrir inter fratros in campo equitans, dum alii fugientes persequerentur, incurvans se quærit, an eſſet sanabilis? Is respondit, sanabilem videri perito medico. Prope illum Bryniolfus Færeyensis, Kalfi Nuncii filius, cui cum Sverrere injunctâ controversia, jacebat, vulneribus quoque confossus, qui super publicum, privati quoque & inveterati odii memor, moliens se in genua, magno ictu Regem feriebat. Cervicem destinabat; verum Rex galeæ marginem obvertens, non tamen evitavit, quin magno vulnere auris collumque sauciaretur; verum eodem momento se eqvo præcipitans mortem evasit; Bryniolfus autem gladiis circumstantium certatim corpori suo adactis occidi citius quam sterni potuit. Occisus hoc impetu destinatus antea vitæ Ivar Gellius, propinquusque ejus Gyrdur Skiomijs (códici Flat: Sigurdus) qui assidens humeris ejus manibus suis eum sustinuit.

Hoc prælio in campis Ilensibus ceciderunt hi satrapæ: Nicolaus Mandull Andreæ filius, vir robustissimus, qui tam firmâ loricâ ocreisque indutus est, ut nec telis nec gladiis perfodi possent; cumque ambabus manibus longo tempore solus rem gereret, tandem lassitudine in terram provolutus est: sed Berulopedes exutum loricâ occiderunt. Ion Kallius, aliis Kula, Kolbeinus Gislis filius, Einar Laukus. Sverrir prætoriâ nave Magni aliisque in potestatem redactis, etiam navibus hostes persecutus est. Ad Bergimulam (Iofraskinne Digurmulam) Endridius Kalfi filium asscuti cum triginta remigibus, quibus paritum, Endridius fugâ in terram evasit; alia navis intra Raudabiargas intercepta cum quinque aliis, quæannonam vehebant. Nicolaus Arnii filius cum suis turmis ad collem Gaularæsem tranſvectus ad Steinem pervenit, ubi lembum nactus est, magnaque pars copiarum Magni terrestri viâ elapsa. Ipse Bergas profectus gra-

tior, quod incolumis, civibus fuit; ubi habito concilio securam apud mansionis copiam efflagitat, certus licet Sverrerem brevi adventurum. Ipsi operam suam ad urbem in usum communem defendendam offerentes in proposito eum confirmarunt. Singulas itaque naves mercatorias, quæ in urbe erant, ab Holma ad pontem nundinarum (quem Marfabrygg qui vocant) per transversum sinum longâ serie invicem colligatas disposuit; ita ut per eas pontis in modum sinus transiri possit. Qui autem Regi à secretioribus consiliis erant, non censebant Bergensibus ita fidendum, ut se classemque in sinu velut obsessos includerent. Eorum igitur mutabiles cum fortunâ, ut fit, animos, victoris præsertim metu, variaque necessitate accedente, veritus, in Daniam ad cognatum suum Regem Valdemarum navigavit, mansitque aliquantisper exoptatus magnanimo Regi hospes.

CAP. XXI.

DE SVERRERIS BERGAS ADVENTU, ABITU, PRÆLIO CUM MAGNO, ET ITERATO BERGAS USQUE PROFUGIO.



Adem æstate, quæ erat anni MCLXXX. Sverrer Bergas profectus pridie festi S. Petri Apostoli eò devenit, honorificèque exceptus est, impunitate singulis datâ, qui Magnum secuti sunt. Jamque omnes provinciæ à Thrandia in potestatem redactæ sunt. Sed satrapæ Sverreris Paulum Andreæ Magni satrapam de improvise invadentes nihil tale, prius quàm ad classicum lectò mane excitus est, cogitantem, verum haut segniter cum domesticis resistentem, occiderunt. Rex hybernis Bergis delectis feriâ secundâ hebdomodis quadragesimæ secundæ anni MCLXXX de nocte inopinato tumultu periclitatur. Vigiles enim multas nav es longas in sinum devectas observant, armorumque tumultu, vexilloque in unâ earum erecto terrentur. Tubæ igitur cantu cives excitant, statimque rumor percrebruit, Magnum cum classe exercituque adeste. Multi hoc terrore in templa, alii in montem fugiebant. Ipse Rex ad primum clangorem excitus in pergulas excedens, Dei Sanctique Olafi ope invocata, in plateas properabat, neque ullum suorum, prius quàm ad montium cænobium pervenisset, deprehendit. Incidens in rusticum, eorum ut sibi cederet, nequicquam exegit; tandem minatus, ni sponte concederet, vi expressurum, obtinuit. Verum segnior erat equus, quàm ut magno præmio induci se passus fuerit, ut ei insideret, ni necessitas urisset: factus est enim, viliozem nunquam novisse. Alrekstadas tamen evectus in quosdam ex suis incidit. Ibi cognitum, non Regias, sed rusticorum rebellium turmas, Vossia, Ostria, Hördiaque incolas, duce Jone Kutiza, eò confluisse; qui ad pontem remigantes aciem in campis Ionis ordinârunt; pars Holmam petentes excendentesque extra cæmeterium ædis Servatori sacrae procedentes clamorem sustulerunt, ingressique palatium Regium nihil ultra ausi. Noctis vero tenebris obstantibus, cum Betulopedes speciem copiarum non cognovissent, terror incussus est, secus nullo negotio principio eos repulissent: nam & ipsi plures turmæ suppetebant extra urbem. Rex, cognitò rusticos esse, convocatis suis in urbem redit, tubaque suâ, quæ Andvaka, id est pervigilium, appellabatur, reliquos arcessit. Primâ luce

luce ad S. Olafi ædem pervenit, ubi ex singulis templis accurrebant, qui securitatis quæ antumvis dubiæ causâ ad ea profugerant; nempe ex templo Olafi, Sanctæ crucis, Nicolai, & lapidea basilica. Multi quoque ex urbe Regem accesserunt. Signum ad templum omnium Sanctorum erectum est, aciesque ordinata, iussitque alacriter in rusticos impetum fieri, suo se ipsos numero impedituros, tanto majore damno, quanto plures essent. Omnes receptis animis diris se devoverunt, si rusticos formidarent, horrendoque clamore mutuisque hortamentis in campos provecti in aciem eorum se invehunt. Illi vero, viso dubia luce signo acieque Regiâ, auditoreque militari clamore exterriti, unus alium propellendo tanquam clypeum sibi præposuit; ut vero ictus gladiatorum sentiebant, qui primi in acie erant, primi quoque fugam, nullo ad defensionem conatu, capebant; mox etiam cæteri. Betulopedes pecudum more cædere, fugientium terga fundere, fauciare, denique super occisorum corpora vadere, adque litus persequi. Servati quotquot in tantâ trepidatione Regem supplices accesserant. Rex per plateas ingressus ad omnes majores ædes supplicabat. Dux rusticorum Ion Kutiza, vir senio gravis; non exscenderat navibus, sed jam acceptâ suorum clade summâ celeritate fugam cum iis, qui evaserant, matians, ignominia plenam domum rediit. Paulo post Sverrir lembis Hordiam & Hardangriam circumvectus, multam rusticis irrogavit. Alii imperata fecerunt; alii in Vikam, quò Regem Magnium sperabant cito reditum, secesserunt; verum is illam hyemem in Dania moratus, hospitaliter à Valdemaro exceptus, præfectis suis totam Vikam commisit regendam: indeque Regis reditus conquisiti. Ibi Ormus ut plurimum mansit, qui affectâ quadragesima ad Regem multo satraparum comitatu in Daniam profectus est. Sverrir vero hebdoma Paschatis Bergis transegit, magno deinde comitatu iter apparavit, gloriatus coram suis, se omnium Regis Magni satraparum, præter Ionis Kufungi, fidem in suo marsupio reconditam habere: omnes enim occultis literis pacem ejus gratiamque expetebant, quas ille marsupio tenuit.

Elapsò festò Paschatis in orientem navigans, provincias, per quas transitus erat, deditone recepit, per Vikam Regias obvenciones, commeatumque & milites, & quicquid postulavit, haud ægrè impetravit; cognitioque, Regem Magnum in Dania morari, ad ulteriora orientis navigans, stativa ad Spioram in sinu Salteyensi habuit. Quodam die, cum in insulam ad vigiles suos exspatiaretur, naves multæ ab oriente navigantes curam injecere. Clássicò igitur copiarum universæ in terram evocantur. Tum Sverrir: *bellicas, inquit, naves immere video, & quidem à copiis nobis longè instructiores. Valide nobis vires, nec tamen tantæ, ut consiliis sapientium non indigeam; quæritque ab Havardo Jarlis filio, Ulfisque duobus, tribunisque aliis, placeatne manus cum Magno hoc virum discrimine conferere, an in aquilonem cursum dirigere, ubi amicorum aliqualis copia, quæ in isto territorio omnino destituerentur? amputandam moram, consiliumque (ut vocant) in arena capiendum. Tum Havardus Jarlis filius respondit: cedendum tempori, viribusque longè superioribus in præsens, in visoque sinu naves molindas; par enim ab hostibus quam incolis periculum, utpote qui ethnicis crudeliores nemini suorum viderentur parcituri. Sententiâ illius omnium suffragiis probatâ, omnes portu remis enituntur. Nondum vela sustulerunt, cum naves Magni undique accurrentes in eos invehuntur, primò lembi levioresque naves. Majora Betulopedum navigia, quæ postremò navigabant, telis sagittisque eminus carpebant; neque enim*

grandioribus vinculis ea connectere audebant. Betulopedes autem lembos suos gravioribus alligârunt, iisq; desertis has conscenderunt, utpote oportuniores ad congressum. Eyolfus Aplii vel Haflii filius lembò, quem dirigebat, nomine Refna, navi Ulfi Flifis alligato, ejus navem conscendit pugnaturus; dumq; is cum Ulfo velis dirigendis occupatur, vir quidam Paulum, filium Nicolai Kufungi, tunc puerum, quem Betulopedes unâ cum nutritio ejus paulò antè captum tenuerunt, arreptum in lembum defert: quem incisò fune à nave distractum arbitrio venti permittit; atque ita Nicolaus filium suum hoc còmentò recepit.

Multo deinde tubarum cantu, mutuoq; se exhortantium sono, strepituoq; remorum, quos utriq; etiam sub velis agebant, pugna eminus sagittis jaculisq; majori vulnerum quàm cædium proventu, geritur; majores tamen Magni naves, cum cominus congredi non possent, extra telorum jactum constitutæ, neq; excipere jacula nec inferre quibant. Sverrir inter naves suorum remigans, quod fieri voluit, edixit; jubetq; ut compositis velis in angustias inter insulas naves citò deducant: quod dum faciunt, Rex Magnus rectâ sinum petit, non observatò, excessisse Betulopedes prius quàm classẽ suam in ostium, unde exierant, induxissent, cumq; prætoria ejus navis, utpote scalmorum viginti septem (Jöfraskinnæ triginta sex habentur) gravior esset, segrniusq; vela attollerentur, ventisq; adversis ægrè remigando obniti posset, consiliò præfectorum aliarum navium, quæ signò dato convenerunt, Sverrerem dimitti placuit: qui tamen duos hostium lembos, quorum alterum Andreas quidam dirigebat, capit, utriusq; vectoribus ad unum occisis. Inde rectâ per Földam magnis itineribus Bergas petit, peryenitq; eò hebdomadâ, quæ festum Pentecostes præcessit. Sed & Magnus Vikam celeriter perlustrans, omnium votis desiderisq; recipitur; Tunsbergamq; deVectus, paulisper ibi moratur, conversusq; in aquilonem noctes diesq; Sverrerem insequitur; tum demum in portubus subsistens, cum ventus obsisteret.

CAP. XXII.

DE REGUM ACERRIMO PRÆLIO,
ET MAGNI FUGA.

Bergis Sverrir remansit, cum Dominicâ Trinitatis sub ortum Solis ad templum Sancti Olafi exspatiatus, inde ad excubitores accedens lembumq; celeri remigiò ad australe Nordnesiæ latus Holtnamq; tendentem conspicatus est, agnoscitq; speculatores suos citato gradu excurrentes: quibus obviam procedens fit certior, Magnum transmissò Hardlæ plus triginta navibus suis cervicibus imminere. Quò cognitò; & quidem nimis propè, respondit. Verùm parata ad omnia classis ejus ad pontes stabat, maximâ parte copiarum in navibus quiescente, parteq; quadam in urbe. Tubas igitur ingentes inflari jubet; ipse navem prætoriam adit, remotisq; velis in sinum ducit, ejusq; exemplò singuli navium præfecti; quos his verbis allocutus fertur: *Imminet jam nobis Magnus, plus triginta navibus, cui cum nostris sedecim congredi temerarium fortè videbitur, fugaque in aquilonem præferenda. Non aliàs abjectior nostra conditio visa mihi, quàm cum ad Hattarhamras fugimus, quousque victoriam adpõntem Hirtam recuperâ-*

cuperavimus; nuper quoque fugimus. Quod si jam iterum omnibus inexpertis nos fugari permittimus, cessabit inde metus nostri, vilesque omnibus erimus. Plures cedere maluerunt, quam tantis viribus obniti; parituros se tamen, si certamen imperaret, pronunciant. Tum ille magna voce: Deo itaque & Sancto Olaso ducibus me pugnaturum scitote, nec ulterius à Magno me pelli passurum. Numerò certè pollent, sed magna nobis naves, milites strenui, arma egregia. Nec dememinisse credo Hehlungos fortitudinis promptitudinisque vestrae, quorum arma toties experti sunt. Eandem quam antea, nec meliorem, sibi fortunam pollicebuntur. Primo impetu strenui sunt, processu pugnae languent, patientià laborum vobis impares, plurimique eorum vobis rem strenuè gerentibus metu dilabentur, aut deficientibus vobis audaciùs instabunt. Mibi animus victoriam præ sagit, nec vos præ sagium meum unquam sefellit; fiducia Dei & Sancti Olasi non multitudinis pugnabimus; iis, ut et B. Sunnesæ, hujus pugnae atque universæ controversiæ, quæ inter me & Magnum, exitum commendo: nec alium expeto, quam causæ nostræ justitia exigit. Et loquentem adhuc Rege omnium ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas consecuta est, certatimque gratias agebant, nunquam se delusos dictitantes, quoties spem victoriæ iis instillasset. Improbum execrabilemque quemlibet habendum, qui turpem fugam gloriosæ morti prætulerit. Rex collaudatis eis, singulos, prout vires animusque suppeterent, naves in prælium educere jubet, nullis vinculis inter se connexas. Inde ad Nordnesiam remigantes hostes expectabant.

Magnus interea Hvarfsnesiam prævectus sinum intrat, adque Nordnesiam defleat; positisque velis signò tubæ naves convocat, accedentesque hoc modo affatur: In conspectu jam sunt Betulopedum naves, hoc optatores, quòd certamen, quod fugâ hæcenus evitârunt, effugere nequeunt. Adhortatione egeretis, si essent inter vos, qui propinquorum amicorumque cedes vel improsperas cum iis pugnas neglexerint, quibus vindicandis præsens occasio exhibetur: si tamen vindicetur summorum virorum interitus, furum, latronum, abjectiorumque hominum cadibus, quales hi sunt omnes servili ortu, quos Deus deturbet. Certè internectione eorum nostræ clades ulciscendæ sunt; nec id si fecerimus, quisquam bonus vel improbabit vel exprobrabit. Edico itaque, ne quis eò audaciæ procedat, ut ulli eorum parcat. Abundè nobis copiarum; prima procella isto impetu excitanda, ne aliâ opus sit. Tenuis illis vires, quæ finem iis vitæ, Deo sic disponente, minantur. Conserti navem prætoriam Olafs sudam circumfistemus; hæc expugnata animos demittent; reliquas lembus nostris levioribusque navigiis circumdabimus, ne una evadat. Tum Ormus; numerò quidem Betulopedes nobis inferiores sunt, acerrimè tamen pugnatos probè novi; me sua sorte minores eorum naves primò aggredierentur expugnaremque, majoribus nos evadere non possunt. Consilium per se bonum Regis imperiò prævalente rejectum est. Magni navis Barbatus appellata est: Ormus Gragasem, sive cinereum anserem, Narvius de Sastadis & Steinfinnus propinquus ejus Hofdabussam, seu Capitatam, viginti quinque scalmorum, duxerunt. Hæ tres cum quatuor aliis in Olafs sudam directæ. In exercitu Magni hi proceres numerantur, Asbiornus filius de Orthiorn, Nicolaus Kufungus, Paulus Smattauga, seu parvus oculus, Ion & Munanus Gauti filii de Ænesia, multique alii primæ dignationis viri. Duabus supra triginta navibus classis constitit. Sverre-ris autem Satrapæ, Ulfus de Laufnesia, Ulfus Fley, aliis Fly, Havardus Jarlis filius, Bardus Guttormi filius, & Ivar Silkius, prælio intererant. Olafs sudam viginti quatuor scalmorum delectissimi classarii defendebant;

Gaur.

Gaurnem viginti quinque loculorum Gudlaugus Stallarius duxit, Harknifum, seu novaculam, viginti trium scalmorum emissarii tenebant, Fjardarköllam Hufkarli, seu domestici, directore Asgeire Hamarskallio. Plures alias magnas naves Sverrir habuit. Extrema omnium velut clypeus reliquis Olafsfuda prætensa, à viginti simul navibus impetebatur, tanto saxorum, sagittarum, gæforumque jactu, ut in quibusdam semiloculis è tribus confessoribus, alibi unus, alibi nullus, erecto corpore ictus incidentiaque jacula vel exciperet, vel propelleret; quòd verò proris in eam directis pugnarent, cominus gladiis, ictus ingerere nequibant. Et jam deficientibus missilibus exscensum moliebantur, cum Betulopedes mutuis hortamentis repente exorti, etiam qui prius missilium jactu corruerant. Rex Sverrir malum infiliens, pallio albo egregie exornato & rubro clypeo conspicuus, suos alacriter hortatur. Verum ut à læva vidit Gudlaugi Stallarii navem viginti quinque loculorum, suam navem non ultra posteriorem sentinæ locum à latere Olafsfudæ protendisse indignatus: *Prob scelus!* inquit, *navis-ne tantæ capacitatis in ultimis consistet?* Gudlaugo ulterius protrudi posse negante, Rex convocato auxilio suorum ad priorem sentinæ loculum propulit. Mox tanto ardore Gudlaugus pugnabat, ut antè malum ne unus quidem cerneretur, cui sanguis è vulneribus non maneret. Sed princeps emissariorum Audbiornus suâ nave in eam, quæ emissarii Magni vehebantur, versâ; cum ardentissimè pugnaret, paribus animis viribusque exceptus est, parique Marte diu concursum; nec discerni poterat, quò se victoriâ inclinaret. In primis admirationem meruit Hallvardi Hælæ, viri Vikensis, ars sagittandi. Hic sagittam nervo in navem Magni directam supra in aëra jaculatus, mox aliam in latus, tertiam infra carinam emisit. Quò viso, quidam eum affatus: *certius hac estate jaculatus es, cum proposito argento Rex ad certamen sagittandi te invitaret, quod tu quoque victor consecutus es; majori jam necessitate ad defensionem vite ejus scopum collineareris. Te quidem, respondit, qui minus collineet, vidi neminem.* Quò audito, Hallvardus duodecim telis arreptis, unum post alterum nervo propulit, singulisque singulos hostium confecit; iisque consumptis, subiectum pedibus arcum confregit. Tum Sverrir, *cur hoc, cum pari, ut antè, periculo tua operâ indigeamus?* Ad ea Hallvardus: *Sagittis quidem pro mea parte satisfeci, sed nec posthac aliis segnius meum locum defendam.* Raptoque gladio clypeoque ad latus navis procedens fortiter pugnavit.

Et jam anceps prælium dubium exitum fecerat. Itaque Sverrir, & ipse quoque de exitu sollicitus, depositis armis, in foros processit, expansisque in cælum manibus, procumbens in genua, nullo munimento corporis, sequentiam, quæ sic incipit; *Alma chorus Domini*; à principio ad finem cecinit. Paulo post accidit, ut Magnus prope proram inter promptissimos fortissimè pugnans, dum eodem ardore in Betulopedum quendam, quem cædi destinavit, rapitur, agnitus à sociis, confertimque impetitus, eodem impetu gladio convexo plantæ impacto, volamque penetrante, magno accepto vulnere, in cruentos foros supinus prolapsus est. Quò viso, Betulopedes magno clamore victoriâ sibi gratulabantur. Tum verò Ormus, qui proximè navem Regis pugnabat, quid iste sibi clamor velit, percontatus; ubi clarâ voce responsum accepit, Regem Magnum occubuisse: *Divisum itaque regnum est*, inquit; jubetque injici vincula, navesque in fugam enixe concitari. Mox Asbiornus Ionis filius, unusque post alterum eum

eum secuti, præliò se subtraxerunt; Magnus verò se quàm ocissimè in pedes erigens, incolumemq; professus, adque prælium redintegrandum inclamans, surdis auribus exceptus est, prætoriaque ejus navis Barbatus ab Olafsuda diremta, retròque acta. Betulopedes, harpagone in Hofdabullam injecto, tandiu detinuerunt, donec singulos vectores puppim inter & proram trucidassent; solus Steinfinnus superstes, stansque in prora viriliter dimicavit, nec expugnari aliter potuit, quàm longi stipitis ictu. Tum demum magnà rei fortiter gestæ laude, animo quidem invictus, luxatorum membrorum defectu occubuit. Multæ naves Betulopedibus acquisite sunt, sed victoriâ haudquaquam incruentâ. Trecenti & sexaginta à singulis partibus amissi credebantur, & in his Sindrius Sæhiorni filius, inter Sverreris milites celebris. Pars maxima classis cum Rege aufugit, Ormus ad Grafdalum delatus, cum navis, quàm direxit, nimium gravis remisque inhabilis esset, escendit in terram cum universo comitatu, nave cum onere Betulopedibus in prædam relictâ, qui ipsum quoque in montem progredientem persequebantur. Is autem corpore gravis gressus agrè molitus à duobus comitibus ductus, cum de effugio dubitaret, marsupii claustris relaxatis, argentum effudit. Qui proximè sequebantur, emissarii erant; iis argentum colligentibus altius in montem provecus eripitur: qui majorem deinde in modum increpati à Sverrere, quòd neglectâ nobili prædâ ad colligendos numos per montem reptassent. Sed nec Betulopedibus fugientes longius persequendi copia suppetebat, vibicibus vulneribusque affectis. Octodecim naves captivæ in urbem relatæ, præda ingens capta; nam satellites Magni opibus affluebant. Sverrir deinde in urbe aliquantisper moratus præfectos navibus Magno hoc præliò ereptis imponit, excubiasque ordinat.

Omnium ore circumfertur, Sverrerem nunquam cum Magno tam dubio Marte certasse, prius quàm fortuna victoriam dispensaret. Nam nihilo segnius Magni milites dimicabant, primoque congressu vicisse videbantur; nec enim credebant Betulopedes navali præliò assvetos, quos ad Gåularasem prius in fugam conjecerant.

CAP. XXIII.

ARCHIEPISCOPUS CLASSE BERGAS P
TII SVERRIR EVADIT: EIRICUS SVERRERIS
FRATER POST GENERIS ASSERTIONEM AULÆ
PRÆFICITUR.



Ex Magnus fugâ Stafangriam devecus reliquias suorum unâ dispersas recollegit. Ibi Archiepiscopus præsens Regi studia sua sedulâ officiorum exhibitione commendavit, svasitque, ut relictis copiis jam ad bellum imparatos ex improvîso de novo invaderet; ipse longam navem domesticis suis instructam sufficiebat & direxit. Affluxit quoque ex provinciis haud contemnendum supplementum. His apparatis, post paucos à præliò dies magnis itineribus Bergas pergunt. Eyolfus Aplii filius à Sverrere ad hostium itinera exploranda subornatus, lembò intra sinum excubans, non prius eos appropinqvare sensit, quàm improvîsis instarent. Se igitur eorum partium simulans, obviam iis processit. Id verò frustra

fuit; agnitum enim ii, ad quos proximè accessit, statim insequerantur lembo; qui Archiepiscopum mustosque alios ordinis Ecclesiastici vehebat; propero igitur cursu sinu in austrum exiens facilius aufugit, quam illi sequerantur. Id videns Archiepiscopus exponi eos iussit, qui sacris initiati erant, ratus navem isto onere levatam fecile eos assecuturam. Sed Betulopedes interea longius eVecti altum petebant, viâque exteriore Bergas repetentes, de repentino Magni adventu Regem certiozem faciunt. Ille concione advocatâ, an certamen renovare placeat? consulit. Omnes bellum detrectabant, vulnera nuperamque suorum cladem excusantes, virumque defectum adversus eos, qui copias novo defectu auxerint; in eo se periculo ad Nordnesiam novissimo pralio constitutos affirmantes, ut, si occasio affulsisset, libenter aufugissent. Placuit itaque, ut quàm celerrimè discessit maturato Thrandiam peterent. In id quoque Rex consentiens nautas in naves dividit, raros quidem nimis classi, quam tamen universam hac paucitate instrui volebat. Höfdabussa, quam Narfius duxerat, Eyolfo Haflii filio tradita; magna quidem navis, sed ab instrumentis minus instructa. Sero vespere Eyolfus nuncium attulit; postera die Sole recens orto cum maximâ parte classis Rex portu solvit: tantaque paucitate nautarum laboratum est, ut scaphis intermeandum esset ad malos singulorum erigendos, velaque attollenda. Et jam classis Magni ad australe Hvarfis promontorium in conspectu erat. Conspectus & Eyolfus Heklungis, quem quinque navibus in aqvilonem Furufundas usque persecuti sunt. Toto tempore, quo certamen inter Magnum & Sverrerem duravit, id Betulopedibus incommodissimum accidit, quod neque a piscatoribus, neque rusticis, nec mercatoribus, nec civibus urbanis, quicquam de adversariis expiscari poterant, etiamsi unico promontorio, aut colle, si terræstre iter esset, determinarentur. Ex adverso, si Magnus viribus abundaret, conditio Betulopedum stationesque ubique & semper omnibus sponte referentibus prodebantur; id quod illis magnis periculis & multâ suorum jacturâ sæpe constitit, mirabanturque multi, hostes pariter ac amici, toties a delatoribus proditos, inque discrimen vitæ præsentissimum adductos, semper tamen evasisse, sæpiusque victoriam reportasse, cum tantum a spe victoriae abessent, ut ad internecionem deleri posse omnium iudicio viderentur. Sverrir summâ celeritate Nidarosiam festinans, magno civium desiderio excipitur, subductisque navibus omnia in urbe ad defensionem parat, castrumque ligneum, quod Archiepiscopus Eysteinus ad campos Ilenfes extruxerat, instaurat, palosque litori castroque prætexit; quod opus istâ ætate perfectum non erat.

Eodem vere anni MCLXXXI. vir quidam, nomine Eiricus, Sverrerem accedens, fratrem se ejus, Sigurdi Regis filium, professus, veniam generis legibus jureque patrio asserendi postulavit. Longo tempore peregrinatus Hierosolymas quoque adivit, ablutus fluvio Jordane; ardentem candellam manu tenens. Antequam ingressus esset, in testimonium ortus sui a Deo petivit, ut undis submersam, integram & illibatâ luce extrahi permitteret; exauditum adstantes testabantur. Constantinopoli quoque Imperatori Græcorum militaverat, passimque per Germaniam principibus ministraverat, vir staturâ pusillâ, nec formâ conspicuus, moribus autem cultis, multarumque rerum gnarus. Sverrir amicos primum consuluit, deinde concilio militari convocato postulata ejus publice exposuit. Milites soli Regi Sverreri, nec ulli alii, inservituros se respondent; proceres autem potestatem ei fieri ad genus asserendum svaserunt. Rex Eirico ad se vocato

cato respondit, *ex amicorum consilio postulatis se ejus haut repugnaturum; nec tamen idèd eum, si vel maxime fratrem se suum, Regisque Sigurdi filium, testimonio Divinò declaret, in communionem Regie dignitatis vel regni, quod tantis sibi laboribus periculisque, ut et militibus suis, confiterit, recepturum; hac eum conditione, si placeat, admitti: quam si respuat, incolumem tamen discessurum.* Eirictis multo verborum honore (erat enim vir disertus) gratias egit, præfatus, conditionem accepturum, se deinde suaque omnia ejus secundum Deum providentiæ potestatiqve commissurum. Jejunio dein de præmissò, cum candens ferrum portandum esset, ipse Sverrir hans juramenti formulam ei prælegit: *In hoc manum tuam sacris Evangeliiis imponis, Deumque testem invocas, ut manum ita illasam à ferro conservet, ut tu verus filius es Regis Sigurdi & meus frater. Tum Eiricus. Ità Deus innoxiam manum meam à ferro præset, ut filius sum Sigurdi Regis; ad asserendum aliorum genus ferrum non periclitabor.* Acqvievit Rex postulatis ejus, optimoque successu juramentum absolutum est. Exinde Rex eum pro fratre coluit, aulæqve præfecit; qui humanitate & benevolentia cunctos sibi devinxit, suosqve ministros liberalitèr sustentavit.

CAP. XXIV.

DE REGUM INTER SE COLLOQVIO, ET
CONDITIONIBUS A SVERRERE OBLATIS, A
MAGNO VERO IMPROBATIS.

Post egressum Sverrris Magnus Bergas devenit, ibiqve in instruendâ classe copiisque per ætatem colligendis tempus extrahit; posteriore Sancti Olafi festo, quod in secundum diem Augusti incidit, Nidarosiam pervenit, Sverrere à copiis minime imparato. Tunc quoqve, ut moris erat, ad pervigiliū solennitatem provinciales undiqve affluerunt, qui fidem operamqve suam ei addixerunt. Igitur Magnus stationes ad Holmam classe occupans, eum tantis viribus succinctum aggredi veritus, donec advenæ suas quisqve domos repeterent, prælium differendum censuit. Interea Reges quotidie per horulam invicem colloqvebantur; & quidem Sverrir jam iterum postulabat, ut regnum inter se bifariam dividerent: sibi divisionis arbitrium, illi electionis, deferebat. Id cum Magnus neqve abnueret, neqve probaret, Sverrir cives omnes classico convocavit. Ibi expositis conditionibus, quas Magno proposuit, omnium plausum meruit, singulis pacem expetentibus, adqve eam magno conatu hortantibus. Dumqve conditiones ab utrâqve parte ventilarentur, induciæ factæ sunt. Magnus ad Eyras lembo devectus est, ubi Sverrir, ingenti civium provincialium urbanorumqve frequentia circumfusis, (omnes enim Regum colloquia audire gestebant) eqvo insidens ei occurrit. Nicolaus Arnii filius Magni nomine verba faciens diu disertèqve locutus, omnes in spem de pace conditionibus, quæ propositæ erant, componendâ erexit, adeo ut milites Magni navibus in litus avecti à Betulopedibus potulentâ urbex-euntibus amicè exciperent, simulqve confidentes in Bratteyris com-potarent; nam etsi statu belli hostes essent, multi tamen nexu sanguinis vel pristinæ amicitia inter se devincti erant. Orationem Nicolai Sverrir deinde excipiens, propensum se ad pacem sibi civibusqve omnibus con-

ciliandam professus, iterum regnum bipartitò dividi postulat, idque exemplò Regum filiorum Magni Nudipedis & Haraldi Gillii, aliorumque Regum, fieri posse monstrat; Magnum quoque Bonum Haraldo patruo dimidium regnum concessisse. Sæpius duos, interdum plures, simul regnasse, quos liceret imitari.

Hæc cum magno civium applausu & moderationis laude exposuisset, Magnus exurgens plenâ voce, nec immoderatè primò, respondit. *Exemplâ, quæ adducis, Sverrir, agnosco; inter fratres aut propinquos regnum hoc nexu amicitie divisum est; ista tamen amicitia sæpe in inimicitiam, interdum & cædes, vertit, nec id procul à nostrâ memoriâ. Quid hic sperandum post tot propinquorum meorum amicorumque cædes, si tecum in vitus paciscar? certè aulici nostri unâ urbe, unò convictu, agrè tenebuntur, tot mutuis injuriis irritati: haut itaque diuturnam pacem quocunquè pactò nobis pollicebimur. Ad ea Sverrir: Non equidem inficior, Rex Magne, pacem, quam nos invicem sanctè servabimus, per alios posse violari; sed ad tam diuturnum nostrum populicquæ hujus, tot molestiis fessis, malum avertendum; si mihi dimidium regnum cesseris, juratusque promiseris, præfectos meos militesque, adedque cives universos, meo imperio subditos, nec te ipsum inquietaturum, nec ab aliis inquietari passurum, triennium proximum extra regnum me sustentabo; tu quoque me redeunte excedes, nec nisi aliè exactò redibis. Tum Magnus, Placet, inquit, Sverrir, te regno excedere, nullo in posterum reditu; ego enim à Pontificis Romani legato omnium regni ordinum consensu in Regem consecratus sum; istâ solemnitate juravi armis me populum hunc ab injuriis scelestorum hominum defensurum: exitum vite Deo committo. Certè juramentum hoc præ metu & ignaviâ nunquam ita violabo, ut te; Sverrir, in consortium regni accipiam, virum cui sanguinis jure neque hoc regnum, nec ullum aliud, deberi existimo; qui centum meorum satraparum, & qui his omnibus præferendus, patris mei (ò damnium irreparabile) eruentâ cæde pacificationis spem abrupisti. Aut igitur universam Norvegiam tenebo, aut totam una cum vita amittam. Tum Sverrir, damnium, quod nostris certaminibus accepisti, tantum memoras; quid tu paterque tuus intuleris, omittis, quod tamen longe majus est, Amissus mihi pater, amissus patruus Eysteinnus; Sed & Erlingi patris tui perduellione declaratus totius Norvegiæ Rex frater meus Hacon cum multis satrapis, aliisque nobilibus viris, in Meria cecidit. Idem pater tuus Haraldum fratrem meum in Hvarfsnesia tanquam cornicis pullum patibulo suffixit, (id quod cum antè relato supplicij ejus genere non convenit) Sigurdus tertius meus frater Bergis decollatus est, patruelis meus Eysteinnus in Re occisus. Rectius itaque ego verba, quæ prævisi, ipse præire, nimirum non licere mihi, salva Regis dignitate, te in patrimonio mei partem admittere, qui primus sine exemplo privati filius Regium nomen invasisti. In campos igitur Ilenfles concede, ego castrò cum exercitu egrediar; ibi armis inter nos experiamur: nec tibi aliam fortunam spondebo, quam hucusque expertus es. Jamenim Deus finem imperio, quod per summum nefas invasisti, diuque tenuisti, imponet. Magnus negabat se in sacrificialibus ejus campis pugnam cum eo commissurum; placere navibus pari numero ante ostium amnis certare. Sverrir, subditiâs esse suas naves, pugnaeque jam inhabiles, respondit; posse tamen ex omnibus tres instrui, si totidem secum decertare velit. Satis, ait Magnus, militum meorum perditum, nec est quod plures ad lanienam prodam: verè enim dixisti, nos sæpius magna clade plexos, nimirum cum tu inter cæternas virgultaque stratus periculum defugis. Igitur, si audes, mecum solo solus congrederere, regnò victoriæ præmiò. Ad ea Sverrir respondit, Satis conspicuum nostrum in*

fortu-

fortunium, licet duello non pugnemus; nec Regium, pugilum omnis imperii expertium more, monomachia certare. Cum tamen id curæ tibi videam, ex equis more principum pugnabimus.

Procedente colloquio, utriusque milites, & qui invicem potabant, sensim dilapsi sunt, Magnus etiam fluvio exiit. Jactu deinde hastarum ultrò citròque missarum certatum est, Heklungis cedentibus. Verùm Svèrrir lembis fluvio per planitiem in mare eductis eos persecutus, tam propè accessit, ut mutuis telis invicem impeterentur. Paucis post diebus sine conflictu Magnus Bergas pervenit, ubi etiam hyernem exegit. Hac velitatione multi utrinque vulnerati, & inter cæteros Karl Rostor ad necem. Hac eadem ætate Magnus tributa expeditionibus sustentandis deputata, cum omnibus Regiis redivis, usque Thrandiæ ostium, exegit, nec Svèrreri ad sustentationem suorum præter Thrandiam quicquam reliquum erat; quicognitò Magnum Stadas classe cum plurimis sarapis prætervectum, ipse in Uplandas se convertit, relicto ad navium custodiam Eirico fratre suo, & alio duce Kolo Isaaci filio de Folkâ, cum parte copiarum tribunorumque. Ipse peragratis Uplandis ubique per speculatores mansiones Heklungorum explorabat, si fortè occidi, capi, aut spoliari commodè possent. Ausur Vagadrumbus, Ionis alii Ionis Vagadrumbi) filius, & Eyvindus Dyrius Ionis filius multique alii hoc tumultu cæsi sunt. His peractis Svèrrir Osleyam petit, provinciasque inter suos distribuit. Pulsi Heklungi alii in orientem, alii in septentrionem, ad Regem Magnum fugerunt.

CAP. XXV.

DE REGUM ITERATO CONGRESSU,
CLARORUM VIRORUM CÆDE, ET PUGNÆ EXITU.

Posthæc Rex Magnus duce Ormo maximam copiarum partem adversus Svèrrerem in Vikam mittit; ipse cum septem longis navibus & octo lembis in Thrandiam paulo ante festum Martini pervenit. Eiricus autem & Kolu de consilio ejus præmoniti, dispositis excubiis, in diversorio publico itinera ejus observari curarunt, sed socordia vigilum factum videtur, ut usque dum Digurmulam præternavigaret, omnibus inobservatus supervenerit; tum demum canentibus tubis cohortes convocata; prima in planitie, quam Eyras vocant, sub signo Koli Isaaci filii, alia superius ad Skipakrokum, Bratteyras usque extensa, sub signo Eirici; tertiam urbani cives in pontibus constituerunt. Magnus positis velis infra Holmam, extra crucem remigat; inde junctis navibus longum tempus diei, qui in feriam septimam incidit, opperiebatur. Qui in planitie ad Eyras constiterunt, vada ingressi, lapidibus Heklungos incessentes, ut exscenderent, provocabant; sine tamen responso, proceribus in deliberando occupatis. Hagbardus Muntarius nuptiarum solennia eo die celebrans Magnum cum omni exercitu per ludibrium ad ea invitavit. Horâ tertiâ post meridiem Magnus classera segregat, quatuorque maximis navibus fluvium ingressus ad vexillum Eirici copias educit, fortiterque in primis, sed nec diu, exceptus est; navibus enim ad marginem arenæ cominus applicatis, per interjectum pontem evecti, hastis, lapidibus, & telis e navibus continuis

tinuo jactu in Birkibeinos ingestis in terram irrumpebant. Ibi mutuis vulneribus cædibusque quàm acerrimè certatum, donec urbani cives urbem fugâ iterum repetebant. Tum vero Betulopedes, extenuatâ suorum acie, acerrimâ hostium impressione territi fugam quoque capeſſebant, Hexlungis deinde ferociter instantibus, clademque multâ cæde inferentibus. Quatuor eorum naves Eyras appulerunt, quarum vectores tanto ardore concitati sunt, ut præcipites vadis ad axillas usque immerſi, mox conſenſo litore fortiter in Betulopedes inveherentur. Ingens ibi certamen pugnaque ab utrâque parte crudeliter ciebatur, cum quidam Kolum admonet, ſuperatô jam amne terrâ Hexlungos potiri. Tum Koluſ, *preſtabit ergo fugere*; quam vocem unus ex hostibus excipiens reſpondit; *Id verò jam nimis ſero*: cui Koluſ ſe obvertens; *en*, inquit, *adſunt bidiaholi*; feritque eum, nec minori ictu feritur. Eodem momento Eirico fugiente, qui eum infeſtabant, in Eyras proveſti iis, qui Kolum impetebant, ſe aggregabant; nec iſ multitudini tantæ amplius ſuſtinendæ par, cum maximâ parte cohortis ſuæ occidit. Eiricuſ verò in Gaulardalum pluribus ſe ſequentibus fugâ evaſit; pars in fana dilapſi, quorum plurimi occiſi, nec ullius ſacræ ædis reverentia id temporis tutata eſt, extractique è templo Servatoris (quod nunquam alias factum) ad cædem trucidabantur. Eyvinduſ Skrapuſ (*Jöfraskinna* Skraſiuſ) vetuſ Betulopeſ, vir inſignis & robore ſingulari, ſacrario ejuſdem ædis extractuſ tractuſque per plateas ad Eyraſ uſque, ibique occiſuſ. Gudlauguſ Vala ſimiliter è templo raptuſ, longo tempore detentuſ tormentiſque laceratuſ, ut theſauſoſ Svvereris proderet, & ubi filiuſ ejuſ Sigurduſ Lavarduſ, quem ipſe educaverat, eſſet, indicaret; cum neutrum expreſſiſſent, occiſuſ, exemplum fidei conſtantiæque poſteritati æternâ commendatione dignum reliquit. Vix ulli Betulopedum parciſtum eſt.

Hiſ peractiſ, Magnuſ quatuor naves Svvereris in expeditioniſ ſocietatem aſſumſit, reliquas omnes exuſſit, tradente *Jöfraskinna*. *Codex Flavi* aliter, magiſ ad veritatem: tradit enim Magnuſ Olafſfudam cepiſſe, omnemque claſſem triginta trium navium propulſam navalibuſ, lectaſque in ſupplementum naves, quot auferre poterat, reliquas exuſtaſ, celeriterque Magnuſ urbe egreſſuſ, metu Eirici Regiſ ſiſtriſ, quem Gaulardalocum magniſ copiis adventare nunciatuſ eſt, ipſumque Olafſfudam direxiſſe. Dum ſinu egrederetur, miſit, qui Aplii vel Haſſi de Aſtiſ, Toſti de Yſtiſ, & Helgii de Ridæſe (*Jöfraskinna* Ryne) villaſ diriperent: direpta & Arnii de Eſia & Eirici prædia, multaque alia mala Thrandiſ, dum ibi eſſet, illata ſunt. Endridiuſ Torſiuſ, Ionis Kutifſæ filiuſ, unica nave in ſinu Orknaroſe remanſit, cum Barduſ Guttormi filiuſ cum triginta militibuſ de Heſnio ab aſtro in collem ſupra prædiuſ Tungam devectuſ, conſpectam longam navem, quam Hexlungorum ratuſ erat, aggredi non auſuſ eſt; cumque de nocte, quam ibi exegit, algeret, nuncioſ ad villam Gelminiſ, ubi Cecilia Svvereris ſoror habitabat, qui eam conſulerent, miſit, quæ multa eiſ occultè ſuſceſſit, indicavitque eodem eſſe, qui conſeſtim eoiſ inſaſſent, ni Barduſ impediſſet. Atque ita Endridiuſ ad Regem Magnuſ incoluſiſ evaſit, Barduſ vero in Thrandiam evectuſ aliquantiſper ibi manſit; cui Helgiuſ Thorfinni filiuſ, Ottar Knerra, & Eyolfuſ Aplii filiuſ, Svvereris tribuni, ſe aſſociabant. Magnuſ Bergaſ rediit, habens in comitatu ſuo Halluſ Snorrii filiuſ, qui duobuſ carminibuſ, quæ hac expeditione geſta ſunt, complexuſ eſt; quæ duæ Membranæ, nec

Festò Natalitiorum aulici Regis Magni lautè tractati, & quidem satellites in aulico palatio, emissarii in cænaculo Sunnefæ. Hi graviter ferebant, nullum satello, sibi verò cervisiam apponi; quinto igitur festi vespere ebrii omnes armatique palatio Regio circumfusi, januam effringere tentant. Rege igitur ad fores procedente, sedaturo iras, servus ejus, nomine Bardus Skioldus, in vestibulum præcurrens continuò occiditur. Rege itaque pedem referente, satellites januam claudunt, quam emissarii continuò effringebant. Accurrebant igitur Stationarii, quippe soli intra triclinium armati, prohibebantque impugnantes ingressu; quidam fornacibus caminisque dejectis lapides in furens conjiciebant, usque dum cives Huskarlique, sev domestici Regis, quid ageretur, sentiebant; eorum accursu emissarii, multis acceptis vulneribus, è palatio pulsi, postera die jussu Regis comprehensi, pauci morte culpam expiabant: alii manu, alii pede, truncati conspicuas exutæ reverentiæ pœnas dederunt.

Eiricus Gaulardaò ad Regem profectus, memoratæ hujus cædis ingratus nuncius, insuper eum hortatus est, *ut sine longiore mora Thrandiam rediret, id enim omnes Thrandos expetere; quippe minis Magni territos, cum discedens contestatus sit, se altera vice & majore oportunitate rediturum, repensurumque Thrandis fraudes & dolos; quos in se patremque suum semper moliti essent.* Ad ea Rex respondit, *consilia ejus se insuper habere, parum iis profectum, damna ingentia accepta; multisque eum verbis & acriter objurgabat; excusabat præterea festum Natalitiorum, magnis impensis instructum, quod in Vika celebrare constituerit, nec nisi eo finito Thrandiam regredi posse.* Ornius autem Regis frater magnis copiis in Vikam missus Tunsbergamque appulsus noctes diesque in navibus mansit, interdum sinum Foldensem, interdum Agdas aut Vestfoldiam perlustrando Betulopedes carpsit, vel ab iisdem vicissim carpebatur; nec tamen Heklungis Osleyam, nec Sverreri defectu navium eos aggredi licuit.

CAP. XXVI.

DE MUTUIS REGUM INCURSIONIBUS, ET UTRIVSQUE ID TEMPORIS STATU.



Nnò MCLXXXII. post festum Purificationis

Magnus cum omni satellitio proceribusque multis, circiter mille hominibus classi impositis, Bergis solvens, festinatione quantâ potuit, licet adversis ventis in quibusdam stationibus derineretur, Thrandiam petit, feriâque septimâ quadragesimæ hebdomadæ valde improvifus eò pervenit. Aliæ naves Borgam, aliæ Eyras, quædam adverso amne nixæ urbem invadebant; duo lembi è transverso Backam assecuti, quorum vectores, transcurso Erlenzhaugo, pontem petebant. Betulopedes per balnea sparsi, inexhausto hoste territi, fugam capiebant. Primus Bardus Guttormi filius adventum hostilem sentiens, cum sua turmâ supra pontem profugit; Auffur Knerra & Helgius Thorfinni filius lembum, quem possederant, ad Regium pontem stantem petunt; Eyolfus Aplii filius in villa Griotas balneo indulsit; is auditiâ voce pueri, Heklungos adeste, raptim vestibus intra ulnas conjectis, nudus trans templum crucis celeri cursu se proripit, visoque Heklungorum

gorum accursu supra ædem Servatoris volanti similis raptus partem quandam suorum obviam habuit. Simul ergò in pontes decurrentes lembum nacti sunt, quem litore propulsum conscendentes, gladiis, aut quolibet teli genere, quod manibus gerebant, minantes, remis agitant, ad Skellingahamras supra Erlendshaug, seu *Erlendi tumulum*, admoturi, cum nusquam dimovere possent, rati se beneficii illo nodò defixos, qui Herfjotr appellatur, actumq; de vita, observant, anchorà à latere pendente, quam in tanta trepidatione extrahere neglexerant, vadis impactam navem teneri; quò animadverso, inciso fune litori redduntur, simulq; Ottar & Eyolfus per altam nivem cursitantes, Heklungos, qui Backæ appulerunt; in confinio viarum supra Erlendshaugum offendunt, cursuq; certantes, tres ex iis velocissimos evadere nequibant. Verùm cum iis ad invadendum animi non fati esset, viam publicam assecuti ad suos perveniunt, ubi quindecim in valle quadam infra Borgam congregati sunt. Ottarem hostibus se oppositurum inhibuit Eyolfus; simul itaqve omnes Kleppabuum, indeqve transito flumine Nida Gaulardalum provecti, ubi quotquot evaserunt, congregati simul Soknadalum pervenerunt. Milites interea Regis Magni totà urbe militari furore grassati, quos è Betulopedibus apprehenderant, occidunt. Ipse Rex, missis in Orkadalum nunciis, significat se apud eos die Mercurii proximo conventum acturum, frequentesq; coire jubet. Gaulardalenses quoq; in sequentem diem Veneris ad urbana comitia evocat.

Præfinito die cum omnibus Orkadalum proficiscitur; ubi frequens indigenarum concursus. Tum verò Rex surgens; *Vix forsitan mei, ait, recordamini, Thrandi, tanto temporis à novissimis comitiis interjectu. Triennium effluxit, ex quo mihi reditus Regios solvistis. Exigo igitur, ut quod in expeditiones communiter conferri solet, etiam pro remigatione & instrumentu navalibus, laboribusque ordinariis, præter cavones prædiorum Regiorum, multasque delictorum, quorum singula hostibus nostris, Deo neque, quorum iram incurristis, invitis, solvistis, mihi reddatis, universos scilicet triennii reditus.* Tantàq; deinceps irà excanduit, ut nec diris temperaret, invasurusq; confestim videretur, nec manus à cædibus absterentur. Huius de Barkastadis omnium nomine respondens pacem civibus oravit, spatiumque ad imperata exequenda. Quatuordecim dies impetrati, intra quos si tributa solverent, pacis securitatisq; spes ostendebatur. Ibi Regi impensæ in expeditione publico iudiciò decretæ, iis exigendis præfecti Regis Sigurdus & Hacon Griotas, vel Grotas, protinus missi sunt; ipse urbem eodem vespere rediit.

Hæc dum Nidarosæ aguntur, Sverrir Vikà profectus, dum per Haldalandiam iter faceret in lacum Røndem glacie concretum equis provectus magnam cladem accepit, septem suorum per ruptam glaciem aquis absorptis, inter quos memorabiles erant, dapifer ejus Ion, Hallvardus Leppus Sunnesæ filius, Augmundus Hallsteini filius. Neq; equis neque hominibus subveniri potuit. Montem Hardkinnam (aliis Hiartkinnam) cum conscenderet, per fugatos ex Thrandia Soknadalosq; novissimè profectos iteratam suorum cladem cognoscit, ibi enim eum assecuti sunt, qui etiam comitibus Regis contemptui ludibrioque fuerunt; neque enim illorum vilissimus istorum nobilissimo equò cedere dignatus est. Illi igitur pedibus, hi equis, Regem sequebantur,

Erat tum Biornius Kalfi filius in comitatu Bardi Guttormi filii; is insolentiam istam perstringens versum quendam lusit, tali sensu; *Fatuus qui-*

quilibet equo infidet, more pessimo. Iter nobis longum; Satrapæ ambulanti, currunt nobiles, lixæ equitant. Sverrir Orkadalum villamq; Griotas, aliis Grottas, petit, ubi duo illi supra memorati Magni Regis præfecti Sigurdus & Hacon cum universa cohorte sua occisi; unus eorum Ottar Gasius evasit; quem quinqve equites persecuti, assequi tamen nequibant, ne ipse quidem Rex, qui ejus vestigiis proximè insisteret, cum vallis virgultis obsita conspectui eum subduceret. Inde fluvio Orka transmissò, per villam Steinem in collem Gaularasem devenit.

Die Veneris sacris matutinis in urbe peractis, nec Gauldalenses ad forum, ut præceperat Magnus, convenerant; observati ad Steinbiargas quidam lignorum vehes vestantes; quo tempore Otrar Gasius, qui Betulopedes effugerat, properè ædes Eirici Arnini, ubi Rex divertebat, ingressus, a satellitibus, tantà festinatione novi quid afferri existimantibus, si quid ei de Betulopedibus constaret, interrogatur; nihil se iis relaturum præfatus, ad Regem aditum petit; quem ut in templo Servatoris conventum habere novit, protinus adit.

Paulò post Rex in hospitium festinans omnes arma capere jubet, & quantà possent velocitate naves petere; instare enim Betulopedes. Ad tubarum deinde cantum omnes, armis vestibusque raptim sumptis, ad naves properant; quibus Holmæ admotis, in multam deinde diem suspensòs expectatio tenuit, nullò vel de Betulopedum vel de Gauldalensium adventu indicio: id quod nuncium suspectum reddidit; qui detentus in Regia navi in iis, quæ proximè retulerat, constanter perseverabat. Multi igitur à Rege veniam postulabant regrediendi in urbem, ad arma, vestes vel argentum, quod ibi reliquerant, repetendum: multis etiam uxores relicta; quidam potum requirebant. Ille reditum dissuadens paucis tantum reditum permisit; multi nihilocius veniam consecuti miscebantur.

Interea Sverrir cum suis cohortibus in colle supra urbem latens, quæcunqve ibi gerebantur, faciliè percepit. Postero die, qui Saturni erat, Betulopedes urbem aggredi, ipso renuente, festinabant, quòd tempus, quo balneis se abluerent, expectandum duceret: irrumpunt tamen, & quidem improvisi, multosqve hostium occidunt; inter quos Einar, qui navi Regis Magni præfuit, eminuit; quidam scaphis ad classem evaserunt; multi etiam è classe acatis urbem petebant; sed nimis properè Betulopedum incursum ad Borgam observato territi naves repetebant; quibus, si Sverriris consilio paruisent, procul dubio potiti essent. Magnus autem, cognito Sverriris adventu, confestim sinu solvit, moràqve omni amputatà Bergas repetit, evidens majoris metus documentum dedisse visus, dum circiter mille instructus congressum cum Sverrere, plus dimidio inferiore, vitaret; cum tamen ligneum castellum cum fossà, quâ cingebatur, ita perfectum esset, ut numero militum dimidio defendi melius quam à duplo oppugnari posset. Illo tempore in potestate Magni universa classis fuerat; tributaqve & obventiones ex omnibus territoriis ex oratio Thrandiæ in austros exporrectis solus reportabat, exceptis iis, quæ Betulopedes variis incursum in Mæras raptim congerebant; utriqve Principibus procul agentibus, lembis sibi mutuo infesti. Betulopedum cohortes Vikam & Uplandas infidebant, opimas provincias. Hinc inter eos & Heklungos frèquentes ferocesqve assultus congressusqve, variaqve victoria, larga scribendi materia. Ea tamen scriptores memorare juvit, quæ majoris momenti essent; Regesqve invicem gesserunt, vel ipsis præsentibus

bus gesta sunt. Ad annum MCLXXXII. referunt Annales obitum Valde-
mari Primi, Knuti filii, Daniæ Regis.

CAP. XXVII.

DE SVERRERE EX OBSIDIONE ELAPSO,
CASTEL LOQ; ET NAVE AB IPSO ÆDIFICATIS,
THORGILSISQ; ET VIDKUNNI
CÆDIBUS.



Vere proximo Sverrir universum spatium
secundum litus circa diversorium publicum, per
planitiem Eyras, juxta flumen, pontem usque palis
complexus, in Bratteyra catapultam castellumque
ad pontem extruxit. Eadem ætate Magnus, copiis
totâ Sunnhordiâ excitis, plurimis satraparum comi-
tantibus, Bergis Thrandiam movens, paucas noctes
ad Holmam substitit. Inde interiorem Thrandiam in-
vestus; census nauticum (Vetðanqr appellant) exegit; inde ad urbem flexit. Prima nox ad De-
pulum intra Hladhamras acta; postridie summo mane tam densa caligo in-
cubuit, ut ultra proram e puppi prospici nequiret. Interea Magnus ad Hol-
mam remigavit. Sverrir, audito remorum strepitu, eum se aggressurum
ratus, signo classico datô, copias omnes in Eyras deducit. Magni vero
milites ad Holmam nocte transacta, sequenti die mane cum maximo co-
piarum robore campos llesens conscendunt, castrumque accedentes a ca-
stellanis sagittis impetuntur. Subvectionibus urbem terra marique com-
meatuque intercludere constitutum erat, eoque sine pons fluvii exustus.

At Sverrir, prope castrum tentoriis fixis, duo trinclinia urbe transla-
ta castello connectebat. Hoc statu tempus aliquantisper tractum. Interea
in navibus pleræque Magni cohortes pernoctabant, mutatis singulis no-
ctibus, qui præsidium alternis vicibus continuarent. Ardentes in campis
ignes obscurioris jam noctis tenebras in circuitu depellentes prospectum
Betulopedibus gestorumque ordinem aperuerunt; luce tamen debiliore,
quàm ut eorundem in tenebris latentium acta peterent. Quadam igitur
nocte, eruptione è castris facta, telis primò, deinde sagittis, mox cominus
gladiis, Heklungos invadunt; nec prius inter tenebras, quàm percussis
instarent, observati. Pulsi magna cæde Heklungi, fugâ latè per campos
sparguntur. Ad lituorum cantum tubarumque clangorem exciti classarii
naves ad litora dirigunt, adque suppetias ferendas accurrunt. Sed fugâ su-
orum inter tenebras palantium excipiuntur, mox gladiis Betulopedum
cæduntur: tantusque terror incussus est, ut qui maxime ad auxilium suis
ferendum paulo ante hortabantur, jam primi, iidemque velocissimi, fuge-
rent; pars magna cæsi, magna in amnem projecti, multi quoque ad na-
ves evaserunt. Sverrir in castrum reversus est, magnâ armorum, vestium,
auri, argenti que prædâ locupletatus. Reducta postridie lux strata passim
per campos Heklungorum corpora retexit. Magnus clade tantum nobilit-
tatus Thrandiâ evehctus Bergas repetit, ibique hybernavit. Sverrir autem
Nidarosiæ; eademque hyeme castrum in Steinbiorgis fundavit, quod qua-
dragesimâ absolvit, quò etiam proximo vere cum parte copiarum migrans
partem in urbe reliquit; navem præterea Nidarosiæ, majorem, quàm eorum
temporum usus ferebat, extrui curavit, scalmorum triginta duorum
(aliis

(aliis tr̄um) capacibus oculis, quam Mariusudam appellavit. Exordiō hyemis, milites urbanosque cives convocans, qveritur qvo in statu res suæ essent, quarum tenuitate etiam urbani attererentur. Jām ante alteram hyemem amissas naves, omnium malorum causam; his propulsas hostium vires, lustratas provincias, adque militem alendum adactas; his commerciorum securitati provisum, his com meatūs & annonæ abundantiam inuestam: jam penuriā rerum necessariarum omnes affligi, annonæque ditrate, urbi provinciisque paucis tantæ multitudini sustentandæ imparibus, nec suppetere tot navigia intra finum, quot necessitas requirat. Cæteris exclusis Uplandas tantum, inde Vermalandiam & Gothiam, monstrari. Iterque in sequentem hebdomadam pronunciat; Exinde equi centum quadraginta calceati, omniaque ad iter parata. His per mercatores Bergas delatis, Magnus, qui cum omnibus satrapis proceribusque, classe univēsa, majoris notæ navibus iter Nidarosiam destinavit. cognito Thrandiā Sverrerem excēsurum, consilium revocat, exercitūsque magnam partem dimittit.

Sverrir Nidarosiæ festum Christi natale Anni MCLXXXIII. celebravit; quo finito, comparatis undique lembis, citato itinere Bergas pergit, improvisis, si fieri posset, superventurus. Verum adversis ventis in Maria diutius detentus, famam adventus sui præcurrisse ratus, Nidarosiam rediit. Præfecturam, quæ in Halogia longissimè in Septentrionem protenditur, Thorgils quidam à Sverrere constitutus gessit: simul ei Finnarchiæ inspectio commissa, reditumque exigendorum commerciorumque-cum Finnis exercendorum cura: ejus rei gerendæ causâ monte hac hyeme consensu ad Finnos mansit. Biarkeyam tunc incoluit Vidkunus Erlingi filius, annos natus octodecim, patrimonio noviter recepto, inter omnes Halogenses ista ætate præcipuus. Eum Magnus nunciis ad se evocans, mandavit ut præfecturam, ut status ejus requireret, à se acciperet. Erant qui suspicabantur, occultiora postulata hoc prætexu tegi; fuere enim Vidkunno duæ sorores, formâ conspicuæ. Erat & Magni foror Ragnhildis, virgo adhuc innupta. Is igitur per varios sinus itineribus Betulopedum exploratis, Thorgilsem monte descendente, mercibus onustum, in sinu Ægisfiordo opperiens, cum omni comitatu occidit, prædamque Biarkeyam devexit.

Vere proximo, nave longa viginti scalmorum, quam Gullbringam (seu pectus aureum) appellabat, possessam prius Archiepiscopo Eysteino, undique magnâ, vectoribus armorum vestiumque cultu conspicuis instructâ, lemboque onerario, utraqve sorore Ioneque Drumbio avunculo suo comitatus, in austros adeo securus navigat, ut clypeis proram puppimque adornaret, loricasque cistis super saburram constitutis conderet. Sverrir, cognita præfecti sui cæde, in occursum Vidkunni Bardum Guttormi filium & Ivarem Selkium (fortè ejus, quem prius occisum retulimus, filium) mittit; qui festo Ascensionis Domini mane diei in Aunglam delati, observant eum sinum Ofotanium transnavigantem. Ad Steigarbiargas igitur descēdentes eum expectant, inopinantemque cominus advectum ab utroque latere oppugnant. Sed cum non essent Vidkunno arma præter gladios, nec corporis munimenta, vix resistere potuit; nec tempus virginibus, quas exponere parabat, subducendis suppetebat; uno enim impetu cum univēso comitatu obrutus & cæsus est; navis pulcherrima in potestatem redacta, Thrandiamque ad Regem deducta; magnamque laudem appropereata vindicta meruit.

CAP. XXVIII.

DE MAGNO A SVERRERE FUGATO,
ET ARCHIEPISCOPO ILLI RECONCI-
LIATO.

Post festum Paschatis Sverrir sæpius urbanos cives ad concionem convocat, multaq; coram illis agit, sed tantâ inconstantia, ut quorsum tenderet, omnes æqvè incerti essent. Interdum Vikam, indeqve Gothiam petere destinabat: interdum lembos comparari, occidentemq;, Orcades, aut etiam Hæbudas, adeundas censuit. Singula Magnus per speculatores exploravit; qui tum Bergis magnis copiis classeeqve refedit. Tandem conquisitis viginti lembis in Halogiam iter pronunciat; evehsusqve sinu ad promontorium Agdanesiam, vento ab aquilone acriter flante, bucinae concentu naves colligit, egressusqve in terram cunctos ad concilium convocat. Ibi aperit, *prætextam scopo itineris navalis Halogiam, terrestres Gothiam, utraqve se prohiberi, & istâ quidem adversis ventis, quibus in nullum usum obniti amentia esset; nec se in iis angustiis ab Heklungis securos; malle secundis ventis in austros tendere: audentes enim fortunam juvare; sui occasio deficiat, aperto mari Vikam peti posse.* His magno assensu probatis, in austrum navigant, donec Stadas superassent. Tum iterum convocatis navium rectoribus refert, *nihil damni bucusque acceptum, placere aperto mari exteriore via ad Vikam tendere; patere etiam viam Bergas, spe licet lucri exigua, Magno tantis viribus præstante: nimiam enim hoc statu sibi suisque videri, nec sine temeritatis opinione impeti. Se itaque solum de tanta re sine suorum consilio nihil conclusurum.* Omnibus urbem peti placuit, fortunamq; ibi cum Heklungis periclitari. Præmissis itaq; aliquot lembis Ulfasundam, ipse exteriore viâ ad Aleyarsundam navigat. In Ulfasunda duo lembi Heklungorum speculatorii intercepti; plurimi occisi, paucis ad eliciendum indicium eorum, quæ scire intererat, parcitum. Ab his cognitum est, tres speculatorios lembos in Aleyarsunda, piramq; in suprema insulæ parte excitatam; aliam in interiore Fenringi latere. unde tum pira ad aqvilonem, tum etiam ipsa urbs, conspiciatur (*Jöfraskinna* tradit, retulisse, tres lembos speculatorios in Lygrafunda stare, piram in australi insulæ parte excitatam, aliam interius in Refne, eamq; ex urbe conspicuam.) Adjecerunt præterea, omnem exercitum in urbe per noctes quiescere, indicatisq; singulorum procerum hospitii omnem classem subtentoriis pontibus alligatam consistere; omnes in urbe periculi securos. His ad Regem relatis, in lembos Heklungis ereptos milites imponit, eosqve clypeis eorum maximè conspicuis puppes inter & proras instruit & exornat, præmittitq; cætera classi.

Provectis à Drifeyis in sinum Heklungi notis clypeorum decepti pro suis agnoscunt, nec hostes prius sentiebant, quam ab iis ostium sinus investis circumcincti telis & hastis undiq; obruuntur; quidam in terram evaserunt, plures occisi aut vulnerati, lembi cum omni vecturâ intercepti; inde expectato adventu Regis simul pergunt, quò constituerant. Mittit deinde Rex lembos nuper captos ad piram in cacumine insulæ evvertendam, ipsi autem promptiores quam imperatum erat, custodi suspicionem hostium præbentes, eum ad faces succedendas impulerunt; sed celeri-

celeritate usi, prius quam arderet, supervenientes eam diruerunt, ut nec inferioris piræ custodibus indicium fieret. Sub umbra deinde montium litora legentes in austrum processerunt. Cum ad Hoidhellam ventum esset, Rex iterum eos allocutus; *Adbuc, inquit, rebus integris, licet, urbe præteritâ, quò volumus pergere.* Omnibus urbem præferentibus, negat se ultra eos moraturum; *parum enim periculi ab iis metuendum, qui somno vinoque obruti, injecto terrore expergiscantur.* Ordinatisque stationibus, Eiricum fratrem cum decem majoribus lembis rupem subire jubet, ibique excensum facere, vexillumque per ædem Servatoris ad palatium Regium dirigere; se præteritâ Holmâ ad pontes accessurum, classemque eorum investigaturum, inde partem unam intra Sandbru, seu pontem araneum, alteram per Miklagardum ad templum Beatæ virginis, alios in cæmiterium templi S. Petri, inde per plateas processuros, Ulfum de Laufnessa cum duobus lembis in intimum sinûs (Vassdottin vocant) cum vexillo mittit, jubetque plateis eò ferentibus occupatis occurrentes excipere. Hoc ordine urbem celeri impetu aggreditur; ipse ad pontes proventus omnes navium rudentes incidit, propellitque singulas in sinum; erant enim sine custode. Inde per pontes prælatò signo Betulopedes horrendo clamore excurrunt ad domos, ubi Heklungos divertere noverunt. Multi ex iis occisi: plures effugerunt. In templum B. virginis delatus Rex; Ionem Hallkels filium offendit, suppliciterque vitam precanti cum duobus filiis Hallkele & Rogvaldo parcat. Inde Rex secundum plateas cum parte copiarum procedit, pars per pontes, mercatorias naves pariter ac bellicas ruptis vinculis in sinum trudent, navibus ab omni parte constratum. Ulfus per interiora platearum citato agmine proventus multos occidit, nemine resistente. Eiricus Holmam excensurus, quum clamorem ab Heklungis sublatum interpretatus esset, seqve indice proditum (novit enim, si colligendi spatium Magnus nactus esset, iis viribus esse: quibus Sverrir sine certa pernicie congregari non posset) nihilominus audacter urbem inventus ad cæmiterium templi Servatoris contendit. Rex Magnus in pergulis ædis constitutus est, cum primum clamorem ad ædem Servatoris excepit, cursuque per eas proventus miro saltu in cæmiterium desilientis, per Episcopi ædes supra paludem (Veisuna) supraque Koprem templumque Nicolai rapidè ferebatur, ubi accursu suorum sistebatur. Inde supra S. Olafi templum ab agminibus suorum excipitur. Hospitia urbis Betulopedes rimati non sunt, præ nimia festinatione ad palatium Regis. Eò Sverreri signò prælatò tendenti Eiricus cum suo signo occurrit, cumque se invicem non internoscerent, aliquanto sagittarum jactu se impetebant, spectabatque res ad intestinum prælium, ni error notitiâ subito correctus esset. Ambo itaque ad palatium conversi hostes impugnant, qui gladiis & lapidibus caminorum se haud exiguo spatio defendebant; multâ tamen suorum cæde. Sed cognitò, Regem Magnum abesse, omnibus vitam poscentibus Sverrir pepercit.

Archiepiscopus Eysteinus ad pontes Ionis cum nave suâ constitit: ejus satellites, audito periculo Regis Magni, in auxilium ejus singuli armati occurrebant. Verum occurru Betulopedum triginta suorum occisi repelluntur. In his etiam Archiepiscopi propinqui, Olafus Langius & Gudbrandus Thorbergi filius. In palatio Hallvardus Marardrap & Paulus Eirici filius de Uplandis cæsi sunt. Rex autem Magnus, postquam ad Sanctimonialium cænobium pervenit, jam auxiliis suorum auctus, exquiri consulumque videatur cum Betulopedibus congregari, quos haud frequentes esse

acceperit ? Omnes diffvadebant , quòd plurimi armis destituerentur , multi & vestibus , qui nudi lectis exhiissent : nec ipsi Regi tuba nec vexillum suppetebat. Ad sinum igitur Strandenfem conversi in Hardangriam fugam accelerabant ; ibi comparatis lembis in australia tetenderunt : qui verò seriùs urbe excefferant , per Alrekstadas ad sinum Ostrensem delati , Vorfâ , Sogniâ , Valdresfiâq; percurfis , in Vikam pervenerunt. Univerfa Magni classis , cimeliorum pretiosissima , corona , virga aurea , & omnibus apparatus consecrationis solennibus adhibitus , Sverrerri in prædam cessit ; satellites militesq; omnes magnis spoliis ditati.

Hoc eodem vere Archiepiscopus ex Anglia rediit , post triennii à sede Archiepiscopali exilium ; jam verò Regi Sverrerri reconciliatus sedi suæ restitutus est. Ioni Hallkelis filio filiisq; ejus potestas facta est , sive domum suam , sive ad Regem Magnum , redeundi. Magnum sequi placuit. Bis Sverrerri prius jurârunt , bis idem juramentum violârunt : nihilominus tertio juratum , veniaqve impetrata. Paulò post ad Magnum redierunt. Jofraskinna Sverreris satellitio inscribi expetivisse tradit , nec impetrâsse , ob duplicatum perjurium. Paulò post Sverrir Magnum in Vikam persecutus nec assequi potuit ; in Daniam enim patriâ extorris ad Regem Knutum , qui Valdemaro præcedenti anno mortuo successit , jam alterâ vice profugit. Ad Agdas Sverrir pervenit , cum Magni assequendi spe dejectus converso itinere Bergas rediit , præfectosq; per Hördiam & Rogiam ordinavit. Sognia Ivâri Dapio , seu Dasio , commissa. Ipse Rex in Thrandiam rediit , ibiq; hyemavit. In hunc annum Annales obitum Episcopi Stafangriensis Amundii referunt.

CAP. XXIX.

COLONI SOGNIÆ REGIS SVERRERIS PRÆFECTOS OCCIDUNT. REX NAVEM MARIUSUDAM ÆDIFICAT : EJUS ORATIO : IPSE A SOGNIENSIBUS PÆNAS EXIGIT.



Propetente festo Natalitiorum , præfecti Regis impensas in convivium exigebant , quod in urbe Lufakaupangro apparabant. His offensi rustici Sognidaleses & Eydyggenses , divesqve urbani , præcedaneâ festi vesperâ singulos cum suis cohortibus occiderunt ; Ivare Dasio vitam sibi turmisqve suis pacifico discessu neqvicquam licitante. Nomina eorum Arnthor de Hvalo , Isâcus Thorgilfis filius , cum Algeris presbyteri filijs , Gauto & Karlshofude. Pauci , qui cursu evaserunt , in Thrandiam delatitiam suorum Regi referebant , unâ cum insultatione Sognensium , qui se fures & latrones occidisse gloriabantur ,

Eadem æstate navis Mariusuda , quam supra urbem extrui curavit , perfecta , per phalangas in flumen trudebatur , sine ulla urbanarum ædium damno , quam nisi quibusdam domibus dirutis in amnem deduci posse multi diffidebant , in Regem navemqve eâ de causâ malè animati , malaqve ominati. Cum primum fabricam ejus orsi sunt , Rex in Mariam concesserat ; cum vero rediret , in novem tabulas ab utroqve latere exfuxerat : minorem quam destinaverat observans , incidi , carinamqve infertâ parte in duodecim ulnas extendi , naupego neqvicquam renitente ,
justit.

justit. Hinc commissuræ in alveo ordine recto ascendentes, eam infirmiore reddiderunt, adeo ut inter propellendum quædam rumpentur. Immissa jam navis undis erat; cum consistens in puppi Rex, Deo, inquit, Sanctæ virginis, & Sancto Olaso, gratias habemus, quod navis hæc incolumis sine ullius damno undis innatat, secus ac malevoli quidam sermone insulso, quod Deus iis condonet, disserebant. Paucis, credo, major alia aquis suspiri visa est. Certè si fortuna adsit, insigne regno præsidium. Virgini itaque Deiparæ eam dedico, deque ejus nomine Mariusudam appello, ejusque numen simplex veneror, ut ei vectoribusque ejus præsideat, fortunæque & felicitate utrosque remuneretur; clementerque & perpetuò conservet: ejusque auspiciò sacerdotes Archiepiscopo vestes, festis præcipuè solennibus gerendas, dono. Illas autem vestes hoc ordine divisit. Ecclesiæ beatæ Virginis humerale; monasterio Helgisetor cantorum togam (quantara Kapu) reliqua Sanctimonialium canobio ad Backam impertitus est. Mariusuda, quòd aucta, minus erat speciosa: sacris tamen monumentis proræ puppique inclusis munitior visa. Plures longæ naves eadem hyeme factæ, vel de novo restructæ: una Juvamen dicta, septem & viginti loculorum, Thiodolfo Rympili commissa, ejusque æmula alia, Prævitio appellata, directioni Ulfi de Laufnesia tradita.

Finito festo Paschatis, anno MCLXXXV. Rex Nidarosiâ classe viginti trium navium, inter quas plurimæ magnæ, solvit; comitibus Eirico fratre, Ulfo de Laufnesia, Ulfo Fly, vel Fley, Bardo Guttormi filio, Ivare Selkio, & Havardo Jarlis filio. Ipse Mariusudam vectoribus viginti supra trecentos direxit. Tres arcæ, singulæ à quatuor viris gestatæ, ingestæ, omnibus, quòd continerent, ignaris. Eiricus navem viginti quinque scalmorum Oskmeyam, seu exoptatam virginem, ducebat. In austrum pervectus in portu Steinavogo domesticum concilium convocavit; declaravitque, nihil sibi de Magno constare, nec subitum periculum ab eo expectandum; hortatus tamen suos, ut pacificè se gererent, seduloque omnia expiscarentur, observarentque vel minutissima, sibi que referrent, etiam quæ iis vilissima viderentur. In Hereyis iterato conventu idem eos monuit. Jam Stadas prætervectus, ventò carbasa acrius percutiente, navem prætoriam infirmiore observans, portum Ulfasundam ingreditur. Ibi cognitum, quid arcis illis majoribus conditum esset: clavos enim feruminandæ navi expediens in plures loculos divisit, reservari; jussit.

Ad sinum deinde Sognensem procedens, ibi satisfactionem pro occisis præfectis se exacturum profitetur. Ubi dum subsisteret, multi veniam Bergas proficiscendi ad necessaria negotia peragenda postulabant, facileque impetrabant ab eo, jam omnis periculi securò. Tres naves privatis negotiis peragendis datæ; quibus Petrus Porcus præficitur (quem Petrum Sœctin/ seu Puerum, Editio Danica malè vertit.) Viginti; deinde navibus sinum Sognensem intrat. Prima statio in portu Rusla; inde mittit in Soknadalum, qui cives ad conventum in Hvarfseya, aliis Hvamfseya, si secum pacisci velint, evocarent; quò cum eum accessissent, quindecim libris auri intra triduum solvendis pacem pacti sunt. Interea mobilibus omnibus pecudibusque; & armentis in montes abductis, omnem pensionem abnucebant.

Rex, postquam se delusum sentiebat, progressus ad confinium sinuum, Ulfum de Laufnesia & Thiodolfum Rympilem cum sex navibus ad diripiendam quæcunque occurrerent, domusque omnium incendendas, misit. Qui Lusakaupangrum provecti, raptis, quæ occurrerent, urbem hominibus vacuum incendunt. Rex quatuordecim navibus Norafjordum, seu sinum Noris, invectus, stationem ad Sognadalum capit, feriâ quinta hebdomadæ. Postero die mane copiis buccinâ convocatis, triente ad classis custodiam

diam è singulis navibus relicto; reliquos ad diripiendam provinciam agrosque urendos amandat; si tamen pacis consilia præfractè aspèrnerent. Templis in primis cautum, vitæ quoque civium, ni ab ipsis impeterentur. Colles silvasque vitare jubet, abditarum insidiarum feraces, agros ad unum exuri. Sublato signo ad mandata exequenda, cum multos ex iis, quibus navium custodia mandata erat, reliquis se immiscuisset Rex observaret, clara voce eos inhibuit, præfatus, *naves mininè deserendas; magno enim labore periculoque quæsitæ.* Cum nec sic quidem sistere posset, ipse in litus proventus, pontibus sublati, naves longius in portum produci auctoritate alligari fecit. Verum Betulopedes secundum vallem procedentes, neque incolas neque armenta in transitu deprehendunt; uno tantum hominè invento didicerunt indigenas penum omnem animantiaque totamque suppellestem domesticam secum in abdita montium solitudinesque devexisse. Postero igitur die, feriâ nimirum septimâ, sub ortum Solis in supremam villam ignem conjicientes signum reliquis, qui inferius processerunt, dabant; atque ita omnes villæ una post alteram communi incendio flagrârunt. Ultima omnium Steinn (aliis Stedia) urebatur; ubi longior morâ defendendo templo, quod incendium simul conceperat, insurpta est; velis enim madefactis flamma coercita. Ea verò miserabilis facies, cum incendio simul & fumo uno eodemque tempore implicatam viciniam domosque quisque suas in cineres redigi cives conspicerent. Centum hoc incendio deletæ sunt. Rex navibus inde deductis Hugastrandam petit, stativis loco, cui nomen *Føssreit* (seu *Storretti*) delectis.

CAP. XXX.

DE REGIS MAGNI REDITU, ET AD ULTIMAM PUGNAM APPARATU.



Ex Magnus post exactam in Dania hycmen Vikam petens, præmissis Kongahellam Asbiörnô Iônis filio, de adventu civis certiores facit. Is quartâ feriâ Paschatos accedens hortatur, ut quàm maximo honore eum excipiant; gratiam enim ejus omnibus expetentibus patere: jamque viribus Daniæ Regis instructum majorem quoque auxiliorum vim expectare, provinciarum orientalium proceribus plurimum quoque fiderè; iis namque, regnò recuperatò, ampliores præfecturas præmiâque quàm maxima decreta. Dominicâ proximâ viginti quatuor navibus ad urbem proventus processions solennibus excipitur, inque ædes Ragnhildis cujusdam matronæ primariæ deducitur, Satraparum præcipuis, comitatus: domestico concilio sæpius advocato disertè, & ut plurimum concisè, disseruit. Circiter tres hebdomadæ ibi extractæ sunt.

Inde discedens, duabus navibus Islandicis, Keipa & Vallabussa, in expeditionis societatem assumtis, Tunbergam adit, civibus provincialibusque undique confluentibus valde acceptus, quos concilio adhibitos hunc in modum alloquitur; *Nostræ quidem necessitas nimis vestris damnis & periculis notior est, quàm ut exponi indigeat. Ad eam sublevandam, aut (quod bene vertat) finiendam, semel adhuc mihi sollicitandi estis. Non equidem mirum, rerum mearum fastidio vos capi, cum expeditiones cladibus jam diu infamantur. Cum tamen in Regem hujus terræ unctus cororatusque sim, jurisjurandi religione teneor ad regnum civium auxiliò repetendum, etiam cum vitæ non solum periculo, sed & excidiò, si ita fata ferant. Patet quidem conditio tu-*

tior, si oblatas à cognato meo Rege Valdemaro provincias liberet excipere. Sed, ut dictum, sacramento prohibeor. Omnes velut uno ore faustis precibus & votis acclamantes, malle se, responderunt, eum, utpote justum Regem, sequi, eique commori, quam sacrificulo, omni ad regnum jure destituto, mancipari. Acceptâ deinde longâ navi, civibus urbanis egregiè instructâ, post quatuor dierum moram discessit, lentoque itinere, ventis obsistentibus, processum. Integra septimana in Unnareya & Lysta exacta. Inde cum recessissent, duos, interdum tres, dies in eodem portu detenti morabantur. Satellites Regis læti semper erant; ipse sedatior curas ad severiora convertit.

Biduum in Karmsunda detentus, rebus Sverreris per digressas ab aqvilone naves exploratis, Eylisum Arnii filium & Clementem de Graf-dalo Bergas speculatum mittit; qui reversi nunciant Betulopedes tribus navibus, duce Petro Parco, Bergis morari. Quò auditò, removeri tentoria jubet, remosque expediri; Betulopedes Bergis esse, computationes fortè celebraturos; iis eos pocillatoribus indigere. Hoc postquam audiverunt, remiges sublati velis, remis etiam annexi, vento transverso vela inflante, pluvio cælo prætoriam navem festinant. Barbatum Rex dirigebat, Ormus Skialdmeyam (Amazonem, vel clypeatam virginem) Nicolaus Kufungus Eikifudam, viginti scalmorum, ab Archiepiscopo prius donatam. Munanus Gauti filius Rangiferum. Emisarii Fleyem magnam; navis erat orientalis. Navis Munani malum, invalescente vento, fractum in nautarum unum incidit, eumque peremit. Aurâ deinde increbrescente, Thoraldus Thrymus in prora salò obrutus, anterioribus navis vectoribus videri lentitis navigandum dixit. Ad quam vocem Rex exsurgens; Nescio, inquit, focum in prora suscitandum. Navigationemq; intendi ju-sit.

Feriâ quintâ inter horam primam & secundam pomeridianam pontibus advecti profinus in urbem excurrerant. Ad eorum tam inopinatum adventum exterriti Betulopedes alii arma raptim capiebant, alii sine armis, omnes quotquot vivi urbe in montem evaserunt, qui radiis solis è clypeis retortis illustratus flammæ speciem præbebat. Circiter triginta in urbe & supra eam occisi vestibus quoq; nudabantur. Neminem ante reditum suum Rex sepeliri permisit, canibus & corvis exponendos.

Lituò deinde civibus ad comitia convocatis, breviter de eorum in se benevolentia differens, nihil de eorum in se studiis, tot experimentis probatis, dubitare ait; semper ab iis summo honore cultum: nec aliud sibi, dum quietè frui licuit, quam apud eos domicilium: ibi plurimos propinquorum suorum, ibi sodales uno secum nutritatu convictuque educatos: jam sibi primum Sverrerem copiamque congregandi querendam; rediturum cum pace, & communi omnium mutuoque gaudiò & lætitiâ Grata Bergensibus ista oratio fuit; Deosq; & Divos omnes precabantur, ut illi faustum iter felixque pugna. & matura ex hostibus victoria esset, & quemadmodum nunc solliciti eum pro-querentur, ita paucos post dies lætis ovanti victoriâ obviam ire liceret. Jamque Rex ad naves reversus, eodem vespere omni classe; præter emisariorum navem, urbe exiens, totam noctem segniter tamen navigabat. Sed cornicum tanta multitudo, quanta nunquam antea visa, omnes Regiæ navis rudentes restesque plebat, admirationi fuit.

In transcurso ad sinum Sognensem deflectens, agnitus incolis, multorum scaphas expedientium accursu excipitur: qui adire, gratulari, lætitiæ signa ostentare non contenti, insuper pugnae cum illo societatem de-poserant. Hi lætis eum nunciis animabant, paucis navibus in Noraf-ordo Sverrerem excubare, maximam partem copiarum & promptissimum quemque ad latrocinia & incendia amandasse. Hac famâ in spem

rei bene gerendæ erecti omnes clamitabant; constitutum jam Deo scele-
raturum collegium illud, quod tot mala Norvegiæ intulerit, radicitus extir-
pare. Clarus inter cæteros Ivar Elda in Syrtranda habitavit. Hic inter-
prandendum, visa Magni navigatione, ocyus exurgens ad classem tendit,
mutuâ benevolentia susceptus, inque Regiam navem receptus deinde se-
cutus est. Ad confinia deinde sinuum erecti, Norafiordum ingrediuntur.

Interea Sverrir, die nimirum Veneris, exusto Sokndalo, ad Huga-
strandam loco Fiorteita, vel Fossreyko, statione habitâ, ad horam tertiam
pomeridianam merendam capiebat, duodecim tantum navibus instructus.
Duæ in Sokndalo remanebant. Mox observat excubitores, de multarum
navium adventu narrantes, interdum sex aut septem, & cum sparsius
procederent, decem vel duodecim apparebant; alii lembos Sognensium
Bergis redientes affirmabant, alii vela longarum navium videri conten-
debant. His auditis Rex eò accedit, multis comitatus: post horulam re-
spondit, hostes adesse, convocatisque classico militibus; *Hic, inquit, Ma-
gnus nobis, sed imparatis, imminet, & quidem dispersâ nostrâ classe; alii
enim Bergas (quò fatò, Deus nôrit) profecti sunt; alii urendo Kaupangro oc-
cupantur. Sæpe quidem Magno minoribus viribus congressi sumus; jam ve-
rò tanto, quanto nunquam antea, discrimine pugnandum est. Consulendum
itaque, fuga-ne amissarum navium jacturâ, an pugna placeat. Certè hic ap-
ud iratos Sognenses nullum receptaculum; persequuntur ipsi nos, persequetur
Magnus, persequuntur singularum provinciarum cives, nec usquam nobis tu-
tum, nec in posterum recuperandarum navium ulla spes; magni certè nobis
hæc constiterunt. Ne verò vos in tantum periculum inducam; si omnino resi-
sti posse dissitemini, vestra mihi quoque sententia audienda. Omnes, quor-
um tenderet, animadvertentes, alacriter simul certamen posebant; ne-
gantes se omnibus inexpertis fugituros eos, quos toties minori manu fu-
dissent. Tum Sverrir; *Electio hæc ex animi mei sententia processit. Viros
vos præstate, & hõc fortius rem gerite, quòd prædico vobis; jam vos Regem
Hele (Mortam intelligit) tradituros.* Ambigua vox; suspectos eos tenuit,
quemnam Regem intelligeret. Mox tentoria removeri jubet, classem-
que litori admoveri, singulos singulis remis in qualibet nave assidere, &
in quovis dimidio loculo unum; alios scaphis lapides inferre: reliquos mu-
niendis navibus adhibet, qui clavis, quos Nidarosia detulerat, orbes pel-
liceos intra latera passim figunt, quibus baculos vel pedamenta ingerunt,
loricis sustentandis idonea. Mox lembum in Sokndalum mittit ad loci-
cunt. Rex, ut litora petant, innuit; ibi enim expectandum; deinde in
terram exspatiatus ad rivulum quendam malluvium sibi porrigi jussit, quò
manus ablueret, deinde vestes, nigras enim induit, erinaceo poliri, tan-
quam ad convivium iturus. Procedens deinde in rupem, ad quam naves
stabant, puppim manu premit; ministri verò manum retractabant, ne
noviter illitâ pice macularentur; naves autem colligari vetuit, quòd al-
tiores essent, peritoque & strenuo milite defenderentur. Hortatus dein-
de adalacritatem, aut eis vincendum aut moriendum esse pronunciat, fu-
gam et supplicationem pariter noxias: utque se adversus tela hostium
protegam, nec sua temerè ejiciant, sedulo monet. Erectis deinde signis
mittit lembum ad speculandum, quousque Magnus pervenerit; parvo e-
nim promontorio prospectus interceptiebatur. Hic confestim reverfus
nunciat, portum jam à classe ejus invadi. Tum Rex omnes naves multo
clamore in occursum ejus dirigit. Thordus Finngæiris frater Mariusudam
gubernabat. Magnus vero ingressus sinum, cum exiguo intervallo à Be-
tulo.*

tulopedibus dirimeretur, depositis velis, naves confertim admovet; cumque omnes loricati in procinctu starent; mercatorias magnas inter se & Ormum inferi jubet, quod essent remigio inhabiles, singulasque connecti iussit, non dissolvendas, prius quam bellum finitum; idque ut finiret, Deum orandum, seque id animo praesagire. Quinquennem Regem creatum, octennem consecratum ab legato Pontificis Romani, Archiepiscopo Eysteind, & omnibus Episcopis, tunc quidem puerum, ludis puerilibus aptiorem, quam Principum confessi, nec se ambitu imperium consecutum; octo & viginti annos vixisse; omnes laboriosos, postremos tamen octo magno suo regnique & totius populi damno. Fide & constantia populi procerumque, rebus quantumvis afflictis, quam Deus remunerari velit; sibi tantum gloriam dum. Non adhortationibus opus esse, cum sua communisque necessitas omnibus constet, nec jam occasionem desse; quocumque enim appulerit, autum se accursu civium & auxiliariis nem viribusque abundare. Sverreris dispersas reliquias, quae hic essent, excopis quidem illas, jam sinu inclusas obsessas teneri. Ad ultimum sermone ad Deum converso, orabat, istum finem bello, quod jam gereretur, daret, ut populo pax & securitas rediret; vel se vivum, vel mortuum.

His precibus ad Deum ab omnibus subclamatum. Jam quoque Ormus consultuit, minores naves primo aggrediendas. Vix magnam illam navem vinci posse, supplementis ex reliquis affluentibus, Rex, illa devicta omnes devictas videri, respondit; praevaluitque ejus imperium.

Connexae tunc quatuor haves, Regiaque Magni australi litori proxima stetit. Asbiornus Ionis filius, navem suam lateri navigii Ormi admovens; his verbis eos hortatus est: Affulsit tandem ista dies, quam longo desiderio multis suspiriis requisivimus. Jam enim ovium more septis inclusos tenemus Betulopedes; fallit enim jam, cui fidem addidit Sverrir, ipse Diabolus, more quo amicos suos tractare solet, progressus ad tempus donando, in fine vite decipiendo; expertus jam consilii, quod se vertat, nescit. Petrum Porcum Bergas malo suo misit; pessimos demonum emissarios in Sogniam, & qui plurimum malorum auctor est, Ulsum circumforanei filium amandavit; unum scelus deerat, quod ceteris adiecit, Christianorum hominum sedes exussit; id quod jam vindicabimus; duo vel tres nostrum unum Betulopedum aggredientur, magnis ictibus obversos feriemus, sine discrimine quem collineet; neque enim lupi aut aquilae curant, quam scite sibi cibus apponatur. Anima eorum Sokudalensibus cura sint. Omnium laude haec oratio celebrata est. Jamque naves quatuor aut quinque in unum collectae, simul omnes ad australe sinus latus ferebantur. Magnus bicolorem tunicam, albo rubroque bipartito distinctam, gerebat; gladiumque, quem piscis spinam appellabat, miri acuminis. Magnus quoque Mangius, Eirici Slagbrelleris filius, colore vestis Regem emulabatur.

CAP. XXXI.

DE ORDINE PUGNAE, REGIS MAGNICAE, ET CUM EO CAESORUM NUMERO.



Xtemplo classis Magni ingenti impetu inventa a Mariusudâ, quae mole sua tardior non nisi longo flexu obverti oppugnantibus potuit, excipitur; & quidem Regiae Magni prora in locum sentinae anteriorem, aliis ordine succedentibus circumstantibusque, producitur; mare vero in circuitu tanquam immerso imbre tranquillo caelo decedente, jactu telorum

lorum turbatum apparuit; quod tamen modico tempore, jaculis cessantibus, teuit: sed clypeis vulnera magnam partem vitata sunt, Betulopedibus impetum Heklungorum tantum sustinentibus, non item regerentibus. Sed nec naves eorum satis scite in principio pugnae in ordinem digestae sunt. Mariusudâ inter litus & Magni navem inclusâ. Rex igitur Sverrick uno comite cymbâ ad navem fratris sui Eirici delatus, increpat eum, quod imperite nimisque timide navem eduxerit, jubetque, ut omnia praeoria minores aggrediatur; ipse reliquas naves intermeans confirmat suos, nutantes erigit, & quid potissimum conducatur, monstrat. His excitati, navibus longius productis pugnam instaurant, premuntque adversarios, vicissimque premuntur; nec erat teli genus, quod non ab utraque parte in usum cesserit. Dum Rex Sverrick navem suam repeteret, jaculo petitur; quod in puppim incidit; mox altero ante genua decedente, ipse ad utrumque ignotus, nullum in tanto periculo metus indicium praebuit; ad quod remex ejus velut attonitus; *jactus*, ait, *periculosus, domine. Propius tamen collineabit*, respondit, *cum Deo ita visum fuerit*. Verum cum in Mariusudam densa telorum grandine aditu prohiberetur, ad litus reflexorumque magnam congeriem ad Mariusudam advexit, à loco *Syritrumi*, quod à prora secundum, ad posterius *Austrum*, seu locum sentinae posteriorem; qui verò in prorae proximis interscalmiis stabant, utpote impetu Heklungorum potissimum obnoxii, telorum ictibus obruebantur, additò ludibriò: *dignum esse, ut anterioris loculi propugnatores multum tunicasque pretiosas hoc labore Regi suo rependerent*; qui verò à dextro latere erant, hortatu eorum, qui puppim insidebant, Mariusudam remis ulterius promovebant, ita ut Barbatus, praeoria Regis Magni, locum tantum sentinae posteriorem attingeret; quò levatis ex parte puppis infessoribus, pugna ad eos, qui à sinistro latere, & sentinae posterioris interscalmii defensores, concessit: decem enim & tribus navibus istud latus imperebatur, vectoresque *jactu sagittarum, gæforum, durisque cotibus, Skidiâ (hodie Stein)* avertis, ut & baculis ferro praefixis, undique urgebantur, sed majore interstitio, quam ut cominus congredi possent. Hâc procellâ instante, Betulopedibus, cum obniti nequirent, sola defendendi copia relicta est; sed nec ea innoxia, cum armis lapidibusque penè omnes ad vulnera, multi etiam ad necem, verberarentur; multi quoque parum aut omnino non faucii solâ lassitudine exspirabant. Exscensum autem in navem Regiam id maxime impediabat, quod per editiora proram puppimque scandendum erat, qui junctis lateribus facilius processisset.

Interea Eiricus Regis frater suis quatuordecim navibus, quæ nullis vinculis connectebantur, tredecim illas naves, quæ Mariusudam non obsidebant, classisque Magni minimæ erant, sumâ vi adoritur. Resistant Heklungi pari, ut impetebantur, promptitudine; diuque ancipiti Marte pugnatum est, ut quò se victoria inclinaret, discerni nequiret. Accessit quòd Sognenses, cimbis frequentibus in circuitu excubantes, tela in Betulopedes vibrarent. Tandem Eiricus extremæ eorum navi, quæ invicem vincitæ erant, suam lateribus multò altiore admovit. Atque ita prælium, magis ex discrimine navium quam pugnatorum, geri cepit; tum enim post longam aëremque dimicationem cædes in Heklungos versa; quorum alii occubuerunt, alii interjectas interscalmii sedes deseriebant. Quâ vastatione animadversa, Eiricus exscensum molitur, Benedictò vexillum praeferente, qui primus omnium, proretris sequentibus, ascenderat, sed defensorum mirâ alacritate exceptus occisusque. Reliqui nave repulsi. Alii igitur

tur vice ipse Eiricus, paucis sequentibus, eandem navem, insiliens vexillo eorum potitur, omnibus in fugam versis, navemque proximam compulsis, eò quoque infesto milite horrendo clamore provectus trepidis instabat; qui relato secum ad eos, quos accesserant, terrore, minore quam antea conamine resistentes suæ quoque fugæ implicatos in proximam sibi navem compulerunt. Hoc ordine unâ post aliam vastatâ, Eiricus clangore tubarum, clamoremque militum, strictis gladiis insequens, occisis quotquot assequi poterat, turbam longè maximam in majores naves compulit. Quò visò, qui in Regiâ Magni nave, quæ proxima litori erat, in undas insilientes præsentem necem periculò mortis permutarunt; quatuor reliquæ naves, Ormi nimirum, Asbiorni, & quæ emissarios vehebat, mole accurrentium oppressæ undis cum singulis vectoribus absorbebantur.

Interea Sverrir è continente singula conspicit: expansiatusque ad cymbam, comite Petro Roji, Episcopi filio, lembum quendam litus accedentem animadvertit. Eos igitur inclamans: *Redite*, inquit, *ad naves, nonne videtis eos fugere?* Parent ipsi, naviculæque conversâ fugam cernentes citatis remis sinu exeunt. Quò observato, Petrus à Rege quærit, *an & eos novisset?* Ille, *quicumque demum fuissent, hoc modo avertendos.* Inde navem prætoriam repetens, in puppi victoriâ ovans Deo ante omnia cantando in ejus laudem cum omnibus suis *Kyrieëleis* gratias perfolvit. Rex autem Magnus in undas præceps ruens cum univervis vectoribus absorptus periiit. Betulopedes, litore conscenso, accessu fugientes prohibebant; hinc pauci enaverant, alii verò cymbis insidentes natantes occiderunt: paucis parciunt. In omnes tamen Sverrir, qui ipsum adire poterant, clementem se exhibuit. Satrapæ quoque amicis suis & cognatis pepercerunt.

Hòc præliò cum Magno ceciderunt, Haraldus Regis Ingii filius, Magnus Mangius Eirici Slagbrelleris filius, Comitis Orcadensis S. Rognvaldi Lagii exilia nepos, Ormus Regis frater, Asbiornus Ionis filius, Rognvaldus Ionis Halkelis filii filius, Paulus Smattauga, Lodinus de Manvika, Olafus Grimaldi filius, Endridius Thorfus Ionis Kutizæ filius, Ivar Ellada, Vilhelmus de Torgis Andræ filius, Eiricus Gudbrandi Kulæ filius, Magni Regis propinquus, Ketill Laurentii filius, Ketill Fluga. His addit *Editio Danica* Ionem Gauti filium. Plurium existimatione mille octingenti (id est centum sexaginta supra duo millia) cæsi sunt. Ipso festi Viti & Modesti vespere prælium, occidente sole fuga capit, medio noctis cædes peractæ, navesque Betulopedum in stationes reductæ tentoriis velabantur. Hujus anni calculum dies quoque Dominica ejus anni, qui literâ G. notabilis, festum in diem Veneris incidisse indicat.

CAP. XXXII.

DE REGIS MAGNI EXSEQVIIS & ELOGIO.



Ostridie primo mane Rex frequenti domesticorum conventu exsurgens; Deo, inquit, *soli victoriam* hanc nos debere agnoscimus; *cujus æternæ providentiæ beneficiò, si unquam aliàs, certè superioribus annis, & hoc, quem jam spectamus, rerum eventu abundè monstratum est, quam infirma adversus vim superam præsidia humana sint.* Grato ergò animò tanta nobis clementia recolenda, moresque & studia ad Divinæ legis præscripta formanda, iis operando, quæ Numini grata acceptaque novimus; fidem deditis, clementiam deprecantibus, medicinam sauciis, sepulturam mortuis, Christia-

no more prestabimus; quorum ut cadavera conquiratis, magis impero quam permitto; rem gratam Deo, vobis quoque quaestuosam. Neminem enim eorum ere vacuum inuenietis, quosdam etiam graves. Imperium certe regni hujus ad nos sine exceptione rediit, quod ut pacifice justique & pie exerceamus, sumperi postulant, subditorum quoque, tot jam cladibus, rapinis, injuriis fessorum necessitas requirit. Vobis autem, commilitones, qui tot in me fidei vestre industriaeque, & in omnibus periculis inuicti animi documenta dedistis, gratias ago; remunerabitur ea Deus; remunerabor & ego muneribus, quantis possum, maximis: nam in opes, agros, fundos, juraque & possessiones omnes arearum istarum cervicium, quae hic ad litora fluitant, succedatis; feminas insuper locupletissimas nobilissimasque nuptiis nobis jungam, honorum quoque gradus & officia, quae volueritis, impetrabitis. Haec omnia hoc bello cum lucrati sitis, insuper tamen ea, quibus abundastis antea, majori auctu acquisivistis, plurimorum nempe invidiam, quae animo firmo & gravi vobis frangenda est, aequae invidis cavendum. Et certe nobis Deus optime cavebit.

Magnam omnium gratiam hac oratione Rex consecutus, classem ad interiora deduci curavit, ibique statui, ubi a fatore cadaverum tuti essent. Ibi aliquantisper subsistens, Sokndali Kaupangriq; cives se accedentes, veniamque humiliter deprecantes, clementer admisit; qui statim in obsequium jurantes, nihil, quod imperabatur, abnuebant, manumque, ut dicitur, quam nuper carpotenus abscissam cupiebant, humiliter exosculabantur: iis aliisque rusticis cadaverum ad sepulchra deferendorum cura mandata, permissumque singulis, apparatus funebrem amicis & propinquis pro arbitrio suo praestare. Singulis igitur diebus corpora mortuorum tam a militibus quam civibus urbanis & agrestibus investigata: inventumque die quodam Ormi Regis fratris corpus, Bergasque primo tractum, traditumque Vikensibus, a quo iis Osleyam delatum, illatumque parietati aedis S. Hallvardi, juxta fratrem Inguium Sigurdumque Hierosolymipetam.

Dominicam proximam, sero vespere, dum naviculis cadavera quarent, Liotumque Haraldii filium, comitibus Arnio Gudmund filio & Ione Kollo, corpus quoddam extrahentem, cum Rex lembo intervectus conspiceret, protinus interfatus; pretiosum, ait, jam lateri navis cimelium admoveatis, haud parva vestrum fortuna: nam hoc corpus est Magni Regis. Exceptumque clypeo, lembo Regis impositum, adque terram delatum, omnibus promiscue inspiciendum exponitur, facile cognitu, genis adhuc roseis, nec vultu mutato, nec rigescente cadavere: quod mirum. Die lunae capulum conficitur; cui antequam imponeretur, aut linteis involveretur, omnes, qui ei prius serviebant, accedere jussi, ad testimonium mortis ejus confirmandum, si forte Vikenses alio in ejus locum substituto novas rebellium turbas excitarent. Accesserunt quidem omnes, inspexeruntque corpus exanime, sicci tamen oculis nemo; quidam etiam osculati abcesserunt. Fasciis deinde sepulchralibus involutum, arcæque funebri illarum, Bergas proficiscenti Regi praemittitur. Ante profectionem indictæ prius quindecim illæ libræ auri, a Sokndalensibus tantis damnis pacatis exactæ. Præmissus quoque Petrus Porcus, qui nave splendido apparatu continuus clypeis inter extrema exornatâ, Bergas, die, qui victoriam sequebatur, Saturni decessus, statione ad palatium Regium captâ, oculos civitatis in se convertit; multis Regem Magnum rediisse existimantibus. Ut verò litui sonô ad forum autoritate Petri se evocari cognoscunt, comparent quidem universi, avidi cognoscendi quæ afferrentur.

Tum Petrus in concione surgens, hac oratione, quæ gesta erant, exposuit. Quod rusticus olim, vos quoque in praesens haud immerito quæramini,

mini: nimirum sepe in uno eodemque agro unum eundemque porcum conspici: nam & ego Petrus Porcus vocor, nec ita pridem vestro agro ignominiose porcorum in morem unâ cum sociis expulsus; nunc autem redux hauri parum novi assero, eadem nimirum Regis Magni, Haraldî Regis Ingii filii, Ormi Regis fratris, Asbiorni Ionis filii, multorumque Satraparum; Regis præterea Sværreris, cum primò Sogniâ proficiscitur, celerem ad vos adventum, quem ut digno honore exornetis, postulat. Sed unde tante in vobis tristitiæ signa? alii enim capita vultusque demittunt, alii vestibus velant, nec medicus fidius aliàs catum univèrsam tanta sui ludibria præbentem observavi; ringimini, singultate, flete, plangite, lamentamini; non tamen efficietis, quin Magnus cum omni suo exercitu mortuus sit, nec excitabitis mortuos. Præstiterit impensas in sepulturas, campanas & cantus, pro animabus eorum, inque flammis ad missas, & pauperes ad orationes pro eis fundendas, facere, neque enim Sværrerem lacrymis deinceps regiò pelletis; Principes enim potentissimos fudit. Quid vos facietis, croes urbani, mercatores, genus hominum meticulosissimum? Timet hic opibus, ille vitæ, hunc tempestates caligæ status & pluvie excruciant. Prudens itaque consilium & necessarium vobis dabo, haudquæquam aspernandum. Mittite Regem Magnum, proque suis meritis vadere permittite; recipite Sværrerem Regem tot experimentis vobis cælitus missum; en habetis Principem sapientem, disertum, clementem, justum, pacificum, belli pacisque artium juxta peritum, utorem regni trivictum, hostium victorem perpetuum. Absit jam ille Sværrir, qui urbes exspoliavit; absunt illi Beulopedes, qui sparsi per domos ædificiaque thesauros vestros opesque diripiebant. Aderit clemens dominus cum miti satellitio, quod urbem vestram omnesque totius regionis provincias proteget, opesque & salutem omnium custodiâ suâ servabit; fraudibus itaque, dolis & proditiõibus abstinentes, fidem, obsequia, servitiaque Regi vestro præstate, proditores singulos, quibus venia nondum impetrata, sub adventum ejus urbe expellite: cateroquin is sedulo cavendum ab apparitoribus, qui talium oculos longâ inspectione non dignantur; nec arma eorum gentilitiorum stemmatum rationem habent. Omnibus tamen Rex pacem pactionemque offert, modo expetant, ideoque eum Deus, Sanctique ejus pace eternâ, exacto hoc caduce vitæ curriculo, beabunt. His Petrus animos civium in adventum Regis ad obsequium honoremque ei deferendû præparabat, quem deinde secundo ventò sequentem, speciemque majoris exercitus, quàm habebat, ostentantem, omnes ordines, campanis personantibus, obviam effusi, pompâ magnificâ exceperunt. Situs est Magnus in basilica Christi (in qua coronatus erat) ante sacrarium murumque lapideum australem, ut refert author, habitum fani suo tempore describens; cuius exequias ipse Rex Sværrir suâ præsentia honestavit. Aderat & Episc. Paulus, totaque plebs urbana. Prius v. quàm monumento inferretur, inspectores funeris jussu Regis publicè advocati, ne postea eundem Magnum cum eo dimicare quis diceret. Multi accedentes effusis lacrimis discessere; unus ejus emissarium flens funus quoque osculabatur; quod observans Sværrir, saltem fidem se difficulter obligaturum questus est. Orationibus deinde funebribus apparatus, in primis Nicolai Sultani, Regis Sværreris avunculi, viri diserti & eloquentis; ipse quoque Rex prolixè argutèque differens ita oratus est: Funus hodie celebramus Principis, qui subditis suis clemens, mitis, ideoque acceptissimus erat, licet fati obstantibus nexus sanguinis nos conciliare nequiverit. Mibi certè meisque immissis erat & intractabilis, id quod ei Deus jam inter cetera, que in nos iniquè commisit, condonet; multa tamen Principe digna decora eum commendabant, in primis regia præsapia. Multa deinde in laudem ejus copiose (erat enim eloquentiâ singulari) commemorabat, quæ non minorè moderationis & clementiæ famam ipse

ipse sibi comparabat: Sepulchrum quoq; magnâ curâ ornatum, clathrisq; aulæis pretiosis instratis inclusum. Vixit aſios circiter 28, Princeps miris ſuorum ſtudiis cultus, Vikensib⁹ tamen præ cæteris accept⁹, quorum ingens in eum amor fideſq; vel inde patet, quòd poſt frequentes graviffimasq; ſuorum clades, nunquam tamen eum ſequi pigebat; nec e⁹ morte idem affect⁹ in eos, qui ſe illo ſatos profitebantur, elangvit. Auxerunt hunc affectum naturæ ingeni⁹q; dotes, pietas in Deum, morum ſvavitas, facilitas erga plebē, hilaritas, ludendi, potandi, fæminisq; converſandi conſuetudo, æqualibus accepta, liberalitas profuſa, vox pura, robur ingens, agilitas omnib⁹ promptior, mira in præliis audacia, veſtis habitus ornatiffim⁹, nec eodem ſemper ſtans talo; ſtatura procerâ decenſq;, & ad craſſitiem proportionata, niſi quòd membra concia & decora facieq; venuſtatem oris aliquantulo deformior habit⁹ non aſſequebatur. Hoc modò De⁹ longâ Magni afflictione, tandem etiam interneſione, ſanguinem regium per Erlingum temerè effuſum Sverroris operâ ult⁹ eſt, collapſamq; & tantum non extirpatam regiam per mares deſcendētem progeniem ex hoc ſurculo renacſi, ulteriuſq; propagari fecit; & vel odio perjurii Haraldi Gillii proſapia regie jam fundit⁹ deletæ, aliam ab ignobili hac radice ſuſcitata ſubſtituit, ad ignominiam Regis gentisq; qui majeſtatem divinam contempſerunt. Sed ne ſic quidem populi crimen expiatum eſt, nec tot afflictionibus iræ Divinæ, aliis atq; aliis ſubnacſentibus ſcleribus, ulteriuſ concitata ſatiſfactum; multæ enim calamitates gen-
tem per annos deinceps quâdraginta exercuerunt; de quibus operis huius parte ſeqvente dicendum.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM
PARTIS TERTIÆ
FINIS.



INDEX

Nominum & Rerum memorabilium

IN TOMO III.

A.

- A**bsalon Archiepiscopus infidias à Rege Knuto Magni filio structas effugit. 553.
- A**kus, Regis Sveni Alfisæ filii villicus, ob detentum pauperis ursum Regi destinatum, punitur. 330.
- A**lexandri II. Pont. Rom. cum Cado Parmensi bellum. 363.
- A**lfisa, Regis Sveni mater, ad gravamina consivendo Norvegorum odia in se concitat. 215. 223. an genere Norvega fuerit? 222.
- A**lfus Hrodus Satrapa nobilis cum universo satellitio ab Erlingo Skackio occisus. 569.
- A**ndreas Brunii fil. Pastor Konghelensis 504. ejus ad populum de visis prodigiis admonitio. ibid: in barbaros Vandalos, urbe potitos, liberalitas. 506.
- A**ngli à Danis infestantur. 27. 214. 384. illorum Principes Orientis Imperatorem Alexium Comnenum obsidione barbarorum liberant. 386. novas sedes, Angliam à se dictas, qværun & inveniunt. ibid.
- A**qua dulcis serpentis sitientis indicio inventa. 367.
- A**rnaldus primus Grönlandiæ Episcopus à Sigurdo Hierosolymipeta constitutus, & ab Aschere Archiepiscopo ordinatus. 478.
- A**rnliotus Gellina, latro, Thoroddo Snorii filio ad tributa repetenda in Jamptram misso & neci destinato fert auxilium. 240.
- A**rnor Comitum Poeta. 66. Haralldum Strenuum & Magnum Bonum dissidentes utrumq; carmine celebrat. 278. Haralldi de iis carminibus judicium. ibid.
- A**rnvidus Olafi Sveciæ Regis legatus ad seditionem reprimendam. 95. ejus insignis prudentia. ibid: seqv: Asbiorn Eidinarum Comes. 388. 397.
- A**sbiornus Sigurdi filius 113. ejus genus & magnificentia. ibid. mercium jactura. 115. Augvaldsnesiam profectus Thorerem Selum ante mensam Regiam occidit, inde Selicida dictus. 116. capitur. ibid: ab avunculo Erlingo Skialgo liberatur. 118. in ultionem Thoreris occiditur. 122. illius cædes à Thore Hundo vindicata. 127.
- A**sbiornus Generosus Danus. 7. ejus cum Brusio confictus. ibid. mors crudelissima, & usqve in mortem fortitudo. 8.
- A**scalon civitas Palæstina à Sigurdo Hierosolymipeta visitata. 453. 455.
- A**scher primus Lundensis Archiepiscopus. 448. primum Gronlandiæ Episcopum ordinat. 478. is quando mortuus. 523.
- A**sgautus Armannus Olafi Skautkonungi Sveciæ Regis in Norvegiam ad tributa postulanda legatus. 60. occiditur. 61.
- A**slakus Fitiaskallius. 112. propinquum suum Erlingum Skialgum accusat. ibid. eundem, ad fidem Regis confugientem, invitò Rege occidit. 178.
- A**slakus, Erlingi de Jadria fil. in Daniam ad Regem Knutum fugit. 129.
- A**slakus de Torgis filium Heminguma occultè educari curat. 365. ideò iram Regis Haralldi Strenui incurrit. 366. ad filium accessendum à Rege adigitur. ibid:
- A**smundus Hærulangus, Gretteris Robusti pater. 49. in illum filii Gretteris petulantia. 50.

INDEX

Asmundi Grankelis filii cum Hareco de Thiotta controversia, iudiciò S. Olafi diremta. 137.
 Audun pauper Islandus ursum Gröndandum Regi Daniæ offerendum emit. 329. Haralldi Strenui Norvegiæ Regis erga illum mansuetudo. 350. Sveni Regis in eum insignis liberalitas. 331.
 Augmundus Malus, Berferkus. 51. à Grette Robusto unà cum fratre Thorere Thömb occiditur. 52
 Augmundi Skoptini in Regem suum fides. 438
 Aulver de Eggis, idololatriæ Thrandorum antesignanus 103. ad Regē S. Olafum civium nomine orator proficiscitur. ibid: Iussu Regis occiditur 104.
 Aunundus Sveciæ Rex Gothiam invadit. 129.
 Aunundus Simonis fil. prælio victus in Daniam Gothiamq; fugit 565.
 Aurnolfus Skerpa victus in Dania & Gothia se sustentat 565.

B.

Bahusensis præfectura in Norvegia ranarikia olim dicta 65.
 Balgardense latus 26.
 Bergæ Norvegiæ urbs aucta 388.
 Berferki in Hamarsfeya à Grette Robusto occisi 52.
 Betulopedum factionis in Norvegia ortus 579. eorum mores & vivendi ratio ibid: Betulopedes unde dicti ibid: eorum in Vikam incurfiones, & augmentum 580.
 Biarnvardus Bokviffi, sive Literatus. 207. 313.
 Biörnus Halogensis ursum infectatus fugit 54. Gretterem Robustum lubrio habet. ibid: ab eo in contumeliæ vindictam occiditur 56.
 Bjornus Hítaldensium athleta 66. e jus cum Thordo Kolbeini fil. controversia à S. Olafò diremta 67.
 Bjornus Stallarius in Gothiam ad Comitē Rognvaldum à S. Olafò ablegatus 70. pecuniâ sollicitatus ad Knutum Daniæ Regem deficit. 184 pœnitentiâ ductus veniam & pacē ab Olafò impetrat. ibid:

Birka, Sveciæ oppidum, à S. Olafò vastatum 25.
 Bodvar Elldjarn certamen urinatorium cum Heringo Aslaci filio detrectat 368.
 Brandus Örvius, ejusqve munera Haralldo Strenuo Regidata 338.
 Bretlandia eadem quæ Cornavia 422.
 Brusius Orcadum Comes 98. in Norvegiam profectus, in clientelam S. Olafi concedit 105. duabus Orcadum partibus ab eo præficitur 108.
 Bryniolfi Ulfalldi pro S. Olafò oratio 65.

C.

Cadali Parmensis cum Papa Romano Alexandro II. prælium 363.
 Calix Skalholtinus quondam maximus, Reginæ Magni Cæci donum. 503.
 Calmariana profectio. 479.
 Calor immanis Vandalos, ethnicos templò Konghellenfi exulto, pervadit. 507.
 Canonicæ leges. vid. leges.
 Cantuaria urbs à S. Olafò exulta 28.
 Canutus. vid. Knutus.
 Carolus Svercheris filius patri in Gothia succedit. 547.
 Carolus Sveciæ Rex. 547. 560.
 Carolus Mærskius, & Carolus Halogensis. vid. Karl.
 Castrum Haralldi Kefiæ Roschildiæ fractum 479.
 Christophorus Valdemari Primi filius naturalis 575.
 Colubraria insula 450.
 Constantinus Monomachus Imperator 268.
 Conradi Imperatoris mors 549.
 Cornavia Bretlandia olim dicta 422.
 Crucis Domini particula Sigurdo Hierosolymipetæ à Patriarcha Hierosolymitano donata, & in Norvegiam translata 454.

D.

Danica lingua exteris Principibus olim in usu 437.
 Danorum in Anglia cum Rege Ethelredo confliktus 27. illorum in An-

Anglia varia gesta 214. adversus
Knutum Lavardum seditio 387. 393
Dromundus. vid. Thorsteinus Dro-
mundus.
Dyrdill. vid. Thorkell Dyrdill.

E.

Edmundus Ferreum latus Angliæ
Rex. 30. ejus cum Knuto Da-
niæ rege prælium 37. ejus mors.
28. Eirici Strionæ proditione
occumbit. ibid:
Eigiljs Borgundarholmi præfecti in
mercatores ferocitas detegitur. 392
vitâ multatur 392.
Eimundus Hringi Heidmarchiæ Re-
guli filius in Daniam fugit 94.
Einaris de Thvera prudentia 123.
Einar Thambariskelfir Orcadalo à Co-
mite Eirico præficietur 4. ejus ro-
bur & artes. ibid: Comiti Sveno
contra S. Olafum auxiliatur. 44.
S. Olafus reconciliatur 112. in An-
gliam profectus inde Romam pe-
tit. 119. in Norvegiam redit. 120.
iterum in Angliam ad Comitatum
à Rege Knuto petendum profici-
scitur, sed frustra 187. fide in Ma-
gnum Bonum Haralldi Strenui i-
ram in se concitat 277. Haralldo
expeditionem in Daniam dissuadet
286. ejus in Cæcum eleemosyna.
ibid: amor in Regem Magnum,
ibid: Haralldum à Dania adeunda
impedit 301. ejus adversus Regem
Haralldum insignis factus 304. fu-
rem condemnatum pœnæ eripit.
396. oblatam à Rege Sveno pro
defectione pecuniam recusat. 396.
Griotgardum Regis propinquum
occidit 298. cum filio Erlingo jus-
su Regis invaditur & interficitur.
ibid:
Einar Skulinus, Pastor, Poëta, & le-
no 525.
Einar Fluga ab Oddo Ofeigi filio le-
pidè deluditur 334. à Snæglu-Hal-
lio ad cædem, quam non patrârat,
pecuniâ compensandam adducitur
335.
Einaris Orcadum Comitæ cum Ko-
nu-

nufogure Hiberniæ Rege bellum
87.

Eiricus Oddi fil. Scriptor celebris 519
Eiricus Haconis filius Norvegiæ Co-
mes 3. ejus cum Erlingo Skialgo
controversia ibid: in Angliam pro-
fectio 19. abeuntis de S. Olafu præ-
sagium, ibid: uvæ sectione mori-
tur 20. ejus elogium, ibid: seqy.

Eiricus Sverreri frater post probati-
onem generis in aulam Regis fra-
tris admittitur 616.

Eiricus Semper-Bonus Daniæ Rex
438. ejus ad Magnum Nudipedem
Norvegiæ regem legatio. ibid: Hi-
erosolymam petiturus in insula Cy-
pro moritur, ibidem sepultus 448.

Eiricus Eymunius, Daniæ Rex eligi-
tur 498. unde sic dictus, ibid: Nor-
vegos missis legatis de Vandalorū
irruptione præmonet 504. ad eum
Magnus Cæcus transit 514. illius
hortatu in Norvegiam irrupit,
& ignominiosè regreditur 514. Al-
plogo Nigro in foro sceleratè oc-
ciditur. 522.

Eiricus Lambius, dum Eiricum Ei-
munium ulcisci parat, oblato re-
gno, vindictam omittit. 523.

Endridius Unguis, sive Juvenis, Græ-
corum Imperatori militat 526. in
Norvegiam redux, alios ad idem
hortatur 527. occiditur 563.

Eqvestris insula in Svecia 25.

Erlingi Skialgii cum Comite Eirico
simultas 3. ejus magnificentia, ibid:
à S. Olafu ad obsequium redigitur.
64. illi reconciliatur 112. ipsam vin-
dictam de Asbiorno Selicida sum-
turum, armatis copiis terret. 117.
Regi obvius, navali prælio cum eo
congregitur 186. in fidem Regis se
dedens, ipso invito ab Aslako Fitia-
Skallio propinquo suo occiditur 187.

Erlingus Skackius, sive Distortus, à
vulnere in prælio contra Saracenos
accepto sic dictus 527. ejus in be-
lo Hisingensi oratio 539. 541. filium
suum Magnum Regem proclamari
facit 556. in Daniâ transfretans, au-
xilia implorat. 557. ejus cum Valde-

INDEX

- maro foedus 557. ejus variæ irruptiones 558. 559. prælium cum Hacone Humerofo, huic fatali 559. 560. bellum cum Comite Sigurdo, & victoria 563. Severitas in Hifingos 564. consultatio de coronatione filii fui 566. consultatio de postulatis Valdemari Daniæ Regis 568. pacta cum Danis rumpit, & dissensum populi obtendit 568. Thrandorum fidem explorat, & deficientes coërcet 569. Alsum Hrodium cum universo satellitio occidit 569. Valdemaro reconciliatur 570. ab eo Comes creatur 571. cum Olafø Skaphøggis filio confligit 577. à Sverrere deluditur 595. conditiones illi à Sverrere propofitæ 602. ejus cædes 604. elogium, ibid: in ejus funere Sverreris oratio 605.
- Ethelredi Angliæ Regis cum Danis conflictus 27. ejus mors 28. ejus filii à Knuto Magno regnò expulsi 30.
- Eylifus Gautskius 65. à Thorere Procero, emiffariorum S. Olafi duce, occiditur 66.
- Eyfteini Orii in bello Anglicano Haraldi Strenui insignis alacritas 355. ibidem occifus, procellæ, quam excitavit, nomen dedit ibid:
- Eyfteinus Magni Nudipedis fil: Norvegiæ Rex 447. ejus, dum Sigurdus Hierofolymipeta abeffet, præclara facta 460. inter illum & Sigurdum fratrem de caufa Sigurdi Hranini contentio 463. æmulatio, & utriusq; gestorum jactatio 472. Eyfteini mors, & elogium 474. opera post reditum Sigurdi in regnum. ib: Ingenii ejus quædam argumenta ibid: 475. 476.
- Eyfteinus Haraldi Gillii fil: Norvegiæ Rex declaratur, 524. Renios Hifingosq; pacat 528. Orcadenfes pecuniâ multat ibid: Angliæ Scotiæq; partes infestat. ibid. varia ejus prælia & victoria ibid. inter eum & regem Sigurdum Bronchum fimultates cæde Sigurdi terminatæ 533. feqv. ejus cum Ingio rixæ. 535
- cædes 536. fanctitas post mortem credita ibid. feqv.
- Eyfteini Meilæ factio in Norvegia exorta 579. (vide Betulopedes) is rex declaratur 581. è prælio fugiens, à ruftico occiditur ibid:
- Eyfteinus Thrandenfis Archiepifcopus 565. ejus de re ditibus cathedræ augendis consultatio ibid: colloquium cum Erlingo Skackio de Magni filii ipfius coronatione 566. Eyfteini ingenium veteratorum 567.
- Eyvindus Bifra 397. Princeps feditionis contra Knutum Lavardum conftituitur 400. Regem falutans, pugione eum clam transfodit 404.
- Eyvindus Uricornu, vir celebris 67. Thorgautum Skardium in vindictam Gudleiki Girfkii occidit, & ab eo cimelia S. Olafi repetit 69.

F.

- Færeyenfes à S. Olafø ad obfequium redacti, & obfides ab iis accepti. 223.
- Finningia à S. Olafø infestata 26.
- Finnus Arminus 104. apud Regem Olafum fe continet, eiq; fidem fervat. 135. ab eo ad copias confcribendas in Halogiam mittitur ibid: Satisfactionem pro cæde Karli Halogienfis Thoreri de Biarkeya extorqvæ 136. ejus de exurenda villis confilium, Regi Olafø datum 290. Mortuo Olafø piraticam exercet. 305. cæde fratris fui Kalfi Haralldo implacabilis ad Svenum Daniæ Regem deficit 305. ab eo Comes creatur, Hallandiæq; præficitur ibid: feqv. in bello Nizano captus & ad Haralldum ductus vitam recufat, nifi ad Svenum dimittatur 312.
- Fretum regium in Svecia 25
- Freyvidus ad feditionem compescendam ab Olafø Svec. Rege miffus, ejusque prudentia 95.
- Fridericus Barbaroffa Imperator, copiis Saxonis in Jutiâ movet 549. Svenum Daniæ Regem, ad fe invitatum, hominum fibi præftare cogit. ibid. pacem deinde inter Svenu &

& Knutum constituit, ibid:
Furtum à S. Olafò callidè exploratum
153.

G.

Geirfinnus Comes Gallus à S. Olafò captus 27.

Gellir in Islandiâ ad tributum impetrandum à S. Olafò missus, re infectâ redit 132.

Georgius Imperator 264. ejus de prærogativa stationum cum Haraldo Strenuo lis, fortibus commissâ 264. Illius laudibus Haraldus studiò de- trahit ibid:

Giafaldus regis Magni Nudipedis aulicus à Gisle Islando lethaliter vulneratur 432. ejus in extremis pro vita percussoris deprecatio 433.

Gilli-Christus. vid. Haralldus Gillius.

Gipardus vel Giffardus, Eqves Gallus legnis & timidus, in exercitu Magni Nudipedis 436.

Gisl Islandus in vindictam patris Giasaldum Magni Nudipedis aulicum lethaliter vulnerat 432. capitur & ad mortem ducitur ibid: Giasaldus eo die liberatur ibid: Giasaldus vulnerati pro ejus vita in extremis deprecatio, ibid: Islandorum pro illo salvando studia 434.

Presbyteri Jonis, postea Sancti dicti, pro illo oratio ibid. vitâ à Rege donatur, & in occisi locum recipitur 435

Grankell ab Harecho de Thiotta incendiò deletur 155.

Gregorius Dagi fil. 529. ejus ad Ingium Regem defectio, ejusq; causa 530. strategema & strenuitas ibid: seq. Sigurdum armatâ manu invasurus, ab Ingio prohibetur. 533. paulò post eum occidit 534. Gregorii ante bellum Hisingense oratio, 539. infidæ glaciæ inhærens ab hostibus transigitur, 544. ejus elogium ibid. Regis Ingii de morte ejus dolor maximus ibid.

Grettir Asmundi fil., robustus dictus, 49. ejus genus, ibid: in Norvegiâ delatus tumulum sepulchralem aperit, thesaurumq; mortui aufert, ibid:

ibid: & 50. ejus in Berferkos astus, 51. eos occidit, 52. ejus Vogas iter 54. inde in Salpriâ Halogix provinciam, ibid: ubi ursum ferocissimum occidit, 55. Biørnum & Hiarandum fratres occidit, 56. Gunnarem occidit, & vindictam Comitibus effugit, 58. in Islandiam redux Thorbiørnum Feraldangum occidit, 61. in Norvegiam iterum delatus S. Olafum accedit, 61. Regis de eo præfagium, ibid. incendiî accusatus juramento ordalii cadit, 62.

Grimseyam ab Islandis expetit S. Olafus, 122.

Grimkell Episcopus Sanctitatis regis Olafi promotor, 209. 210.

Gudbrandus Dolorum Princeps Christianæ religioni resistit, 108. ejus ad cives contra religionem oratio, ibid: copias in Olafum, Duce filio suo, imittit, 109. cum illis Olafus pugnat, filiumq; Gudbrandi capit, ibid: Gudbrandus visione nocturnâ territus forum indicat, ib: Thoris idolum in foro statuens, Christianis exprobrat, 110. idolo contracto ad fidem Christianam transit, 111.

Gudleikus girfki⁹ à Thorgauto Skardio occiditur, 68.

Gudmundus de Mödruvellis, Islandiæ Primas, 209. 210.

Gunnaris Halogensis in Gretterem impetus, 57. is à Gretterè occiditur, 58. Comitibus Eirici ob illam eadem ira vehementissima, ibid:

Gunnhilldis Sverreris mater Unio pechnario conjugio sociata, 583. Romam profecta, sub absolutionem de vero Sverreris patre confitetur, 584. Mandatò Pontificis domum, redux filio id aperit, ibid:

Gunnsteinus Halogensis, 121.

Gutthormus Ketillis Kalfi filius 304. injuriâ Margadi Irlandiæ Regis irritatus, bello eum aggreditur, ac, invocato S. Olafò, impari manu eum vincit, 306.

Gyrdir Sator, Bardi filius, nutritus Sigurdi Bronchi, 512.

INDEX

H.

Hacon Haconis fil. Norvegiæ Comes, à S. Olafø captus, 34. Regno expellitur, & in Angliã transit, 35. S. Olafø naves intercipit, 182. ejus in bello Nizano insignis strenuitas, 314. Comitatu in Norvegia frustratus, indignabundus domum redit, 319. Agri ejus ob cædem villici Regii fisco addicti, ibid: in Daniam ad Regem Svenum transit, ibid: missus à rege Sveno cum fratre ejus filio Asmundo navali prælio congregitur, eumq; obruncat, 320. Hallandiæ Comitatus titulo præficitur, ibid: Vikam Norvegiæ populatur, 321.

Hacon Pauli Orcadam Comitatus filius, inventor expeditionis Magni Nudipedis in Occidentem, 419. 420. Patrualem suam S. Magnum crudeliter interficit, ibid:

Hacon Magni filius nascitur, 384. Upslandis Rex præficitur, 411. ejus à Magno Nudipede metus, 412. Moritur, ibid: populi in eum insignis amor, ibid:

Hacon Humerosus decennis Rex salutatur, 537. ejus apparatus bellicus, 538. ad Histiam cum Ingio navali prælio congregitur, 541. varii inter illos confictus, 542. 543. seq. Ingium bello occidit, 545. statum regni ordinat, 555. seq. in Comitibus Nidarosiensibus totius Norv: Rex proclamatur, 557. cum Erlingo Skackio congregitur, ibid. in altero cum Erlingo confictu occumbit, 560. ejus elogium, ibid:

Halldor Snorrii filius Haraldi Strenui Comes, & carceris cum eo participat, 268. seq. eum in Norvegiam sequitur, 325. Regis Haraldi in navibus ei procurandis clementia & lepidum commentum, ibid: Halldor in Island, transit, & ad regem redit, ibid. à Rege increpatus liberè respondet, unde utrinq; offensæ, 326. ejus in Regem & Reginam extrema audacia, 328. Halldoris Snorrii ex Arngrimo elogium, ibid.

Hall-

Hallvardi Sancti martyrium, & ejus causa, 232. ejus festum olim celeberrimum, 233.

Hallus Snæglius. vid. Snæglu-Hallus.

Hamarenfis in Norvegia Episcopatus institutus, 531.

Haralldus Knuti Magni filius Angliæ Rex constitutus, 227. inter illum & Magnum Bonum Norvegiæ Regem dissidia, 228. ejus in Hørdaknuti matrem & filium Alfredum crudelitas, 227.

Haralldi Kesiæ castrum Roschildiæ, 479.

Haralldi Sigurdi filii, postea Strenui dicti, è prælio Stiklastadenfuga in Jamptiã ac deniq; in Holmgardiam 202. ibi limitibus præficitur, ibid. in Græciam proficiscitur, 254. Væringorum Dux constituitur, & Nordbrichti nomen assumit, ibid. ejus cum Imperatore Georgio de prærogativa stationum controversia, sortibus comissa, ibid. Haralldi in hac re commentum, ibid. Georgii laudibus datâ operâ detrahit, 254. in Africam cum classe trajicit, 265. ibi plurima oppida capit, ibid. ejus in tribus firmissimis civitatibus capiendis insignia strategemata, 265. 266. Constantinopolin redit, ibiq; peculatûs reus in carcerem conjicitur, 268. elabatur, 269. Imperatorem oculis privasse dicitur, ibid. Sinu catenis constructus elabatur, & Holmgardum redit, ibid. Jarisleifi Russiæ Regis filiam Elizabetham uxorem ducit, 272. in Svecia foedus cum Sveno contra Magnum Bonum facit, 722. in Norvegiam magnâ cum pompâ venit, ibid. Dimidium regni poscens, repulsam patitur, 273. ad eum Magnus, cognitô fædere cum Sveno, mittit, ibid. causam rumpendi fæderis callidè excogitat, ibid. insidias Sveni evadit, 274. in Norvegiam redux thesauros cum Magno participatur, ipse regium nomen & dimidium regnum accipit, 275. inter eum & Magnum discordia, 276. Haralldi exacti-

exactiones in plebem, 277. cavillationes in fratrem regis Magni Thorerem, ibid: contentio cum Magno de statione, 280. colloquium cum Magno in morbo ei fatali, 283. consilium de Dania subjuganda, 286. 301. totius Norvegiæ Rex, mortuo Magno, declaratur, 301. excursio in Daniam, 302. legatio in Angliam, ibid. iterata in Daniam expeditio, 303. colloquium cum Svenno, 304. insignis astus in Svenno Danicq; evadendis, 305. adversus Haralldum Einaris Thambarfkelferis insignis factus, 306. 307. illum Haralldus ad convivium invitat, & ludibrio afficit, 297. seqv. interveniente Griotgardii propinqui sui cæde Einarem cum filio occidit, 298. seq. seditiones sopit, 302. Kalfum Arninum revocat, 305. Osloam urbem fundat, 307. Fretum Limicum ingressus Danorum vim callidè effugit, 307. ejus in aquæ defectu sapiens consilium, ibid. apparatus ejus ad prælium Nizanum, & prælium ipsum, contra Danos gestum, 308. seq. inter eum & Svennum pax constituta, 311. Haralldum ad Ulfum quendam virum divitem, convivatus, agris & bonis eum spoliat, 323. inter illum & Halldorem Snorræ fil. simultates obortæ, 326. 327. illius in Audunum quendam Islandum mansuetudo, 329. seq. alia moderationis ejus exempla, 332. 333. Jocularia ejus & faceta dicta, 336. seqv. De Tryggvii Regis interfectore supplicium sumit, 339. expeditionem in Angliam apparat, 349. in Angliam cum classe transfretat, 351. Eboracum deditione capit, 352. bellum cruentum gerit, 354. Talo guttur confoditur, moritur, 355. illius elogium, virtutes, & acta, 358. 359. seq. Obrectationes in illum jactæ diluuntur, 360. seq. unicum severitatis exemplum in Hemingum Aslaki fil. recensetur, 265. seq. Haralldi sepultura, 383.

Haralldi Gillii in Norvegiâ adventus, &

& eum præcedens Sigurdi Hierosolymipetæ somnium, 431. Haralldi Gillii juramentum generis qvale, 482. ejus agilitas insignis, ibid: dimidiæ Norvegiæ generis Rex constituitur, 494. ejus cum Magno cæco discordia, 499. villas ejus diripit, homines occidit, ibid: ad bellum se parat, 499. à Magno fugatur, & in Daniâ transit, 500. ibi auxilia comparat, & Norvegiam repetit, 500. ministros Magni malè multat, ibid: iterum se ad bellum parat, 501. cum Magno congregitur, eumq; capit, ibid: oculis & genitalibus orbatum monasterio eum intrudit, 502. Ipse à Sigurdo Slembidiacono inter Thoræ pellicis amplexum occiditur, 511. Sanctus post mortem habitus, ibid: ejus descriptio & progenies amplissima, ibid:

Haralldus Godvini fil: Angliæ Rex, quomodo ad regnum pervenerit, 340. seq. ejus ingenium et variæ dotes, ibid: iter in Normaniam, 341. calliditas & celeritas in regno acquirendo, 342. seq.

Harechus de Thiotta, 151. ejus in classariis Regis Knuti eludentis astus, ibid: Grankolem Halogiensem incendit, 155. ab ejus filio in vindictâ cædis paternæ occiditur, 229. ejus progenies, 229.

Heklungorum factio exorta, 606. unde sic dicta, ibid:

Heidfævenses leges latæ, 112.

Hemingus Aslaki de Torgis fil. clanculum educatus, 365. jussu Regis Haralldi Strenui arcessitur, & ad artium suarum specimina edenda compellitur, 367. ejus ars sagittandi insignis, 367. natandi, ibid: soleis ligneis currendi, ibid: ejus præsentissimum periculum, ab Haralldo objectum, 369. ejus votum & miraculosa liberatio, 369. 370. seqv. Romam profectus votum solvit, 370. seq. in Angliâ venit, ibiq; moratur, ibid: Haralldum in ultimo bello transfigendū monstrasse creditur, ibid: Hemingi artes etiam cantilenis celebres, 371.

INDEX

Hialtius Skegginus Islandus cum Biorño Stallario in Gothiã missus, 70. ejus ingeniosum comentum, 72. in aula Sveciæ Regis Olafi simulatio, 75. 76. secretum cum filia Regis colloquium, 77. illam secum clam abducit, 78.

Hiarandus Halogensis à Grettore Robusto occisus, 57.

Hörda-Knutus, patre absente, auctoritate Comitis Ulfi Regem se creari facit, 145. patre redeunte, regium nomen deponit, veniamq; rogat, ibid: Daniæ Rex à patre constituitur, 157. imperii ejus periodus & gesta, 230. seq. mors repentina in convivio, 232.

Hræreki Heidmarkiæ Reguli de S. Olaso ad regnum promovendo oratio, 4. deliberatio de Christiana religione non recipiendâ, 73. illi uterque oculus à Rege erutus, unde Hrærekus Cæcus postea dictus, 74. ad fortunæ ludibrium in comitatu regio circumductus, 82. ejus ingenium & mores simulati, ibid: Famulum suum Svenum in cædem Regis incitat, sed frustra, 83. postea alius illi locus datus, & arctior custodia, ibid: ejus in custodibus occidendis astutia, 84. impetus in ipsum Regem, sed irritus, 85. Thorarino Nefolfi filio in Islandiã deportandus traditur, 86. ibi moritur, 87.

Hrafnus Sigvathi filius Islandus, 257. à Magno Bono Norv. R. proscribitur, 258. illi S. Olafus pacem miraculose procurat, ibid:

Hrojus Stultus, Danus, altero oculo cæruleo, altero nigro, 158. illius crebra naufragia, ibid. remedium quaesiturus, cum Rege societatem mercaturæ init, ibid: brevi fit dives, ibid: societate sponte diremptâ omnes merces in Svecia amittit, 159. à malignis hominibus cultro & baltheo spoliatur, & à tertio de effosso capiti suo oculo accusatur, 159. in formatus à filia Judicis Thorgnyris causam in foro agit, & victor adversarios puniri facit, 161.

J. Ja-

J.

Jarisleifus Ruffiæ Rex Haralldo Strenuo filiam suam Elizabetham uxorem elocat, 272.

Ingibiorg Olafi tryggvini soror Rognvaldi Gothiæ Comitis uxor, 69.

Ingus Sveciæ Rex, religionis Christianæ promotor, 409. 410. ejus cum Magno Nudipede Norvegiæ Rege bellum, 436. seq.

Ingus Gibbosus Norvegiæ Rex creatur, 512. ejus ad fratrem Regem & Optimates de reprimendis factionibus literæ, 517. Comitem Rognvaldum Kalium Orcadibus evocat. Ad illum Gregorius Dagi filius desinit, 530. seq. Ingii cum Eysteino simulas, cæde Eysteini terminata, 535. seq. Victoria in pugna Hisingensi, 542. varii cum Hacone conflictus, 543. seq. de morte Gregorii immodicus dolor, 544. querela de inconstantia amicorum, 545. cædes, ibid: elogium & sepultura, 546. Saxonis de rebus ejus, & quæ eò regnante contigerunt, testimonium, 546. seq.

Jökul Bardi fil: carmen in S. Olafum facit, 182. à militibus ejus longo postea tempore captum, supplicium luit, ibid:

Islandis leges canonicæ à S. Olaso latæ, 63. illos idem Rex ad tributum pendenda sollicitat, nec impetrat, 122. Grimseyam insulam ab iis petit, ibid: eorum præcipuos ad se vocat, 123.

Ivar Albus, 300. ejus genus & artes, ibid: Comitem Ulsum in Dania occidit, 149. ejus filio Haconi nuptiæ Ragnhildis Magni Regis filiæ promissæ. vid. Hacon.

Ivar Skrauthankius, 519. ejus de socio ad necem ducto querelæ, ibid:

Julianus Apostata à S. Mercurio peremptus creditus, 27.

K.

Kænugardia, Holmgardiæ sive Græciæ pars, 97.

Kalfus Arminus. 104. ejus genus, ibid: ipsi

ipsi Aulveris de Eggis, ob veneficia sublati, vidua in matrimonium data, ibid: is contra S. Olafum rebellantium dux deligitur, 196. gravissimos Olafi inimicos in unum conglobat, 197. Regis cum eo ante pugnam colloquium, ibid: Regem lethifero in collo vulnere afficit, 199. ejus strenuitas, etiam à poëtis decantata, ibid: Thrandiæ præficitur, 236. iram regis Magni incurrit, 237. seq. voluntarium exilium sibi indicit, 238. ab Haralldo Strenuo, intercedente fratre Finno, revocatur, 305. in Fionia occiditur, 305. Norvegorum de ea re in Regē suspicio, ibid:

Kalius Koli fil: 488. ejus in juventute robor, & variæ artes, ibid: mercatura, ibid: in Angliã profectus, ibi Haralldum Gillium offendit, & de Norvegia adeunda illum confirmat, ibid: in Norvegiam revertitur, & cum Jone Petri filio familiaritatem contrahit, 489. Antrum thesauri suspectum in Dollseya subit, ibid: Haralldum homicidii reum servando, controversiam cum Satrapa Solmundo incurrit, eamque componere studet, 490. reconciliationem tandem procurat, 492. idè à Rege Orcadum Comes creatur, & Rognvaldi nomen ipsi inditur, 492. Magnus autem Cæcus Comitibus titulum & fevdum Kalio abrogat, 495. Vid. Rognvaldus Kalius.

Karl Halogensis, 121. in vindictâ cædis Asmundi Selicidæ occiditur, 129.

Karl de Mæris, sive Mærskius, mercator celeberrimus, 141. in Færeyas à S. Olaf ad tributa exigenda missus astu Thrandi de Gata à Thorlaci filiis occiditur, 143.

Katla, Glumi vidua, hospita Thormodi Kolbrunarskaldi, 171. vid. Thormodus, & Thorbiörg Kolbrun.

Knutus magnus Daniæ & Angliæ rex, Ethelredi filium regnò expellit, 30. illius in Angliã expeditio, & in eadem gesta, ibid: seq. Norvegiæ regnum

à S. Olafò reposcit, 124. seqv. id cur diu distulerit, 125. aulæ ejus insignis magnificentia, quâ Norvegos ad se allexit, ibid: Scotiam etiã imperiò tenebat, ibid: ejus clementia, ibid: filium Horda-Knutum, absentem se Regio nomine usum, ad id deponendum compellit, & veniam facti concedit, 145. ejus ad fluvium Scaniæ Helgam cum Olafò Norvegiæ & Anundo Scaniæ Regibus prælium navale, horumque fuga, 147. Comitibus Ulfi in eum petulantia, 148. ejus verbis offensus, occidi eum in templo curat, 149. factum effusâ liberalitate expiat, unde Roschildiæ incrementa, ibid: præfectos Norvegos muneribus ad defectionem sollicitat, 150. seq. In Norvegiã cum universâ classe movet, 158. muneribus & amplioribus præfecturis proceres sibi adjungit, & ubiq; Rex Norvegiæ declaratur, ibid: hæc enim Comitem regni Norvegici vicarium & filium Horda-Knutum Daniæ regem constituit, ibid: Scriptorum exterorum de his testimonia, 157. ejus mors & elogium, 223.

Knutus Knuti Magni filius. vid. Horda-Knutus.

Knutus Lavardus, Daniæ Rex, post mortem Sanctus dictus, 390. Eigilem Borgundarholmi præfectum ob nefariam in mercatores crudelitatem suspendio punit, 393. illa prima erat seditionis in Knutum causa, 393. Konghellam ad colloquium cum Olafò Qvieto Norvegiæ Rege profectus, de expeditione in Angliam deliberat, ibid: militem ad eam conscribit, 394. moras nectendo, & fratrem Olafum carceri includendo, populum in se concitat, ibid: seqv. ejus in Hallandos & Scanos rigor, 396. seq. quantum Dani de sanctitate ejus crediderint, 397. Seditionis adversum eum in Jutia exordium & authores, ibid: Knutus eam sopire nequicquam tentat, 398. seq. in Fioniam secedit, 400. ad eum Asbionus

INDEX

nus Eidinarum Comes fraudulenter mittitur, 401. Regis ad mortem preparatio, 402. seq. Comitum ejus cum perduellibus confictus, ibid. Regicidium, 404. reliquæ pugnae, ibid: ejus interfectores omnes miraculose puniuntur, ibid.

Konghella Norvegiæ urbs à Sigurdo Hierosolymipeta aucta et exornata, 486. in ea prodigia visâ & audita, 504. eam Vandali invadunt & capiunt, diripiuntq̃, 506. seq.

Konufögur Hiberniæ Rex, 87. ejus cum Einare Orcadum Comite bellum & victoria, ibid:

Kristriodus, Haraldi Gillii frater & miles strenuus, 499.

L

Lapsus lingvæ semel in vita ominousus & fatalis creditus, 32. 194. 264.

Lavardus. vid. Knutus Lavardus.

Leges civiles & Canonicae à S. Olafolatae, 63. seq. à Magno Bono, 235. à Sigurdo Hierosolymipeta, & ejus fratribus Eyfsteino & Olafol, 470. leges Heidævenfes ab Haraldo Nigrolatae, à S. Olafol confirmatae, 112.

Ligula S. Olafol Gardis Akranesensium in Islandia asservata, & usui sacro adhibita, 67.

Lodinus Saup-prudus, 518. occisus, ibid:

Londinum à Danis captum, 27. à Knuto Daniæ Rege expugnatum, 31.

Loptus Pastor Konghellenfis, 504.

Ludi Padremici Constantinopoli, quales & quanti fuerint, 458.

Lusitania à Sarracenis per Sigurdum Hierosolymipetam liberata, 449.

M.

Magnus S. Olafol filius, Bonus postea appellatus, nascitur, 120. Magni nomen, ut proprium, primus usurpavit, ibid: quâ causâ & occasione id illi inditum, ibid: in Russia educatur, à proceribus Norvegicis in regnum revocatur, 219. Satellitum accipit, eiq̃ Russia in Sveciam proficiscitur, 220. Sigtunas delatus, cum noverca Astride de regno Nor-

vegiæ

adeundo deliberationem instituit, ibid: illa annitente, magnus Sveonum numerus eum sequitur, 221. Tutores illi Einar Thambar-skelfir & Kalfus Arninus dati, ibid. Nidarosiam delatus, rex consalutatur, ibid: quo anno ad regnum pervenerit, 227. occisoribus patris delicti gratiam facit, 229. illius sub tutoribus gestorum ordo, ibid: seqv. Legatos in Daniam, ad regnum ex fædere postulandum, mittit, 232. ipse in Daniâ profectus, rex ab omnibus salutatur, 233. in Angliâ ad Edwardum Confessorem de Angliæ regno reddendo literas mittit, ibid: ejus responso cognitô, ab Angliâ repetenda desistit, 236. In regnum redux, seditiosos adversus patrem, Thrandos & Sognenses severè punnit, 238. qui seditionem parant, ibid. Consiliariis hoc per Sigvatum potestam monentibus, ingenium mitat, & rursus præteritorum impunitatem promittit, 338. 339. dar leges & imunitates, inde Bonus cognominatus, ibid: Svenum Ulfi filii Comitum & Daniæ procuratorem creat, 240. Illo à Danis Rege proclamato, facti pœnitentiâ ductus, expeditionem in Daniâ parat, 242. Vandalos & Slavos in Jutiâ in fufos auxilio Othonis (vel Ordulfi) Saxonum Ducis delet. 249. 25. ope Patris S. Olafol, invictus creditus, 251. ad bellum cum Sveno se parat, 252. ejus ad milites ante bellum oratio, 253. Svenum in Fioniam, inde in Gauthiam Sveciamq̃ fugat, & Daniam ad obsequium redigit, 254. iterum cum Sveno congressus in Scanium eum fugat, ibid: quando hæc gesta sint, disquiritur, 255. seq. domum reverso Haraldus advenit, & divisionem regni postulat, 273. Magni ad eum hac de re nuncii, ibid: Norvegiam cum illo partitur, dimidiumq̃ thesaurore ab illo accipit, 275. inter illos discordiæ suborta, 277. Magnus rursus expeditionem in Daniâ parat, 280. captivos liberat, 282. ejus som-

nium,

nium, morbus, & cum Haralldo colloquium, 283. testamentò Daniam Sveno legat, 284. Nomen suum Thorsteini de Sida filio gerendum donat, ibid: prodigium circa morientem conspectum, & ejus præfatum, ibid: moritur, 285. miraculum post ejus mortem ab annulo ejus, 288. ejus sepultura, desiderium & elogium, 289.

Magnus Haraldi Strenui filius, patre in Angliã movente, regni administrato relinquitur, 373. ad bellum contra Svenum Daniæ Regem, in Norvegiam movere parantem, se accingit, 383. inter illos pax & affinitas collescit, 384. Magnus moritur, ibid: Magnus Olafi Qvieti filius, Nudipes dictus, nascitur, 390. Norvegiæ rex præficitur, 411. ejus in Hallandiam expeditio & reditus, 412. contra illum Thorir de Steiga rebellat, 413. seq. Svenkium Steinaris filium proficit, 418. in gratiam eum & amicitiam recipit, 419. Magni in Occidentem expeditio, 419. qvo annò contigerit, ibid: istius expeditionis duces, 421. Orcadam Comites captivos in Norvegiã mittit, & filium suum Sigurdum insulis præficit, 421. Hæbudas incendiis & cædibus vastat, ibid: Skidiam aliasq; insulas expugnat, ibid: Satiriam expugnat, Scotiam & Hiberniam vastat, ibid: seq. Bretlandiæ advectus, cum Comitibus loci bellum gerit, 422. alterum sternit, reliquos fugat, & Angliefyam, Bretlandiæ partem, suæ ditionis facit, 423. Scotiam petit. Regemq; ad deditioem adigit, ibid. ejus astus in Cantiria Scotiæ annumerandã, ibid: militum adversus eum murmur, ibid: seqv. relatio de calceis Magni, Hiberniæ regi missis 414. in Orcades, inde in Norvegiã redit, ibid: Plures illum unã expeditiones suscepisse probatur, 425. seq. clementia ejus in Gislem Islandum, cædis aulici reum, 435. bellum contra Ingium Sveciæ Regem, & victoria, 436. seq. Marcharum provinci-
am

am vastat, 437. à Gauthorum copiis fugatur, 438. inter eum & Ingium intercedente Eirico Semper-Bono, pax constituitur. Magnus Occidentalium mores & vestitum in Norvegiã invehit, inde Nudipes dictus, 441. ejus cum Skoptio de Giskio super hæreditate conoverfia, 442. Iterata in Hiberniã expeditio, 443. Dublinum urbem obsidet, ibid. eam capit, 444. Irensiu dolis opprimitur & occiditur, 445. ejus elogium & sepultura, 446.

Magnus Sigurdi filius, Cæcus dictus, Rex Norvegiæ creatur, 493. Kalio Orcadensem Comitatum abrogat, 495. Ingibiorgem Knuti Lavardi filiam uxorem ducit, ibid: ejus in Eiricum Eymunium Daniæ Regem perfidia, 497. prælium ad sinum Fobensem, ibid: seqv. ejus & Haraldi Gillii mutæ persecuciones, 449. seqv. Haraldum fugat, & totum regnum sibi subjicit, 450. ab ejus militibus vivus capitur, 501. excæcatus & eviratus in monasterium detruditur, 502. à Sigurdo Slembere assumtus, in ejus factionem trahitur, 513. è bello in Gothiã fugit, ibid: in Daniam profugus Eiricum Eymunium ad Norvegiã infestandam adducit, 514. in bello cum Sigurdo Broncho & Ingio telò transfossus obit, 518.

Magnus Erlingi Skackü fil: à proceribus Ingii Norvegiæ Rex creatur, 556. in Daniam ad Valdemarum I. cum patre proficiscitur, ibid. ab Archiepiscopo coronatur, 566. præfectorum ejus cum Sverrere pugna & fuga, 592. ipsius gemitum cum Sverrere prælium, 600. 601. conditiones ipsi à Sverrere propositæ, 602. Magni post mortem patris fuga, 605. iteratò à Sverrere fugatur, 609. in Daniam ad Regem Valdemarum secedit, 610. ibi contractis copiis in Norvegiam redit, 611. Tertio à Betulopedibus vulneratus fugit, 614. seqv. illius cum Sverrere colloquium, & conditiones ipsi propositæ, sed

INDEX

sed improbatae, 618. Sverrerem obfideret, sed frustra, 624. adhuc à Sverrere fugatur, 627. in Daniã se recipit, 628. ultimo bello cum Sverrere in undas ruens moritur, 635. ejus sepultura, 637. elogium, 638.

Magnus Einaris filius Episcopus Skalholtinus. Regis Magni Cæci et reginæ in eum liberalitas, 499. in sede pastorali Hitardalo fulmine tactus, cum Comitibus perit, 284.

Marcus de Skogo, vir celebris, Sigurdum Bronchi fil. Regem proclamari curat, 561. unã cum Sigurdo ultimo supplicio affectus est, 564.

Margadus Irlandiæ Rex, 306. ejus in Ketillem Kalfi filium perfidia, ibid. ab eo impari manu superatur, ibid.

Melcomus, Davidis Scotiæ Regis pater, pacem à magno nudipede ditione infularum Scotiæ redimit, 443.

S. Mercurius Martyr Julianum Apostatam peremisse creditus, 27.

Murchardus, Hiberniæ Rex, 443. Regis Magni Nudipedis ad eum legatio, ibid.

Murchardus Connactiæ Rex, expeditionis Magni Nudipedis socius, 443. ejus in Magnum fides & obsequium, 444.

N.

Nesienfè prælium inter S. Olafum & Comitem Sveinum, 45. seq.

Nicolaus Daniæ Rex, 495. Saxonis de ejus vaftricis narratio, 496. Nicolai cædes, 498.

Nicolaus Thorbergi filius, Regis Haraldî Strenui affinis, certamen cum Hemingo Aslaki fil. detrectat, 366.

Nicolaus Breckelparrus, Anglus Cardinalis in norvegiã missus, 531. ejus in fratres Reges, Sigurdum & Eysteinum, rigor; in Ingiũ verò amor, ibid: Archiepiscopatum Nidrosiæ in honorem S. Olafi instituit, ibid: Hamarensẽ in Norvegia Episcopatũ instituit, ibid: in Sveciã profectus, nihil efficit, 532. in Daniã digressus, pallium Archiepiscopi Eschillo Lundensî concedit, in eum conferendum, qvi eligeretur, ibid. Norvegiã

à gen-

à gentilismo convertisse gloriatus, fit Papa, Hadrianus Quartus dictus, ibid. ejus mors & dictum ante mortem de Papatu memorabile, ibid.

Nicolaus Kufungus, 579.

Nicolaus Barbatus, quæstor Regius, occisus, 542.

Nicolaus Sigurdi filius, præfectus Nidarosiæ, 580. in excipiendis Betulopedibus tardior, oblatam vitam respuit, & occiditur, ibid.

Nizenfè prælium inter Haraldum Strenuum & Svenum Daniæ Regem, quando gestum fit, 313.

O.

Oddus Gelleris filius, Islandus, 249. ejus de Campanæ S. Olafi sonitu in aere ab exercitu audito, narratio, 249.

Oddus Ofeigi filius Einarem Flugam, merces Finnicas inqvirentem, eludit, 336. ejus in Haraldum Strenuum dicacitas, & ab eo periculum, 369. ab Hemingo Aslaki filio in Angliam evocatur, 370. manus Regis Haraldî, nuncupato voto, miraculose effugit, ibid.

Olafus Haraldî filius, cognomine Cræfusus, post mortem Sanctus dictus, quando natus sit, & ubi baptizatus, disqviritur, 22. ejus in puerili ætate magnitudinis indicia, 23. educatio apud vitricũ Sigurdum, ibid. egressus è patria, ibid. cum piratis Svecis ad scopulos Sotafker conflictus & victoria, 24. alia ejus in Svecia & Gothia gesta, 25. seq. Ofiliam & Finningiam vastat, 26. cum tempestate à Finis excitatã colluctatur, 26. Frisiam aggreditur, 27. ejus in Angliã expeditio & ibidem gesta, 27. et seq. in Galliam excursus & ibidem gesta, 28. ejusdem, dum iter Hierosolymam meditaretur, visio, ibid. è lacu Melero miraculose elabatur, 32. iteratus ejus in Angliam adventus, 33. reditus in Norvegiã, 34. Haco-nem Norvegiæ Comitem capit, ibid. regno eum expellit, 35. ad matrem & vitricum accedit, & cum iis de regno deliberat, 37. seq. cum Uplando-

dorum regulis fœdus init, 40. seqv. totius Norvegiæ Rex proclamatur, 42. ejus in Updalum & Orcadalu[m] expeditio, 4. à Comite Sveno eluditur, 43. ejus metu in Heidmarkiã fugit, 44. cum eo ad Nefias pugnat, eumq[ue] fugat, 45. Sveno mortuõ, omnium voce rex pronunciat, 59. Olafi Skautkonungi Sveciæ Regis legatos, ad tributa exigenda in Norvegiam missos, supplicio afficit, 61. leges civiles & canonicas condit, 63. In statu vicinarum terrarum inquirat, ibid: regnum lustrat, 64. Erlingum Skialgum ad obsequium reducit, ibid: Sarpburgum urbem fundat, 66. ad Goth-Albiam expeditionem faciens, fœdus cum gothiæ Comite Rognvaldo init, 69. ad eum legationem dirigit, 70. seq. Uplandas lustrat, et Christianæ religionis contemtores severè punit, 72. seq. Regulorum Uplandorum contra eum consilia, 73. illorum quinque uno mane capit, & malè mulctat, 74. illi Ingigerdis, Olafi Sveciæ Regis filia, desponsatur, cum qua nuptias celebrare parat, 82. à Hræreko Cæco infidiæ illi bis struuntur, 83. à Sveciæ Rege deluditur, 87. 88. iterum in Sveciam mittit, & sororum permutationem petit, 89. seq. Astridem Olafi filiam uxorem ducit, 90. in religionis statum sollicitè inquirat, 102. Thrandos cum antesignano suo Aulvere de Eggis ob idololatriam severè punit, 103. seq. Orcades inter Brufum & Thorfinnum Comites dividit, 108. Gudbrandsdalos petens cum filio Gudbrandi dalorum Principis congregatur, 109. Thori idolum in foro confringit, & incolas ad Christianismum convertit, 110. seq. Heidmarkiam similiter, 111. Heidfavenses leges confirmat, 112. Einatrem Thambakelferem & Erlingum Skialgum in gratiã recipit, ibid. seq. Vosenses & Valdrenses ad fidem convertit, 118. in Islandiã ad sollicitandos incolarum animos, & insulam Grimseyam expetendam, sed fru-

frustra, mittit, 123. illorum proceres ad se evocat, ibid. Færeyas ad obsequium suum redigit, ibid: seq. ad eum Knutus Daniæ rex de norvegia reposcenda legatos mittit, 124. ipse ad hoc responsum, 125. Thorodum Snorrii filium in Jamptiam ad tributa conquirenda mittit, 138. seq. Karlem Marensem similiter in Færeyas, sed irritò successu, 141. in Daniã trajiciens, Sialandiam infestat, 144. ad amnem Helgam confligit, ac fugit, 147. in norvegiã redit, 150. in Uplandis à Randulphi filio de abditis rebus instruit, 153. ab eo norvegia ad Knutum Magnum Dan. R. deficit, 158. ipse in Sveciam, & inde in Russiam fugit, 177. seq. in itinere cum Erlingo Skialgo confligit, eum, n̄ occideretur, in gratiam recepturus, 178. à satellitibus deseritur, 181. etiam à Biörno Stallario, qui tamen pœnitentiã ductus veniam petit & impetrat, 184. Bulgaria Olaso à Jarisleifo offertur, 185. somniõ monitus, patriam repetit, ibid: seq. Ethnicos in exercitu suo non patitur, 188. 189. exercitum lustrat & ordinat, 190. ejus tessera militaris, ibid: Poetis locum assignat, ibid: Striklastadas exercitum ducit, 193. ejus ad milites oratio, ibid. ejus cum Kalso Arnino ante prælium colloquium, 197. belli Striklastadenis ordo, 198. seq. Olaf tria lethalia vulnera, 199. primum ejus mortui miraculum, & sanctitatis opinio inde nata, ibid. Tempus & duratio belli, 202. seq. alterum Olafi mortui miraculum, 203. ejusdẽ sepultura & elogium, 204. seq. Adami Bremensis de eo testimonium, 206. de sanctitate Olafi opinionis incrementum, & miraculorum continuatio, 209. seq. sepulchrum ejus aperitur, & sanctitas confirmatur, ibid: seq. plura ejus miracula ex Breviario Nidarosiensi recensentur. 211. seq. ob ejus cædem Russi Norvegis infesti, 217.

Olafus, Haraldii Strenui filius, Quietus dictus, impetratã ab Angliæ Rege

INDEX

- veniâ, mortuo patre in Orcadés abit 382. inde in Norvegiâ, 383. illius in Toftii filios, qui illum fequebantur, benignitas, ibid. ad bellum contra Svenum Dan: R. cum fratre Magno fe parat, ibid: feq. inter illos pax & affinitas contrahitur, 384. mortuô fratre, folus imperat, ibid. urbes fundat & auget, in quibus Bergæ numerantur, 388. Fornaces primus in Norvegiam introducit, ibid: aulae fedes & ordinem mutat, ibid: feqv. fymposia & luxum veftium aulæq; introducit, 389. ejus cum Knuto Dan. R. de expeditione in Angliâ deliberatio, 393. feqv. auxilia ad eandem fubminiftrata, 394. Basilicam lapideam Nidarofiæ ædificat, 407. ejus ftudia & ingenium, mors & elogium, ibid: feq.
- Olafus Magni Nudipedis fil. unâ cum fratribus Sigurdo & Eysteino Norvegiæ regio titulo præficitur, 411. moritur, 470.
- Olaf Skaphöggi filii factio in Norvegia exoritur, 576. ejus cum Erlingo Skackio gemina pugna, 577. 578. ex infortunio, quôd hoftes inclufos capere non poffet, Infelix dictus, 578. Tertio conflictu fuperatus in Daniâ fugit, ibid: Sanctus post fata habitus, 578.
- Olafus Sveo; (aliis Skautkonungus) Sveciæ Rex, legatôs in Norvegiam ad tributa exigenda mittit, 60. illius legati à S. Olafô capitali supplicio affecti, 61. illius in S. Olafum & Norvegos odium, 69. 77. Olafum proprio nomine, nedum regio appellari prohibet, 69. illi Ingigerdem filiam desponsat, 82. eum deludit, 87. 88. Jarisleifo Ruffiæ Regi eam elocat, 91. ipfo ignarô Afridrem filiam ejus ducit, 90. ejus metu Gæuti Supremum fuum judicem Emundum de Scoris ad eum mittunt, 91. feq. fuper ejus apologis follicitus Olafus deliberat, 93. feq. factionem in Gauthia putans, duos fratres ad illam compescendam ablegat, 95.
- Olafus Knuti Lavardi frater à Knuto in
- in carcerem infons detruditur, 394. inde exemtus Daniæ rex creatur, 405. ab annonæ per totum regni ejus tempus caritate famelicus dictus ibid.
- Orcades infulæ inter Brufium & rhorfinnum Comites à S. Olafô divifæ, 107. feq.
- Ordulphus (aliis Ottho) Saxonæ Dux, 247. illius auxiliis Rex Magnus Bonus Vandalos & Slavos in Jutia fudit, ibid: feq.
- Ormus Storolfi filius Islandus, 5. ejus Romam iter, ex voto in conflictu cum gigante Brufio fufceptum, 5. ingentis roboris fpecimina, 5. feqv. in collegium aulicum à Comite Eirico admittitur, ibid. alterum roboris ejus fpecimen notatur, ibid. tertium in adolefcentia ab eo editum, ibid: feq. ejus vita & gefta fummamtim recenfentur, 6. feq.
- Ottar Birtingus. Sigurdo Hierofolympetæ à candelis, 484. ejus in Regem furiofum fides & animofitas, ibid. Sigurdum Bronchum Regē renunciarî curat, 512. Ingii Regis ad eum de auxilio literæ, & hujus refponfum, 517. in bello occiditur, 524.
- Ottar Niger in fatellitum numerum à S. Olafô receptus, 109.
- Oflia ob perfidiâ à S. Olafô punita, 26.
- Osleya urbs Norvegiæ ab Haralldo Strenuo fundata, 307.

P.

- Padremici ludi Conftantinopoli quales & quanti fuerint, 458.
- Piratæ olim Reges vocati, 27.
- Plefcovia varia nomina, 97.
- Plogus Niger Eiricum Eymunium Daniæ Regem occidit, 522. Eiricum Lambium, ultionem meditantem, oblato ei regno, à vindicta revocat, ibid: feq.
- Plogfysla Jutiæ præfectura (à Plogo Nigro forte dicta) 522.
- Poetas, ad annotanda, quæ gererentur, in bello difponit S. Olafus, 190.
- Prodigia in urbe Konghella ante Vandalorum in eam irruptionem, obfervata, 504.

R. Ran-

R.

Ranarichia olim, qvi hodie est distri-
ctus Bahufenſis in Norvegia, 65.
Raudulfus Uplandus, natione Svecus,
abſtruſarum artium ſcientiſſimus,
153. ab ejus filio S. Olafus de abditis
rebus informatur, ibid.
Regbur Vandalus, incantamenti in-
duratus, 249. ejus de Chriſtianis no-
ctu impetendis conſilium, ibid. Se-
curo S. Olafi Hele à rege Magno oc-
ciſus, 250. ejus ſpolia, ibid.
Reges olim vocati Regum filii & pi-
rata, qvi claſſibus excubarent, 27.
Rettibur Vandalorum dux Konghellā
urbem invadit, eamqve vaſtat, 505.
ſeq. ejus de templo & religione ur-
bis effatum, 507.
Rögnvaldus Gothiæ Comes, 69. ejus
cum S. Olaf ſœdus, ibid. ſeq. ad e-
um Regis Olafi legatio, 70. 71. ejus
cum judice Thorgnyre de legatio-
ne deliberatio, 80. quam coram ipſo
Sveciæ rege in foro exponit, 81. pa-
cem inter reges procurat, & filiam
Regis Sveciæ S. Olaf deſpondet, 82.
S. Olafi ad eum iterata legatio, 87.
89. deluſo à Rege Sveciæ Olaf Nor-
vego alteram ſororem Afridem, in-
ſcio patre, deſpondet, 90. Ingigerdē
in Ruſſiā ad Regem Jarisleiſum de-
ducit, & extra Sveciā proſcribitur,
91. Aldeiguburgo Comes præfici-
tur, ibid.
Rögnvaldus Orcadam Comes, 261. in-
ter eum & Comitem Thorfinnum
de triente inſularum contentio, ibid.
cum eo bellum & fuga, 263. ipſe
Thorfinno inſperato ſupervenit, e-
umq; propè oppreſſum fugat, 264.
ab eo improvifo incendio deletur,
ibid.
Rögnvaldus Kalius Orcadam Comes
ab Ingio in Norvegiam evocatur,
526. in terram Sanctam peregrinati-
onem ſuſcipit, 527. Vid. Kalius.
Rothomagum Ruda olim vocatum,
207. Rothomagenſes Comites, ibid.
Roſchildenſis Eccleſiæ maxima incre-
menta unde, 149.
Rutus de Viggia ante bellum Stiklaſta-

denſe cum triginta ſuorū cæſus, 193.

S.

Sada-Gyrdir. Vid. Gyrdir Sator.
Sarpus Cataraſta. 66.
Sarpſburgum urbs, à S. Olaf fundata,
& B. Virgini dedicata, 66.
Sigmundus Breſterinus à Comite Ha-
cone in Norvegiā evocatur, & Fær-
eyis præficiatur, 4.
Sigtuni in Svecia pons à S. Olaf fru-
ctus, 25.
Sigvatus Poeta, 44. ejus genus, locus
natalis, & in juventute exercitia,
ibid. acceſſus ad Regem S. Olafum
quando contingerit, ibid. unā cum
Biörno Stallario ad Gothiæ Comi-
tem Rögnvaldum ablegatur, 70. ſeq.
Solus ad eundem mittitur, 88. ejus
poſt occiſum S. Olafum vita ſtrictim
enarratur, 259. moritur, 260.
Sigurdi Epifcopi ante bellum Stikla-
ſtadenſe ad S. Olaf milites oratio, 195.
Sigurdus Thorlacius Færejenſis occiſi
conterranei ſui Thoralfi de Dimone
à S. Olaf reus agitur, 131. ejus apo-
logia, & Regis de eo judicium, ibid.
ad Ordalium à Rege judicatur, ibid.
eō omiſſo elabitur, inq; Færejas red-
it, ibid.
Sigurdus Thoreris filius de Thrandar-
neſia, 113. Tria ſacrificia quotannis
celebrat, ibid. illum in Chriſtianis-
mo morem ex parte retinet, & filio
Asbiorno ſervandum relinquit, ibid.
Sigurdus Magni Nudipedis filius Hie-
roſolymipeta poſtea dictus, trienti
Norvegiæ Rex præficiatur, 447. ex-
peditionem in terram Sanctam ſuſ-
cipit, 449. in Angliā & deinde Gal-
liam proficiſcitur, ibid. Gallaciæ
Principem fugat, ibid. Hiſpaniam
petens, Gentiles terrā mariq; fugat,
ibid. Saracenos caſtellō Sintrio ex-
pellit, ibid. Olyſſiponem Luſtaniae
metropolim à Saracenis liberat, ibid.
ſimiliter Alcaſam urbem, ibid. in
freto Herculeo piratas gentiles fu-
gat, 450. Forminteram ſive Colu-
brariam inſulam adiens, Æthiopes
in antro incendit, ibid. Majorcam
inſulam & urbem ſpoliat & capit,
ibid.

INDEX

- ibid. Siciliã Mauros expellit, 451. Græcorum copias superat, ibid. Rogerium Siciliæ Comitem primùm ibi Regem creat, ibid. Ægeo mari transmissio, Ascalonem petit, 453. inde Hierosolymam, postea ad Jordanem, iterumq; Hierosolymam deducitur, ibid. Regis Baldvini in illum studium, ibid. seq. ab illo particulam crucis Domini impetrat, additò juramentò, genuinam esse, 454. ille vicissim jurat, se Nidarosia in templo S. Olafi eam depositurũ, ibid. Chronici Hierosolymitani de his testimonium, 455. seq. in reditu Constantinopolin visit, 457. ejus ibi pompa et fastus, ibid: seq. aurum ab Imperatore sibi oblatum recusat, & illius loco ludos Padremicos eligit, 458. in Norvegiã redit, & Konghellæ ad limites regni tuendos crucis particulam deponit, 459. Sigurdi Regis cum Sigurdo Hranino, & inde cum fratre Eysteino proluxa controversia, 461. seq. ejus eventus, 467. seqv. Sigurdi de fati fratrum somnium & illius per Eysteinum expositio, 469. seq. inter illum & fratrem Eysteinum regni divisio, 471. inter eosdem æmulatio, & gestorum suorum contentiosa comparatio, 472. seqv. Sigurdus Episcopũ Gronlandis præficit, 477. Nicolao Daniæ Regi ad Smalandas convertendas opem laturus, ab illo deluditur, 478. ejus de Haraldo Gillio ejusq; posteris somnium, 481. illum advenientem, ordalii juramento præstito, pro fratre agnoscit, 482. in balneo amentiam & mentis deliquium contrahit, 473. ejusdem amentia nonnulla exempla, 483. seq. Konghellam urbem exornat, 484. seq. Reginam repudiat, & virginem Ceciliam, prohibente licet Episcopo, uxorem ducit, 487. ejus mors, sepultura et elogium, 492.
- Sigurdus Bronchus Norvegiæ Rex declaratur, 512. contra Sigurdum Slemberem pugnat, 515. seq. inter illum et Eysteinum discordia, 533. seq. ejus cædes, 534.
- Sigurdus Sigurdi Bronchi filius, à Marco de Skogo excitatus, Rex ab Uplandis appellatur, 561. capitur & occiditur, 564.
- Sigurdus Slember, sive Slembedianus, unde sic dictus, 508. in juventute sacris initiatus illa deserit, ibid: Hierosolymas profectus est, 508. illius habitus, ingenium & artes, ibid: 509. Hierosolymis redux, in Orcadibus moratur, ibid: instinctu Haraldii Gillii Thorkelsum Sumardidii fil: occidit, ibid: proscribitur, ibid. Romam, Græciam, & Saxoniam petit, 509. mercator factus, Islandiam adit, ibid: ejus ingenii specimina ibi edita, ibid: Magni Nudipedis filium se gerit, ibid: genus suum in Dania coram V. Episcopis asserit, ibid. in Norvegiam delatus Haraldo Gillio fratrem se obrudit, ibid: à Norvegis ob cædẽ Thorkelis capite damnatur, ibid. mergendus nautas callidè frustratur, 510. conjurationem contra Gillium excitat, eumq; occidit, 510. In Nordhordiam fugiens, Rex pronunciatur, 512. Magnum Cæcum monasterio extractum secum ducit, 513. in Occidentẽ trans mare ad auxilia conquirenda transit, ibid: inde redux, cum Norvegiã bis pugnat victor, 515. in Norvegiã latrocinii infestus redit, ibid. Magno Cæco iterum jungitur, ibid. Benteinum Ingii satellitem occidit, 515. seq. in australia proventus, varios occidit, 516. nave exutus; undiqve se abscondens, Urinantis cujusdam extracti prodicione capitur, 519. ejus supplicium inanissimum, ibid. seq. tolerantia & fortitudo usq; in mortem incredibilis, 520.
- Sigurdus Hraninus, 461. ejus cum Rege Sigurdo Hierosolymipeta de re tanto censu, mox de sevdò, proluxa controversia, quæ Reges fratres, Sigurdum et Eysteinum, inter se committit, 472. seq. ejus exitus. & prudens Hranini consilium, 467. Regũ in eum moderatio et liberalitas, ibid: seqv.

Sigurdus de Reyre , Dux in exercitu Haconis Humerosi , 540. ejus ad milites oratio , ibid: Comes creatus , 557. ejus cum Comite Erlingo Skackio bellum , 562. cædes , 563.

Simon Skalpus Eysteinum Haraldi Gillii filiam occidi curat , 536. inde plebi exosus factus , 537.

Skialgus Erlingi filius naufragus captus & occisus , 310.

Skoptius de Giskio , Satrapa nobilis , 442. ejus cum Rege Magno Nudipede de hæreditate contentio , ibid: Rege implacabili cum filiis domo peregrè abit , ibid. primus omnium normannorū fretum herculis transmittit , ibid:

Slavi cum Vandalis in Jutiam infusi , 243. seq. à magno bono superantur , 250.

Slesfort (Slesvicum) in boreali Anglia Danorum olim præsidium . 15.

Smalandias ad Christianã religionem ducturus Nicolaus Daniæ Rex , auxilium à Sigurdo Hierosolymipeta rogat , 478. illo tardante , ab opere desistit , ibid.

Snægn - Hallus , 327. Einarem Flugam ad cædis , quam non comiserat , satisfactionem adigit , ibid: ejusdem in regem Haraldum Strenuum jocularia dicacitas , 356. cum Thiodolfo poeta æmulatio , & , committente eos Rege , contentio , ibid. ejus de Regina ambiguus versus , ibid:

Sotafker , Svetici maris scopuli , 26. apud illos S. Olafi cum piratis confictus , ibid:

Spectrum S. Olafø oblatum , 96. & 181.

Sockius Thoreris filius , Grönlendorū Primas . Episcopum genti suæ à rege Sigurdo Hierosolymipeta deposcit , & impetrat , 477. seq.

Steinus Skaptii Legiferi fil: ob prohibitum in patriã reditum liberiores versus in S. Olafum jacet , 132. Villicum ejus occidit , 133. ab uxore thorbergi Arnini recipitur , ibid. Thorbergus ideò à Rege repræhenditur 134. interveniente Thorbergo & ejus fratribus Steinus liber dimittitur , 135. in Daniam ad Knutum Magnum

gnum se conferens diu illi militat , ibid. tandem ob ænulum Regii luxum dimittitur , ibid. naufragus ob eundem luxum à muliere lotrice occiditur , ibid:

Stephanus legatus Romanus in Norvegiam venit , 565. in coronationem Magni Erlingii consentit , 566.

Stiklastadi , villa S. Olafø fatalis , 193.

Stiklastadensis prælii apparatus , 188. ipsum prælium , & ejus ordo , 198. seqv. eventus , 199. tempus & duratio , 202. seq.

Stockholmus , insula Sveciæ unde dicta , 33.

Stufus Katti filius Islandus , vir cæcus , 333. Haraldi Strenui in illum mansuetudo & benignitas , ibid:

Sudurvirkiom ad Londinum in Anglia 27. à Danis olim munitum & infesum , ibid:

Sveciæ in ethnicismo status , 79. seqv.

Svenkius Steinaris filius , 415. ejus in Regem Magnum nudipedem factus & arrogantia , ibid: ad eum profcribendum Rex Sigurdum Ullstreingū mittit , ibid: Svenkius legationem contemnit , 416. seq. ei Rex exilium indicit , conditionesque sensum mitigat , 418. præteritorum gratiã factã , eum revocat , 419.

Svenus Sacrificulus (Blotfvein) 410.

Sveni Furcatæ Barbæ Daniæ Regis in

Anglia gesta , 9. seq. ejus mors , 27.

Sveni Norvegiæ Comitæ cum S. Olafø bellum ad Nefias gestum , 45. ejus in Sveciã fuga , 46. seq. ditionem armis reperiturus , in russiam ad auxilia conquirenda proficiscitur , 47. in Sveciam rediturus , in itinere moritur , 48. ejus elogium , ibid:

Svenus Haraldi Fletteris filius , natione Danus , à Thorere de Steiga Norvegiæ Rex pronuntiatur , 413. victus in Daniã fugit , 415. à rege Eysteino Magni filio revocatus Dapifer creatur , ibid:

Svenus Knuti Magni Daniæ regis filius (Alfifæ filius vulgò dictus) Norvegiæ à patre Rex præficitur , 208. In Norvegiã cum matre adveniens , ubiq; Rex acceptatur , ibid: ejus no-

INDEX

væ constitutiones & gravamina, ibid: ejus in Scotiâ expeditio, 214. ejus & matris, à quâ regebatur, imperium Norvegis inivsum, 215. ejus cum Tryggvio Olafi filio bellum & victoria, 216. inter eum & Jarisleifum Ruffiâ regem ob S. Olafi cædem inimicitia, 217. Einaris Thambarfelferis in eum & matrè liberè dicta, 218. seq. varia civium in eum studia, 221. cum matre & proceribus in Daniâ fugit, 222. moritur, ibid:

Svenus Ulfi Sprakaleggi filius Magnû Bonum accedit, 240. Satrapiam, ab eo petit, ibid. Rex eum Comitem & totius Daniæ administratorè creat, 241. in Daniam delatus, regnum ambit, ibid: Rex proclamatur, 242. à Magno bellò impetitus in Scaniam fugit, 254. iteratò cum Magno congre-ditur, 253. in Fioniâ fugit, 254. tertio præliò univerfa classe exutus, in Scaniam fugit, 254. qvo anno hæc gesta sint, disquiritur, 255. seq. Magni & Haraldi in Daniâ adventu ter-ritus, sponte in Scaniâ fugit, 282. re-gium titulum abdicare statuit, 283. ei magnus Daniæ regnum testamen-to legat, 284. qvî hoc potuerit, dis-quiritur, ibid: Svenus iterum Rex proclamatur, 301. Haraldum Stre-nuum, Norvegiæ regem, ad bellum provocat, 303. non comparet, ibid. Haraldum, qvî militem dimiserat, persequitur, 305. ab eo ingeniosè e-luditur, ibid: cum eo navali prælio certat, 309. seq. elabitur, & sub Van-dradi nomine fugit, 311. inter eum & Haraldum pax firmatur, 315. in Angliam classẽ transmittit, 384. moriturus leges de successione in regnum immutat, 387.

Sverreris genus, ortus, & educatio, 583. in Sacerdotem consecratur, ibid: ejus de futura magnitudine somnia, ibid: & 584. quâ occasione genus illius revelatum, 584. in norvegiam devenit, 585. inde in Ostrogothiam proficiscitur, ibid: à Betulopedibus Dux expostulatus, id recusat, 586. mi-

minis ad hoc ipsum adigitur, 587. illius de instanti fortuna visio, ibid: seqv: à militibus invitus Rex pro-nunciatur, 588. Vermiam petit, 589. ejus in Thrandiam impeditissimum iter, 589. Thrandsium & Gaular-dalsium consilia prudenter explo-rat, 590. Vexillum S. Olafi fausto o-mine ab hostibus recipit, 591. prima ejus victoria, ibid: Nidarosiam in-vectus, & processione exceptus, to-tius Norvegiæ Rex declaratur, ibid. cum præfectis regis Magni pugnat, eosq; fugat, 592. ejus in Vorla peri-culum, feliciter superatum, 593. Er-lingum astu eludit, 595. transitum negantes cives mitigat, 596. Archi-episcopi & Thrandorum in eum im-petus, 598. ejus effugium, ibid: ejus cum Rege Magno geminum præli-um & victoria, 600. 602. Tres con-ditiones belli magno offert, 602. Er-lingum skackium occidit, 604. Ma-gnum filium ejus fugat, 605. ejus de hujus pugnæ eventu somnium, 606. Thrandiam domicilium eligit, 607. conditionem de dividendo re-gno magno offert, sed frustra. Cum eo in campis llensibus conflictatur, 609. in Daniâ eum fugat, 610. iterû cum Magno navali prælio congre-ditur, 611. seq. Bergas fugit, 612. eor-um acerrimum prælium, 614. Sver-reris victoria, 615. Archiepiscopi per-secutionem effugit, 616. Eiricum, qvî fratrem sè ejus dixerat, ad pro-bationem generis admittit, proque fratre agnoscit, 617. ejus cum Ma-gno colloqvium, & conditiones ite-rata, 618. seqv: Illorum conflictus, 619. inq; eo Betulopedum fuga, 620. Sverrer ex castelli obsidione elabi-tur, 624. Archiepiscopo reconcilia-tur, 628. Sognenfes præfectorum su-orum occifores punit, 629. Extre-mum ejus cum Magno prælium, ipsi Magno fatale, 633. seqv. Sverreris post victoriam oratio, 635. seq. in fu-nerè Magni sermo. parentalîs, 637.

T.

Talorum jactus prodigiosus, 96. Tan-

Tancredus, Dominus de Hantevilla, ejusque filii & posterii Principes, 450. seq.
 Tessera militaris S. Olafi, 198.
 Thingmannalid, copiae Danorum in Anglia dictae, 15. illae omnes unâ nocte deletae, 30.
 Thiodolfus poeta, 336. inter eum & Snæglu-Hallum, committente eos rege Haraldo, contentio, ibid:
 Thoralfus de Dimone, Færeyensis, Norvegiam advectus clanculum occiditur, 130. ea caedes Sigurdo Thorlacio imputata, ibid: Vid. Sigurdus Thorlaciarius.
 Thora Thorbergi Arnini filia à Steino Skaptii filio è baptismo suscepta, 132. eam Haraldus Strenuus priori uxori Elizabethae adjicit, 302. in eam Snæglu-Hallii dicacitas, 337.
 Thorarinus Offius, 167. is Thorgeirè Havaridi filium dolò aggressus occidit, 168. ejus in occisum insolentia, inq; caput demortui ludibrium. 169.
 Thorbiörg Kolbrun, Thormodi Kolbrunarfskalldi amasia, 171. vid: Thormodus Kolbrunarfskald.
 Thorbiörn Ferdalungus à Grettere robusto occisus, 60.
 Thorodus Istru-magus, Dalorum Princeps, 109. illi visio de Christiana religione accipienda offertur, ibid:
 Thordi Kolbeini fil: Islandi cum Biórno Hitdalensium athleta controversia de rapta sponsa, 66. ea lis à S. Olaso diremta, 67.
 Thorer Thomb Berserkus à Grettere robusto occisus, 52.
 Thorer Procerus, emissariorum S. Olasi praefectus, 65. Ejolfum Gautskium occidit, 66.
 Thorer Selus, 115. ante mensam Regiã ab Asbiorno Sigurdi filio, Selicida inde dicto, occiditur, 116.
 Thorer Hundus Karlem Halogensem in ultionem Asbiorni Selicidæ occidit, 129. à Finno Arnino ad satisfactionem pecuniariam adigitur, 136. in Angliã ad regem Knutum se confert, adq; eum deficit, 137. Finnmarchia à Knuto praefectus commercia cum Finnis & veneficia exercet, 187.

in

in bello Stiklastadensi rusticorum ducem adversus S. Olafum se praebet. 197. gladiò inviolabilis. 199. S. Olaso lethale vulnus infert, ibid: mortuo Rege corpus ejus reverenter componit, ibid. ejus in manu vulnus, stillante ex corpore demortui sanguine sanatur, ibid.
 Thorer, Regis Magni Boni frater uterinus, ab Haraldo Strenuo convitiis lacescitur, 277. eum Rex Magnus moriturus in Daniã ad Regem Svennum ablegat. 284. à quo benignè exceptus, brevi post fratris desiderio moritur. 285.
 Thorer de Steiga Haconem Magni filium educat, 411. eum Regem proclamari curat, ibid: contra Magnum Nudipedem rebellans, Svenum Haraldi Fletteris fil: Danum, Regem pronunciat, 413. captus, & in cruce actus, rupta praë corporis mole cervice decedit. 414.
 Thorfinno Oreadu Comiti tenello tutores dati, 98. adultior, mortuo Sumarlidio, ejus trientem postulat, et à Brusio impetrat, ibid. qvëm tamen Comes Einar occupat, ibid. Thorfinnus aliis suum trientem committit, 100. à S. Olaso in Norvegiã evocatur, ibid. iterum in Norvegiã cum Brusio navigat, 105. controversiam illorum Rex dirimit, & Thorfinno unum modò trientem adjudicat, 108. inter illum & Comitem Rögnvaldum lis de insularum triente exorta in bellum erumpit, 261. seqv. illo superior Thorfinnus insulas omnes sibi vendicat. 262. seqv. à Rögnvaldo incendio ferme deletur, 262. ipse Rögnvaldo insperatus superveniens eum opprimit, ibid.
 Thorgaurus Skardius, Regis Sveciæ Olasi ad tributa expostulanda legatus, 60. Gudlekum Girsikium occidit, 68. ipse ab Eyvindo Uricornu in illius vindictam occiditur, 69.
 Thorgeir Havaris fil: 162. ejus genus, ibid. cum Thormodo Kolbrunarfskalldo societatem fraternam jungit, ibid. illi se ad mutuam vindictam obligant, ibid: à Vermundo Gracili Curio

INDEX

- rione ob ludorum sævitiam migrare jubetur, *ibid.*: cædem patris quindécim annorum adolescens ulciscitur, 163. Butraldium & Thorgilsem occidit. 165. seq. societatem ei Thormodus renunciat, 164. Torfium Bøggulem & Skufum interficit, *ibid.* in Daniam peregrè abit, inde ad S. Olafum, ejusq; satellitio inscribitur, *ibid.*: Islandiam repetit, 165. Snorrium Hækilem, ejusq; vernas irritatus occidit, *ibid.*: iterum in Norvegiam recedit; ubi mandatum de ulciscendo in Islandia satellite regio accipit, *ibid.*: id in Thorere de Hrofo exsequitur, *ibid.* in eo periculorum insignis contemptus, 166. Ad Regem redit, *ibid.* de eo in patriâ redire obstinato, Regis præfagium, 167. inter illum & Gautium rixæ, *ibid.* Gautium occidit, *ibid.*: cum nautis Grönlandicis societatem init, *ibid.* eorum rector Thorarinus Ossius subdolè illum in vindictam cædis Gautii occidi curat, 168. in Thorgeirem mortuum Thorarini insolentia, 169. Thorgeiris spectrum, & secuta amicissimorum virorum mutua perniciës, 170.
- Thorgnyr**, Tundalandiæ in Svecia supremus iudex, 79. ejus contra Styrbjörnum strategema, 80. eum Gauthiæ Comes Rognvaldus de pace inter Norvegiam & Sveciam firmanda adit, 80. Thorgnyris hac de re ad Regem audax & disertæ oratio, 82. eò annitente, pax inter utrumq; regnum coalescit, & Ingigerdis Olafi Sveciæ Regis filia S. Olafò desponsatur, *ibid.* Thorgnyr quomodo Hrojum, Stultum dictum, à trium fratrum injuriâ consiliò suò liberaverit, 160. seq.
- Thorkell** Procerus, Comes Danus, 30. Knutum Regem in Angliam sequitur, *ibid.*: S. Olafum, nondum Regem, Knuto reconciliat, 31. Knutum à ferali Regis Edmundi ictu liberat, Edmundumq; eqvò deturbat & fugat, *ibid.*
- Thorkell** nutritius ad S. Olafum ex Orcadibus venit, 98. ejus adventus causa, *vid.* Thorinnus Comes. **Thorkell**
- Einarem** Orcadum Comitem, cujus cædi à S. Olafò destinatus erat, occidit, & mandatum Regium prævenit, 101.
- Thorkell** Dyrdrill, Olafi Tryggvini avunculus, 279. subductorum relictum apud Regem accusatur, *ibid.* expostulationem Regis, thesauro exuviis caprinis asservato & Regi oblato prævenit, 279.
- Thormodus** Bessii fil: Islandus, Kolbrunarskald postea dictus, 162. ejus cum Torgeire Havaris filio in adolescentia societas, *ibid.*: hanc Thormodus, verbò offensus, dirimit, 164. amicæ monitu cum infidias matris illius Grimæ effugere posset, volens in eas irruit, & à servo vulneratur, 171. vento detentus, Arnardalum divertit, filiamq; familias Thorbjörgem Kolbrunam, amat, *ibid.*: in ejus honorem factum carmen publicè recitat; inde Kolbrunarskald si ve Kolbruna pœta dictus, 172. illud in prioris amasiæ laudes invertit, *ibid.*: à Kolbruna in somnio apparente, morbo oculorum ob inconstantiam punitur, usq; dum cantatâ palinodiâ, cognomen suum proficitur, *ibid.* in bello Stiklastadensi Regi proximus, ad annotanda, quæ gerentur, constituitur, 190. exercitum veteri Odâ, *Þiatkamal* dictâ, excitat, 172. ejus cum Rege de hospitiò post mortem colloquium, *ibid.*: sub vexillo Regis militat, 200. lethaliter vulneratus in solitariam domum deferatur, 201. ejus in vulnèrum doloribus perferendis mira usq; in ipsam mortem constantia, *ibid.* ejus elogium, 202.
- Thoro** Riparum Episcopus, 495.
- Thoroddus** Snorrii fil: in Jamptiam ad tributa repetenda à S. Olafò missus, 138. à Jamptis neci destinatur, adventuris Sveciæ Regis nunciis tradendus, *ibid.*: in convivio de instanti periculo admonitus, cum famulo aufugit, 139. in versis soleis pedibus substratis inquirentes illudit, *ibid.*: à prædone Arnlioto gellina sublevatus tandem ad Regem redit, 140.
- Thorsteinus** Dromundus, Gretteris Ro-

T O M I III.

Robusti frater. 58. Comitem Eiricum ferè implacabilem, fratri placatum reddit, *ibid.*
 Tolar Verpill, conjurationis contra S. Knutum Principum unus, 397.
 Toftii Angliæ Comitis ingenium & mores, 344. feqv. ab Edvardo jam seniore, toti militiae & omnibus Comitibus præficitur, 346. fratri Haralldo regnum extorquere frustra studet. 347. Oblatum sibi in Dania Comitatum recusat, *ibid.* in Norvegiã profectus, Haralldo Strenuo expeditionem in Angliam svadet & perfvadet, 347. feqv. ipse Haralldo homagium præstat. *ibid.* in Flandriam ad copias convirendas abit, 35. ejus prudens consilium ab Haralldo neglectum, 353. ejusdem cædes. 355.
 Thrandus Albus ad tributa regia repetenda in Jampciam à S. Olafò missus, à militibus Svæcis occiditur. 68.
 Thrandi de Gata, Færeyensis, in Karlem Mærensem. S. Olafì legatum, aflu. qvohic à Thorlaci filiis occisus est. 142. feq.
 Tryggvii. Olafì Tryggvini Regis filii, cum Svenò Alfisæ filio bellum, 216. rusticus Tryggvii interfector jussu Haralldi Strenui patibulo suspensus. 339.

U. V.

Væringi. (aliis Barangi) eorumque per Græciam gesta, 256. feqv.
 Valdemarus primus Daniæ Rex creatur, 551. is controversias inter Knutum & Svenum conciliat, *ibid.* infidias à Svenò sibi structas effugit, 553. Knuto mortuò & Svenò occisò solus in Dania regnat, 554. ab Erlingo Skackio partem Norvegiæ requirit, 567. ipse in Norvegiam profectus, cædibus & rapinis abstinens, re infectâ domum redit. 570. ad eum Erlingus profectus, reddita, qvæ postulabatur, parte regni, Comes creatur, 571.
 Valdresia, ad Christianismum conversa, 119.

Valgautus Comes ad Christianam religionem à S. Olafò conversus, 175.
 Vandali cum Slavis in Jutiam infisi, 240. à Magno Bono Norvegiæ Rege memorabili clade sternuntur, 242.
 Duce Rettibure Konghellam invadunt, expugnant, & diripiunt, 505. feqv.

Vatn-Ormus prælio navali cedit, unde versus in illum jactus, 515.

Vermundus gracilis. Curio Isafiordensis in Islandia, 162. Havarem Thorgeiris patrem ob filii in ludis sævitiæ solum vertere adigit, *ibid.*

Wilhelmus Nordmanniæ Comes, 340. Haraldi Godvini cum eo fædus. 341. ejus ad Angliã à morte Haraldi repetendam apparatus, 344.

Ulfkælis Suillingii, Danorum in Anglia Ducis cum Rege Ethelredo prælium, 28.

Ulfus Sprakaleggus. Daniæ Comes, absente in Anglia Knuto Magno filium ejus Horda-Knutum Regem dici procurat, 144. veniam facti à Rege reduci petit & impetrat, 145. lingvæ petulantia Regem offendens, ejus jussu in templo occiditur, 148. 149.

Ulfì Stallarii mors, & datum ei à Rege encomium, 350.

Ulfus Dives Haraldum Strenuum ad convivium invitat, 323. agris & bonis omnibus ab eo privatur, 324.

Ultonia à Magno Nudipede subacta, 444.

Vorsia ad Christianam religionem à S. Olafò conversa, 119.

Uplandorum Regulorum cum S. Olafò fædus, 41.

Urfus ferocissimus à Grette Robusto occisus, 55.

Uvæ sectio Haconi Norvegiæ Comiti lethalis, 20.

Z.

Zoë, Imperatoris Constantini Monomachi uxor, 268. ab Imperatore dimissa, 271.

INDEX

SYLLOGE
VOCUM ANTIQVARUM,

Quæ in hoc Tomo III. vel datâ opera illustrantur,
vel occasione Nominum propriorum bre-
viter explicantur.

A.

- A**a | annis, *stivius*, 29.
Alfur | *genius*, 73.
Andvaka | *pervigilium*, 610.
At | *annus*, item *annonâ*, 479.
Arfael | *annonâ felix*; qui *facili annonâ*
utitur, 479.
Auga | *oculus*, 516. 605.
Aurtugur | vel *Portugur*, *nummus va-*
lens tertiam uncia partem, 549.

B.

- B**ær | *oppidum*, 30. 388.
Bærū | *cymbæ genus*, 450.
Betn | *os (ossis) isem pes*, 582.
Berg | *rupes*, 371.
Biarā | (in plur. *Biarā*) *rupes*, 318.
Bierg | *sustentatio, alimentum*, item *an-*
nonæ facilitas, 388.
Biergvīn | *Berga Norvegorum*, 388.
Biorn | *ursus*, 54.
Birkī | *betula*, 582.
Birkibetnū | *Benlopes*, 582.
Blāslānd | *æthiopia*, 256.
Blod | *sanguis*, 410.
Blot | *sacrificium Ethnicum*, 410.
Bokvīs | *literatus*.
Bot | *reparatio, ornamentum*, 388.
Botn | *intinum sinūs (est & fundus in*
vase.) 627.
Brecta | *acclivitas*, 180.
Bringa | *pectus*, 625.
Brun | *supercilium*, 171.
Bru | *pons*, 534. 627.
Bryggja | *pons*, 415.
Brynta | *lorica*, 614.
Brynstactur | *lorica brevior*, 354.
Budir | *castra, taberna, tabernacula*, 188.
Bugg | *hordæum*, 598.
Byrdi | *onus, portatio*, 517.

D.

- D**antir | *Dani*, 388.
Diafn | *Diaconus*, 508.

- D**rapa | *genus carminis prolixioris*, 377.
Dryctia | *compositio*, 103.

E.

- E**ldur | *ignis*, 606.
Eldast | *senescere*, 606.
Elf | *Albis*, 419. 592.
Ellipalta | *Volga stivius*, 269.
Ellisif | *Elizabetha*, 272.
Endil | *finis*, 398.
Ey | *insula*, 388.
Ey | *semper*, 394. 407.
Ey - Godi | *Semper - Bonus*, 394.
Ey - muni | *semper memorandus*, 498.
Eymur | vel *Eymī* | *odor diuturnus*, 498.

F.

- F**agur | *pulcher*, 388.
Fjordur | *sinus*, 32.
Fitstuar | *perones*, 562.
Floctur | *turma*, item *genus carminis*
brevioris, 333.
Fostri | *nutritius*, 99.
Fotur | *pes*, 415.
Fylti | *præfectura, satrapia*, 399.

G.

- G**æs | *anser*, 239. 603.
Gaurtur | *Gothus*, 65.
Geisti | *radius*, 203.
Glastr | *fulgor*, 516.
Glastr | *fulgere*, 516.
Godur | *bonus*, 394. 407.
Grac | *ciceraceus*; 218. 239. 603.
Gull | *aurum*, 625.
Gygja | *gigas femina*, 371.

H.

- H**armur | *dolor, meror*, 413.
Hassel | *corylus*, 388.
Heidī | *resqua*, 554.
Helaur | *Sanctus*, 285.
Helsingaport | *Pevensea in Anglia*, 373.
Hemingur | *corium boum vel equorum*,
à femore usque ad talos, 367.
Hella | *stola*, 606.

T O M I III.

Herad| *praefectura, provincia*, 589.
 Hetta| *cuculla*, 578.
 Hlid| *porta*, 204.
 Hnisa| *pisces delphinum generis*, 485.
 Hofud| *caput*, III. 203.
 Holmur| *insula parva*, 33.
 Horn| *cornu*, 67.
 Hofur| *ibitalia*, 38.
 Hriggur| *dorsum, spina dorsi*, 519.
 Hvedn| *Hoena insula*, 502.
 Hvirfingsdrættior| *computationes circulares*, 103.
 Hundur| *canis*, 185. 187.
 Huskavlar| *emissarii, domestici Regum*, 587.

I.

Jarl| *Comes*, 388. 389.
 Jarn| *ferrum*, 470.
 Jarnsidal| *ferreum latus*, 470.

K.

Kantari| *cantor*, 629.
 Kantara - Kåpa| *cantorum toga*, 629.
 Kåpa| *toga*, 629.
 Kenpa| *Aibleta* (sumitur & pro gigante.) 371.
 Klingra| *nickare*, 516.
 Klingru - auga| *nickans oculus*, 516.
 Kol| *carbo*, 171.
 Keltur| *felis*, 333.
 Kringla| *rotunditas, res rotunda*, 516.
 Kristinn| *Christianus*, 6.
 Ruffari| *pirata, qui piratarum cursum dirigu*, 452.

L.

Lætur| *rivus*, 68. 624.
 Laqur| *parvus, pusilla statura*, 390.
 Laftjarn| *palatia splendidissima Imperatoris Constantinopolitani*, 457.
 Landaurar| *telonium*, 44.
 Langur| *prolixus*, 557.
 Langtala| *prolixa oratio, item homo prolixi sermonis*, 557.
 Lausti| *redemptio, solutio*, III.
 Lax| *salmo*, 516.
 Leidangur| *expeditio nautica, item tributa ad rem nauticam sustentandam*, 68. 624.
 Lid| *copia, exercitus*, 15.

M.

Mælix| *mensura, certum mensurae genus*, 208.
 Mitill| *magnus*, 505.
 Mitlimunnur| *magni oris homo*, 505.
 Mey| *virgo*, 631.
 Milldur| *mitis*, 564.
 Mtor| *tener*, 38.
 Mtonesfur| *homo nasi acuminati*, 38.
 Mosur| *species ligni pretiosi. vid. pag. 274.*
 Munal| *memnisse*, 498.
 Munnur| *os (oris) item, qvi oris vitio laborat, Bronchus*, 190. 505.

N.

Nesf| *nasus*, 38.
 Nes| *promontorium*, 457.
 Nidingur| *homo improbus, execrabilis*, 121.
 Niorfasund| *fretum Gaditanum*, 29.
 Norœnn| *Norvegus. (item in genere septentrionalis)* 522.

O.

Os| *ostium fluis, vel fluminis*, 478.
 Örttugur| *tertia pars uncia*, 549.

P.

Pæll| *holosericum*, 68.
 Þointasvaef| *sic dicta à Normanis palatia, in quibus thesauri Imperatoris Constantinopolitani custodiebantur, vid. pag. 271.*
 Þrudur| *generosus*, 203.

R.

Randaros| *Randersia, Julia oppidum, à flumine Raunne* (Gen: Randar) & Os, ostium, 400.
 Rettur| *lhus*, 63.
 Risi| *gigas*, 371.
 Rofa| *cauda*, 516.
 Rofi| *milliare*, 250. 577.
 Rostnægur| *Amphibion, in Grönlandia & Islandia*, 520.
 Rutur| *vel Hrutur/ aries*, 193.
 Rættiar| *tolinum crudum*, 208.

S.

Sæll| *felix, beatus*, 477.
 Sætt| *mare*, 398.
 Sævarendi| *finis maris*, 398.
 Sætur| *suavis*, 534.

INDEX

Eäd / semen, satio, 512.
Safi / succus arborum, item tunica interior, 589.
Sandur / arena, 627.
Saur / sordes, 104.
Sax / gladiolus latus & curtus, 50.
Selur / phoca, 114.
Sida / latus, 470.
Sigur / victoria, 309.
Sigurbata / ictus, quo victoria propitiari credebatur, 309.
Skactur / distortus, 527.
Skät / ludus latruncularum, 308.
Skald / poeta, 103. 171.
Sker / scopulus è mari eminens, 24.
Skialdmen / amazon, 631.
Skjöldur / chlypeus, 631.
Skjppund / talentum majus, 359. 458.
Skogur / sylva, 37. 395.
Skötkull / claudus, 497.
Slembtr / desertor, 508.
Smár / parvus, 603.
Smid / artes fabriles, 488.
Smirill / accipiter, 516.
Spakur / mitis, (item sapiens) 522.
Spaung / lamina, 604.
Spangabrynna / lorica solida, armillari contradistincta, 604.
Spilla / corrumpere, 103.
Spilltr / corruptor, 103.
Spjöld / hasta, 37.
Stöðva / rumpi, **Stoekinn** / ruptus, 35.
Stufur / truncus, 333.
Stycki / particula, frustum, 519.
Svanur / cygnus, 24.
Svetinn / puer, famulus, 517. 629.
Sund / ostium sinus, 269.
Syr / porcus, 333.

Sysla / praefectura, 5.

S.

Sall / sermo, 557.

Siu / decem. **Siundi** / decimus, 79.

Sigtinn / nobilis, 508.

Sol / cespes herbidus, 166.

Soddi / munusculum, 208.

Srapja / mensa, in qua vasa reponuntur, 389.

Srel / lignum, 37.

Sröll / gigas, 371.

U. V.

Vagur / v. **Vogur** / sinus interior, 627.

Vagsboti / intimum sinus, 627.

Vaka / pervigilium, 235.

Vandradrur / periculosus, item expertus consilii, 311.

Varta / verruca, 457.

Veisa / palus (udis) 627.

Vetur / hyems, 203.

Viggvæddill / dolium, 305.

Vit / sinus maris, 388.

Vinur / amicus, 208.

Vinartoddi / amicum munusculum, 208.

Visa / oda, carmen, 46. 542.

Ulfaldi / camelus, 29. 65.

Ungur / juvenis, 526.

Vömb / venter, 598.

Ur / urus, 67.

Urd / fragosa solitudo, 180.

V.

Víktusfari / archipirata, 452.

V.

Ving / forum, 15.

Vorv / villa, pagus, 108.

FINIS.

